phia, vere artificiosam sapientiam, quæ præbet experientiam eorum quæ sunt in vita. Sapientiam autem, ✠ solidam rerum divinarum et humanarum cognitionem, firmam quamdam et stabilem, et quæ non potest excidere comprehensionem, et quæ continet ea quæ sunt, et præterita, et futura : quam nos docuit per suam præsentiam et per prophetas Dominus, estque ejusmodi ut non possit excidere, ut quæ a Verbo sit tradita. Ideo quoque omnino vera est voluntate, ut quæ sit cognita per Filium : et partim quidem est æterna, partim autem tempori utilis : et partim quidem una est et eadem, partim autem multæ et indifferentes : et partim quidem est absque ullo motu patibili, partim autem cum patibili appetitione : et partim quidem perfecta, partim vero indigens. Hanc ergo sapientiam **273** concupiscit philosophia, animæ et verbi rectitudinis, et vitæ puritatis : quæ est benevole affecta in sapientiam, et omnia facit ut eam consequatur. Philosophi autem apud nos quidem dicuntur qui amant sapientiam, quæ est omnium opifex et magistra, hoc est Filii Dei cognitionem. Apud Græcos autem dicuntur philosophi, qui disputationes de virtute suscipiunt. Philosophiæ autem nomine dicuntur, quæ in unaquaque hæresi (de iis loquor quæ sunt in philosophia) reprehendi non possunt decreta, cum vita congruente in unam coacta electionem : quæ ipsa quoque a barbara divinitus data subrepta gratia, Græca ornata sunt eloquentia. Nam alia quidem sunt suffurati, alia vero perverse audierunt. In aliis autem, aliqua quidem dixerunt commoti, sed ea non reddidere perfecta : aliqua autem humana conjectura et ratiocinatione, in quibus etiam labuntur. Arbitrantur autem se isti quidem assequi veritatem perfecte, ut autem a nobis deprehenduntur, aliqua solum ex parte : nihil certe amplius norunt quam hunc mundum. Quanquam quemadmodum geometria in mensuris, magnitudinibus et figuris, per eam quæ fit in planis descriptionem, et pictura totum locum opticum, quem vocant perspectivum, videtur assumere in iis quæ adumbrantur. Hæc autem falso describit visum, artificiose utens signis quæ fiunt per applicationem linearum visus. Hinc conservantur ἐπιφάσεις, id est eminentes visiones, et hypotheses, hoc est visiones inferiores, et φάσεις, hoc est visa. Et videntur quidem alia eminere, alia vero subsidere : aliqua vero, aliquo alio modo visione apprehendi in loco lævi et æquabili. Ita autem philosophi

✠ P. 768 ED. POTTER, 642-643 ED. PARIS.

censet lib. v *Strom.* p. 577, ubi etiam paulo ante pag. 567 symbolum avis aliorumque animantium ab Idanthura Scytharum rege usurpatum, a Pherecyde autem memoratum, variasque ejus expositiones refert. Prophetiæ autem Chami nullam alibi mentionem reperio, hancque apocrypham scripturam a Basilide vel aliis hæreticis confictam fuisse arbitror. »

(81) *Σοφίαν*. Similem Sapientiæ definitionem superius tradit auctor *Strom.* lib. I, p. 333, ubi conf. n. 2.

(82) *Ἀμετάπτωτος ὑπὸ λόγου παραδοθεῖσα.* « Quæ ratione dimoveri non potest cum fuerit tradita. » Conf. superius *Str.* II, p. 433, n. 5.

(83) *Βουλήσει.* « Ex voluntate, » sc. Dei.

(84) *Τῶν μέν.* Notabilis est articulorum commutatio : τῶν μὲν... ὧν δέ, et mox ἃ μὲν...τὰ δέ... cum utrobique iidem et similes poni soleant. SYLBURG.

(85) *Κινούμενοι.* Scilicet divinitus : quod opponit τῷ ἀνθρωπίνῳ στοχασμῷ.

(86) *Ὡς Κύριον καὶ ἡγεμονεῖται.* A. ὡς Κύριον καθηγῆται. Possis etiam legere, ὡς Κύριον καθηγεμονῆται. Vulgata lectio ferri potest si καί accipiatur pro « etiam, vel : » id est, « si, ut dominans, etiam » seu « dux, præire velit. » SYLBURG.

Digitized by Google

quoque instar picturæ imitantur veritatem, φιλαυτία autem, hoc est nimius amor sui, est semper quibuslibet causa peccatorum omnium. Quocirca non oportet eligendo et expetendo gloriam ab hominibus, ✠ esse nimium sui amantem, sed Deum diligendo esse sanctum cum prudentia. Si quis ergo utatur quidem singularibus, tanquam universis ac generalibus, et id quod servit habeat pro eo quod dominatur, a veritate excidit, non intelligens id quod a Davide dictum est per confessionem : « Terram seu cinerem tanquam panem manducabam [a]. » Nimius autem sui amor, et vana opinio ac persuasio, est ei terra, et error. Quod si ita est, ex disciplina cognitio et scientia : si est autem disciplina, necesse est quærere magistrum. Nam Cleanthes quidem sibi magistrum ascribit Zenonem, et Theophrastus Aristotelem, et Metrodorus Epicurum, et Plato Socratem. Sed etsi venero ad Pythagoram, et Pherecydem, et Thaletem, et primos sapientes, consisto eorum quærens magistrum. Et seu dixeris Ægyptios, seu Indos, seu Babylonios, seu Magos ipsos, non cessabo eorum doctorem requirere. Porro autem te quoque deduco ad primum ortum hominum, et illinc incipio quærere quis fuerit magister? nullus quidem ex hominibus, nondum enim didicerant. Sed nec aliquis ex angelis : neque enim quomodo indicant angeli quatenus angeli, ita audiunt homines. Neque enim quomodo sunt nobis aures, ita est illis lingua : neque instrumenta vocis quis dederit angelis, labra, inquam, et quæ juxta ea sita sunt, et guttur, et arteriam, et viscera, et spiritum, et aerem qui pulsatur. Multum autem abest, ut Deus insonet sanctitate quæ adiri non potest, qui ipse quoque separatus est ab archangelis. Jam vero angelos quoque accepimus didicisse veritatem, et qui eis præsunt principatus : ortum enim habuere. Restat ergo ut nos quoque ascendentes, eorum desideremus doctorem. Quoniam autem unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum, « per quod omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum [b], » significans primogenitum Filium, scribit Petrus, præclare intelligens illud : « In principio fecit Deus cœlum et terram [c]. » Is autem dictus est Sapientia ab omnibus prophetis, is est magister omnium quæ orta

A Δαβὶδ κατ' ἐξομολόγησιν εἰρημένον· « Γῆν σποδὸν (87) ὡσεὶ ἄρτον ἔφαγον. » Ἡ φιλαυτία δὲ καὶ ἡ οἴησις αὐτῷ γῆ ἐστι καὶ πλάνη. Εἰ δὲ τοῦτο, ἐκ μαθήσεως ἡ γνῶσις καὶ ἡ ἐπιστήμη· μαθήσεως δ' οὔσης, ζητεῖν ἀνάγκη τὸν διδάσκαλον· Κλεάνθης μὲν γὰρ Ζήνωνα ἐπιγράφεται, καὶ Θεόφραστος Ἀριστοτέλη, Μητρόδωρός τε Ἐπίκουρον, καὶ Πλάτων Σωκράτην. Ἀλλὰ κἂν ἐπὶ Πυθαγόραν ἔλθω, καὶ Φερεκύδην, καὶ Θάλητα, καὶ τοὺς πρώτους σοφοὺς, ἵσταμαι, τὸν τούτων διδάσκαλον ζητῶν· κἂν Αἰγυπτίους εἴπῃς, κἂν Ἰνδοὺς, κἂν Βαβυλωνίους, κἂν τοὺς μάγους αὐτοὺς, οὐ παύσομαι τὸν τούτων διδάσκαλον ἀπαιτῶν. Ἀνάγω δέ σε καὶ ἐπὶ τὴν πρώτην γένεσιν ἀνθρώπων· κἀκεῖθεν ἄρχομαι ζητεῖν τίς ὁ διδάσκαλος· ἀνθρώπων μὲν οὐδείς· οὐδέπω γὰρ μεμαθήκεσαν· ἀλλ' οὐδὲ ἀγγέλων B τις· οὐδὲ γὰρ ὡς μηνύουσιν οἱ ἄγγελοι, καθὸ ἄγγελοι, οὕτως ἀκούουσιν ἄνθρωποι· οὐδ' ὡς ἡμῖν τὰ ὦτα, οὕτως ἐκείνοις ἡ γλῶττα· οὐδ' ἂν ὄργανά τις δῴη φωνῆς ἀγγέλοις, χείλη, λέγω, καὶ τὰ τούτοις παρακείμενα, καὶ φάρυγγα, καὶ ἀρτηρίαν, καὶ σπλάγχνα, καὶ πνεῦμα, καὶ πλησσόμενον ἀέρα· πολλοῦ γε δεῖ (88), τὸν Θεὸν ἐμβοᾷν ἀπροσίτῳ ἁγιότητι, καὶ ἀρχαγγέλων αὐτὸν (89) κεχωρισμένον. Ἤδη δὲ καὶ τοὺς ἀγγέλους μεμαθηκέναι παρειλήφαμεν τὴν ἀλήθειαν, καὶ τοὺς ἐπὶ τούτων ἄρχοντας· γενητοὶ (90) γάρ. Λείπεται τοίνυν, ὑπεξαναβάντας ἡμᾶς, καὶ τὸν τούτων διδάσκαλον ποθεῖν. Ἐπεὶ δὲ ἓν μὲν τὸ ἀγέννητον, ὁ παντοκράτωρ Θεὸς, ἓν δὲ καὶ τὸ προγεννηθὲν, « δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. Εἷς γὰρ τῷ ὄντι ἐστὶν ὁ Θεὸς, ὃς ἀρχὴν τῶν ἁπάν- C των ἐποίησε (91), » μηνύων τὸν πρωτόγονον Υἱὸν (92), ὁ Πέτρος γράφει, συνεὶς ἀκριβῶς τὸ, « Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. » Σοφία δὲ οὗτος εἴρηται πρὸς ἁπάντων τῶν προφητῶν· οὗτός ἐστιν ὁ τῶν γεννητῶν ἁπάντων (93) διδάσκαλος, ὁ σύμβουλος τοῦ Θεοῦ, τοῦ τὰ πάντα προεγνωκότος. Ὁ δὲ ἄνωθεν, ἐκ πρώτης καταβολῆς κόσμου, πολυτρόπως (94) καὶ πολυμερῶς « πεπαίδευκέ τε καὶ τελειοῖ, ὅθεν εἰκότως εἴρηται· « Μὴ εἴπητε (95) ἑαυτοῖς διδάσκαλον ἐπὶ τῆς γῆς. » Ὁρᾷς ὁπόθεν ἔχει τὰς λαβὰς ἡ φιλοσοφία ἡ ἀληθὴς, κἂν ὁ νόμος (96) εἰκὼν καὶ σκιὰ τῆς ἀληθείας τυγχάνῃ· σκιὰ γὰρ ὁ νόμος τῆς ἀληθείας. Ἀλλ' ἡ φιλαυτία τῶν Ἑλλήνων, διδασκάλους τινὰς ἀνθρώπους ἀνακηρύττει. Ὡς οὖν ἐπὶ τὸν ποιητὴν τὸν Θεὸν πᾶσα ἀνατρέχει πατριὰ (97),

✠ P. 769 ED. POTTER, 643-644 ED. PARIS. [a] Psal. CII, 9. [b] Joan. I, 3. [c] Gen. I, 1.

(87) *Γῆν σποδόν.* Interpres legit γῆν καὶ σποδόν. Vulg. Bibl. psal. CI, γῆν hoc loco non agnoscunt. SYLBURG. —Verumtamen e seq. sententia satis constat Clementem γῆν legisse. Utrum σποδὸν legerit, an potius id in margine libri ex vulg. Bibliis adnotatum, deinde in textum irrepserit, non est adeo manifestum.

(88) *Δεῖ.* Distinctione post hanc vocem non opus est. SYLBURG.

(89) *Ἀρχαγγέλων αὐτόν.* Convenientius forte ἀρχαγγέλων αὐτῶν, « ab archangelis ipsis. » ID.

(90) *Γενητοί.* A. mavult γεννητοί, « geniti : » itemque paulo post, γεννητῶν ἁπάντων. ID.

(91) *Εἰς... ἐποίησε.* Hæc Petri in *Prædicatione* verba fuisse videntur : quod non advertit Grabius.

D (92) *Τὸν πρωτόγονον Υἱόν.* Sic Athenagoras in *Legat.* : Πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ Πατρί. *Recognit.* Clementis lib. III, c. 52, Deus, qui unus et verus est, primo germini « suo amicos bonos et fideles instituit præparare. » Ubi conf. quæ adnotavit Cotelerius.

(93) *Γεννητῶν ἁπάντων.* Nempe angelorum perinde ac hominum', ut paulo superius dictum est.

(94) *Πολυτρόπως.* Respicit Heb. I, 1.

(95) *Μὴ εἴπητε.* Quoad sensum recitat **Matth.** XXIII, 8, 9, 10.

(96) *Ὁ νόμος.* Paulum mutat Hebr. X, 1.

(97) *Πατριά.* Ephes. III, 14, 15 : Τὸν πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται.

Digitized by Google

οὕτω καὶ ἐπὶ τὸν Κύριον ἡ τῶν καλῶν διδασκαλία, καὶ ἡ δικαιοῦσα, καὶ εἰς τοῦτο χειραγωγοῦσά τε καὶ συλλαμβάνουσα. Εἰ δ' ἔκ τινος ποιήσεως τὰ τῆς ἀληθείας ὅτῳ δήποτε τρόπῳ (98) λαβόντες σπέρματα (99), οὐκ ἐξέθρεψάν τινες· γῇ δὲ ἀγόνῳ καὶ ἀνομβρίᾳ παραδεδωκότες, ἀγρίαις συνεπνίξαντο βοτάναις· καθάπερ οἱ Φαρισαῖοι ἐξετράπησαν τοῦ νόμου, ἀνθρωπίνας (1) παρεισάγοντες διδασκαλίας· τούτων οὐχ ὁ διδάσκαλος αἴτιος, ἀλλ' οἱ παρακούειν προῃρημένοι. Οἱ πεισθέντες δὲ αὐτῶν τῇ τε τοῦ Κυρίου παρουσίᾳ καὶ τῇ τῶν Γραφῶν σαφηνείᾳ ἐν ἐπιγνώσει γίνονται τοῦ νόμου· καθάπερ καὶ οἱ ἀπὸ φιλοσοφίας διὰ τῆς τοῦ Κυρίου διδασκαλίας ἐν ἐπιγνώσει τῆς ἀληθοῦς φιλοσοφίας καθίστανται· « Τὰ λόγια γὰρ Κυρίου λόγια ἁγνά, ἀργύριον πεπυρωμένον, δοκίμιον τῇ γῇ (2), κεκαθαρισμένον ἑπταπλασίως· » ἤτοι ὡς ἄργυρος πολλάκις ἀποκαθαρθείς, εἰς δοκίμιον καθίσταται ὁ δίκαιος, νόμισμα Κυρίου γενόμενος, καὶ χάραγμα βασιλικὸν ἀναδεξάμενος· ἢ ἐπεὶ καὶ Σαλομὼν (3) λέγει, « γλῶσσαν δικαίου ἄργυρον πεπυρωμένον· » τὴν δεδοκιμασμένην καὶ σοφὴν διδασκαλίαν ἐπαινετὴν καὶ ἀποδεκτὴν (4) τυγχάνειν μηνύων, ὅτ' ἂν ἐκκεκαθαρμένη πλουσίως τυγχάνῃ τῇ γῇ, τουτέστιν ὅτ' ἂν πολυτρόπως ἡ γνωστικὴ ψυχὴ ἁγιάζηται κατὰ τὴν ἀποχὴν τῶν γεωδῶν πυρώσεων. Ἁγνίζεται δὲ καὶ τὸ σῶμα ἐν ᾧ οἰκεῖ, ἐξιδιοποιούμενον εἰς εἰλικρίνειαν ἁγίου νεώ. Ὁ δὲ ἐν τῷ σώματι καθαρισμὸς τῆς ψυχῆς πρώτης πρῶτος, οὗτός ἐστιν ἡ ἀποχὴ τῶν κακῶν (5)· ἣν τινες τελείωσιν ἡγοῦνται, καὶ ἔστιν ἁπλῶς τοῦ κοινοῦ πιστοῦ, Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνος, ἡ τελείωσις αὕτη· τοῦ δὲ Γνωστικοῦ μετὰ τὴν ἄλλοις νομιζομένην τελείωσιν ἡ δικαιοσύνη εἰς ἐνέργειαν εὐποιίας προβαίνει· καὶ ὅτῳ δὴ ἡ ἐπίστασις τῆς δικαιοσύνης εἰς ἀγαθοποιίαν ἐπιδέδωκε, τούτῳ ἡ τελείωσις ἐν ἀμεταβόλῳ ἕξει εὐποιίας καθ' ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ διαμένει. Οἱ μὲν γὰρ (6) σπέρμα Ἀβραάμ, δοῦλοι ἔτι τοῦ Θεοῦ, οὗτοί εἰσιν οἱ κλητοί (7)· υἱοὶ δὲ Ἰακὼβ οἱ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ, οἱ τῆς κακίας πτερνίσαντες (8) τὴν ἐνέργειαν. Εἰ τοίνυν αὐτόν τε τὸν Χριστὸν σοφίαν

A sunt, Dei consiliarius qui præscivit omnia. Is autem ab alto, a prima mundi constitutione, « multifariam multisque modis » et docuit et perficit. Unde merito dictum est: « Ne dixeritis vobis magistrum super terram [a]. » Vides undenam ansas acceperit vera philosophia, etiamsi ✠ lex sit imago et umbra veritatis: est enim lex veritatis umbra. Sed Græcorum nimius amor sui, quosdam homines prædicat doctores. Quomodo ergo ad Deum creatorem omnis recurrit cognatio, ita etiam ad Dominum eorum, quæ bona sunt et honesta, doctrina, et quæ justificat, et quæ ad hoc deducit et fert opem. Si qui autem ex aliqua creatura semina veritatis quomodocunque accepta non enutrierunt, sed terræ sterili et aridæ mandantes, ea herbis suffocarunt agresti-

B bus, quomodo Pharisæi a lege declinarunt, doctrinas humanas inducentes, non est eorum causa magister, sed qui perperam audire voluerunt. Qui autem ex iis crediderunt et Domini adventui et Scripturarum declarationi, ii attingunt cognitionem legis: sicut etiam philosophi, per doctrinam Domini perducuntur ad agnitionem veræ philosophiæ. « Eloquia enim Domini eloquia casta, argentum ignitum, probatum terræ, purgatum septuplum [b]: » scilicet quod ut argentum **274** sæpe purgatum probatur justus, Domini nummus effectus, et regalem accipiens characterem [c]: aut quoniam Salomon quoque dicit « linguam justi esse argentum ignitum [d]: » probatam et sapientem doctrinam, esse laudabilem et admittendam significans, quando sæpe terra fuerit

C expurgata, hoc est, quando anima cognitione prædita, fuerit multis modis sanctificata, per abstinentiam a terrenis inflammationibus. Sanctificatur autem corpus quoque in quo habitat, cum ut proprium dedicatur in sancti templi puritatem et sinceritatem. Quæ est autem in corpore primæ animæ prima purgatio, ea est abstinentia a malis, quam quidam existimant perfectionem; ac ea est, ut ita dicam, perfectio communis fidelis Judæi et Græci. Gnostici

✠ P. 770 ED. POTTER, 644-645 ED. PARIS. [a] Matth. xxiii, 8, 9, 10. [b] Psal. xi, 7. [c] Psal. xii, 6. [d] Prov. x, 20.

(98) *Ὅτῳ δήποτε τρόπῳ.* Ms. Ottob. ὁ τῷ δήποτε τόπῳ.

(99) *Λαβόντες σπέρματα.* Respicit parabolam de seminatore, Luc. viii, 5 et seq.

(1) *Ἀνθρωπίνας.* Matth. xv, 9: Διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων, iterumque Marc. vii, 7.

(2) *Δοκίμιον τῇ γῇ.* Agnoscunt etiam Vulg. Bibl. psal. xi. Heb. versio, « excoctum in fornace. » Sylburg.

(3) *Σαλομῶν.* Prov. x, 20: Ἄργυρος πεπυρωμένος γλῶσσα δικαίου, καρδία δὲ ἀσεβοῦς ἐκλείψει. « Argentum igne purgatum lingua justi, cor autem impii deficiet. » Latina: « Argentum electum lingua justi, cor autem impiorum pro nihilo. » Aquila et Symmachus, ἄργυρος ἐκλεκτός. Paraph. Chald.: « Argentum conflatum lingua justi. » Sic psal. xi, paulo ante, ἀργύριον πεπυρωμένον, quod Hervetus « argentum ignitum, » Vulgata « argentum igne examinatum, » δοκίμιον τῇ γῇ, « probatum terræ, » D. Hieronymus, « argentum igne probatum, separatum a terra, » et Psal. cviii, 140, Πεπυρωμένον τὸ λόγιόν σου σφόδρα, « ignitum eloquium tuum vehementer. » D. Hieronymus: « Probatus sermo tuus nimis. » Vox Hebraica « igne expurgatum » significat. Tale illud quod habes p. 658, ex psal. xvi, 3: « Inflammasti me, et non est inventa in me iniquitas; » H.: Ἐπύρωσάς με, καὶ οὐχ εὑρέθη ἐν ἐμοὶ ἀδικία. Vulgata: « Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. » D. Hieronymus: « Conflasti me, et non invenisti cogitationes meas transire os meum. » Collect.

(4) *Ἀποδεκτήν.* Ms. Paris. ἀποδεκτός mendose.

(5) *Ἀποχὴ τῶν κακῶν.* Ms. Ottob. ἀποχὴ τοῦ κακοῦ. Huic convenit illud Horatii in *Epist.*, I, I, v. 41, 42:

..... *Sapientia prima est*
Stultitia caruisse.....

(6) *Οἱ μὲν γάρ.* Vide Herveti commentarium.

(7) *Οἱ κλητοί.* Respicit Matth. xx, 10: Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί· vel alium huic similem locum.

(8) *Πτερνίσαντες.* Alludit ad etymologiam nominis Jacob, qui Græce πτερνιστής, Latine « supplantator » dicitur.

Digitized by Google

autem justitia supra eam quam alii existimant esse perfectionem, ad bonorum operum effectionem procedit : et cui justitiæ augmentum crevit ad bene agendum, ei perfectio permanet in immutabili habitu bene agendi ; ad Dei similitudinem. Nam qui sunt quidem semen Abrahæ et præterea servi Dei, ii sunt vocati. Filii autem Jacob, qui supplantaverunt vitii operationem, sunt ejus electi. Si ergo et ipsum ✠ Christum dicimus sapientiam, et ejus operationem, eam quæ fit per prophetas, per quam ediscitur traditio gnostica, ut ipse præsens sanctos docuit apostolos : sapientia fuerit cognitio, ut quæ sit scientia et comprehensio eorum quæ sunt, et futura sunt, et præterita, stabilis et firma, ut quæ a Filio Dei sit tradita et revelata. Atque si est quidem sapientis finis, contemplatio, tum eorum qui sunt adhuc philosophi contemplatio, divinam quidem appetit scientiam : nondum autem assequitur, nisi per disciplinam acceperit vocem propheticam ipsi declaratam, per quam docetur quomodo se habent, habuerunt, et habitura sunt, quæ sunt, quæ futura sunt, et prius fuerunt. Cognitio autem ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex apostolis absque scriptis tradita pervenit. Hinc ergo cognitio, seu sapientiam mavis dicere, exerceatur oportet donec perveniat ad contemplationis habitum æternum, et in quem non cadit alteratio.

A φαμὲν, καὶ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ, τὴν διὰ τῶν προφητῶν (9), δι' ἧς ἔστι τὴν γνωστικὴν παράδοσιν ἐκμανθάνειν, ὡς αὐτὸς κατὰ τὴν παρουσίαν τοὺς ἁγίους ἐδίδαξεν ἀποστόλους· σοφία εἴη ἂν ἡ γνῶσις, ἐπιστήμη οὖσα καὶ κατάληψις τῶν ὄντων τε καὶ ἐσομένων, καὶ παρῳχηκότων, βεβαία καὶ ἀσφαλὴς, ὡς ἂν παρὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ παραδοθεῖσα καὶ ἀποκαλυφθεῖσα. Καὶ δὴ καὶ εἰ ἔστι τέλος τοῦ σοφοῦ ἡ θεωρία, ὀρέγεται μὲν, ἡ μὲν ἔτι φιλοσόφων, τῆς θείας ἐπιστήμης· οὐδέπω δὲ τυγχάνει, ἢν μὴ μαθήσει παραλάβῃ σαφηνισθεῖσαν αὐτῷ τὴν προφητικὴν φωνὴν, δι' ἧς τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα (10), ὅπως ἔχει τε καὶ ἔσχε καὶ ἕξει, παραλαμβάνει. Ἡ γνῶσις δὲ αὐτὴ (11), ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα, κατελήλυθεν· B ἐντεῦθεν δὲ ἄρα γνῶσιν εἴτε σοφίαν συνασκηθῆναι χρὴ εἰς ἕξιν θεωρίας ἀΐδιον καὶ ἀναλλοίωτον.

CAPUT VIII.

Philosophiam esse cognitionem a Deo datam, licet respectu ad perfectiorem Evangelii lucem ab Apostolo vilipendatur.

Nam Paulus quoque in Epistolis non videtur reprehendere philosophiam : sed eum qui ad gnosticum fastigium pervenit, non vult amplius recurrere ad Græcam « philosophiam, » eam allegorice vocans « mundi elementa [a], » ut quæ elementa quodammodo doceat, et sit veluti disciplina præcedens veritatem. Quocirca ad Hæbræos quoque scribens, qui a fide ad legem reflectebantur : « An rursus, » inquit, « opus habetis ut vos doceam quænam sint elementa initii eloquiorum Dei? et opus vobis esse cœpit lacte, et non solido cibo [b]? » Similiter autem ad Colossenses quoque qui convertuntur ex Græcis : « Videte ne quis vos deprædetur per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum [c], » scilicet alliciens, reverti ad philosophiam quæ elementaris est doctrina. Quod si quis dicat, per hominum intelligentiam fuisse inventam a Græcis philosophiam : atque invenio Scripturas dicentes, in-

Ἐπεὶ καὶ Παῦλος ἐν ταῖς Ἐπιστολαῖς οὐ φιλοσοφίαν διαβάλλων φαίνεται· τὸν δὲ τοῦ γνωστικοῦ μεταλαμβάνοντα ὕψους, οὐκ ἔτι παλινδρομεῖν ἀξιοῖ ἐπὶ τὴν Ἑλληνικὴν « φιλοσοφίαν, » στοιχεῖα τοῦ κόσμου C ταύτην ἀλληγορῶν, στοιχειωτικήν τινα οὖσαν, καὶ προπαιδείαν τῆς ἀληθείας. Διὸ καὶ τοῖς Ἑβραίοις γράφων, τοῖς ἐπανακάμπτουσιν εἰς νόμον ἐκ πίστεως, « Ἢ (12) πάλιν, φησὶ, χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λόγων τοῦ Θεοῦ, καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς; » Ὡσαύτως ἄρα καὶ τοῖς ἐξ Ἑλλήνων ἐπιστρέφουσι Κολοσσαεῦσι· « Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου τούτου (13), καὶ οὐ κατὰ Χριστόν· » δελεάζων (14) αὖθις εἰς φιλοσοφίαν ἀναδραμεῖν, τὴν στοιχειώδη διδασκαλίαν. Κἂν λέγῃ τις κατὰ σύνεσιν ἀνθρώπων φιλοσοφίαν εὑρῆσθαι πρὸς D Ἑλλήνων, ἀλλὰ τὰς Γραφὰς εὑρίσκω τὴν σύνεσιν θεόπεμπτον εἶναι λεγούσας. Ὁ γοῦν Ψαλμῳδὸς με-

✠ P. 771 ED. POTTER, 645-646 ED. PARIS. [a] Coloss. II, 8. [b] Hebr. V, 12. [c] Coloss. II, 8.

(9) *Διὰ τῶν προφητῶν.* Vult, quod ubique tradunt antiqui Patres, Christum « per » veteres « prophetas » locutum fuisse. Barnabas, ut alios præteream, cap. v de Christo agens, ait : « Prophetæ ab ipso habentes donum, in illum prophetaverunt. »

(10) *Τά τ'.* Homeri locus est *Iliad.* A.

(11) *Ἡ γνῶσις δὲ αὐτή.* Αὐτή agnoscit etiam interpretis versio, « cognitio autem ipsa. » Si quis demonstrative malit αὕτη, « hæc, » per me licet. SYLBURG.— Porro γνῶσιν appellat arcanorum cognitionem, quam cum paucis tantum communicasse Christum alibi tradit. Conf. *Strom.* I, p. 322, n. 10, p. 323, n. 7.

(12) *Ἢ.* Abest hæc particula ab Hebr. V, 12.

(13) *Τοῦ κόσμου τούτου.* Vulg. Bibl. Col. II, τοῦ κόσμου, absque demonstrativo τούτου. SYLBURG.

(14) *Δελεάζων.* Hervetus maluit δηλῶν, « significans elementarem doctrinam reverti ad philosophiam. Sed nihil mutandum. Sensus est : « Quasi esca quadam illiciens iterum ad philosophiam, elementarem illam doctrinam, recurrere. » Seu clarius : « Velut esca quadam alliciens ut iterum ad philosophiam, elementarem illam doctrinam, revertantur. » Allusio est ad Apostoli verba ista : Βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν. SYLBURG.

Digitized by Google

γίστην ἡγεῖται δωρεὰν τὴν συνεσιν, καὶ αἰτεῖ λέγων· « Δοῦλος σός (15) εἰμι ἐγώ· συνέτισόν με. » Καὶ μή τι τὸ πολύπειρον τῆς γνώσεως αἰτούμενος ὁ Δαβὶδ γράφει· « Χρηστότητα καὶ παιδείαν, καὶ γνῶσιν δίδαξόν με, ὅτι ταῖς ἐντολαῖς σου ἐπίστευσα; » Κυρίας εἶναι τὰς διαθήκας ὡμολόγηται, καὶ τοῖς τιμιωτέροις δίδοσθαι. Λέγει γοῦν ὁ ψαλμὸς πάλιν ἐπὶ τοῦ Θεοῦ· « Οὐκ ἐποίησεν οὕτως οὐδενὶ ἔθνει (16), καὶ τὰ κρίματα αὐτοῦ οὐκ ἐδήλωσεν αὐτοῖς. » Τὸ δὲ, « Οὐκ ἐποίησεν οὕτως, » πεποιηκέναι μὲν δηλοῖ, ἀλλ' οὐχ « οὕτως. » Ἐν συγκρίσει γοῦν τὸ « οὕτως » πρὸς τὴν ὑπεροχὴν τὴν καθ' ἡμᾶς γινομένην· ἐξῆν δὲ δήπου τῷ προφήτῃ εἰπεῖν ἁπλῶς τὸ « Οὐκ ἐποίησεν, » ἄνευ τῆς προσθήκης τοῦ « Οὕτως. » Ναὶ μὴν καὶ ὁ Πέτρος ἐν ταῖς Πράξεσιν, « Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, φησὶν, ὅτι προσωπολήπτης (17) οὐκ ἔστιν ὁ Θεός· ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστιν. » Οὐ χρόνῳ τοίνυν τὸ ἀπροσωπόληπτον τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' ἐξ αἰῶνος· οὐδὲ μὴν ἤρξατό ποτε ἡ εὐεργεσία αὐτοῦ, ἀλλ' οὐδὲ περιορίζεται τόποις ἢ ἀνθρώποις τισίν· οὐδὲ γὰρ μερικὴ ἡ εὐποιία αὐτοῦ. « Ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης, φησὶν· ἐν αὐταῖς εἰσελθὼν (18), ἐξομολογήσομαι τῷ Κυρίῳ. Αὕτη ἡ πύλη τοῦ Κυρίου. Δίκαιοι εἰσελεύσονται ἐν αὐτῇ. » Ἐξηγούμενος δὲ τὸ ῥητὸν τοῦ προφήτου Βαρνάβας (19), ἐπιφέρει· « Πολλῶν πυλῶν ἀνεῳγυιῶν, ἡ ἐν δικαιοσύνῃ (20), αὕτη ἐστὶν ἡ ἐν Χριστῷ· ἐν ᾗ μακάριοι πάντες οἱ εἰσελθόντες. » Τῆς αὐτῆς ἔχεται ἐννοίας κἀκεῖνο τὸ προφητικόν· « Κύριος ἐπὶ ὑδάτων πολλῶν· » οὐ τῶν διαθηκῶν, τῶν διαφόρων μόνων, ἀλλὰ καὶ τῶν τῆς διδασκαλίας τρόπων, τῶν τε ἐν Ἕλλησιν εἰς δικαιοσύνην ἀγόντων τῶν τε ἐν βαρβάροις. Σαφῶς δὲ ἤδη καὶ ὁ Δαβὶδ μαρτυρῶν τῇ ἀληθείᾳ, ψάλλει· « Ἀποστραφήτωσαν οἱ ἁμαρτωλοὶ εἰς τὸν ᾅδην, πάντα τὰ ἔθνη τὰ ἐπιλανθανόμενα τοῦ Θεοῦ· » ἐπιλανθάνονται δὲ δηλονότι οὗ πρότερον ἐμέμνηντο· καὶ ὃν πρὶν ἢ ἐκλαθέσθαι ἐγίνωσκον, τοῦτον παραπέμπονται. Ἦν ἄρα εἴδησίς τις ἁμαυρὰ τοῦ Θεοῦ καὶ παρὰ τοῖς ἔθνεσι. Καὶ ταυτὶ μὲν τῇδε ἐχέτω. Πολυμαθῆ δὲ εἶναι χρὴ τὸν Γνωστικόν. Καὶ ἐπειδὴ Ἕλληνές φασι, Πρωταγόρου (21) προκατάρξαντος,

telligentiam esse a Deo missam. Psalmographus certe maximum esse donum existimat intelligentiam, et petit dicens : « Servus tuus ego sum, fac ut sim intelligens [a]. » Nunquid autem multiplicem petens cognitionem, scribit David : « Bonitatem et disciplinam et cognitionem, doce me, quoniam mandatis tuis credidi [b]? » Ubi fatetur ✠ testamenta esse maximæ auctoritatis, et dari solis præstantioribus. Dicit quidem certe rursus psalmus de Deo : « Nulli genti sic fecit, et judicia sua non manifestavit eis [c]. » Illud autem, « Non sic fecit, » fecisse quidem significat, sed non « sic. » Illud ergo, « sic, » positum est, ut fiat comparatio cum nostra excellentia. Poterat alioquin propheta dicere absolute, « Non fecit, » absque additamento hujus « sic. » Quin etiam Petrus quoque in Actis : « In veritate comprehendo, inquit, quod Dominus non acceptor personarum, sed in omni gente qui timet ipsum et operatur justitiam, est ei acceptus [d]. » Non tempore ergo perfectum est ut Deus personas non respiceret, sed id fuit ab æterno. Neque vero cœpit unquam ejus beneficentia : sed neque circumscribitur certis locis vel hominibus. Neque enim particularis est ejus beneficentia. « Aperite mihi, inquit, portas justitiæ : in ipsas ingressus, confitebor Domino. Hæc est porta Domini. Justi transibunt per eam [e]. » Prophetæ autem dictum exponens Barnabas infert : « Cum multæ portæ sint apertæ, ea quæ est in justitia, ea est in Christo, in quam beati sunt omnes qui sunt ingressi. » Eidem sententiæ adhæret illud quoque propheticum : « Dominus super aquas multas [f], » quod significat non solum testamenta diversa, sed etiam diversos modos doctrinæ qui scilicet inter Græcos adducunt ad justitiam, et qui inter barbaros. Quin etiam aperte psallit David, veritati ferens testimonium : « Avertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Dei [g] : » obliviscuntur scilicet ejus cujus prius meminerant : et quem cognoscebant priusquam obliviscerentur, eum jubent valere et amandant. Erat ergo quædam obscura Dei cognitio etiam apud gentes. Et hæc quidem ita se habeant.

✠ P. 772 ED. POTTER, 646-647 ED. PARIS. [a] Psal. CXVIII, 125. [b] Ibid., 66. [c] Psal. CXLIV, 20. [d] Act. X, 34, 35. [e] Psal. CXVIII, 19, 20. [f] Psal. XXIX, 3. [g] Psal. IX, 17.

(15) *Σός*. Psalm. σοῦ.

(16) *Οὐδενὶ ἔθνει*. Vulg. Bibl. psal. CXLVII, παντὶ ἔθνει, Hebraico more. SYLBURG. — Chrysostomus homil. in psal. XIV : Διὰ τοῦτο καὶ αὐτὸς οὐκ εἶπεν, ὅ τι ἐποίησεν ἐν παντὶ ἔθνει, ἀλλ' οὕτως οὐκ ἐποίησε, τοῦτ' ἔστιν οὐ πλάκας αὐτοῖς ἔπεμψεν, οὐ γράμματα, οὐ νομοθέτην Μωϋσέα, οὔτ' ἄλλα τὰ ἐπὶ τοῦ Σινὰ ὄρους. Ἀλλὰ τούτων ἐκ περιουσίας Ἰουδαῖοι ἀπέλαυσαν· ἡ μέντοι πᾶσα φύσις ἡ ἀνθρωπίνη ἀρκοῦντα εἶχε τὸν ἀπὸ τοῦ συνειδότος νόμον. COLLECT.

(17) *Ὅτι προσωπ.* Act. apostol. X, ordine inverso, *οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός*. SYLBURG.

(18) *Ἐν αὐταῖς εἰσ.* Psal. CXVII, εἰσελθὼν ἐν αὐταῖς. A. Sylburg.

(19) *Βαρνάβας*. Memoriæ lapsu auctor Barnabæ tribuit, quæ pertinent ad Clementis Romani epist. 1, cap. 68. Porro hæc superius etiam adduxit Clemens noster. *Strom.* I, pag. 339, ubi conf. adnotata.

(20) *Ἡ ἐν δικαιοσύνῃ*. Sic editt. Flor. et Sylburg., ms. Paris., Clemens noster in *Strom.* I, et Clemens, denique, Romanus. Sed ἡ δικαιοσύνη absque præpos. ἐν habent Clementis nostri editiones posteriores, editorum negligentia : quod doctis viris, qui hæc allegarunt, non paucis imposuit.

(21) *Πρωταγόρου*. Maximus Tyrius pag. 196. H. SYLBURG.—Conf. etiam Stephani abbreviator Hermolaus voce Ἄβδηρα. Diogenes Laertius in *Protagora*, lib. IX, seg. 51 : Πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος, ἀντικειμένους ἀλλήλοις, οἷς καὶ συνηρώτα, πρῶτος τοῦτο πράξας. « Primus dixit duas omnium rerum rationes invicem contrarias, quibus etiam interrogando utebatur, primus id instituens. » In quem locum commentarium scribens

Digitized by Google

Oportet autem Gnosticum multa didicisse. Et quoniam dicunt Græci, præeunte Protagora, inventam fuisse disputandi rationem, **275** qua omni argumento aliud opponeretur, dici convenit etiam aliquid adversus tales orationes. Dicit enim Scriptura : « Qui multa dicit, vicissim quoque audiet [a]. Parabolam autem Domini quis intelliget, nisi sapiens et sciens, et qui diligit Dominum suum? » Sit ✠ ergo, qui talis est, fidelis : sit ejusmodi ut possit explicare cognitionem, sit sapiens in sermonibus discernendis, sit in factis admirabilis, sit castus et mundus. Eo enim debet esse magis humilis, quo videtur esse major, » dicit Clemens in epistola ad Corinthios. Talis ut qui possit illi parere præcepto : « Et aliquos quidem ex igne rapite, miseremini autem eorum qui discernuntur [b]. » Falx quidem certe facta est ut rami amputentur : sed implexos quoque palmites ea distinguimus, et spinas quæ vitibus cohærescunt exscindimus, ad quas non potest facile accedi. Hæc autem omnia referuntur ad putandas vites. Rursus homo factus est principaliter ad Dei cognitionem : sed et est geometra, et agricola, et philosophatur. Ex quibus unum quidem conducit ad vivendum, alterum vero ad bene vivendum, tertium ad ea meditanda quæ sunt demonstrativa. Porro autem illi qui dicunt philosophiam esse profectam a diabolo, illud quoque sciant, quod Scriptura dicit, « diabolum transfigurari in angelum lucis [c]. » Quid agentem? Prophetantem scilicet. Si autem prophetat ut angelus lucis, vera dicit scilicet. Si angelica et lucida prophetat, tunc etiam prophetat utilia, quando transfiguratur ad similitudinem operationis, etiam si sit alius, quatenus est subjectum defectionis. Nam quomodo deceperit quempiam, si non studiosum per vera adducat ad quamdam secum conjunctionem et familiaritatem, et ita postea ad mendacium subducens? et alioqui invenietur diabolus scire veritatem, etsi non ita ut comprehendat, ita tamen ut non sit ejus ignarus. Non est ergo falsa philosophia, etiamsi qui est fur et mendax, per transfigurationem operationis vera dicat. Neque vero propter eum qui dicit, sunt imperite ea prius damnanda quæ dicuntur (quod in iis quoque qui nunc prophetare dicuntur est observandum), sed sunt

A παντὶ λόγῳ λόγον ἀντικεῖσθαι παρεσκευάσθαι, καὶ πρὸς τοὺς τοιούτους τῶν λόγων ἁρμόζει λέγεσθαι. Λέγει γὰρ ἡ Γραφή· « Ὁ τὰ πολλὰ λέγων καὶ ἀντακούσεται. Παραβολὴν δὲ Κυρίου τίς νοήσει, εἰ μὴ σοφὸς, καὶ ἐπιστήμων, καὶ ἀγαπῶν τὸν Κύριον αὐτοῦ; Ἔστω τοίνυν (22) πιστὸς ὁ τοιοῦτος· ἔστω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν· ἦτω σοφὸς ἐν διακρίσει λόγων, ἦτω γοργὸς ἐν ἔργοις, ἦτω ἁγνός. Τοσούτῳ γὰρ (23) μᾶλλον ταπεινοφρονεῖν ὀφείλει, ὅσῳ δοκεῖ μᾶλλον μείζων εἶναι, » ὁ Κλήμης ἐν τῇ πρὸς Κορινθίους φησί· τοιοῦτος, οἷός τε ἐκείνῳ πείθεσθαι τῷ παραγγέλματι· « Καὶ οὓς (24) μὲν ἐκ πυρὸς ἁρπάζετε, διακρινομένους δὲ ἐλεεῖτε. » Ἀμέλει τὸ ὄρεπανον ἕνεκεν τοῦ κλαδεύειν προηγουμένως γέγονεν· ἀλλὰ καὶ πεπλεγμένα τὰ κλήματα διαστέλλομεν ἐν αὐτῷ, καὶ ἀκάνθας κόπτο-

B μεν τῶν συμπεφυκυιῶν ταῖς ἀμπέλοις, αἷς οὐ ῥᾴδιόν ἐστι προσελθεῖν· ταῦτα δὲ πάντα τὴν ἀναφορὰν ἔχει ἐπὶ τὸ κλαδεῦσαι. Πάλιν, ἄνθρωπος προηγουμένως γέγονεν εἰς ἐπίγνωσιν Θεοῦ· ἀλλὰ καὶ γεωμετρεῖ, καὶ γεωργεῖ, καὶ φιλοσοφεῖ· ὧν τὸ μὲν ἐπὶ τὸ ζῆν, τὸ δὲ ἐπὶ τὸ εὖ ζῆν, τὸ δὲ ἐπὶ τὸ μελετᾶν τὰ ἀποδεικτικὰ γεγένηται. Ναὶ μὴν οἱ λέγοντες τὴν φιλοσοφίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ὁρμᾶσθαι, κἀκεῖνο ἐπιστησάτωσαν, ὅτι φησὶν ἡ Γραφὴ « μετασχηματίζεσθαι τὸν διάβολον εἰς ἄγγελον φωτός. » Τί ποιήσοντα (25); εὔδηλον, ὅτι προφητεύσοντα. Εἰ δὲ ὡς ἄγγελος φωτὸς προφητεύει, ἀληθῆ ἄρα ἐρεῖ. Εἰ ἀγγελικὰ καὶ φωτεινὰ προφητεύσει, καὶ ὠφέλιμα, τότε ὅτε καὶ μετασχηματίζεται καθ' ὁμοιότητα ἐνεργείας, κἂν ἄλλος ᾖ κατὰ τὸ ὑποκείμενον τῆς ἀποστασίας· ἐπεὶ πῶς ἂν

C ἀπατήσειέ τινα, μὴ διὰ τῶν ἀληθῶν ὑπαγόμενος τὸν φιλομαθῆ εἰς οἰκειότητα, καὶ οὕτως ὕστερον εἰς ψεῦδος ὑποσύρων; ἄλλως τε καὶ ἐπιστάμενος τὴν ἀλήθειαν εὑρεθήσεται· καὶ εἰ μὴ καταληπτικῶς, ἀλλ' οὖν οὐκ ἄπειρός γε (26) αὐτῆς. Οὐ τοίνυν ψευδὴς ἡ φιλοσοφία, κἂν ὁ κλέπτης, καὶ ὁ ψεύστης κατὰ μετασχηματισμὸν ἐνεργείας τὰ ἀληθῆ λέγῃ. Οὐδὲ μὴν διὰ τὸν λέγοντα προκαταγνωστέον ἀμαθῶς καὶ τῶν λεγομένων· ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν προφητεύειν νῦν δὴ λεγομένων παρατηρητέον· ἀλλὰ τὰ λεγόμενα σκοπητέον εἰ τῆς ἀληθείας ἔχεται. Ἤδη δὲ καὶ καθολικῷ λόγῳ πάντα ἀναγκαῖα καὶ λυσιτελῆ τῷ βίῳ θεόθεν ἥκειν εἰς ἡμᾶς λέγοντες, οὐκ ἂν ἁμάρτοιμεν· τὴν δὲ φιλοσοφίαν, καὶ μᾶλλον Ἕλλησιν οἷον διαθήκην οἰκείαν αὐτοῖς δεδόσθαι, ὑποβάθραν (27) οὖσαν

✠ P. 773 ED. POTTER, 647-648 ED. PARIS.

[a] Job xi, 2. [b] Jud. 22, 23. [c] II Cor. xi, 14.

Menagius, hanc Clementis nostri sententiam, quod ei paulo durior visa esset, sic correxit : Καὶ ἐπειδὴ Ἕλληνές φασι, Πρωταγόρου προκατάρξαντος, παντὶ λόγῳ λόγον ἀντικείμενον παρασκευάσασθαι.

(22) *Ἔστω τοίνυν.* Hæc etiam Clementis Romani verba, quæ loco epistolæ ejus paulo superius dicto leguntur, adduxit Clemens noster *Strom.* I, p. 339, quo etiam loco de sophistica tractat. Porro ἦτω pro ἔστω, cum hic, tum in seq. sententia, habent Clemens Romanus et noster. Reliquæ autem lectionum diversitates ibi adnotatæ sunt.

(23) *Γάρ.* Abest a Clemente Romano hæc particula.

(24) *Καὶ οὓς.* Respicit Judæ vers. 22, 23, ubi tamen hæ sententiæ paulo aliter se habent : Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι, οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε, ἐκ

D τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες. Verum hoc in loco novem mss. codices, Vulgata Latina, et, ut videtur Æthiopica versio, pro ἐλεεῖτε διακρινόμενοι exhibent ἐλέγχετε διακρινομένους.

(25) *Ποιήσοντα.* Edit. Flor. ποιήσαντα, tempore aoristo; minus recte, ut declarant seq.

(26) *Ἄπειρός γε.* Ms. Paris., ἄπειρός τε.

(27) *Ὑποβάθραν.* Id est « scalam, » seu « gradum, » quo ad superiorem philosophiam ascenditur. Nam male Hervetus « fundamentum » vertit. Mox ad vocem φιλοσοφοῦντες adnotat Lowthius, deesse καίπερ, vel quid simile · non advertens scilicet in Parisiensi editione, quam præ manibus habuit, typographorum negligentia omissas fuisse has voces, φιλοσοφίας, κἂν οἱ. Porro φιλοσοφίαν pro φιλοσοφίας exhibet ms. Paris.

Digitized by Google

τῆς κατὰ Χριστὸν φιλοσοφίας, κἂν οἱ φιλοσοφοῦντες τὰ Ἑλλήνων ἐθελοκωφῶσι τὴν ἀλήθειαν, ἐξευτελίζοντες τὴν φωνὴν τὴν βαρβάρων, ἢ καὶ ὑφορώμενοι τὸν ἐπηρτημένον τῷ πιστῷ κατὰ τοὺς πολιτικοὺς νόμους τοῦ θανάτου κίνδυνον. Ὥσπερ δὲ ἐν τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ, οὕτω καὶ ἐν τῇ Ἑλληνικῇ « ἐπεσπάρη τὰ ζιζάνια » πρὸς τοῦ τῶν ζιζανίων οἰκείου γεωργοῦ· ὅθεν αἵ τε αἱρέσεις παρ' ἡμῖν συνανεφύησαν τῷ γονίμῳ πυρῷ, οἵ τε τὴν Ἐπικούρου ἀθεότητα καὶ τὴν ἡδονήν, καὶ ὅσα ἄλλα παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ἐπέσπαρται, τῇ Ἑλληνικῇ φιλοσοφίᾳ κηρύσσοντες, νόθοι τῆς θεόθεν δωρηθείσης γεωργίας Ἕλλησιν ὑπάρχουσι καρποί. Ταύτην « σοφίαν τοῦ αἰῶνος τούτου » τὴν φιλήδονον καὶ φίλαυτον ὁ Ἀπόστολος λέγει, ὡς ἂν τὰ τοῦ κόσμου τοῦδε καὶ περὶ αὐτὸν μόνον διδάσκουσαν, ὑποκειμένην τε ἀκολούθως κατὰ προστασίαν τοῖς τῇδε ἄρχουσι (28). Διὸ καὶ στοιχειωτική τίς ἐστιν ἡ μερικὴ αὕτη φιλοσοφία, τῆς τελείας ὄντως ἐπιστήμης ἐπέκεινα κόσμου περὶ τὰ νοητὰ, καὶ ἔτι τούτων τὰ πνευματικώτερα ἀναστρεφομένης, « ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσεν, οὐδὲ ἐπὶ καρδίαν (29) ἀνέβη ἀνθρώπων, » πρὶν ἢ διασαφῆσαι τὸν περὶ τούτων λόγον ἡμῖν τὸν διδάσκαλον, ἅγια ἁγίων καὶ ἔτι τούτων κατ' ἐπανάβασιν (30) τὰ ἁγιώτερα ἀποκαλύψαντες (31) τοῖς γνησίως καὶ μὴ νόθως τῆς Κυριακῆς υἱοθεσίας κληρονόμοις. Αὐτίκα γὰρ τολμῶμεν φάναι (ἐνταῦθα γὰρ ἡ πίστις ἡ γνωστικὴ) πάντων ἐπιστήμονα εἶναι, καὶ πάντων περιληπτικὸν, βεβαίᾳ καταλήψει κεχρημένον, καὶ ἐπὶ τῶν ἡμῖν ἀπόρων καὶ τῷ ὄντι γνωστικῶν (32)· ὁποῖος ἦν Ἰάκωβος (33), Πέτρος, Ἰωάννης, Παῦλος, καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι· γνώσεως γὰρ πλήρης ἡ προφητεία ὡς ἂν παρὰ Κυρίου δοθεῖσα, καὶ διὰ Κυρίου πάλιν τοῖς ἀποστόλοις σαφηνισθεῖσα. Καὶ μήτι ἡ γνῶσις ἰδίωμα ψυχῆς τυγχάνει λογικῆς, εἰς τοῦτο ἀσκουμένης, ἵνα διὰ τῆς γνώσεως εἰς ἀθανασίαν ἐπιγραφῇ; Ἄμφω γὰρ δυνάμεις τῆς ψυχῆς, γνῶσίς τε καὶ ὁρμή. Εὑρίσκεται δ' ἡ ὁρμὴ μετά τινα συγκατάθεσιν κίνησις οὖσα· ὁ γὰρ ὁρμήσας εἴς τινα πρᾶξιν πρότερον τὴν γνῶσιν τῆς πράξεως λαμβάνει, δεύτερον δὲ τὴν ὁρμήν. Ἔτι κἀπὶ τοῦδε κατανοήσωμεν· ἐπειδὴ γὰρ τὸ μαθεῖν τοῦ πρᾶξαι πρεσβύτερόν ἐστι· φύσει γὰρ ὁ πράσσων τοῦτο, ὃ πρᾶξαι βούλεται, μανθάνει πρότερον· καὶ ἡ μὲν γνῶσις ἐκ τοῦ μαθεῖν· τὸ πρᾶξαι δὲ ἐκ τοῦ ὁρμῆσαι· κἀκ τοῦ μανθάνειν ἡ γνῶσις· ἔπεται δὲ τῇ ἐπιστήμῃ ὁρμὴ, μεθ' ἣν ἡ πρᾶξις (34)· ἀρχὴ καὶ δημιουργὸς πάσης λογικῆς πράξεως ἡ γνῶσις εἴη ἄν. Ὥστ' αὖ εἰκότως ταύτῃ μόνῃ χαρακτηρίζεται (35) ἡ

considerenda quæ dicuntur, an veritatem habeant. Jam vero si juxta communem sermonem, quæcunque sunt vitæ necessaria et utilia, divinitus ad nos venire dicamus, minime errabimus: vel potius si dicamus, ipsam quoque philosophiam Græcis veluti proprium datum esse testamentum, ut quæ sit fundamentum Christianæ philosophiæ, etiamsi qui ex Græcis philosophantur, ad veritatem sua sponte obsurdescant, barbarorum contemnentes vocem, aut etiam reformidantes mortis ✠ periculum, quod fideli a legibus civilibus intentatur. Quomodo autem in barbara philosophia, ita etiam in Græca « seminata sunt zizania [a], » a solito agricola zizaniorum: unde etiam et quæ sunt apud nos, exortæ sunt hæreses pariter cum bono tritico et genitali: et qui Epicuri impietatem, et voluptatem, et quæcunque alia præter rectam rationem sata sunt, ex præscripto Græcæ tradunt sapientiæ, divinitus datæ Græcis agriculturæ sunt fructus adulterini. Hanc dicit Apostolus « sapientiam hujus sæculi [b], » quæ est scilicet voluptaria, et nimio tenetur sui amore, ut quæ doceat quæ sunt hujus mundi, et quæ ad ipsum solum spectant, et consequenter, quod ad præfecturam attinet, est subjecta iis qui hic sunt principibus. Quamobrem partialis hæc philosophia quodammodo tradit elementa ejus quæ vere perfecta est scientia, quæ versatur circa ea quæ ultra mundum sunt, et percipiuntur intelligentia, et his adhuc magis spiritalia, « quæ oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt [c], » prius quam quod de iis est verbum, magister noster nobis aperiat, sancta sanctorum, et his præterea sanctiora per ascensum revelet iis, qui germane sincereque et non adulterine sunt hæredes Dominicæ adoptionis. Jam enim audemus dicere (hic enim est fides cognitionis) eum omnia scire, et firma comprehensione comprehendere ea etiam quæ sunt nobis dubia et inexplicabilia, qui vere est cognitione præditus: cujusmodi fuit Jacobus, Petrus, Joannes, Paulus, et reliqui apostoli. Est enim prophetia cognitione plena, ut quæ data sit a Domino, et rursus per Dominum declarata apostolis. Numquid autem cognitio est proprietas animæ ratione præditæ, quæ ad hoc exercetur, ut per cognitionem inscribatur ad immortalitatem? Sunt enim ambæ animæ potestates, cognitio, inquam, et appetitio seu impulsio. Invenitur autem appetitio motus esse, qui assensionem

✠ P. 774 ED. POTTER, 649-648 ED. PARIS. [a] Matth. XIII, 25. [b] I Cor. II, 6. [c] Ibid. 9.

(28) *Τοῖς τῇδε ἄρχουσι.* Scilicet, τοῖς ἄρχουσι τοῦ αἰῶνος τούτου, I Cor. II, 6.

(29) *Οὐδὲ ἐπὶ καρδ.* I Cor. II, 9, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη.

(30) *Κατ' ἐπανάβασιν.* Nempe « ascendendo » a minus perfecta revelatione, quæ omnibus facta est, ad τὰ ἁγιώτερα, mystica scilicet, seu τὴν γνῶσιν, quam paucis communicavit Christus.

(31) *Ἀποκαλύψαντος.* Lege ἀποκαλύψαντα. LOWTH.

(32) *Τῷ ὄντι γνωστικῶν.* « Quæ pertinent ad cognitionem, » seu mysticam revelationem. Hervetus legisse videtur τῷ ὄντι γνωστικόν.

(33) *Ἰάκωβος.* Conf. superius *Strom.* I, p. 322, n. 10.

(34) *Κἀκ τοῦ μανθάν... πρᾶξις.* Mutila hic apparet sententiarum repetitio: quarum forte aliqua ad libri marginem adnotata, deinde in textum irrepsit.

(35) *Χαρακτηρίζεται.* H. ms. χαρακτηρίζοιτο, optativo modo. Flor. edit. utroque modo, et χαρακτηρίζεται, et χαρακτηρίζοιτο. Hervetus interpres nobiscum, « characterem accipit. » SYLBURG. — Ms. Paris., χαρακτηρίζετο. Ms. Ottob., χαρακτηρίζοιτο.

Digitized by Google

quamdam sequitur. Qui enim ad aliquam impellitur actionem, ante actionem assumit cognitionem, deinde autem appetitionem seu impulsionem. Præterea hoc quoque consideremus. Quoniam enim discere est antiquius quam agere (nam naturaliter qui agit, id quod vult agere, prius discit) : et cognitio quidem est ex doctrina : agere autem ex appetitione : et ex doctrina, est cognitio : scientiam autem sequitur appetitio, post quam actio : omnis actionis quæ ratione suscipitur principium et opifex fuerit cognitio. ✠ Quare merito ex ea sola formam et characterem suscipit proprietas animæ ratione præditæ : revera enim appetitio quidem, sicut etiam cognitio, movetur in iis quæ sunt. Cognitio autem ex eo ipso, est quædam animæ consummata contemplatio eorum quæ sunt, aut alicujus, aut aliquorum, aut si fuerit consummata omnium simul. Quanquam dicunt aliqui sapientem hominem persuasum habere, esse quædam quæ comprehendi nequeant, adeo ut non aliter comprehendat **276** quam quod comprehendit ea, quæ comprehendi nequeant esse incomprehensibilia, quod quidem est commune, et eorum qui parum possunt prospicere. Nam qui est ejusmodi, affirmat esse aliqua quæ comprehendi nequeant. Gnosticus autem ille, de quo loquor, ea comprehendit quæ videntur aliis non posse comprehendi, ut qui credat Dei Filio nihil esse incomprehensibile, unde nec esse ejusmodi ut doceri non possit. Qui enim propter suam in nos charitatem passus est, eum nihil quod faciat ad doctrinam cognitionis subduxisse æquum est. Fit ergo ipsa fides, firma et stabilis demonstratio, quoniam ea quæ a Deo sunt tradita, sequitur veritas. Quod si quis etiam desiderat multarum rerum experientiam, « novit antiqua, et conjectat futura, scit strophas orationum, et solutiones ænigmatum. Præscit signa et prodigia, et temporum eventus [a], » discipulus sapientiæ.

A τῆς λογικῆς ἰδιότης ψυχῆς· τῷ ὄντι γὰρ ἡ μὲν ὁρμὴ, καθάπερ γνῶσις, ἐστὶν ἐπὶ τῶν ὄντων κινουμένη· γνῶσις δὲ αὐτὸ τοῦτο θέα τίς ἐστι τῆς ψυχῆς τῶν ὄντων, ἤτοι τινὸς, ἢ τινων, τελειωθεῖσα (36) τῶν συμπάντων. Καίτοι φασί τινες τὸν σοφὸν ἄνθρωπον πεπεῖσθαι εἶναί τινα ἀκατάληπτα, ὡς καὶ περὶ τούτων ἔχειν τινὰ κατάληψιν καταλαμβάνοντος, ὅτι ἀκατάληπτα ἔσται τὰ ἀκατάληπτα, ὅπερ ἐστὶ κοινὸν καὶ τῶν ὀλίγον προορᾶσθαι δυναμένων· βεβαιοῖ γὰρ ὁ τοιοῦτος εἶναί τινα ἀκατάληπτα· ὁ Γνωστικὸς δὲ ἐκεῖνος, περὶ οὗ λέγω, τὰ δοκοῦντα ἀκατάληπτα εἶναι τοῖς ἄλλοις αὐτὸς καταλαμβάνει· πιστεύσας ὅτι οὐδὲν ἀκατάληπτον τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὅθεν οὐδὲ ἀδίδακτον· ὁ γὰρ δι' ἀγάπην τὴν πρὸς ἡμᾶς παθὼν, οὐδὲν ἂν ὑπεστείλατο εἰς διδασκαλίαν τῆς γνώσεως. B Γίνεται τοίνυν αὕτη ἡ πίστις ἀπόδειξις βεβαία· ἐπεὶ (37) τοῖς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ παραδοθεῖσιν ἀλήθεια ἕπεται. Εἰ δὲ καὶ πολυπειρίαν ποθεῖ τις, « οἶδε τὰ ἀρχαῖα, καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζει· ἐπίσταται στροφὰς (38) λόγων καὶ λύσεις αἰνιγμάτων, σημεῖα καὶ τέρατα προγινώσκει, καὶ ἐκβάσεις καιρῶν, καὶ χρόνων, » ὁ τῆς σοφίας μαθητής.

CAPUT IX.

Gnosticum verum animi perturbatis affectibus omnino carere.

Talis enim est gnosticus, ut in eum eæ solæ cadant affectiones quæ sunt ad conservationem necessariæ, nempe fames, sitis, et similia. Sed in Servatore quidem corpus, ut corpus, necessaria postulare ministeria ut in vita permaneat, fuerit ridiculum. Comedebat enim non propter corpus quod sancta virtute continebatur : sed ne eis qui cum eo versabantur, in mentem veniret de eo aliter sentier, sicut postea quidam existimarunt eum apparuisse visione et phantasmate. Ipse autem, prorsus, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus affectionis, neque voluptas, nec dolor. Apostoli autem cum iram et metum et cupiditatem, per Dominicam doctrinam, gnostice admodum superassent, ne ea quidem quæ videntur bona ex iis quæ passionem inferunt motionibus, utpote audaciam, æmulationem, gaudium, cupiditatem susceperunt, ut qui propter firmum quemdam et sta-

C Τοιοῦτος (39) γὰρ ὁ γνωστικὸς, ὡς μόνοις τοῖς διὰ τὴν μονὴν τοῦ σώματος γινομένοις πάθεσι περιπίπτειν, οἷον πείνῃ, δίψει, καὶ τοῖς ὁμοίοις. Ἀλλ' ἐπὶ μὲν τοῦ Σωτῆρος τὸ σῶμα ἀπαιτεῖν ὡς σῶμα τὰς ἀναγκαίας ὑπηρεσίας εἰς διαμονὴν, γέλως ἂν εἴη· ἔφαγε γὰρ οὐ διὰ τὸ σῶμα, δυνάμει συνεχόμενον ἁγίᾳ· ἀλλ' ὡς μὴ τοὺς συνόντας· ἄλλως περὶ αὐτοῦ φρονεῖν ὑπεισέλθοι· ὥσπερ ἀμέλει ὕστερον δοκήσει τινὲς αὐτὸν πεφανερῶσθαι ὑπέλαβον· αὐτὸς δὲ ἁπαξαπλῶς ἀπαθὴς ἦν, εἰς ὃν οὐδὲν παρεισδύεται κίνημα παθητικὸν, οὔτε ἡδονὴ, οὔτε λύπη. Οἱ δὲ ἀπόστολοι, ὀργῆς καὶ φόβου, καὶ ἐπιθυμίας διὰ τῆς Κυριακῆς διδασκαλίας γνωστικώτερον κρατήσαντες, καὶ τὰ δοκοῦντα ἀγαθὰ τῶν παθητικῶν κινημάτων, οἷον θάρσος, ζῆλον, χαρὰν, ἐπιθυμίαν, οὐδὲ αὐτὰ D ἀνεδέξαντο, ἐμπέδῳ τινὶ τῆς διανοίας καταστάσει μηδὲ καθ' ὁτιοῦν μεταβαλλόμενοι, ἀλλ' ἐν ἕξει ἀσκήσεως ἀεὶ μένοντες ἀναλλοίωτοι, μετά γε τὴν τοῦ

✠ P. 775 ED. POTTER, 649-650 ED. PARIS. [a] Sap. VII, 17, 18.

(36) *Τελειωθεῖσα.* H. ms., τελειωθεῖσα δέ. SYLBURG. — Eamdem lectionem exhibet ms. Paris.

(37) *Ἐπεί.* Flor., ἐπί, minus apte. SYLBURG.

(38) *Στροφάς.* Similia sunt, sed non prorsus eadem, quæ leguntur Sap. VII, 17, 18. Eadem Clemens paulo infra adducit pag. 660 edit. Paris.

(39) *Τοιοῦτος.* Stoicorum more loquitur, qui sapientem suum prorsus ἀπαθῆ esse volebant. Conf. superius *Pædagogi* lib. I, cap. 2, p. 99, n. 4. Quin etiam aliis locis eorumdem philosophorum dogmata et phrases sermonibus suis immiscet. Conf. superius *Pædag.* lib. I, cap. ult., et quæ ibi adnotata sunt.

Digitized by Google

Κυρίου ἀνάστασιν. Κἂν γὰρ μετὰ λόγου γινόμενα τὰ προειρημένα ἀγαθά τις ἐκδέχηται, ἀλλ' οὖν γε ἐπὶ τοῦ τελείου οὐ παραδεκτέον, ὃς οὔτε θαρσεῖν ἔχει· οὐδὲ γὰρ ἐν δεινοῖς γίνεται, μηδὲν δεινὸν ἡγούμενος τῶν ἐν τῷ βίῳ, οὐδὲ ἀποστῆσαί τι καὶ τούτου (40) αὐτὸν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπης (41) δύναται· οὐδὲ εὐθυμίας χρεία ἐστίν· οὔτε γὰρ εἰς λύπην ἐμπίπτει, πάντα καλῶς γίνεσθαι πεπεισμένος· οὐδὲ μὴν θυμοῦται· οὐδὲ γάρ ἐστιν ὅ τι συγκινήσει αὐτὸν πρὸς θυμόν, ἀγαπῶντα ἀεὶ τὸν Θεόν, καὶ πρὸς τούτῳ μόνῳ ὅλον τετραμμένον, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲν τῶν κτισμάτων τοῦ Θεοῦ μεμισηκότα. Ἀλλ' οὐδὲ ζηλοῖ· οὐδὲ γὰρ ἐνδεῖ τι αὐτῷ πρὸς ἐξομοίωσιν τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ εἶναι· οὐδὲ ἄρα φιλεῖ τινα τὴν κοινὴν ταύτην φιλίαν, ἀλλ' ἀγαπᾷ τὸν Κτίστην διὰ τῶν κτισμάτων. Οὔτ' οὖν ἐπιθυμίᾳ καὶ ὀρέξει τινὶ περιπίπτει, οὔτε ἐνδεής ἐστι κατά γε τὴν ψυχὴν τῶν ἄλλων τινός, συνὼν ἤδη δι' ἀγάπης τῷ ἐραστῷ· ᾧ δὴ ᾠκείωται κατὰ τὴν αἵρεσιν, καὶ τῇ ἐξ ἀσκήσεως ἕξει, τούτῳ προσεχέστερον συνεγγίζων, καὶ μακάριος ὢν διὰ τὴν τῶν ἀγαθῶν περιουσίαν. Ὥστε ἑνεκά γε τούτων ἐξομοιοῦσθαι βιάζεται τῷ διδασκάλῳ εἰς ἀπάθειαν· νοερὸς γὰρ ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, καθ' ὃν (42) ὁ τοῦ νοῦ εἰκονισμὸς ὁράσει μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ· ᾗ καὶ θεοειδὴς καὶ θεοείκελος ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ κατὰ ψυχήν· ὅ τε αὖ Θεὸς ἀνθρωποειδής· τὸ γὰρ εἶδος ἑκάστου ὁ νοῦς, ᾧ χαρακτηριζόμεθα· παρ' ὃ (43) καὶ οἱ εἰς ἄνθρωπον ἁμαρτάνοντες ἀνόσιοί τε καὶ ἀσεβεῖς. Λῆρος γὰρ καὶ τὸ φάσκειν τὸν γνωστικὸν καὶ τέλειον μὴ δεῖν ἀφαιρεῖν θυμοῦ καὶ θάρσους, ὡς μὴ καὶ ἄνευ τούτων κατέξαναστήσομένου τῶν περιστάσεων, οὐδ' ὑπομενοῦντος τὰ δεινά. Ἀλλ' εἰ καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἀφέλοιμεν αὐτοῦ, ὡς πάντως ὑπὸ τῶν λυπηρῶν συγχεθησομένου, καὶ διὰ τοῦτο κάκιστα ἀπαλλάξαντος τοῦ τε ζῆν (44), εἰ μὴ μετείη αὐτῷ, ᾗ (45) τισιν ἔδοξεν· οὐκ ἂν τῶν ὁμοίων τοῖς καλοῖς κἀγαθοῖς ἔφεσιν λάβοι. Εἰ γ' οὖν ἡ πᾶσα οἰκείωσις ἡ πρὸς τὰ καλὰ μετ' ὀρέξεως γίνεται, πῶς ἀπαθὴς μένει, φησίν, ὁ τῶν καλῶν ὀρεγόμενος; Ἀλλ' οὐκ ἴσασιν, ὡς ἔοικεν, οὗτοι τὸ θεῖον τῆς ἀγάπης· οὐ γάρ ἐστιν ἔτι ὄρεξις τοῦ ἀγαπῶντος ἡ ἀγάπη· στερκτικὴ δὲ οἰκείωσις, εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως ἀποκατεστηκυῖα τὸν γνωστικόν, χρόνου καὶ τόπου (46) μὴ προσδεόμενον. Ὁ δ' ἐν οἷς ἔσται δι' ἀγάπης ἤδη γενόμενος, τὴν ἐλπίδα προειληφὼς διὰ τῆς γνώσεως, οὐδὲ ὀρέγεταί τινος, ἔχων, ὡς οἷόν τε, αὐτὸ τὸ ὀρεκτόν· εἰ-

bilem statum mentis, nihil penitus mutarentur, sed in exercitationis habitu semper manebant alieni ab alteratione, post Domini quidem certe resurrectionem. Nam etsi quis eas, quæ ✠ prius dictæ sunt, motiones, si cum ratione fiant, bonas esse concedat: at in perfecto quidem certe minime sunt admittendæ, qui neque habet audaciam: neque enim versatur in rebus gravibus et molestis, cum ex iis quæ sunt in vita, nihil grave molestumve existimet, neque potest eum aliquid hujusmodi abducere a Dei charitate: neque tranquillitate animi opus habet, neque enim in dolorem incidit animive angorem, cum persuasum habeat omnia recte fieri: neque irascitur, neque est enim quod eum ad iram moveat, cum semper Deum diligat, et ad hoc solum totus sit conversus, et ideo ex Dei creaturis nullam habet odio. Sed neque æmulatur, nihil enim ei deest ad assimilationem, quo sit bonus et honestus. Sed neque amat aliquem communi hac amicitia, sed Creatorem diligit per creaturas. Neque ergo in cupiditatem aliquam incidit aut appetitionem, neque quoad animam alterius cujusvis rei indiget, cum jam per charitatem versetur cum dilecto, cui quidem jam est familiariter conjunctus per electionem, et per habitum qui procedit ab exercitatione, ei appropinquat continentius, et est beatus propter bonorum abundantiam. Quamobrem his de causis maxima vi contendit in hoc assimilari Domino ipso ut nullas admittat passiones: est enim Logos Dei intelligens, per quem mentis, sive intelligentiæ, imago in solo homine cernitur: quo respectu etiam Deiformis et Deo similis sit per animam vir bonus, et rursus Deus est hominis formæ similis. Forma enim uniuscujusque est mens, ex qua proprium suscipimus characterem. Quo fit ut qui peccant in hominem, sint profani et impii. Est enim ridiculum dicere, quod eum qui est gnosticus et perfectus, non oporteat exscindere iram et audaciam, utpote quod absque his neque sit adversus ea quæ ingruerint excitandus, neque quæ sunt gravia toleraturus. Sed si etiam cupiditatem ab eo abstulerimus, fore ut ab omnibus rebus molestis et asperis conturbetur et obruatur, et ideo e vita pessime excedat, si non sit ejus particeps, nec, ut quibusdam videtur, eum capiat earum rerum desiderium, quarum capit viros bonos et honestos. Si ergo omnis conjunctio et conciliatio

✠ P. 776 ED. POTTER, 650-651 ED. PARIS.

(40) *Καὶ τούτου.* Facili mutatione scribi etiam possit κατὰ τούτων, « in hac, » scilicet vita.

(41) *Τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπης.* Posterior ille genitivus τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπης, præcedentis τούτου est exegesis quædam. Cum iis vero quæ mox breviter attinguntur de Christiana εὐθυμίᾳ, confer Senecæ librum *De tranquillitate animi.* SYLBURG.

(42) *Καθ' ὅν.* H. ms. καθ' ὃ, neutro genere. SYLBURG.—Porro huic sententiæ sic demum sensus constabit, si hoc, vel simili modo scripta fuerit: Καθ' ὃ τοῦ νοῦ εἰκονισμὸς ὁρᾶται ἐν μόνῳ τῷ ἀνθρώπῳ. Quod in Latina versione expressimus. Porro ms. Paris. ἡ perperam habet pro seq. ᾗ.

(43) *Παρ' ὅ.* Flor. et H. ms., παρ' ᾧ, minus apte. SYLBURG.—Id tamen habet etiam ms. Paris.

(44) *Ἀπαλλάξαντος τοῦ τε ζῆν.* Rectius ἀπαλλάξαντος τοῦδε τοῦ ζῆν, vel absque demonstrativo pronomine ἀπαλλάξαντος τοῦ ζῆν, ut supra pag. 265. De præcedente συγχεθησομένου dicetur in indice. SYLBURG.

(45) *Ἧ.* M. Paris., mendose ἡ.

(46) *Χρόνου καὶ τόπου.* Nam amore conjuncti esse possunt, qui vel maxime a se invicem distant. Sic paulo post: Κἂν μηδέπω κατὰ τὸν χρόνον καὶ τὸν τόπον, ἀλλ' ἐκείνῃ γε τῇ γνωστικῇ ἀγάπῃ, etc.

Digitized by Google

(73) *Πολυτρόπως.* Respicit Hebr. i, 1.

(74) *Τὸ μεσότοιχον.* Hæc composuit auctor ex Ephes. ii, 14, 15, 16; iv, 13.

(75) *Φησίν.* Scilicet Joannes in Apocalypsi, quam hic explicat.

(76) *Διπλασ.* Respicit numerum apostolorum, qui duplicatus numerum viginti quatuor seniorum efficit.

Digitized by Google

κατ' ἴχνος τῶν ἀποστόλων ἐν τελειώσει δικαιοσύνης κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον βεβιωκότας. Ἐν νεφέλαις (77) τούτους ἀρθέντας γράφει ὁ Ἀπόστολος, διακονήσειν μὲν τὰ πρῶτα, ἔπειτα ἐγκαταταγῆναι τῷ πρεσβυτερίῳ κατὰ προκοπὴν δόξης· (« δόξα γὰρ δόξης διαφέρει· ») ἄχρις ἂν εἰς « τέλειον ἄνδρα » αὐξήσωσιν. optandos esse in presbyteratum profectu gloriæ: « virum perfectum. »

A tror, imitationes gloriæ angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ exspectare illos qui, insistentes vestigiis apostolorum, vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio. Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus, primum quidem diaconos futuros, deinde (« gloria enim differt a gloria: ») donec creverint in

CAPUT XIV.

Veritatis et bonorum operum studiosis pro cujusque merito in cœlis locum assignatum iri.

Οἱ τοιοῦτοι, κατὰ τὸν Δαβίδ, « καταπαύσουσιν ἐν ὄρει ἁγίῳ Θεοῦ, » τῇ ἀνωτάτῳ Ἐκκλησίᾳ, καθ' ἣν οἱ φιλόσοφοι συνάγονται τοῦ Θεοῦ, « οἱ τῷ ὄντι (78) Ἰσραηλῖται, οἱ καθαροὶ τὴν καρδίαν, ἐν οἷς δόλος οὐδείς· » οἱ μὴ καταμείναντες ἐν ἑβδομάδι (79) ἀναπαύσεως, ἀγαθοεργίᾳ δὲ θείας ἐξομοιώσεως εἰς ὀγδοαδικῆς εὐεργεσίας κληρονομίαν ὑπερκύψαντες, ἀκορέστου θεωρίας εἰλικρινεῖ ἐποπτείᾳ προσανέχοντες· « Ἔστι δὲ (80) καὶ ἄλλα, φησὶν ὁ Κύριος, πρόβατα, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· » ἄλλης αὐλῆς καὶ μονῆς ἀναλόγως τῆς πίστεως κατηξιωμένα. « Τὰ δὲ ἐμὰ πρόβατα, τῆς ἐμῆς ἀκούει φωνῆς, » συνιέντα γνωστικῶς τὰς ἐντολάς· τὸ δ' ἔστι μεγαλοφρόνως καὶ ἀξιολόγως ἐκδέχεσθαι σὺν καὶ τῇ τῶν ἔργων ἀνταποδόσει τε καὶ ἀνακολουθίᾳ. Ὥστε, ὅταν ἀκούωμεν, « Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, » οὐχ ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ. Αὐτίκα Ἰουδαίοις μόνοις ταύτην ἔλεγε τὴν φωνὴν, τοῖς νομικοῖς καὶ ἀνεπιλήπτως (81) βεβιωκόσιν, οἷς μόνον ἡ εἰς τὸν Κύριον ὑπελείπετο πίστις. Οὐκ ἂν οὖν μετὰ ἀκρασίας πιστὸς εἴη, ἀλλὰ κἂν ἐξέλθῃ (82) τὴν σάρκα,

Qui sunt tales, ut ait beatus David, « requiescent in monte sancto Dei[a], » suprema scilicet Ecclesia, in qua congregantur Dei philosophi, qui vere sunt « Israelitæ, ✠ mundi corde, in quibus nullus est dolus, » qui non permanserunt in septenario quietis, sed Deo assimilati bonorum operum effectione, ad octonarii beneficentiæ hæreditatem sublati sunt, insatiabilis contemplationis puræ ac sinceræ speculationi attendentes. « Sunt autem aliæ quoque, inquit Dominus[b], oves, quæ non sunt ex hoc ovili, » quæ alio scilicet ovili et mansione pro proportione fidei sunt dignatæ. « Meæ autem oves meam vocem audiunt[c], » gnostice scilicet mea mandata intelligentes. Hoc autem licet magnifice et pro dignitate meritisque accipere cum operum remuneratione, et mutua consequentia. Quare quando audierimus, « Fides tua te salvam fecit[d], » non accipimus eum dicere absolute eos salvos futuros qui quomodocunque crediderint, nisi opera quoque fuerint consecuta. Quippe Judæis solis hanc dicebat vocem, qui legem tenebant et vixerant

B C

✠ P. 794, ED. POTTER, 668, ED. PARIS. [a] Psal. xv, 1. [b] Joan. x, 16. [c] Ibid. 28. [d] Marc. v, 34, et alibi.

(77) *Ἐν νεφέλαις.* Hic respicere videtur I Thess. IV, 17: Ἔπειτα ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι, ἅμα σὺν αὐτοῖς ἁρπαγησόμεθα ἐν νεφέλαις, εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου εἰς ἀέρα· καὶ οὕτω πάντοτε σὺν Κυρίῳ ἐσόμεθα. Dein Apocalypseos loca modo citata: postea I Corinth. XV, 41, denique Ephes. IV, 13.

(78) *Οἱ τῷ ὄντι.* Hæc sententia composita est ex Joan. I, 47: Ἰδὲ ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι, et Matth. V, 8: Μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται.

(79) *Ἑβδομάδι.* Ἑβδομάδα allegorice vocat quietem a malo, ὀγδοάδα vero reversionem ad bene agendum. Conf. superius *Strom.* IV, pag. 612, n. 12.

(80) *Ἔστι δέ.* Hunc et sequentem S. Scripturæ locum e memoria recitavit auctor.

(81) *Τοῖς νομικοῖς καὶ ἀν.* Non incommode scribi possit, τοῖς νομικῶς καὶ ἀνεπιλήπτως β.: « qui secundum legem et inculpate vitam egerunt. »

(82) *Κἂν ἐξέλθῃ.* Non uno in loco asserit Clemens, eos, qui post baptismum vitiis peccatisque inquinati fuerint, suppliciis quibusdam purgandos esse. Sic *Strom.* IV, p. 634: Ἰστέον μέν τοι, τοὺς κατὰ τὸ λουτρὸν τοῖς ἁμαρτήμασι περιπίπτοντας, τούτους εἶναι τοὺς παιδευομένους· τὰ μὲν γὰρ προενεργηθέντα ἀφείθη, τὰ ἐπιγενόμενα ἐκκαθαίρεται. In *Strom.* VII, p. 745, extrema edit. Paris. dicit Christianum perfectum: Οἰκτείρειν τοὺς μετὰ θάνατον παιδευομένους διὰ τῆς κολάσεως ἀκουσίως ἐξομολογουμένους· « Misereri eorum, qui post mortem castigantur, per supplicium inviti confitentes; » cum scilicet ipse gravioribus peccatis immunis, « castigatorias » has pœnas non metuat. Ejusdem libri p. 732, ed. Paris. ait, « consummatis præmia dari » πεπαυμένοις τῆς καθάρσεως, « cum cessaverint a purgatione. » Nec mirum, si in hanc sententiam inciderit, qui cum Judaicis traditionibus, tum etiam philosophicis ac præsertim Platonicis et Pythagoricis, tantopere delectatus est. Est autem notissimum similia dogmata a Judæorum magistris recepta fuisse. Plato sententiam suam exponit *Phædonis* pag. 83, 84; *Gorgiæ* pag. 356, 357, edit. Francofurt. aliisque in locis. Philosophorum hac de re dogma explicat Virgilius, *Æneid.* VI, 735:

Quin et supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes; penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris:
Ergo exercentur pœnis veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elysium, et pauci læta arva tenemus.

Origenes, Clementis discipulus, magistri sui sententiam plurimis in locis tuetur, ut homil. in Exod.: « Veniendum est ergo omnibus ad ignem, veniendum est ad conflatorium; sedet enim Dominus, et conflat, et purgat filios Juda. Sed et illuc cum venitur, si quis multa opera bona et parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam plumbum igne resolvitur, ac purgatur, et totum remanet aurum purum; et si quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, ut amplius decoquatur, ut etsi pa-

Digitized by Google

absque reprehensione, quibus deerat sola fides in Dominum. Non ergo fuerit aliquis fidelis qui intemperans est, sed etsi e carne exierit, necesse est ut vitia deponat, ut possit ad propriam pervenire mansionem. Plus est autem cognoscere quam credere : sicut etiam quam salvum esse, majus est postquam salvus factus est, supremo honore dignum **284** esse habitum. Cum ergo per multam disciplinam vitia exuerit fidelis noster, transit ad ✠ maximum supplicium quod est melius priori mansione, inferens secum proprietatem pœnitentiæ eorum peccatorum quæ admisit post baptismum. Discruciatur ergo adhuc amplius, cum vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Præterea autem pudore afficitur ob ea quæ deliquit (quæ quidem sunt fideli maxima supplicia). Bona est enim Dei justitia et justa est ejus bonitas. Et licet cessaverint cruciatus in implendis quas luunt pœnis, et expiandis quæ admissa sunt ab unoquoque delictis, habent tamen maximum permanentem dolorem, quod cum sint inventi digni alio ovili, non una sint cum iis qui sunt gloria affecti propter justitiam. Jam vero Salomon *sapientis* nomine gnosticum intelligens, hæc dicit de iis qui mirantur dignitatem ejus mansionis : « Videbunt enim mortem sapientis et non intelligent quid de eo decreverit, et ad quid eum stabi-

✠ P. 795, ED. POTTER, 669, ED. PARIS.

rum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quod si aliquis illac totus plumbeus venerit, fiat de illo hoc quod scriptum est, Demergetur in profundum tanquam plumbum in aqua validissima. Sed longum est, si per ordinem velimus exponere; sufficiat pauca perstringere. » Idem aliis in locis tradit, ignem hunc purgatorium vel ab apostolis ac martyribus ipsis, sed illæsis et intactis, pertranseundum esse : nec eo leviora tantum ac venialia peccata, aut temporalem reatum, cum hodiernis purgatorii patronis, sed gravissima etiam scelera elui expurgarique vult; adeo ut vel ipsi damnati, ac diaboli etiam, tandem salutem consequantur. A qua sententia Clemens non abhorruisse videtur, cum tradiderit diabolum pœnitentiam agere posse, *Strom.* I, p. 368, et πάθη atque ἀκρασίαν graviora scilicet crimina, pœnis post mortem elui docet; ut ex seq. nota patebit. Conf. quæ in Origenis lib. IV, *contra Celsum* pag. 168, adnotavit Spencerus.

(83) *Πλέον*. Hoc fusius exponit auctor in *Strom.* VII, p. 732, 733, edit. Paris. : Ἡ μὲν οὖν πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις· ἡ γνῶσις δὲ ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς Κυριακῆς διδασκαλίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ' ἐπιστήμης καὶ καταληπτὸν παραπέμπουσα. Καί μοι δοκεῖ πρώτη τις εἶναι μεταβολὴ σωτήριος ἡ ἐξ ἐθνῶν εἰς πίστιν, ὡς προεῖπον· δευτέρα δὲ ἡ ἐκ πίστεως εἰς γνῶσιν· ἡ δὲ εἰς ἀγάπην περαιουμένη ἐνθένδε ἤδη φίλον φίλῳ τὸ γινῶσκον τῷ γιγνωσκομένῳ παρίστησιν. Καὶ τάχα ὁ τοιοῦτος ἐνθένδε ἤδη προλαβὼν ἔχει τὸ ἰσάγγελος εἶναι. Vult autem varios esse gradus, seu προκοπάς, quibus ad summam perfectionem et gloriam tenditur; ut eodem loco plenius docet. Primus eorum est, in quibus πάθη καὶ ἀκρασία, « passiones et incontinentia, » fidei admista sunt. His peccata suppliciis eluenda sunt, priusquam ad οἰκείαν μονήν, « mansionem ipsis » in cœlo « præstitutam, » ascendere liceat. Secundum

ἀποθέσθαι τὰ πάθη ἀνάγκη τοῦτον, ὡς εἰς τὴν μονὴν τὴν οἰκείαν χωρῆσαι δυνηθῆναι. Πλέον (83) δέ ἐστι τοῦ πιστεῦσαι τὸ γνῶναι, καθάπερ ἀμέλει τοῦ σωθῆναι, τὸ καὶ μετὰ τὸ σωθῆναι τιμῆς τῆς ἀνωτάτω ἀξιωθῆναι. Διὰ πολλῆς (84) τοίνυν τῆς παιδείας ἀπεκδυσάμενος τὰ πάθη ὁ πιστὸς ἡμῖν μέτεισιν ἐπὶ τὴν βελτίονα τῆς προτέρας μονῆς μείζονα κόλασιν ἐπιφερόμενος τὸ ἴδιωμα τῆς μετανοίας, ὧν ἐξήμαρτε μετὰ τὸ βάπτισμα. Ἀνιᾶται γοῦν ἔτι μᾶλλον, ἤτοι μηδέπω (85), ἢ καὶ μηδ' ὅλως τυγχάνων ὧν ἄλλους ὁρᾷ μετειληφότας· πρὸς δὲ, καὶ ἐπαισχύνεται τοῖς πλημμεληθεῖσιν αὐτῷ· αἳ δὴ μέγισται κολάσεις εἰσὶ τῷ πιστῷ. Ἀγαθὴ γὰρ ἡ τοῦ Θεοῦ δικαιοσύνη, καὶ δικαία ἐστὶν ἡ ἀγαθότης αὐτοῦ. Κἂν παύσωνται ἄρα που αἱ τιμωρίαι (86) κατὰ τὴν ἀποπλήρωσιν τῆς ἐκτίσεως καὶ τῆς ἑκάστου ἀποκαθάρσεως, μείζονα (87) ἔχουσι παραμένουσαν λύπην, ὅτι τῆς ἄλλης ἄξιοι εὑρεθέντες αὐλῆς, τὴν ἐπὶ τῷ μὴ συνεῖναι τοῖς διὰ δικαιοσύνην δοξασθεῖσιν. Αὐτίκα ὁ Σαλομὼν *σοφὸν* καλῶν τὸν γνωστικὸν, περὶ τῶν θαυμαζόντων αὐτοῦ τὸ ἀξίωμα τῆς μονῆς, τάδε φησίν· « Ὄψονται γὰρ τελευτὴν σοφοῦ, καὶ οὐ νοήσουσι τί ἐβουλεύσατο περὶ αὐτοῦ, καὶ εἰς τί ἠσφαλίσατο αὐτὸν ὁ Κύριος· » ἐπί τε τῆς δόξης ἐροῦσιν αὐτοῦ (88)· « Οὗτος ἦν ὃν ἔσχομεν ποτὲ εἰς γέλωτα καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ, οἱ ἄφρονες. Τὸν βίον αὐτοῦ ἐλογισάμεθα μανίαν, καὶ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ ἄτιμον· πῶς κατελογίσθη ἐν υἱοῖς Θεοῦ, καὶ ἐν ἁ-

ad gradum pertinent πιστοί, « fideles : » qui depositis peccatis, sive per virtutis in hac mortali vita studium, sive per pœnas, quas post mortem pertulerunt, ad beatorum quidem sedes, verum non summas aut primas transmittuntur. Tertio denique loco constituit gnosticos, seu perfectos, quibus Deus summum gloriæ ac felicitatis apicem designavit, et ἰσαγγέλους, « angelis pares, » esse voluit : ut aliis in locis scribit Clemens.

(84) *Διὰ πολλ.* Hæc sic scribi et explicari poterunt : Διὰ πολλῆς... βελτίονα τῆς προτέρας μονὴν, μείζονα κόλασιν ἐπιφερόμενος τὸ ἴδιωμα τῆς μετ. — « Cum igitur fidelis noster per multam disciplinam vitia exuerit, in meliorem ac beatiorem ea, quam prius habuit, mansionem transit; maximum supplicium perferens, quod iis proprium est, quos pœnitet peccatorum post baptismum commissorum. »

(85) *Μηδέπω*. Sensisse videtur auctor, nonnullos post peractam purgationem ad summum gloriæ culmen perventuros, alios vero inferiore in loco semper mansuros esse.

(86) *Τιμωρίαι*. De pœnis purgatoriis post hanc vitam futuris locus intelligendus. Vide p. 745, edit. Paris. LOWTH.

(87) *Μείζονα*. Huic sententiæ sic demum sensus et syntaxis constabit, si hoc, vel simili, modo scripta fuerit : Μείζονα ἔχουσι παραμένουσαν λύπην οἱ τῆς ἄλλης ἄξιοι εὑρεθέντες αὐλῆς, ἐπὶ τῷ μὴ συνεῖναι τοῖς διὰ τὴν δικ. « Manebit illis maximus dolor, qui altera aula (*sc.* inferiore) digni sunt inventi, quod non una sint cum iis, qui propter justitiam glorificati sunt. » Quin etiam Sylburgio visum est « planiorem fore structuram et sententiam, si pro conjunctione ὅτι reponatur pluralis articulus οἱ. »

(88) *Ἐπὶ . . . αὐτοῦ*. Hæc non Sapientiæ Salomonis, ut hactenus existimata fuisse videntur, sed Clementis verba sunt.

Digitized by Google

γίοις ὁ κλῆρος αὐτοῦ ἐστιν; οὐ μόνον τοίνυν ὁ πιστὸς, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐθνικὸς δικαιότατα κρίνεται· ἐπειδὴ γὰρ ᾔδει ὁ Θεὸς, ἅτε προγνώστης ὤν, μὴ πιστεύσοντα τοῦτον, οὐδὲν ἧττον ὅπως τήν γε καθ' ἑαυτὸν ἀναδέξηται τελείωσιν, ἔδωκε μὲν φιλοσοφίαν αὐτῷ· ἀλλὰ πρὸ τῆς πίστεως· ἔδωκε (89) δὲ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τὰ ἄστρα εἰς θρησκείαν· ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοῖς ἔθνεσιν, φησὶν ὁ νόμος, ἵνα μὴ τέλεον ἄθεοι γενόμενοι, τελείως καὶ διαφθαρῶσιν. Οἱ δὲ, κἂν ταύτῃ γενόμενοι τῇ ἐντολῇ ἀγνώμονες, γλυπτοῖς προσεσχηκότες ἀγάλμασι, κἂν μὴ μετανοήσωσι, κρίνονται· οἱ μὲν, ὅτι δυνηθέντες, οὐκ ἠθέλησαν πιστεῦσαι τῷ Θεῷ· οἱ δὲ, ὅτι καὶ θελήσαντες, οὐκ ἐξεπόνησαν περιγενέσθαι πιστοί· ναὶ μὴν κἀκεῖνοι οἱ ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων σεβήσεως μὴ ἐπαναδραμόντες ἐπὶ τὸν τούτων ποιητήν· ὁδὸς γὰρ ἦν αὕτη δοθεῖσα τοῖς ἔθνεσιν, ἀνακύψαι πρὸς Θεὸν διὰ τῆς τῶν ἄστρων θρησκείας· οἱ δὲ μὴ ἐπὶ τούτοις θελήσαντες ἐπιμεῖναι τοῖς δοθεῖσιν αὐτοῖς ἄστρασιν, ἀλλὰ καὶ τούτων ἀποπεσόντες εἰς λίθους καὶ ξύλα, « ὡς χνοῦς, φησὶν, ἐλογίσθησαν, καὶ ὡς σταγὼν ἀπὸ κάδου (90),» περισσοὶ εἰς σωτηρίαν, οἱ ἀπορριπτόμενοι τοῦ σώματος· ὥσπερ οὖν τὸ μὲν ἁπλῶς σώζειν τῶν μέσων (91) ἐστὶ· τὸ δ' ὀρθῶς καὶ δεόν-

A lierit Dominus[a] » et dicent de ejus gloria : « Is est quem aliquando habuimus in derisum, et in parabolam opprobrii, insipientes. Vitam ejus existimavimus insaniam, et mortem ejus ignominiosam. Quomodo est enumeratus inter filios Dei, et in sanctis est sors ejus[b] ? » Non solum ergo fidelis, sed etiam gentilis justissime judicatur. Quoniam enim sciebat Deus, ut qui præscientia præditus sit, eum non esse crediturum, nihilo secius ut suam acciperet perfectionem, ei philosophiam dedit, sed ante fidem. Dedit autem solem, et lunam et astra in religionem, quæ Deus fecit gentibus, inquit lex[c], ne si omnino essent impii et plane a Deo alieni, omnino etiam interirent. Illi autem in hoc etiam mandato ingrati, sculptilibus attenderunt imaginibus : quod si non fuerint ducti pœnitentia, judicantur. Aliqui quidem quod cum possent, noluerunt Deo credere ; alii vero, quod etiam cum vellent, non elaboraverunt ut fierent fideles : quin etiam illi quoque, qui a cultu astrorum non recurreruut ad eorum creatorem. Hæc enim via data fuit gentibus, ut per astrorum cultum Deum suspicerent ; qui autem ne in iis quidem quæ eis data sunt astris voluerunt permanere, sed ab eis ad ligna et lapides

B

[a] Sap. IV, 17. [b] Sap. V, 3, 4, 5. [c] Deut. IV, 19.

(89) *Ἔδωκε.* Respicit Deut. IV, 19 : Καὶ μὴ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἰδὼν τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τοὺς ἀστέρας, καὶ πάντα τὸν κόσμον τοῦ οὐρανοῦ, πλανηθεὶς προσκυνήσῃς αὐτοῖς, ἃ ἀπένειμε Κύριος ὁ Θεὸς αὐτὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. Clementis autem verba sic scribi et explicari poterunt : Ἔδωκε δὲ τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην καὶ τὰ ἄστρα, ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς εἰς θρησκείαν τοῖς ἔθνεσι, φησὶν ὁ νόμος. «Dedit autem solem, et lunam, et astra, quæ fecit Deus, in cultum gentibus, ait lex.» Putavit enim, Deum gentibus concessisse, ut cœlestia corpora, religioso cultu prosequerentur, quod præstet pro diis habere ea, quæ veri Dei non sunt, quam absque religionis sensu vitam agere : hoc scilicet sensu illud ἀπένειμε τοῖς ἔθνεσι in loco Deuteronomii jam allato accipiendum esse arbitratus. Proinde gentium εἰδωλολατρείαν in hoc præcipue constitisse autumat, quod, posthabitis cœli luminaribus, «sculptilia simulacra adoraverint. »

C

(90) *Ὡς χνοῦς, φησὶν, ἐλογίσθησαν, καὶ ὡς σταγὼν ἀπὸ κάδου.* Apud LXX. Isa. XL, 15 : Εἰ πάντα τὰ ἔθνη ὡς σταγὼν ἀπὸ κάδου, καὶ ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ ἐλογίσθησαν, καὶ ὡς σίελος λογισθήσονται. «Si omnes gentes sicut stilla a situla, et sicut momentum stateræ reputatæ sunt, et quasi salivæ reputabuntur. » Vel, ut est apud D. Hieronymum, «Reputatæ sunt.» Vulgata, «Ecce gentes sicut stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.» Aquila, ut docet D. Hieronymus, vertit postremum illud vocabulum λεπτὸν βαλλόμενον, Hebræi aiunt, eo significari tenuissimum pulverem, qui vento raptante sæpe in oculos mittitur, et sentitur potius quam videtur. Quod ergo LXX salivam dicunt, id Aquila pulverem, unde Clemens χνοῦς ἐλογίσθησαν. Tertullianus utramque vocem usurpat lib. *De resurrectione carnis* 59 : «Sed cum idem prophetes nationes ostendat nunc deputatas velut pulverem et salivam, nunc speraturas et crediturus in nomen, et in brachium Domini.» Idem in *Scorpiaco* 10 : « Quasi stillicidium situlæ, et pulverem areæ, et sputamen, et locustas deputavit.» In quem locum Pamelius scribens arbitratur, Clementem legisse «quasi sputum» lib. VII *Stromatum*, et « pulverem» lib. VI. At Leo Castrus in doctis *in Isaiam* Commentariis, ut « sputum reputabuntur, inquit, rejecti a corpore Ecclesiæ, » citatque Clementem hoc libro. Verum neque hic «sputum» facile reperias, et in lib. VII, p. 750, 10, conjungitur pars hujus versus Isaiæ, «tanquam stilla a cado,» cum altera, «tanquam pulvis,» quæ est ex psalm. I, non ex Isaia, ubi utuntur LXX eadem voce, qua hic Clemens pulverem significat, ὡς ὁ χνοῦς ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος. Et libro quarto in incredulos usurpatur. Collect. — Conf. superius *Strom.* IV, p. 634, n. 3; Tertullianus, *De fuga in persec.* c. 2 : « In stillam situlæ, et in pulverem areæ, et in salivam nationibus deputatis a Deo.» Idem, *adversus Marcionem*, lib. IV, c. 25 : «Ecce enim de nationibus, inquit, nemo (Deum cognovit) propter quod et illas stillicidium situlæ deputavit, et Sionem tanquam speculum in vinea dereliquit. » Similia sunt illa IV Esdræ VI, 56 : «Residuas autem gentes ab Adam natas dixisti eas nil esse, et quoniam salivæ assimilatæ sunt, et quasi stillicidium de vase similasti abundantiam eorum.»

D

(91) *Μέσων.* Tria actionum genera constituit auctor; quorum primum est κατόρθωμα seu perfecta actio, quæ soli gnostico ac perfecto Christiano convenit, eumque εἰς τὴν ἀνωτάτω δόξαν, «ad supremum gloriæ fastigium, » evehit. Secundum genus est τῶν μέσων, « mediarum» actionum, quæ a fidelibus minus perfectis fiunt, et salutem atque inferiorem gloriæ gradum conciliant. Tertio loco constituit τὰς ἁμαρτητικάς, seu « peccatrices, » quæ ab iis fiunt qui salute excidunt. In his autem eos philosophos secutus est, qui bonas actiones in duas species distribuunt ; quorum sententiam explicat Cicero *De officiis* lib. I, c. 3 : «Atque etiam alia divisio est officii : nam et medium quoddam officium dicitur, et perfectum. Perfectum officium rectum opinor vocemus, quod Græci κατόρθωμα hoc autem commune, καθῆκον vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id perfectum officium esse definiant; medium autem officium id esse dicant, quod, cur factum sit, ratio probabilis

Digitized by Google

precidere, « reputati sunt, inquit, ut pulvis terræ ✠ et ut gutta ex cado, » supervacanei scilicet ad salutem, et ejecti a corpore. Quemadmodum ergo simpliciter salvum facere, est ex iis, quæ sunt media, recte autem et ut decet, perfectum est officium: ita etiam omnis actio, gnostici quidem, perfectum est officium; ejus autem qui simpliciter est fidelis, media dici possit actio, ut quæ secundum rationem nondum fiat, neque recte geratur ex scientia. Contra autem cujusvis gentilis peccat actio. Non enim absolute bene agere, sed scopum quemdam spectando actiones producere, et ex ratione operari oportere ostendunt Scripturæ. Sicut ergo lyram pulsandi imperitis, non est lyra tangenda, neque tibia inflanda iis, qui inflandi sunt imperiti: ita nec sunt attingenda negotia iis qui non acceperunt cognitionem et nesciunt quomodo iis uti oporteat per totam vitam. Atque non solum quidem in bellis suscipitur a bellatoribus certamen pro libertate; sed etiam in conviviis, et in cubili, et in judiciis, ii qui verbo sunt uncti erubescentes servi fieri voluptatis. « Injusto lucro nunquam virtutem permutavero. » Lucrum autem evidenter injustum, est voluptas et dolor, labor et metus, et ut semel dicam, vitia et motus animæ, quorum præsens jucunditas affert postea molestiam. « Quid enim prodest si totum mundum lucreris, inquit, perdas autem animam [a]?» Clarum est ergo quod qui bonas non faciunt actiones, nec ea quidem norunt quæ sunt sibi utilia. Quod si ita est, ne ii quidem Deum recte precari possunt ut ab eo bona accipiant, cum quæ sint vere bona ignorent, neque si acceperint, donum senserint, néque pro dignitate eo usi fuerint quod non norunt, et propter imperitiam recte utendi

τως κατόρθωμα· οὕτω καὶ πᾶσα πρᾶξις, γνωστικῷ μὲν, κατόρθωμα, τοῦ δὲ ἁπλῶς πιστοῦ, μέση πρᾶξις λέγοιτ' ἄν, μηδέπω κατὰ λόγον ἐπιτελουμένη, μηδὲ μὴν κατ' ἐπίστασιν κατορθουμένη· παντὸς δὲ ἔμπαλιν τοῦ ἐθνικοῦ, ἁμαρτητική· οὐ γὰρ τὸ ἁπλῶς εὖ πράττειν, ἀλλὰ τὸ πρός τινα σκοπὸν τὰς πράξεις ποιεῖσθαι καὶ λόγον ἐνεργεῖν καθῆκεν (92), αἱ Γραφαὶ παριστᾶσιν. Καθάπερ οὖν τοῖς ἀπείροις τοῦ λυρίζειν λύρας οὐχ ἁπτέον, οὐδὲ μὴν τοῖς ἀπείροις τοῦ αὐλεῖν αὐλῶν· οὕτως οὐδὲ πραγμάτων ἁπτέον τοῖς μὴ τὴν γνῶσιν εἰληφόσι, καὶ εἰδόσιν ὅπως αὐτοῖς παρὰ λόγον (93) τὸν βίον χρηστέον. Τὸν γοῦν τῆς ἐλευθερίας ἀγῶνα οὐ μόνον ἐν πολέμοις ἀγωνίζονται οἱ πολέμων ἀθληταὶ, ἀλλὰ καὶ ἐν συμποσίοις, καὶ ἐπὶ κοίτης, κἀν τοῖς δικαστηρίοις, οἱ ἀλειψάμενοι τῷ λόγῳ, ἀχμάλωτοι γενέσθαι ἡδονῆς αἰσχυνόμενοι. « Οὐ μήν ποτ' ἂν ἀρετὰν ἀλλάξωμαι (94) ἀντ' ἀδίκου κέρδους.» Ἄδικον δὲ ἄντικρυς κέρδος, ἡδονὴ καὶ λύπη, πόνος τε καὶ φόβος, καὶ συνελόντι εἰπεῖν τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ὧν τὸ παραυτίκα τερπνὸν, ἀνιαρὸν εἰς τοὔπιόν. «Τί γὰρ (95) ὄφελος, ἐὰν τὸν κόσμον κερδήσῃς, φησὶ, τὴν δὲ ψυχὴν ἀπολέσῃς; » δῆλον οὖν τοὺς μὴ ἐπιτελοῦντας τὰς καλὰς πράξεις, οὐδὲ γιγνώσκειν τὰ ὠφέλιμα ἑαυτοῖς. Εἰ δὲ τοῦτο, οὐδὲ εὔξασθαι ὀρθῶς οἷοί τε οὗτοι παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβεῖν τὰ ἀγαθὰ, ἀγνοοῦντες τὰ ὄντως ἀγαθὰ, οὐδ' ἂν λαβόντες, αἴσθαιντο τῆς δωρεᾶς, οὐδ' ἂν εἰ ἀπολαύσειαν (96) κατ' ἀξίαν οὗ μὴ ἔγνωσαν, ὑπό τε τῆς ἀπειρίας τοῦ χρήσασθαι τοῖς δοθεῖσι καλῶς, ὑπό τε τῆς ἄγαν ἀμαθίας, μηδέπω χρηστέον (97) ταῖς θείαις δωρεαῖς ἐγνωκότες. Ἀμαθία δὲ ἀγνοίας αἰτία· καί μοι δοκῶ, κομπώδους μὲν εἶναι ψυχῆς καύχημα, πλὴν εὐσυνειδήτου, ἐπιφθέγξεσθαι τοῖς κατὰ περίστασιν συμβαίνουσι· «Πρὸς ταῦθ' (98) ὅ τι χρὴ καὶ παλαμᾶσθαι· τὸ γὰρ εὖ μετ'

✠ P. 796, ED. POTTER, 669 670, ED. PARIS.

[a] Matth. XVI, 26.

reddi possit.» Eamdem divisionem fusius explicat Stobæus in *Eclogis ethicis* cap. *De expetendis et fugiendis*, pag. 174, 175.

(92) *Καὶ λόγον ἐνεργεῖν καθῆκεν.* Scribendum potius καὶ κατὰ λόγον ἐνεργεῖν, « et secundum rationem operari. » Sylburgius ait: « Convenientius H. καθήκειν, infinitivo verbi modo alioqui ante αἱ Γραφαί, inserendum foret ὡς, seu ὥσπερ, *sicut.*»

(93) *Παρὰ λόγον.* Παρὰ λόγον habet etiam H. ms., sed rectius H. παρὰ ὅλον, «per totum.» SYLBURG. — Παρὰ λόγον habent etiam mss. Paris. et Ottob., quorum posterior χρηστέον τὸν βίον habet pro τὸν βίον χρηστέον.

(94) *Οὐ μήν ποτ' ἂν ἀρετὰν ἀλλάξωμαι.* Haud scio an verior lectio sit, οὐ μήν πω τὰν ἀρετὰν ἀλλάξομαι. SYLBURG.

(95) *Τί γάρ.* Hoc quoad sensum exstat Matth. XVI, 26; Marc. VIII, 36; Luc. IX, 25.

(96) *Οὐδ' ἂν εἰ ἀπολαύσειαν.* Convenientius οὐδ' ἂν τι ἀπολαύσειαν. SYLBURG.

(97) *Μηδέπω χρηστέον.* Legendum puto, vel μηδέπως χρηστέον, vel μηδέπω χρῆσθαι. ID.

(98) *Πρὸς ταῦθ'.* In Græco anapæstici sunt versus ex comœdia Aristophanis, cui titulus Ἀχαρνεῖς, quos etiam παρῳδῶν usurpat Cicero lib. VIII ad Atticum epistola 8, ut monuit nos Fed. Morellus Pr. Reg. Clemens tamen legit πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρή, ut apud Ciceronem, non ut apud Aristophanem πρὸς ταῦτα Κλέων. Vide quæ in eum locum Manutius et Bosius. COLLECT.—Visum est Heinsio scribere, Πρὸς ταῦτα δ τι χρὴ καὶ παλαμάσθων. Verum hæc sic potius scribenda sunt:

Πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθων·
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
Σύμμαχον ἔσται· κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
(καλὰ πράσσων.)
Ad hæc quidquid placuerit agant.
Nam bene mecum erit, et jus
Me adjuvabit; nec unquam capiar
(dum honesta facio.)

Hervetus postrema verba, καλὰ πράσσων, ad præcedentes versus pertinere existimans, perinde explicavit, ac si scriptum fuisset κακὰ πράσσων. Sunt autem non poetæ, sed ipsius Clementis verba. Porro hi anapæstici versus exstant apud Ciceronem lib. VIII ad Atticum epist. 8: « Fulsisse mihi videbatur τὸ καλὸν ad oculos ejus, et exclamasse ille vir, qui esse debuit:

Πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθων.
Καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ καὶ τεκταινέσθων·
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ·

Ubi posterius καί in secundo versu redundat. Cætera recte se habent, nec Bosii aliorumve emendatione indigent. Sumpti autem sunt hi versus ex parabasi actus 2 *Acharn.* Aristophanis, ubi sic se habent:

Πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω,
Καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ, καὶ τὸ δίκαιον
Ξύμμαχον ἔσται· κοὐ μή ποθ' ἁλῶ

Digitized by Google

ἐμοῦ· καὶ τὸ δίκαιον σύμμαχον ἔσται· καὶ οὐ μή ποτε ἀλῷ κακὰ πράσσων.» Αὕτη δὲ ἡ εὐσυνειδησία, τὸ ὅσιον τὸ πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ τὸ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους δίκαιον διασώζει, καθαρὰν τὴν ψυχὴν φυλάττουσα διανοήμασι σεμνοῖς, καὶ λόγοις ἁγνοῖς, καὶ τοῖς δικαίοις ἔργοις· οὕτω δύναμιν λαβοῦσα Κυριακὴν ἡ ψυχὴ, μελετᾷ εἶναι Θεός (99)· κακὸν μὲν οὐδὲν ἄλλο, πλὴν ἀγνοίας, εἶναι νομίζουσα, καὶ τῆς μὴ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον ἐνεργείας· ἀεὶ δὲ εὐχαριστοῦσα ἐπὶ πᾶσι τῷ Θεῷ, δι' ἀκοῆς δικαίας καὶ ἀναγνώσεως θείας, διὰ ζητήσεως ἀληθοῦς, διὰ προσφορᾶς ἁγίας, δι' εὐχῆς μακαρίας· αἰνοῦσα, ὑμνοῦσα εὐλογοῦσα, ψάλλουσα, οὐ διορίζεται ποτε τοῦ Θεοῦ κατ' οὐδένα καιρὸν ἡ τοιάδε ψυχή. Εἰκότως οὖν εἴρηται· « Καὶ οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτῷ, συνήσουσιν ἀλήθειαν· καὶ οἱ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ προσμενοῦσιν αὐτῷ· » ὁρᾷς οἷα περὶ τῶν γνωστικῶν διαλέγεται ἡ σοφία· ἀναλόγως ἄρα καὶ μοναὶ ποικίλαι κατ' ἀξίαν τῶν πιστευσάντων. Αὐτίκα ὁ Σαλομῶν· « Δοθήσεται (1) γὰρ αὐτῷ τῆς πίστεως ἡ χάρις ἐκλεκτὴ, καὶ κλῆρος ἐν ναῷ Κυρίου θυμηρέστερος. » Τὸ συγκριτικὸν γὰρ δείκνυσι μὲν τὰ ὑποδεδηκότα ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστιν ἡ πᾶσα Ἐκκλησία· ἀπολείπει δὲ ἐννοεῖν καὶ τὸ ὑπερθετικὸν, ἔνθα ὁ Κύριός ἐστιν. Ταύτας ἐκλεκτὰς οὔσας τὰς τρεῖς μονὰς οἱ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἀριθμοὶ αἰνίσσονται, « ὁ τριάκοντα (2-3), καὶ ὁ ἑξήκοντα (4), καὶ ὁ ἑκατόν· » καὶ ἡ μὲν τελεία κληρονομία τῶν εἰς « ἄνδρα τέλειον » ἀφικνουμένων, κατ' εἰκόνα τοῦ Κυρίου· ἡ δὲ ὁμοίωσις (5), οὐχ ὥς τινες, ἡ κατὰ τὸ σχῆμα τὸ ἀνθρώπειον· ἄθεος γὰρ ἥδε ἐφορία· οὐδὲ μὴν ἡ κατ' ἀρετὴν (6), ἡ πρὸς τὸ πρῶτον αἴτιον· ἀσεβὴς γὰρ καὶ ἥδε ἡ ἔκδοσις, τὴν αὐτὴν ἀρετὴν εἶναι ἀνθρώπου καὶ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ προσδοκησάντων· « Ὑπέλαβες, φησὶν, ἀνομίαν, ὅτι ἔσομαί σοι ὅμοιος· ἀλλ' ἀρκετὸν » γὰρ « τῷ μαθητῇ γενέσθαι (7) ὡς ὁ διδάσκαλος, » λέγει ὁ Διδάσκαλος. Καθ' ὁμοίωσιν οὖν τοῦ Θεοῦ ὁ εἰς υἱοθεσίαν καὶ φιλίαν τοῦ Θεοῦ καταταγεὶς, κατὰ τὴν συγκληρονομίαν τῶν κυρίων καὶ θεῶν (8) γίνεται, ἐὰν,

A ✠ iis quæ data sunt, et propter extremam insciti quomodo divinis quidem donis utendum sit nescientes. Doctrinæ autem carentia est causa ignorationis; atque jactabundæ quidem, sed bene sibi consciæ animæ est gloriatio, adversus eos casus qui eveniunt eloqui, « Ideo agat quod volet : nam ex parte mea est bonum : justumque mecum pugnabit. Neque unquam male facere deprehendar. » Θεός

Hæc autem bona conscientia, et sanctitatem erga Deum, et justitiam erga homines conservat, mundam custodiens animam honestis cogitationibus et verbis castis, et justis operibus. Sic vim Domini cum acceperit anima, meditatur esse Deus, putans nullum aliud esse malum præter ignorationem, et operationem quæ non fit ex recta ratione. Semper

B autem propter omnia Deo agens gratias, per justam auditionem et divinam lectionem, per veram inquisitionem, per sanctam oblationem, per beatam orationem, laudans, canens, benedicens, psallens, a Deo nullo unquam tempore talis dividitur anima. Merito ergo dictum est : « Et qui in ipso confidunt, intelligent veritatem, et fideles in dilectione in ipso permanebunt [a]. » Vides quænam disserat sapientia de gnosticis. Proportione ergo habita variæ sunt mansiones, pro dignitate et meritis eorum qui crediderunt. Ecce enim Salomon : « Dabitur enim ei, inquit, fidei gratia electa, et sors in templo Domini jucundior [b]. » Comparativum enim **285** indicat inferiora in templo Dei, quod est universa Ecclesia; relinquit autem superlativum quoque cogitandum, in quo est Dominus.

C Has tres electas mansiones significant numeri qui sunt in Evangelio, « triginta, et sexaginta, et centum [c]. » Et perfecta ✠ quidem hæreditas est eorum qui evadunt in « virum perfectum » ad imaginem Domini. Similitudo autem non est, ut quidam existimant, in figura humana : est enim impia hæc consideratio; sed nec quæ in virtute primæ causæ traditur assimilatio : est enim hæc quoque impia

✠ P. 797-798, ED. POTTER, 671, ED. PARIS. [a] Sap. IV, 9. [b] Ibid. 14. [c] Matth. XIII, 8.

Περὶ τὴν πόλιν ὧν, ὥσπερ ἐκεῖνος,
Δειλὸς καὶ λακκοκαταπύγων.
Hic Cleo nihil inausum linquat
Nihil intentatum in me faciat.
Mecum decus et fas : pia jura
Me comitantur : nunquam ego capiar
Ob Rempublicam, ut ille cinædus
Fœdissimus, ac metuendus.

(99) *Θεός*. Conf. superius *Protrept.* p. 88, not. 7.

(1) *Δοθήσεται*. Sapientiæ Salom. III, 14 : « Dabitur enim illi fidei donum, et sors in templo Dei acceptissima. » De eunuchis loquitur, qui non operati sunt iniquitatem, de quibus et dicitur Isa. LVI, 5 : « Dabo eis in domo mea et intra muros meos patrem, et nomen melius a filiis et filiabus. » Paulo post citatur ex psal. XLIX, 22 : Ὑπέλαβες, φησὶν, ἀνομίαν, ὅτι ἔσομαί σοι ὅμοιος, quod in Antuerp. edit. vertitur ut in Vulgata : « Existimasti iniquitatem, quod ero tui similis. » At in plerisque libris Vulgatæ legitur « inique. » Theodotio, Aquila et 7, edit. ex Hebræo : Ὑπέλαβες ἐτόμενος ἔσομαι ὅμοιός σοι. Symmachus, Ἐνόμισας ἔσεσθαί με ὡς σέ, quod videtur ante oculos habuisse S. Hieronymus, dum vertit : « Existimasti me futurum similem tui. » Apud D. Augustinum lego, « Suspicatus es iniquitatem, quod ero tibi similis. » Theodoretus sic explicat, « Suspicatus es, me tua iniquitate delectari. » D. Chrysostomus aliter, « Existimasti me hæc ferre non propter patientiam, sed quod nollem hæc castigari, et quæ a te fiebant non ægre ferrem. » COLLECT.

(2-3) *Ὁ τριάκοντα*. Respicit Matth. XIII, 8, ubi semen, quod ἔπεσεν ἐπὶ τὴν καλὴν γῆν, ἐδίδου καρπὸν, ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα.

(4) *Ὁ ἑξήκοντα*. Particulam ὁ omittit ms. Paris.

(5) *Ὁμοίωσις*. Conf. superius *Protrept.* pag. 79.

(6) *Κατ' ἀρετήν*. Conf. infra *Strom.* VII, p. 753, edit. Paris.

(7) *Γενέσθαι*. Psalm. L. Ἵνα γένηται.

(8) *Θεῶν*. Nam ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε, inquit per Psalmographum Deus. Conf. *Protrept.* p. 88, n. 7; *Strom.* IV, p. 633, n. 4.

Digitized by Google

traditio eorum, qui exspectarunt eamdem esse virtutem hominis et Dei omnipotentis : « Existimasti, inquit [a], inique, quod ero tibi similis; sufficit » enim « discipulo si fiat ut magister [b], » inquit Magister. Ad Dei ergo fit similitudinem, qui est in filium adoptatus, et in numerum amicorum cooptatus, ex eo quod est cohæres dominorum et deorum, si quemadmodum ipse docuit Dominus, per Evangelium fuerit consummatus.

A καθὼς αὐτὸς ἐδίδαξεν ὁ Κύριος, κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον τελειωθῇ.

CAPUT XV.

De variis cognitionis ad perfectionem ducentis gradibus; et qua de causa multa obscure et mystice in S. Scriptura tradantur.

Gnosticus igitur magis propinquam exprimit similitudinem, nempe magistri mentem, quam cum ille haberet, præcepit et consuluit sapientibus et prudentibus; exprimit, inquam, hanc intelligens ut voluit qui docuit, et magnifico sensu accepto, pro dignitate quidem docens « in tectis [c], » eos qui alte volunt ædificari, prius autem incipiens facto exsequi ea quæ dicuntur, convenienter exemplo ipsius vitæ. Ea enim præcepit quæ fieri poterant. Et revera oportet eum qui est regalis et Christianus, principatum posse obtinere et præesse. Neque enim solum constituti sumus, ut dominaremur iis solis quæ sunt foris bestiis, sed etiam feris, quæ sunt in nobis ipsis animi perturbationibus. Per scientiam ergo, ut videtur, bonæ et malæ vitæ, salvus fit gnosticus « plus » intelligens et operans « quam Scribæ et Pharisæi [d]. Intende, bene prosperare et regna, » scribit David [e], « propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextra tua, » hoc est Dominus. « Quis ergo sapiens, et intelliget hæc? intelligens, et cognoscet hæc? quoniam rectæ viæ Domini, » inquit propheta [f], significans gnosticum solum posse ea intelligere et explicare quæ obscure dicta sunt a Spiritu. Et « qui intelligit in tempore illo, silebit, » inquit Scriptura [g], ab enuntiando scilicet indignis. Quoniam inquit Dominus, « Qui habet aures ad audiendum, audiat [h], » dicens esse quorumvis audire et intelligere. Jam vero David dicit : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris. A fulgore coram ipso nubes transierunt, grando et carbones ignis [i]; » abditos esse docens sanctos sermones, et gnosticis quidem claros et perspicuos, tanquam grandinem innoxiam, significat demitti divinitus; ✠ vulgo autem obscuros, tanquam qui ex igne exstincti sunt carbones, quos nisi quis accenderit et suscitarit, non ardebunt, neque illuminabuntur. « Dominus » ergo, inquit, « dat mihi linguam disciplinæ, ut sciam » in tempore, « quando oporteat

B

C

D

Ὁ γνωστικὸς ἄρα τὴν προσεχεστέραν ἀναμάσσεται ὁμοιότητα, τὴν διάνοιαν τὴν τοῦ διδασκάλου, ἡντινα ἐκεῖνος νοῶν, ἐνετείλατό τε καὶ συνεβούλευσε τοῖς φρονίμοις καὶ σώφροσι· ταύτην συνιείς, ὡς ὁ διδάξας ἐβούλετο, καὶ διὰ τὴν νόησιν ἀναλαβὼν τὴν μεγαλοπρεπῆ, διδάξας μὲν ἀξιολόγως « ἐπὶ τῶν δωμάτων (9) » τοὺς ὑψηλῶς οἰκοδομεῖσθαι δυναμένους, προκατάρξας δὲ τῆς τῶν λεγομένων ἐνεργείας κατὰ τὸ ὑπόδειγμα τῆς πολιτείας· δυνατὰ γὰρ ἐνετείλατο· καὶ δὴ τῷ ὄντι ἀρχικὸν εἶναι καὶ ἡγεμονικὸν τὸν βασιλικόν (10) τε καὶ Χριστιανόν· ἐπεὶ μὴ τῶν ἔξω μόνων θηρίων κατακυριεύειν ἐτάγημεν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ἡμῖν αὐτοῖς ἀγρίων παθῶν· κατ' ἐπίστασιν οὖν, ὡς ἔοικε, τοῦ κακοῦ καὶ ἀγαθοῦ βίου σώζεται ὁ γνωστικὸς, « πλέον (11) τῶν Γραμματέων καὶ Φαρισαίων » συνιείς τε καὶ ἐνεργῶν. « Ἔντεινον καὶ κατευόδου καὶ βασίλευε, » ὁ Δαβὶδ γράφει, « ἕνεκεν ἀληθείας καὶ πραότητος (12) καὶ δικαιοσύνης, καὶ ὁδηγήσει σε θαυμαστῶς ἡ δεξιά σου· » τουτέστιν ὁ Κύριος. « Τίς οὖν σοφός; καὶ συνήσει ταῦτα· συνετός; καὶ γνώσεται (13) αὐτά· διότι εὐθεῖαι αἱ ὁδοὶ τοῦ Κυρίου, » φησὶν ὁ προφήτης, δηλῶν μόνον δύνασθαι τὸν γνωστικὸν τὰ ἐπικεκρυμμένως πρὸς τοῦ Πνεύματος εἰρημένα, νοῆσειν τε καὶ διασαφήσειν. « Καὶ ὁ συνιὼν ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, σιωπήσεται, » λέγει ἡ Γραφή· δηλονότι πρὸς τοὺς ἀναξίους ἐξειπεῖν· ὅτι φησὶν ὁ Κύριος, « Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω· » οὐ πάντων εἶναι τὸ ἀκούειν καὶ συνιέναι, λέγων. Αὐτίκα ὁ Δαβὶδ, « Σκοτεινὸν ὕδωρ ἐν νεφέλαις ἀέρων, » γράφει· « ἀπὸ τῆς τηλαυγήσεως ἐνώπιον αὐτοῦ, αἱ νεφέλαι διῆλθον, χάλαζα καὶ ἄνθρακες πυρός· » ἐπικεκρυμμένους τοὺς ἁγίους λόγους εἶναι διδάσκων, καὶ δὴ τοῖς μὲν γνωστικοῖς διειδεῖς καὶ τηλαυγεῖς, καθάπερ χάλαζαν ἀβλαβῆ, καταπέμπεσθαι θεόθεν μηνύει· σκοτεινοὺς δὲ πολλοὺς (14), καθάπερ τοὺς ἐκ πυρὸς ἀπεσβεσμένους ἄνθρακας, οὓς εἰ μή τις ἀνάψαι καὶ ἀναζωπυρήσαι, οὐκ ἐκφλεγήσονται, οὐδ' ἐμφωτισθήσονται. « Κύριος (15) » οὖν, φησὶ, « δίδωσί μοι

✠ P. 799, ED. POTTER, 672, ED. PARIS. [a] Psal. XLIX, 21. [b] Matth. XXV, 10. [c] Matth. X, 27; Luc. XII, 3. [d] Matth. V, 20. [e] Psal. XIV, 4. [f] Os. XIV, 9. [g] Amos. V, 13. [h] Matth. XI, 15. [i] Psal. XVIII, 11, 12.

(9) *Ἐπὶ τῶν δωμάτων.* Allegorice exponit illud Christi dictum : Ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. Matth. X, 27; Luc. XII, 3.

(10) *Βασιλικόν.* Clementi idem est βασιλικὸς qui Χριστιανός· nam Christus ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς τῷ Θεῷ καὶ Πατρὶ αὐτοῦ, ut dictum est Apoc. I, 6.

(11) *Πλέον.* Respicit Matth. V, 20 : Ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν Γραμματέων καὶ Φαρισαίων, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

(12) *Πραότητος.* Psalm. πραΰτητος.

(13) *Γνώσεται.* Os. ἐπιγνώσεται, et statim ὅτι pro διότι.

(14) *Σκοτεινοὺς δὲ πολλούς.* Optime interpres legit σκοτεινοὺς δὲ πολλοῖς. HEINSIUS.

(15) *Κύριος.* Isa. Κύριος, Κύριος.

Digitized by Google

γλῶσσαν παιδείας, τοῦ γνῶναι ἐν καιρῷ (16), ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον, » οὐ κατὰ τὸ μαρτύριον μόνον, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸν κατ' ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν· « Καὶ ἡ παιδεία Κυρίου (17) ἀνοίγει μου τὸ στόμα· » γνωστικοῦ ἄρα καὶ τὸ εἰδέναι χρῆσθαι τῷ λόγῳ, καὶ ὁπότε, καὶ ὅπως, καὶ πρὸς οὕς τινας. Ἤδη δὲ καὶ ὁ Ἀπόστολος λέγων, « Κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου, καὶ οὐ κατὰ Χριστόν, » τὴν μὲν διδασκαλίαν τὴν Ἑλληνικὴν στοιχειώδη παραδίδωσιν εἶναι, τελείαν δὲ τὴν κατὰ Χριστόν, καθάπερ ἤδη πρότερον ἐμηνύσαμεν. « Αὐτίκα ἡ ἀγριέλαιος (18) ἐγκεντρίζεται εἰς τὴν πιότητα τῆς ἐλαίας· » καὶ δὴ καὶ φύεται ὁμοειδῶς ταῖς ἡμέροις ἐλαίαις (19)· χρῆται γὰρ τὸ ἐμφυτευόμενον ἀντὶ γῆς τῷ δένδρῳ τῷ ἐν ᾧ ἐμφυτεύεται· πάντα δὲ ὁμοῦ τὰ φυτὰ ἐκ κελεύσματος θείου βεβλάστηκε· διὸ κἂν ἀγριέλαιος ὁ κότινος τυγχάνῃ, ἀλλὰ τοὺς Ὀλυμπιονίκας στέφει, καὶ τὴν ἄμπελον ἡ πτελέα εἰς ὕψος ἀνάγουσα εὐκαρπεῖν διδάσκει· ὁρῶμεν δὲ ἤδη πλείονα τὴν τροφὴν ἐπισπώμενα τὰ ἄγρια τῶν δένδρων, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι πέττειν. Τὰ οὖν ἄγρια τῶν ἡμέρων ἀπεπτότερα ὑπάρχει· καὶ τὸ αἴτιον τοῦ ἄγρια εἶναι αὐτά, στέρησις δυνάμεως πεπτικῆς· λαμβάνει τοίνυν τροφὴν μὲν πλείονα ἡ ἐγκεντρισθεῖσα ἐλαία, διὰ τὸ ἀγρίᾳ ἐμφύεσθαι· οἷον δὲ ἤδη πέττειν ἐθίζεται τὴν τροφήν, συνεξομοιουμένη τῇ πιότητι (20) τῆς ἡμέρου· ὡς δὲ καὶ ὁ φιλόσοφος, ἀγρίᾳ εἰκαζόμενος ἐλαίᾳ, πολὺ τὸ ἄπεπτον ἔχων, διὰ τὸ εἶναι ζητητικὸς καὶ εὐπαρακολούθητος καὶ ὀρεκτικὸς τῆς πιότητος τῆς ἀληθείας· ἐὰν προσλάβῃ τὴν θείαν διὰ πίστεως δύναμιν, τῇ χρηστῇ καὶ ἡμέρῳ καταφυτευθεὶς γνώσει, καθάπερ ἡ ἀγριέλαιος, ἐγκεντρισθεῖσα τῷ ὄντως καλῷ καὶ ἐλεήμονι λόγῳ, πέττει τε τὴν παραδιδομένην τροφὴν, καὶ καλλιέλαιος γίνεται· ὁ γάρ τοι ἐγκεντρισμὸς τὰς ἀχρείους εὐγενεῖς ποιεῖ, καὶ τὰς ἀφόρους φορίμους γίνεσθαι βιάζεται, τέχνῃ τῇ γεωργικῇ καὶ ἐπιστήμῃ τῇ γνωστικῇ. Φασὶ δ' οὖν γίνεσθαι τὸν ἐγκεντρισμὸν κατὰ τρόπους τέσσαρας (21)· ἕνα (22) μέν, καθ' ὃν μεταξὺ τοῦ ξύλου καὶ τοῦ φλοιοῦ ἐναρμόζειν δεῖ τὸ ἐγκεντριζόμενον (23)· ὡς κατηχοῦνται οἱ ἐξ ἐθνῶν ἰδιῶται, ἐξ ἐπιπολῆς δεχόμενοι τὸν λόγον· θάτερον (24) δὲ ὅταν, τὸ ξύλον σχίσαντες, εἰς αὐτὸ ἐμβάλωσι τὸ εὐγενὲς φυτόν· ὃ συμβαίνει (25) ἐπὶ τῶν φιλοσοφησάντων· διατμηθέντων γὰρ αὐτοῖς τῶν δογμάτων, ἡ ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας ἐγγίνεται· ὡς δὲ καὶ Ἰουδαίοις διοι-

loqui sermonem [a], » non solum in ferendo testimonio, sed etiam in interrogando et respondendo. « Et disciplina Domini aperit os meum [b]. » Est ergo gnostici ut sciat uti sermone, et quando, et quomodo, et apud quos oportet. Jam vero Apostolus quoque dicens : « Secundum elementa mundi, et non secundum Christum [c]; » tradit doctrinam quidem Græcam esse instar elementorum, Christi autem doctrinam esse perfectam, sicut jam prius significavimus. Jam vero « oleaster inseritur in pinguedine oleæ [d]; » quin etiam nascitur eadem fere specie qua oleæ sativæ. Nam id quod est insitum, pro terra utitur, arbore in qua inseritur. Omnes autem plantæ simul jussu divino germinarunt. Quocirca etiamsi sit oleaster agrestis, eos tamen coronat qui in Olympicis vincunt certaminibus. Et ulmus vitem in altum extollens, eam docet esse fertilem. Videmus autem plus nutrimenti attrahere agrestes arbores, propterea quod non possint concoquere. Quæ sunt ergo agrestia, minus concoquunt quam sativa; et causa cur ea sint agrestia, est privatio facultatis concoctricis. Plus ergo nutrimenti accipit inserta olea, propterea quod sit plantata in agresti. Assuefit autem veluti concoquere nutrimentum, dum assimilatur pinguedini sativæ. Sic etiam philosophus, qui agresti oleæ assimilatur, cum multa habeat non concocta, propterea quod et libenter inquirat, et facile assequatur, et pinguedinem appetat veritatis, si per fidem, divinam acceperit virtutem, in bonam et mitem insertus cognitionem, tanquam oleaster insitus in Logon vere pulchrum et misericordem, et quod traditur nutrimentum concoquit, et fit bona et sativa olea. Insitio enim eas quæ erant inutiles facit generosas, et quæ erant steriles, cogit esse fertiles, arte agriculturæ et scientia gnostica. Aiunt autem insitionem fieri quatuor modis: uno quidem, quo inter lignum et corticem oportet eum adaptare qui inserit; quo quidem modo catechismum suscipiunt, qui sunt ex gentibus idiotæ, qui verbum accipiunt in superficie. Altero autem, quando ligno fisso, in ipsum plantam ✠ generosam immiserint: quod quidem accidit in iis qui sunt philosophati. Eis enim dissectis dogmatibus, ingeneratur agnitio veritatis : ita autem Judæis quoque aperta veteri Scriptura, nova et gene-

✠ P. 800, ED. POTTER, 673, ED. PARIS. [a] Isa. L, 4. [b] Ibid. 5. [c] Col. II, 8. [d] Rom. XI, 17.

(16) Ἵν' ἐν καιρῷ. Hæc Clementis verba sunt, non Isaiæ.

(17) Παιδεία Κυρίου. Isa. Παιδεία Κυρίου, Κυρίου ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα, favente Hebr. textu, ut adnotat Sylburg.

(18) Ἡ ἀγριέλαιος. Respicit Rom. XI, 17 : Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν, σὺ δὲ, ἀγριέλαιος ὤν, ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς, καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς ποιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου.

(19) Ἐλαίαις. Ms. Paris. ἐλαίας.

(20) Πιότητι. Ms. Paris. mendose ποιότητι.

(21) Τέσσαρας. Τρεῖς τρόποι εἰσὶν ἐγκεντρισμῶν· « tres sunt modi insitionis; » inquit auctor *Geoponic.* lib. X, c. 75, eorum scilicet, quos enumerat Clemens, tertium omittens. Conf. Theophrastus *De causis plant.* lib. I, c. 6, Columella lib. V, c. 11. Petrus Crescentiensis, lib. II, c. 22.

(22) Ἕνα. Καλεῖται οὗτος ὁ τρόπος ἐμφυλλισμός· « vocatur hic modus infoliatio, » inquit auctor *Geoponic.* loco jam dicto.

(23) Τὸ ἐγκεντριζόμενον. « Id quod inseritur. » Interpres legit τὸν ἐγκ. in edit. Flor. Sed neutrum genus agnoscit H. ms. inquit Sylburgius.

(24) Θάτερον. Hic proprie dicitur ἐγκεντρισμός· quando αὐτὸ μέσον τὸ ξυλῶδες σχίσαντες, ἐμβάλωσι τὰ ἐνθέματα· « media lignosa parte fissa, surculos injiciunt. »

(25) Συμβαίνει. H. ms. σχῆμα. De insitionis generibus prolixe *Geoponica* p. 109. II. Sylburg.

Digitized by Google

rosa planta **286** oleæ inseritur. Tertia autem insitio agrestes tangit et hæreticos, qui vi trahuntur ad veritatem; nam cum utrumque surculum falce acuta deraserint, donec medullam quidem nudaverint, sed non ulceraverint, eas inter se vinciunt. Quartus autem modus insitionis est, qui dicitur inoculatio; a generoso enim trunco circumciditur oculus, ita ut cum eo in orbem cortex circumscribatur, unius palmi magnitudine. Deinde æqualiter cum oculo circumscriptus eraditur truncus, et sic immittitur circumligatus, et luto circumlitus, integro servato oculo et minime inquinato. Hoc est genus doctrinæ gnosticæ, quæ res potest perspicere ipsas. Hoc quidem certe genus est maxime utile in arboribus sativis. Potest autem quæ ab Apostolo dicitur « insitio, in bonam » fieri « oleam [a], » nempe in ipsum Christum, ut agrestis et infidelis natura eorum videlicet qui credunt in Christum, implantetur in Christum. Melius est autem uniuscujusque fidem in ipsa inseri anima. Sanctus enim Spiritus per eam quodammodo distributus transplantatur, prout est uniuscujusque circumscriptio, incircumscripte. De cognitione autem disserens Salomon hæc dicit: « Clara est, et non marcescit sapientia, et facile cernitur ab iis qui ipsam diligunt: eos qui cupiunt prævenit ut prægnoscatur. Qui mane surrexerit ad ipsam, non laborabit; de ipsa enim cogitare, est perfectio prudentiæ. Et qui propter ipsam vigilaverit, cito erit cura vacuus, quoniam eos qui ipsa digni sunt, ipsa quærens circuit. (Non est enim omnium cognitio [b].) Et in semitis ab ipsis benevole visione apprehenditur [c]. » Semitæ autem sunt vitæ traducendæ ratio, et Testamentorum multiformis varietas. Mox subjungit: « Et in omni cogitatione occurrit ipsis [d], » ut quæ varie consideretur, per omnem scilicet doctrinam. Deinde infert, perficientem adducens charitatem; per rationem syllogisticam, et veras propositiones maxime demonstrative ac vere sic inferens. « Ejus enim principium, verissimum est desiderium disciplinæ, » hoc est, cognitionis; « cura autem disciplinæ est dilectio; dilectio autem est observatio legum ejus; attentio autem legum, est incorruptibilitatis confirmatio; incorruptibilitas autem facit ut ad Deum prope accedatur. Sapientiæ ergo desiderium attollit ad regnum ✠ [e] » docet enim, ut arbitror, veram disciplinam esse quoddam desiderium cognitionis. Exercitium autem disciplinæ fit per dilectionem cognitionis. Et dilectio quidem est observatio mandatorum quæ deducunt ad cognitionem. Observatio autem ipsorum, est confirmatio præceptorum propter quam incorruptibilitas contingit. « Ea autem

A χθείσης τῆς παλαιᾶς Γραφῆς, τὸ νέον καὶ ὑγενὲς ἐγκεντρίζεται τῆς ἐλαίας φυτόν· ὁ τρίτος δὲ ἐγκεντρισμὸς τῶν ἀγριάδων καὶ τῶν αἱρετικῶν ἅπτεται, τῶν μετὰ βίας εἰς τὴν ἀλήθειαν μεταγομένων· ἀποξύσαντες γὰρ ἑκάτερον ἐπίσφινον (26) ὀξεῖ δρεπάνῳ, μέχρι τοῦ τὴν ἐντεριώνην γυμνῶσαι μὲν, μὴ ἑλκῶσαι δὲ, δεσμεύουσι πρὸς ἄλληλα· τέταρτος δέ ἐστιν ἐγκεντρισμοῦ τρόπος ὁ λεγόμενος ἐνοφθαλμισμός· περιαιρεῖται γὰρ ἀπὸ εὐγενοῦς στελέχους ὀφθαλμὸς, συμπεριγραφομένου αὐτῷ καὶ τοῦ φλοιοῦ κύκλῳ, ὅσον παλαιστιαῖον μῆκος· εἶτα ἐναποξύεται τὸ στέλεχος κατ' ὀφθαλμὸν, ἴσον τῇ περιγραφῇ· καὶ οὕτως ἐντίθεται περισχοινιζόμενον καὶ περιχριόμενον πηλῷ, τηρουμένου τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀπαθοῦς καὶ ἀμολύντου. Εἶδος τοῦτο γνωστικῆς διδασκαλίας, διαθρεῖν τὰ πράγματα δυναμένης· ἀμέλει καὶ ἐπὶ ἡμέρων δένδρων τοῦτο μάλιστα χρησιμεύει τὸ εἶδος. Δύναται δὲ ὁ ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου λεγόμενος « ἐγκεντρισμὸς εἰς τὴν καλλιέλαιον » γίγνεσθαι, τὸν Χριστὸν αὐτὸν, τῆς ἀνημέρου καὶ ἀπίστου φύσεως καταφυτευομένης εἰς Χριστὸν, τουτέστι τῶν εἰς Χριστὸν πιστευόντων· ἄμεινον δὲ τὴν ἑκάστου πίστιν ἐν αὐτῇ ἐγκεντρίζεσθαι τῇ ψυχῇ. Καὶ γὰρ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ταύτῃ πως μεταφυτεύεται διανενεμημένως, κατὰ τὴν ἑκάστου περιγραφὴν ἀπεριγράφως. Περὶ δὲ τῆς γνώσεως ὁ Σαλομῶν διαλεγόμενος, τάδε φησί· « Λαμπρὰ καὶ ἀμάραντός ἐστιν ἡ σοφία, καὶ εὐχερῶς θεωρεῖται ὑπὸ τῶν ἀγαπώντων αὐτήν· φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι. Ὁ ὀρθρίσας ἐπ' αὐτὴν, οὐ κοπιάσει· τὸ γὰρ ἐνθυμηθῆναι περὶ αὐτῆς φρονήσεως τελειότης· καὶ ὁ ἀγρυπνήσας δι' αὐτὴν ταχέως ἀμέριμνος ἔσται· ὅτι τοὺς ἀξίους αὐτῆς αὐτὴ περιέρχεται ζητοῦσα· (οὐ γὰρ πάντων ἡ γνῶσις (27)·) καὶ ἐν ταῖς τρίβοις φαντάζεται αὐτοῖς εὐμενῶς· » τρίβοι δὲ ἡ τοῦ βίου διεξαγωγὴ καὶ ἡ κατὰ τὰς Διαθήκας πολυειδία. Αὐτίκα ἐπιφέρει· « Καὶ ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ ὑπαντᾷ αὐτοῖς, » ποικίλως θεωρουμένη, διὰ πάσης δηλονότι παιδείας. Εἶτα ἐπιλέγει τὴν τελεωτικὴν ἀγάπην παρατιθέμενος διὰ λόγου συλλογιστικοῦ καὶ λημμάτων ἀληθῶν ἀποδεικτικωτάτην καὶ (28) ἀληθῆ ὧδέ πως ἐπάγων ἐπιφοράν· « Ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἀληθεστάτη (29) παιδείας ἐπιθυμία, » τουτέστι τῆς γνώσεως· « φροντὶς δὲ παιδείας ἀγάπη· ἀγάπη δὲ τήρησις νόμων αὐτῆς· προσοχὴ δὴ νόμων βεβαίωσις ἀφθαρσίας (30)· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. Ἐπιθυμία ἄρα σοφίας ἀνάγει ἐπὶ βασιλείαν. Διδάσκει γὰρ, οἶμαι, ὡς ἀληθινὴ παιδεία ἐπιθυμία τις ἐστὶ γνώσεως· ἄσκησις δὲ παιδείας συνίσταται δ' ἀγάπην γνώσεως· καὶ ἡ μὲν ἀγάπη τήρησις τῶν εἰς γνῶσιν ἀναγουσῶν ἐντολῶν· ἡ τήρησις δὲ αὐτῶν βεβαίωσις τῶν ἐντολῶν, δι' ἣν ἡ ἀφθαρσία ἐπισυμβαίνει· ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. »

✠ P. 801, ED. POTTER, 674, ED. PARIS. [a] Rom. xi, 24. [b] I Cor. viii, 7. [c] Sap. vi, 12, 13, 14, 15, [d] Ibid. 16. [e] Ibid. 17, 18, 19, 20.

(26) *Ἐπίσφιγγον*. Alibi rectius ἐπίσφηνον, inquit in Indice Græco Sylburg.

(27) *Οὐ γὰρ πάντων ἡ γνῶσις*. Hæc verba non sunt Sapientiæ, sed in parenthesi scribenda; ut interpolata scilicet a Clem. ex I Cor. viii, 7, ubi dicit Apostolus, οὐκ ἐν πᾶσιν ἡ γνῶσις.

(28) *Καὶ*. Abest a ms. Paris.

(29) *Ἀληθεστάτη*. Vulg. Bib. Sapient. vi: ἡ ἀληθεστάτη, cum articulo. SYLBURG.

(30) *Νόμων βεβαίωσις ἀφθαρσίας· ἀφθαρσία δέ*. Ms. Paris. mendose, νόμων βεβαίωσις ἀφθαρσία· ἀφθαρσία δέ.

Digitized by Google

(47) *Ἡ μὲν γὰρ...τελειοῦται*. Rectius interpres μεσούντων τῶν Τιβερίου χρόνων, « medio Tiberii tempore : » ut patet e superiori *Chronologia* p. 147. SYLBURG.—De lectione meliori, quam interpres est secutus, vide Sylburgium, inquit Heinsius. Hanc sententiam sic emendat Montacutius *Originum eccles.* part. II, p. 341 : « Ἀπὸ Αὐγούστου ἀρξαμένη, μεσούντων Τιβερίου χρόνων τελ. Nascebatur enim, quod pueri nostri sciunt, imperante Augusto Christus : imperante Tiberio crucifixus. Cujus imperio ultra medium decurso prædicationem auspicabatur, a quo sensu non abhorret Tertullianus. » Pearsonus loco jam dicto hæc scribit : « Vox Αὐγούστου posteriore loco recte poni non potest : neque enim de Augusto ipso intelligi poterit, post cujus imperii media tempora Christus natus, neque Tiberio ea vox convenit ubi uterque simul nominatur. Mendum agnoscit Sylburgius, et pro Αὐγούστου legit cum interprete Τιβερίου. Et quidem satis Græce dicitur μεσούντων τῶν Τιβερίου χρόνων, « medio « Tiberii tempore, » sed dubito an ita loqueretur Clemens, qui XV quidem Tiberii baptizatum esse Christum agnovit, et post unum annum passum etiam putavit, sed XXII tantum annos Tiberio assignavit. Cum igitur levior mutatio sufficere posse videatur, forte legendum μεσούντων τῶν Αὐγούστων χρόνων, « Augustis illis tempus dimidiantibus, » vel, utroque imperatore dimidium temporis sibi sumente, ut ipse loquitur lib. I : Πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πεντεκαιδεκάτῳ Αὐγούστου οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως οὗ ἔπαθεν. « Quin« todecimo ergo anno Tiberii, et quintodecimo Au« gusti sic implentur triginta anni usque ad tempus « quo passus est Christus. » Sed optima correctio a meliori codice exspectanda est. » Mihi hæc cl. Pearsoni emendatio paulo durior videtur; nec video cur Montacutii conjectura rejici debeat, si vox μεσούντων laxiori sensu sumpta, ut sæpe alias fit, paulo ultra medium Tiberiani imperii annum extendatur. Nec Dodwelli hoc de loco sententia prætereunda est, quam his verbis exponit Dissert. I in Irenæum pag. 34 et seq. : « Ait ergo Clemens, juniores illos hominum cœtus (qui scilicet homines, non Deum, habent auctorem) cœtibus Ecclesiæ catholicæ, id adeo esse manifestum, ut ne quidem opus esset ad id probandum prolixiori oratione. Distinguit nimirum tria Ecclesiæ intervalla. Primum illud quo vixit Dominus, quod XXX erat, pro ea opinione quæ apud vulgus obtinebat, annorum. Ergo illud ita ait incepisse ab Augusti temporibus, ut fuerit Tiberio imperante consummatum. Includenda enim parenthesi verba illa, μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων, et in eam sententiam intelligenda, ut, cum illa Domini viventis disciplina ab Augusto inceperit, in Tiberium desierit, sic tamen illa inter utrumque imperatorem distribuenda esset, ut media ejus pars Augusto esset assignanda. Quod exinde colligebant, quod jamjam receptum esset apud vulgus, XXX Domini ann. cum XV Tiberii anno concurrisse; 2° deinde intervallum ponit a passione Domini ad martyrium S. Pauli, Neronis C imperio ad exitum vergente; 3° intervallum a Nerone porrigitur ad Adrianum. His itaque tribus intervallis recentiores Clemens illos statuit hæreticos qui sub Adriano tandem in lucem ita prodierint, ut pertigerint usque ad Antoninum. » In qua sententia expendi meretur, utrum verbum τελειοῦται recte sejungatur a verbis proxime præcedentibus μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων, ad quæ referri videtur. Nam cum dixisset Christi « doctrinam Augusto ac Tiberio imperantibus » ἄρξασθαι, sequitur ut ostenderet quo tempore eadem τελειοῦται, « desierit. » Quemadmodum in sententia proxime sequente dicit « apostolorum doctrinam, » quæ a fine doctrinæ Christi initium sumpsisse intelligitur, ἐπὶ Νέρωνος τελειοῦσθαι, « Nerone imperante desiisse. » Illud insuper adjiciendum, quod verbum μεσοῦν eo sensu raro aut nunquam usurpetur, quo vir clarissimus exponit hoc commation μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων.

D (48) *Ἀδριανοῦ*. Hæc respicit Cedrenus, scribens : Ὡς γάρ φησι Κλήμης ὁ Στρωματεὺς, ἐπὶ Ἀδριανοῦ ὑπῆρχον Σατορνῖλος, Βασιλείδης, καὶ Καρποκράτης. « Ut enim ait Clemens *Stromateon* auctor, sub Adriano fuerunt Saturnilus, Basilides, et Carpocrates. »

(49) *Ἀντωνίνου*. Irenæus lib. III, c. 4, et ex eo Eusebius *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 10, referunt Valentinum Romam venisse Antonino Pio imperatore, Hygino Romano pontifice. Basilidem sub Adriano hæresin suam propagasse fuse ostendit Pearsonus loco superius dicto. Conf. Epiphanius lib. I, c. 31; Theodoretus *Hæret. Fab.* lib. I. De Marcione et Valentino hæc scribit Tertullianus lib. *De præscript. hæret.* c. 3 : Ubi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus, Stoicæ studiosus? Ubi Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in Catholicæ primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti. »

Digitized by Google

κίας, καθάπερ ὁ Βασιλειδης, κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοὶ, τὸν Πέτρου ἑρμηνέα. Ὡς αὔτως (50) δὲ καὶ Οὐαλεντῖνον Θευδάδι ἀκηκοέναι (51) φέρουσιν· γνώριμος δ' οὗτος ἐγεγόνει Παύλου. Μαρκίων γὰρ (52), κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς

A interpres. Similiter autem Valentinum quoque ai-cunt audivisse Theodadem; is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim cum natus esset eadem qua ipsi ætate, versabatur ut senex cum junioribus, post quem, Simon Petrum audiit paululum prædi-

P. 899 ED. POTTER, 766 ED. PARIS.

(50) *Ὡς αὔτως.* Recte ms. Paris. ὡσαύτως.

(51) *Θευδάδι ἀκηκοέναι.* Scribendum, facili mutatione, Θευδᾶ (vel Θευδᾶ) διακηκοέναι, « Theudam audivit. » Quod observarunt clarissimi viri, Bentleius, Grabius, etc. Solet enim verbum διακούειν hoc sensu adhiberi. Sic supra *Strom.* I, p. 352 : Τοῦτον διαδέχεται Ἀρχέλαος· οὗ Σωκράτης διήκουσεν. « Ei succedit Archelaus, quem audivit Socrates. » Diogenes Laertius in Socrate : Διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ. « Archelaum physicum audivit. » Apud eumdem alia quoque exempla ubique fere obvia sunt. Theodæ hæretici alii etiam meminerunt. Vigilius Tapsensis lib. I contra Arium, Sabellium, et Photinum, cap. 20 : « Et quia multi dogmatum novorum auctores exstiterant, doctrinæ obviantes apostolicæ, omnesque sectatores suos discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos, sive qui Christi, sive qui Dosithei, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Joannis sectatores, qui se quasi Christo credere fatebantur. »

(52) *Μαρκίων γὰρ, κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο· μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κ.* Cl. Pearsonus loco superius dicto hæc scribit : [Tres hæresiarchas nominat Clemens, Basilidem, Valentinum, et si forte Marcionem : si forte inquam; nam illa verba, Μαρκίων γὰρ, κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο, « Marcion enim, sub eadem ætate versabatur ut senex cum junioribus, » ut vulgo exponuntur, sana esse non possunt, ut nec quæ sequuntur, μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσε, « post quem Simon Petrum audiit paululum prædicantem, » ut hodie leguntur et exponuntur. Quis enim in historia ecclesiastica ferre potest aut Marcionem senem fuisse, cum Basilides et Valentinus juvenes essent, aut Simonem qui S. Petrum audivit post Marcionem exstitisse? De Marcione aliter sensit Epiphanius, ut ostendimus : aliter etiam veteres locuti sunt. Justinus martyr Valentinianorum et Basilidianorum meminit, dictos eos a nominibus hæresiarcharum docet; imo vero : Καὶ εἰσὶν ὑφ' ἡμῶν, inquit, ἀπὸ προσωνυμίας τῶν ἀνδρῶν, ἐξ οὗπερ ἑκάστη διδαχὴ καὶ γνώμη ἤρξατο. « Et sunt apud nos qui a nomine eorum virorum, ex quo doctrina et sententia quælibet incepit, » denominati sunt. Solum Marcionem memorat quasi adhuc in vivis cum ipse scriberet, et postquam contra omnes hæreses scripsisset. An eum tantummodo in vivis tunc fuisse monuisset, si eodem tempore Basilides et Valentinus, non tantum vixissent, sed etiam juvenes et in florenti adhuc ætate fuissent? Observat Irenæus de ætate hæreticorum agens, Valentinum sub Hygino Romam venisse, Marcionem sub Aniceto postea invaluisse; an ille putavit Valentinum juniorem fuisse cum Marcion jam senex esset? Hæc igitur saltem ut ab iis exposita sunt a Clemente proficisci non potuerunt. Quare Isaacus Vossius (epist. 2 ad Rivetum) huic loco tanquam minime sano medelam adhibuit et pro illis quæ dedimus hæc legit : Μαρκίων γὰρ κατὰ τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ἡλικίαν γενόμενος ὡς πρεσβύτης νεώτερος συνεγένετο, μεθ' ὧν Σίμων. Quæ si recte capio hoc sonant : « Marcion enim sub eadem ætate cum illis tanquam cum senibus junior versatus est; cum quibus Simon, » etc. Ita ille, acute quidem, ut solet. Dodwellus loco citato, cum Vossii conjecturam, quoad priorem partem, probasset,

de reliquis verbis quæ ad Simonem spectant, μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον, etc., hæc adjicit : « Hæc verba ita intelligo, non ut ad ultimum eorum, quos supra nominaverat, Marcionem referantur (quorsum enim ille antiquissimi hæretici cum recentissimo, in ætatis causa, comparatio?), sed ad primum omnium Basilidem, eumdemque antiquissimum. Proinde media verba omnia, κἂν Γλαυκείαν ἐπιγράφηται, etc., usque ad illa, νεώτερος συνεγένετο, parenthesi incluserim. Tum et voces illas ἐπ' ὀλίγον ad voces μεθ' ὃν, non ad ἐπήκουσεν, referendas censuerim, B non ut brevi tempore S. Petrum apostolum audiverit Simon (quod nihil ad consilium Clementis), sed ut hæreticorum omnium antiquissimus Simon, S. Petri auditor, non multo fuerit illo, quem paulo ante nominaverat, Basilide superior. Quod omnino faciebat aptissime ad demonstrandam illam, quam demonstrandam susceperat Clemens, hæreticorum, præ Ecclesia, novitatem : scholam nimirum Simonianam, ni fallor, intellexit, et discessum illius ab Ecclesia manifestum, unde prodierat Basilides. Prodiit Basilides e schola Simonis Menandriana sub initium Adriani. Discesserat ab Ecclesia ea schola sub finem, ut ostendimus, Trajani. Ita recte dixerit Clemens Simonem, quasi scholæ ab Ecclesia alienæ auctorem, Basilide ἐπ' ὀλίγον fuisse seniorem. » Idem infra in *Addendis* hæc subjicit : « Non dissimulandum arbitror amici cujusdam docti sententiam, qui nostra legerat, antequam ederentur, de illo loco Clementino. Monuit ille post verba C illa Πέτρου ἑρμηνέα, inchoandam esse parenthesin, eodem tamen quo nos illam conclusimus loco concludendam; postea mutatione levissima pro μεθ' ὃν reponendum μεθ' οὗ. In ea nimirum sententia est ille, ut ad S. Petrum referantur verba illa μεθ' οὗ, cui fuerit proinde coævus Simon, Petri scilicet aliquantisper discipulus. Id enim indicant verba ἐπ' ὀλίγον, sic illum fuisse magistrum erroris, ut tamen prius fuerit discipulus veritatis, qui tamen diu, ut diabolus, in veritate non permanserit. Hæc ille, quam nos fecimus, fortasse rectius. » Valesius in *Adnotationibus* ad Eusebii lib. II, c. 11, μεθ' ὃν exp. « ante eum, superius eo. » Quemadmodum ait in *Act. apost.* c. V, v. 37 : Μετὰ τοῦτον ἀνέστη Ἰούδας, significat « Judam ante eum (Theudam) exstitisse. » « Quæ quidem expositio licet prima fronte durior videatur, tamen prorsus necessaria est, ac verissima; nec amplius destituitur. Nam quoties ab ultimo, utpote nobis propiore, numerare D instituimus, tunc ex ultimo primus, et ex primo ultimus fiat necesse est. Quam ob causam « retro fuisse » dixit Tertullianus in *Apologetico*, pro olim et antea fuisse : et « retrorsiorem » usurpat pro antiquiore. Et tamen retro idem est Latinis quod post. Sed quoniam Casaubonus negat Græcos unquam ita locutos fuisse, producendus est testis omni exceptione major. Is est Clemens Alexandrinus, qui in lib. VII *Stromatei* sub finem, eodem prorsus modo locutus est quo B. Lucas. Postquam enim observavit hæreticos fere omnes circa tempora imperatoris Adriani erupisse, et usque ad principatum Antonini Pii pervenisse, ut Basilidem et Valentinum, hæc subjungit : « Nam Marcion iisdem quidem temporibus vixit quibus Basilides et Valentinus. Verum tanquam senior cum illis adhuc junioribus est versatus. » Addit deinde μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν. « Post quem Simon prædicantem Petrum audivit aliquamdiu. » Quis non videt in hoc Clementis loco « post

Digitized by Google

cantem. Quæ cum ita habeant, clarum est ex antiquissima et verissima Ecclesia, has recentiores, et quæ his sunt adhuc inferiores tempore, fuisse innovatas, adulterinæ notæ hæreses. Ex iis quæ dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam, quæ vere est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui sunt justi ex proposito. Nam cum unus sit Deus et unus Dominus, propterea id etiam quod est summe venerabile, et ex eo quod sit unicum laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo naturæ sortem cooptatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. ✠ Et essentia ergo et opinione et principio et excellentia, solam esse dicimus, antiquam et catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento quod est unum diversis temporibus, in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos qui sunt ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Cæterum Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile vel æquale. Atque de iis quidem dicetur postea. Ex hæresibus autem aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ sunt a Valentino et Marcione et Basilide, etiamsi glorientur se Matthiæ opinionem adducere: fuit enim una omnium apostolorum sicut doctrina, ita etiam traditio; aliæ autem ex loco, ut Peratici; aliæ autem ex gente, ut Phrygum hæresis; aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum; aliæ autem ex propriis dogmatibus, ut Docitarum et Hæ-

A ἡλικίαν γενόμενος, ὡς πρεσβύτης νεωτέροις συνεγένετο· μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν (53). Ὧν οὕτως ἐχόντων, συμφανὲς ἐκ τῆς προγενεστάτης καὶ ἀληθεστάτης Ἐκκλησίας, τὰς μεταγενεστέρας ταύτας καὶ τὰς ἔτι τούτων ὑποβεβηκυίας τῷ χρόνῳ κεκαινοτομῆσθαι παραχαραχθείσας αἱρέσεις. Ἐκ τῶν εἰρημένων ἅρα φανερὸν οἶμαι γεγενῆσθαι, μίαν εἶναι τὴν ἀληθῆ Ἐκκλησίαν, τὴν τῷ ὄντι ἀρχαίαν, εἰς ἣν οἱ κατὰ πρόθεσιν δίκαιοι ἐγκαταλέγονται· ἑνὸς γὰρ ὄντος τοῦ Θεοῦ καὶ ἑνὸς τοῦ Κυρίου, διὰ τοῦτο καὶ τὸ ἄκρως τίμιον κατὰ τὴν μόνωσιν ἐπαινεῖται, μίμημα ὂν ἀρχῆς τῆς μιᾶς. Τῇ γοῦν τοῦ ἑνὸς φύσει συγκληροῦται Ἐκκλησία ἡ μία, ἣν εἰς πολλὰς κατατέμνειν βιάζονται αἱρέσεις. Κατά τε οὖν ὑπόστασιν κατά τε ἐπι-

B νοιαν, κατά τε ἀρχήν, κατά τε ἐξοχήν, μόνην εἶναι φαμὲν τὴν ἀρχαίαν (54) καὶ καθολικὴν Ἐκκλησίαν, εἰς ἑνότητα πίστεως μιᾶς τῆς κατὰ τὰς οἰκείας διαθήκας, μᾶλλον δὲ κατὰ τὴν διαθήκην τὴν μίαν διαφόροις τοῖς χρόνοις ἑνὸς (55) τοῦ Θεοῦ τῷ βουλήματι δι' ἑνὸς τοῦ Κυρίου συνάγουσαν τοὺς ἤδη κατατεταγμένους, οὓς προώρισεν ὁ Θεὸς, δικαίους ἐσομένους πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐγνωκώς. Ἀλλὰ καὶ ἡ ἐξοχὴ τῆς Ἐκκλησίας, καθάπερ ἡ ἀρχὴ τῆς συστάσεως, κατὰ τὴν μονάδα ἐστὶ, πάντα τὰ ἄλλα ὑπερβάλλουσα, καὶ μηδὲν ἔχουσα ὅμοιον ἢ ἴσον ἑαυτῇ. Ταυτὶ μὲν οὖν καὶ εἰς ὕστερον· τῶν δ' αἱρέσεων αἱ μὲν ἀπὸ ὀνόματος προσαγορεύονται, ὡς ἡ ἀπὸ Οὐαλεντίνου καὶ Μαρκίωνος καὶ Βασιλείδου, κἂν τὴν Ματθίου αὐχῶσι προτάγεσθαι δόξαν· μία γὰρ ἡ

C πάντων γέγονε τῶν ἀποστόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτω δὲ καὶ ἡ παράδοσις (56)· αἱ δὲ ἀπὸ τόπου, ὡς οἱ Περατικοὶ (57)· αἱ δὲ ἀπὸ ἔθνους, ὡς ἡ τῶν Φρυ-

✠ P. 900, ED. POTTER, 767 ED. PARIS.

hunc » idem valere atque « ante hunc. » ? Neque enim Simon Magus posterior fuit Marcione. Imo diu ante Marcionem vixit, ut inter omnes constat. Sed nimirum Clemens cum a propinquioribus incipiens, hæreticorum indicem texeret, primos numeravit qui erant ultimi, et postremum omnium posuit Simonem, qui revera erat omnium primus. Eodem quoque modo locutus est Simeon Metaphrastes in Actis passionis Petri, Alexandrini episcopi, ubi Petrus in carcere positus Achillam et Alexandrum ita affatur: Μεμνῆσθαι δὲ καλὸν καὶ τοῦ μεγάλου Διονυσίου, ὃς τῇδε κακεῖσε περιὼν, Σαβελλίου μάλιστα ἐπιθεμένου καὶ πολλὰ τοῦτον λυποῦντος, οὕτω τὸν πάντα τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον διὰ Χριστὸν στενούμενος διετέλεσε· καὶ μετ' αὐτὸν Ἡρακλᾶς τε καὶ Δημήτριος οἱ μακάριοι ἐπίσκοποι, etc. Vides ut Metaphrastes, seu potius actor ex quo Metaphrastes hæc acta descripsit, Heraclam ac Demetrium episcopos ait fuisse post Dionysium, quos tamen constat prædecessores fuisse Dionysii. Sed et geographiæ scriptores, quoties terrarum situm et populorum nomina describunt, eodem loquuntur modo. Dicunt enim μετὰ τούτους εἰσὶν ἐκεῖνοι. Quod idem valet ac « supra hos siti sunt isti. » Pearsonus loco citato hæc infert: « Utrum Henrici Valesii expositio ferri possit judicent eruditi. Ego mentem Clementis ita recte exprimi posse sentio: Quod ad Marcionem enim attinet, ille quidem sub eodem imperio Adriani vixit, sub quo Basilides et Valentinus; sed cum senex esset, cum illis qui his juniores, recentiores, seu posteriores sunt, conversatus est hæreticis. » Vox enim νεωτέροις cum αὐτοῖς conjungi non debet, quasi ipso Marcione illi juniores aut posteriores fuerint: sensus omnis vocis αὐτοῖς refertur ad αὐτὴν et in voce γενόμενος finitur; νεωτέροις cum συνεγένετο arcte conjungitur eosque denotat, cum quibus Marcion tanquam discipulus conversatus est, a quibus suæ hæreseos principia quædam mutuatus est, qui quidem ipsi Basilidis et Valentini discipuli fuerunt. Ita vocem eam alibi usurpat Clemens, ut lib. I: Θάλης δὲ Φοίνιξ ὢν τὸ

D γένος καὶ τοῖς Αἰγυπτίων προφήταις συμβεβληκέναι εἴρηται· καθάπερ καὶ ὁ Πυθαγόρας αὐτοῖς γε τούτοις, Χαλδαίων τε καὶ μάγων τοῖς ἀρίστοις συνεγένετο. Ubi συμβεβληκέναι et συγγενέσθαι idem. Ita optime Clementi cum veteribus convenit.]

(53) Ὑπήκουσεν. Ἐπήκουσεν scribendum esse arbitratur Dodwellus loco jam dicto.

(54) *Φαμὲν τὴν ἀρχαίαν.* Ms. Paris. φαμέν, ἡ ἀρχαίαν.

(55) *Ἑνός.* Pro ἑνός Flor. perperam habet ἐν οἷς: ut etiam Herveti versio, « in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos q. » SYLBURG.— Ἐν οἷς habet etiam ms. Paris.

(56) *Παράδοσις.* Respicit apocryphas Matthiæ παραδόσεις, de quibus supra p. 748, edit. Paris.

(57) *Περατικοί.* Spencerus in Origenis lib. VI, p. 294, adnotat Peraticorum hæresin fuisse, quam invenit Peraticus Euphrates: de quo agit Theodoretus lib. I *De hær. fab.* in Peratis.

Digitized by Google

γῶν (58)· αἱ δὲ ἀπὸ ἐνεργείας, ὡς ἡ τῶν Ἐγκρατιῶν (59)· αἱ δὲ ἀπὸ δογμάτων ἰδιαζόντων, ὡς ἡ τῶν Δοκιτῶν (60) καὶ Αἱματιτῶν· αἱ δὲ ἀπὸ ὑποθέσεων, καὶ ὧν τετιμήκασιν, ὡς Καϊνισταί (61) τε καὶ οἱ Ὀφιανοὶ (62) προσαγορευόμενοι· αἱ δὲ ἀφ' ὧν παρανόμως ἐπετήδευσάν τε καὶ ἐτόλμησαν, ὡς τῶν Σιμωνιανῶν οἱ Ἐντυχῖται (63) καλούμενοι.

A matitarum; aliæ autem ex positionibus, et iis quæ ipsæ honorarunt, ut qui appellantur Caianistæ et Ophiani; aliæ vero ex iis quæ nefarie ausæ sunt et perpetrarunt, ut qui ex Simonianis vocantur Entychitæ.

CAPUT XVIII.

Ex mystico sensu legis de mundis et immundis animalibus, Judæos et hæreticos ab Ecclesia distingui posse ostendit.

Ὅπην οὖν τινα ὀλίγην ὑποδείξαντες τοῖς φιλοθεάμοσι τῆς Ἐκκλησίας, ἐκ τοῦ κατὰ τὰς θυσίας νόμου, περί τε Ἰουδαίων τῶν χυδαίων, περί τε τῶν αἱρέσεων μυστικῶς διακρινομένων, ὡς ἀκαθάρτων ἀπὸ B τῆς περὶ καθαρῶν καὶ ἀκαθάρτων ζώων θείας Ἐκκλησίας (64), καταπαύσωμεν τὸν λόγον. Τὰ μὲν γὰρ διχηλοῦντα (65) καὶ μηρυκισμὸν ἀνάγοντα, τῶν ἰε-

Nos autem ubi iis qui in Ecclesia spectandi tenentur desiderio, ex lege de sacrificiis, tum de Judæis vulgaribus, tum de hæresibus quæ mystice discernuntur, tanquam immundæ, ex divina mundorum et immundorum animalium distinctione, parvum quoddam foramen ostenderimus, finiemus orationem. Quæ enim sunt fissis ungulis et rumi-

(58) *Φρυγῶν*. Nempe a Phrygia : unde οἱ κατὰ Φρύγας, « Cataphryges, » vulgo dicti.

(59) *Ἐγκρατιῶν*. Sic Flor. et Sylburg. Ἐγκρατιτῶν habent recentiores editiones. Sed verior lectio est Ἐγκρατητῶν. His autem hæreticis nomen inditum est quod nimiam præciperent ἐγκράτειαν, a nuptiis scilicet, animantium esu, etc.

(60) *Δοκιτῶν*. Scribendum potius Δοκητῶν. Nam eos, qui Christum δοκήσει, « specie » sola humanam naturam induisse docebant, Δοκητὰς dictos fuisse, omnibus notum est.

(61) *Καϊνισταί*. Hi Καϊνοὶ dicti sunt ab Epiphanio hæres. 38. Καϊνοὶ a Theodoreto *Hæret. fab.* lib. I, c. 38. Irenæus lib. I, c. 35, nominis rationem C indicat : « Alii autem rursus Cain a superiori principalitate ducunt, et Esau et Core, et Sodomitas; et omnes tales cognatos suos confitentur; et propter hoc a factore impugnatos, neminem ex eis male acceptos. » Tertullianus *De præscript. hæretic.* c. 47 : « Nec non etiam erupit alia quoque hæresis, quæ dicitur Cainæorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiore virtute conceptum, procreatum : et ideo inferiorem repertum. Hi qui hoc asserunt, etiam Judam proditorem defendunt. »

(62) *Ὀφιανοί*. Ophitas vocant Epiphanius hæres. 37, et Theodoretus *Hæret. fab.* lib. I, ut etiam Tertullianus loco jam dicto : « Accesserunt his, hæretici etiam illi, qui Ophitæ nuncupantur. Nam serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo præferant. Ipse enim, inquiunt, scientiæ nobis boni et mali originem dedit. Hujus animadvertens potentiam et majestatem Moyses, inquiunt, æreum posuit serpentem; et quicunque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. Ipse, aiunt præterea, Christus in Evangelio imitatur serpentis ipsius sacram potestatem, dicendo : Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Ipsum introducunt ad benedicenda eucharistia sua. » Conf. Irenæus lib. I, sub finem cap. 34 : Origenes *in Celsum* lib. III, principio, aliique plures.

(63) *Ἐντυχῖται*. Ἐντυχητὰς hos hæreticos vocare videtur Theodoretus in Simone lib. I *Hæret. fab.* Ἐκ τῆσδε τῆς πικροτάτης ἀνεφύησαν ῥίζης Κλεοβανοί, Δοσιθεανοί, Γορθηνοί, Μασβόθεοι, Ἀδριανισταί, Ἐντυχηταί, Κανισταί. « Ex hac amarissima radice orti sunt Cleobani, Dositheani, Gortheni, Mashothei, Adrianistæ, Entychetæ, Canistæ. »

(64) *Ἐκ τοῦ κατὰ τὰς θυσίας νόμου... θείας Ἐκκλησίας*. Locus perturbatus, qui ita restitui potest : Ἐκ τοῦ κατὰ τὰς θυσίας νόμου περὶ καθαρῶν καὶ ἀκαθάρτων ζώων, ὡς Ἰουδαίων τῶν χυδαίων, καὶ αἱρέσεων μυστικῶς διακρινομένων ἀπὸ τῆς θείας Ἐκκλησίας. Lowth.

(65) *Τὰ μὲν γὰρ διχηλοῦντα*. Hæc sumpsit Clemens ex Irenæi lib. V, c. 8. « Prædixit autem figuraliter omnia hæc lex, de animalibus delineans hominem; quæcunque duplicem ungulam habent et ruminant, munda enuntians; quæcunque autem vel utrumque vel alterum horum non habent, velut immunda segregans. Qui sunt ergo mundi? Qui in Patrem et Filium similiter iter firmiter faciunt; hæc est enim firmitas eorum, qui duplicis sunt ungulæ : et eloquia Dei meditantur die ac nocte, uti operibus bonis adornentur; hæc est enim ruminantium virtus. Immunda autem quæ neque duplicem ungulam habent, neque ruminant, hoc est, qui neque in Deum fidem habent, neque eloquia ejus meditantur; hæc autem ethnicorum est abominatio. Quæ autem ruminant quidem, non habent autem ungulam duplicem, et ipsa immunda, hæc Judæorum est imaginalis descriptio : qui quidem eloquia Dei in ore habent, stabilitatem autem radicis suæ non infingunt in Patre et in Filio : propter hoc autem et lubricum est genus ipsorum. Etenim quæ sunt unius ungulæ animalia facile labuntur; firmiora autem sunt quæ duplicem quidem ungulam habent, succedentibus invicem ungulis fissis secundum iter, et altera ungula subbajulat aliam. Immunda autem similiter, quæ duplicem ungulam habent, non autem ruminant; hæc est autem omnium videlicet hæreticorum ostensio, et eorum qui non meditantur eloquia Dei, neque operibus justiD tiæ adornantur, quibus et Dominus ait : « Quid mihi « dicitis : Domine, Domine, et non facitis quæ dico « vobis? » Qui enim sunt tales, in Patrem quidem et Filium dicunt se credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet, neque justitiæ operibus sunt adornati; sed quemadmodum prædiximus, porcorum et canum assumpserunt vitam, immunditiæ, et gulæ, et reliquæ incuriæ semetipsos tradentes. Juste igitur tales omnes, qui propter suam incredulitatem et luxuriam non adipiscuntur divinum Spiritum, et variis characteribus ejiciunt se vivificans Verbum, et in suis concupiscentiis irrationaliter ambulant, Apostolus quidem carnales et animales vocavit; prophetæ autem jumenta et feras dixerunt; consuetudo autem pecora et irrationabiles interpretata est; lex autem immundos enuntiavit. » Conf. supra *Pædag.* lib. III, cap. 11, p. 297, n. 15.

Digitized by Google

nant, hostias esse mundas et Deo acceptas tradit Scriptura, utpote quod justi per fidem iter ingrediantur ad Patrem et ✠ Filium. Hæc est enim stabilitas eorum quorum fissæ sunt ungulæ, qui Dei eloquia diu noctuque méditantur et ruminant in animæ disciplinarum receptaculo : quam etiam gnosticam exercitationem, mundi animalis rumination, dicit lex allegorice. Quæ autem neque utrumque, neque ex iis habent alterum, secernit ut immunda. Ac quæ ruminant quidem, bifidam autem non habent ungulam, vulgus Judæorum tacite significant; qui eloquia quidem Dei habent in ore, fidem autem et basin non habent, quæ transmittit ad Patrem per Filium, et innititur veritati [a]. Unde etiam ejusmodi genus animantium labile est, ut quorum pedes minime sunt bifidi, neque duplicitati fidei innituntur. « Nemo enim, » inquit, « cognoscit Patrem nisi Filius, et cui Filius revelaverit [b]. » Rursus autem illa quoque contra sunt similiter immunda, quæ bifidas habent ungulas, minime autem ruminant. Hæc enim indicant hæreticos, qui ingrediuntur quidem in nomine Patris et Filii, accuratam autem eloquiorum declarationem subtiliter exprimere, et in tenues partes comminuere nequeunt, et justitiæ opera paulo crassius, non autem accuratius et subtilius obeunt, si modo obeunt. Iis qui sunt tales dicit Dominus : « Cur mihi dicitis : Domine, Domine, et non facitis quæ dico [c] ? » Sunt autem omnino immundi, qui nec bifidas habent ungulas neque ruminant.

A ρείων, καθαρὰ καὶ δεκτὰ τῷ Θεῷ παραδίδωσιν ἡ Γραφή, ὡς ἂν εἰς Πατέρα καὶ εἰς Υἱὸν διὰ τῆς πίστεως τῶν δικαίων τὴν πορείαν ποιουμένων· αὕτη γὰρ ἡ τῶν διχηλούντων ἐδραιότης, τῶν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν μελετώντων (66) καὶ ἀναπεμπαζομένων ἐν τῷ τῆς ψυχῆς τῶν μαθημάτων δοχείῳ· ἣν καὶ συνάσκησιν γνωστικὴν ὑπάρχουσαν καθαροῦ ζώου μηρυκισμὸν ὁ νόμος ἀλληγορεῖ. Ὅσα δὲ μήτε ἑκάτερον, μήτε τὸ ἕτερον τούτων ἔχει, ὡς ἀκάθαρτα ἀφορίζει. Αὐτίκα τὰ ἀνάγοντα μηρυκισμὸν, μὴ διχηλοῦντα δὲ, τοὺς Ἰουδαίους αἰνίσσεται τοὺς πολλούς· οἱ τὰ μὲν λόγια τοῦ Θεοῦ ἀνὰ στόμα ἔχουσι, τὴν δὲ πίστιν καὶ τὴν βάσιν δι' Υἱοῦ πρὸς τὸν Πατέρα παραπέμπουσαν οὐκ ἔχουσιν ἐπερειδομένην τῇ ἀληθείᾳ· ὅθεν καὶ ὀλισθηρὸν τὸ γένος B τῶν τοιούτων θρεμμάτων, ὡς ἂν μὴ σχιδανοπόδων ὄντων, μηδὲ τῇ διπλόῃ τῆς πίστεως ἐπερειδομένων· « Οὐδεὶς (67) γὰρ, φησὶ, γινώσκει τὸν Πατέρα, εἰ μὴ ὁ Υἱὸς καὶ ᾧ ἂν ὁ Υἱὸς ἀποκαλύψῃ. » Ἐμπαλίντες ἂν ἀκάθαρτα ὁμοίως κἀκεῖνα, ὅσα διχηλεῖ μὲν, μηρυκισμὸν δὲ οὐκ ἀνάγει. Ταυτὶ γὰρ τοὺς αἱρετικοὺς ἐνδείκνυται, ὀνόματι μὲν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ ἐπιβεβηκότας, τὴν δὲ τῶν λογίων ἀκριβῆ σαφήνειαν λεπτουργεῖν καὶ καταλεαίνειν ἐξασθενοῦντας, πρὸς δὲ καὶ τὰ ἔργα τῆς δικαιοσύνης ὀλοσχερέστερον, οὐχὶ δὲ ἀκριβέστερον μετερχομένους, εἴ γε καὶ μετέλθοιεν. Τοιούτος τισὶν ὁ Κύριος λέγει, « Τί με λέγετε (68) Κύριε, Κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω; » Ἀκάθαρτοι δὲ πάμπαν οἱ μὴ διχηλοῦντες, μηδὲ ἀνάγοντες μηρυκισμόν.

Vos autem, Megarenses, inquit Theognis, **326**
neque tertii, neque quarti,
Neque duodecimi estis, neque in ratione, nec numero,

C Ὑμεῖς (69) δ', ὦ Μεγαρεῖς (φησὶν ὁ Θέογνις), οὔτε [τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ,

« sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ [d], et tanquam stilla a cado [e]. » His a nobis prætractatis, locoque morali nobis summatim sparsimque descripto, ut sumus polliciti, iisque quæ ad veram excitant cognitionem, hic et illic inspersis dogmatibus, ut a quolibet eorum qui mysteriis non sunt initiati, non facile possint inveniri sanctæ traditiones, aggrediamur quod sumus polliciti. Sunt autem libri *Stromatum* utique similes, non illis elaboratis hortis in quibus sunt arbores et

« ἀλλ' ἢ ὡς (70) ὁ χνοῦς, ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, καὶ ὡς σταγὼν ἀπὸ κάδου. » Τούτων ἡμῖν προδιηνυσμένων, καὶ τοῦ ἠθικοῦ τρόπου (71) ὡς ἐν κεφαλαίῳ ὑπογραφέντος σποράδην (72), ὡς ὑπεσχήμεθα, καὶ διερριμμένως τὰ ζώπυρα τῶν τῆς ἀληθοῦς γνώσεως ἐγκατασπειράντων δόγματα, ὡς μὴ ῥᾴδιαν εἶναι τῷ περιτυχόντι τῶν ἀμυήτων τὴν τῶν ἁγίων παραδόσεων εὕρεσιν, μετίωμεν ἐπὶ τὴν ὑπόσχεσιν. Ἐοίκασι δέ πως οἱ *Στρωματεῖς* οὐ παραδείσοις ἐξησκημένοις, ἐκείνοις τοῖς ἐν στοιχείῳ κατα-

✠ P. 901, ED. POTTER. [a] Levit. II, 4; Deut. XIV, 3 seq. [b] Luc. X, 22. [c] Luc. VI, 46. [d] Psal. I, 4. [e] Isa. XL, 15.

(66) *Μελετώντων*. Respicit Psal. I, 2 : Ἀλλ' ἢ ἐν τῷ νόμῳ Κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ νόμῳ αὐτοῦ μελετήσει ἡμέρας καὶ νυκτός.

(67) Οὐδείς. Luc. X, 22 : Οὐδεὶς γινώσκει τίς ἐστιν ὁ Υἱὸς εἰ μὴ ὁ Πατὴρ, καὶ τίς ἐστιν ὁ Πατὴρ εἰ μὴ ὁ Υἱὸς, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ Υἱὸς ἀποκαλύψαι.

(68) *Τί με λέγ*. Luc. VI : Τί με καλεῖτε Κύριε Κ. nulla sensus variatione. A. SYLBURG.

(69) *Ὑμεῖς*. Theocriti scholiastes epigramma profert ab Apollinis oraculo Megarensibus redditum, unde hæc duo sunt hexam. :

Ὑμεῖς δ', ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

At vos nec recipit, Megarenses, tertius ordo,
Non quartus, neque bissenus, neque denique vestri
Ulla usquam ratio est, nusquam numerusve, locusve.

D Apud Theocritum tale quid reperitur. Theognidis vero elegi tantum exstant. Vide Proverbiorum chiliadas. Subjicit iis Clemens duo loca ex sacris Literis, quorum alter est Isa. XL, 15 : « Ecce gentes quasi stilla situlæ. » Tertullianus *adversus Judæos* : « Ne Israel adhuc superbias, quod gentes velut stillicidium situlæ, aut pulvis ex area deputentur. » Vide p. 536, 542. COLLECT.

(70) Ἀλλ' ἢ ὡς. Conf. supra *Strom.* VI, p. 795, not.

(71) *Ἠθικοῦ τρόπου*. Aptius interpres ἠθικοῦ τόπου, « loco morali. »

(72) *Ἐν κεφαλαίῳ ὑπογραφέντος σποράδην*. Photius hæc citans, ἐν κεφαλαίοις ὑπογραφέντος σποράδην τε. Idem mox μαθήματα substituit pro δόγματα.

Digitized by Google

πεφυτευμένοις (73) εἰς ἡδονὴν ὄψεως· ὄρει δὲ μᾶλλον συσκίῳ τινὶ καὶ δασεῖ, κυπαρίσσοις καὶ πλατάνοις, δάφνῃ τε καὶ κισσῷ, μηλέαις τε ὁμοῦ καὶ ἐλαίαις, καὶ συκαῖς καταπεφυτευμένῳ, ἐξεπίτηδες ἀναμεμιγμένης τῆς φυτείας καρποφόρων τε ὁμοῦ καὶ ἀκάρπων δένδρων, διὰ τοὺς ὑφαιρεῖσθαι καὶ κλέπτειν τολμῶντας τὰ ὥρια, ἐθελούσης λανθάνειν τῆς Γραφῆς. Ἐξ ὧν δὴ μεταμοσχεύσας καὶ μεταφυτεύσας ὁ γεωργὸς, ὡραῖον κατακοσμήσει παράδεισον, καὶ ἄλσος ἐπιτερπές. Οὔτ' οὖν τῆς τάξεως οὔτε τῆς φράσεως στοχάζονται οἱ *Στρωματεῖς*· ὅπου γε ἐπίτηδες καὶ τὴν λέξιν οὐχ Ἕλληνες εἶναι βούλονται (74), καὶ τὴν τῶν δογμάτων ἐγκατασπορὰν λεληθότως, καὶ οὐ κατὰ τὴν ἀλήθειαν πεποίηνται, φιλοπόνους καὶ εὑρετικοὺς εἶναι τοὺς εἴ τινες τύχοιεν (75) παρασκευάζοντες. Πολλὰ γὰρ τὰ δελέατα καὶ ποικίλα διὰ τὰς τῶν ἰχθύων διαφοράς. Καὶ δὴ μετὰ τὸν ἕβδομον τοῦτον ἡμῖν *Στρωματέα*, τῶν ἐξῆς ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ποιησόμεθα τὸν λόγον.

A plantæ in certum ordinem ad delectandos oculos digestæ: sed alicui potius spisso et umbroso monti, in quo simul sunt plantatæ cupressi et platani, laurus et hedera, mali et oleæ et ficus, ita ut de industria ✠ fertilium simul et non fertilium plantæ arborum sint commistæ: cum propter eos, qui quæ sunt pulchra et matura subripiunt et suffurantur, latere velit Scriptura. Ex quibus cum viviradices sumpserit, et alibi inseruerit agricola, pulchrum hortum efficiet et nemus amœnum. Neque ergo ordinem, neque dictionem spectant libri *Stromatum*; cum etiam Græci de industria nolint adesse ornatum dictionis, et latenter, non ut rei jubet natura, dogmata inserant: hoc agentes ut si qui eorum scripta legant, sint laboriosi et acres ad inveniendum. Sunt enim multæ et variæ escæ propter multas piscium differentias. Atque adeo post hunc septimum librum *Stromatum*, de iis quæ deinceps sequuntur, aliud sumemus exordium.

ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ ΤΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΣΤΡΩΜΑΤΕΩΝ

ΛΟΓΟΣ ΟΓΔΟΟΣ (76).

CLEMENTIS ALEXANDRINI STROMATUM

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Oportet omnes qui se tum philosophicis, tum theologicis quæstionibus exercent, id agere ut certum aliquod inveniant.

Ἀλλ' οὐδὲ οἱ παλαίτατοι τῶν φιλοσόφων ἐπὶ τὸ ἀμφισβητεῖν καὶ ἀπορεῖν ἐφέροντο, ἦπού γ' ἂν ἡμεῖς, οἱ τῆς ὄντως ἀληθοῦς ἀντεχόμενοι φιλοσο-

C ✠ Sed neque antiquissimi philosophi ad contendendum ferebantur et ad dubitandum, nedum nos qui amplectimur eam quæ vere est philosophiam:

913 per errorem.

✠ P. 902, ED. POTTER. ✠ P. 903 ED. POTTER, 768 ED. PARIS.

(73) *Ἐν στοιχείῳ καταπεφυτ.* Aptius interpres ἐν στοίχῳ, ut Pausanias: Δένδρα ἐπὶ στοίχῳ, et Virgilius eclog. 1:

Pone ordine vites.

SYLBURG.

(74) *Ὅπου γε ἐπίτηδες καὶ τὴν λέξιν οὐχ Ἕλληνες εἶναι βούλονται.* Scribe: Ὅπου γε ἐπίτηδες καὶ τὴν λέξιν οὐχ ὡραίαν Ἕλληνες εἶναι βούλονται. HEINSIUS.

(75) *Εἴ τινες τύχοιεν.* Rectius forte ἐντύχοιεν, « inciderint, legerint: » vel, οἵτινες ἂν τύχοιεν, « quicunque fuerint. » SYLBURG.

(76) *Κλήμεντος λόγ.* Certissimum est hunc librum nihil cum reliquis commune habere. Ideo notat Photius, septem *Stromateωn* libros, τὴν αὐτὴν ἔχειν ἐπιγραφὴν, καὶ ἐνιαίους τυγχάνειν ἐν ἅπασι τοῖς βιβλίοις, τὸν μὲν ὄγδοον διάφορόν τε εἶναι καὶ τῇ ἐπιγραφῇ καὶ τῷ ἐδάφει· id est, « eamdem esse omnibus inscriptionem, uniformes quoque esse omnes: cæterum qui numero octavus

Digitized by Google

✠ quos aperte inventionis causa ad perscrutandum quærere jubet Scriptura. Recentiores autem Græcorum philosophi, inani laudis cupiditate commoti, refellendo simul et contendendo, ad nugas deducuntur inutiles. Contra autem barbara philosophia, omnem expellens contentionem : « Quærite, » inquit, « et invenietis; pulsate, et aperietur; petite, et dabitur vobis [a]. » Atque pulsat quidem per inquisitionem, quæ per interrogationem et responsionem instituitur oratio, veritatis fores, juxta id quod apparet. Aperto autem per scrutationem eo quod est impedimento, ingeneratur contemplatio scientifica. Iis qui sic pulsant aperitur, ut opinor, id quod quæritur. Et iis qui sic petunt interrogationes secundum Scripturas, Deus cognitionem divinitus profectam comprehensivam, quo quidem contendunt, donat inquisitione vere lucem præbente. Non enim fieri quidem potest ut quis inveniat, non autem quærat : neque ut quærat quidem, non autem perscrutetur : neque ut perscrutetur, non autem explicet et aperiat per interrogationem, ad evidentiam deducens id quod quæritur : neque ut rursus per accuratum aliquis procedens examen,

A φίας, οὓς ἄντικρυς (77) ἡ Γραφὴ εὑρέσεως χάριν ἐπὶ τὸ διερευνᾶσθαι (78) τὸ ζητεῖν παρεγγυᾷ· οἱ μὲν γὰρ νεώτεροι τῶν παρ' Ἕλλησι φιλοσόφων, ὑπὸ φιλοτιμίας κενῆς τε καὶ ἀτελοῦς, ἐλεγκτικῶς ἅμα καὶ ἐριστικῶς εἰς τὴν ἄχρηστον ἐξάγονται φλυαρίαν· ἔμπαλιν δὲ ἡ βάρβαρος φιλοσοφία, τὴν πᾶσαν ἔριν ἐκβάλλουσα, « Ζητεῖτε, εἶπε, καὶ εὑρήσετε· κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν· αἰτεῖσθε (79), καὶ δοθήσεται ὑμῖν. » Κρούει μὲν οὖν κατὰ τὴν ζήτησιν ὁ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν λόγος, τὴν θύραν τῆς ἀληθείας κατὰ τὸ φαινόμενον· διοιχθέντος δὲ τοῦ ἐμποδὼν κατὰ τὴν ἔρευναν, ἐπιστημονικὴ ἐγγίνεται θεωρία. Τοῖς οὕτως, οἶμαι, κρούουσιν, ἀνοίγνυται τὸ ζητούμενον. Καὶ τοῖς οὕτως αἰτοῦσι τὰς πεύσεις κατὰ τὰς Γραφάς, ἐφ' ὃ βαίνουσιν, ἐκ τοῦ Θεοῦ γί-
B νεται ἡ δόσις τῆς θεοδωρήτου γνώσεως καταληπτικῶς, διὰ τῆς λογικῆς ὄντως ἐκλαμπούσης ζητήσεως. Οὐ γὰρ εὑρεῖν μὲν οἷόν τε, μὴ ζητῆσαι δέ· οὐδὲ ζητῆσαι μὲν (80), οὐχὶ δὲ διερευνήσασθαι· οὐδὲ (81) διερευνήσασθαι μέν, οὐχὶ δὲ διαπτύξαι καὶ ἀνα-πετάσαι δι' ἐρωτήσεως εἰς σαφήνειαν ἄγοντα τὸ ζητούμενον· οὐδ' αὖ διὰ πάσης ἐξετάσεως χωρήσαντα, μὴ οὐχὶ λοιπὸν ἔπαθλον λαβεῖν τὴν ἐπιστήμην τοῦ

✠ P. 904 ED. POTTER, 769 ED. PARIS. [a] Matth. VII, 7; Luc. XI, 9.

est, et titulo a reliquis differre et subjecto. » Quanquam enim variis in reliquis utatur digressionibus, cum προηγουμένως de perfectione agat gnostici, tamen totum saltem argumentum est theologicum, et ad eumdem tendit finem. At vero totus hic liber est logicus. Primo enim omnium de definitione, postremo agitur de causis. Quod ad inscriptionem, notat idem patriarcha, titulum in exemplaribus nonnullis hujus libri fuisse : Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος; qua inscriptione ac titulo Eusebius et Hieronymus peculiarem librum fuisse scriptum a Clemente observant. In aliis : Στρωματεὺς ὄγδοος. Sed et initium fuisse diversum, idem notat. In aliis : Οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους. In aliis : Ἀλλ' οὐδὲ οἱ παλαίτατοι. Quid ergo? An ætate Photii idem prorsus hujus libri, quod nunc est, fuit subjectum? Ne hoc quidem persuadere mihi possum. Quo pacto enim? Nam cum idem auctor multis adnotasset, plurimas in ejus *Hypotyposibus* exstare blasphemias, quas Rufinus alibi fuisse ab hæreticis horrendum in modum depravatas notat, tandem addit, in octavo quoque hoc libro esse hæreses nonnullas, non quidem tot tantasque quot in illis, sed tamen quasdam quoque quæ in illis fuerant sententias defendi : quæ a sana et recepta ab omnibus doctrina aberrarent. Quas hic frustra D quæret lector. Non minus sane quam in libris Aristotelis, qui *Organi* nunc nomine inscribuntur. Ex hoc libro, seu fragmento potius (nam est nobilissimum profecto) apparet, quam diversa fuerint librorum hujus viri fata : quantumque in iis sibi male feriati homines, sicut et οἱ ἑτεροδοξοῦντες, permiscerint. Ante omnia qui legit Photium, non dubitabit, quin octavus *Stromateon*, ut subjecto a reliquis diversus, ita illa quoque ætate multa cum *Hypotyposibus* communia habuerit. Hi autem libri, quemadmodum inscriptio nos docet, doctrinæ Christianæ institutionem aut delineationem continebant. Non tam ἐμμέθοδον καὶ δογματικὴν καὶ ἔντεχνον, quam liberam et nullis legibus constrictam. Nam diversos ex sacris Litteris interpretabatur locos, ut Eusebius et Photius nos docent : e quibus sine dubio doctrinæ corpus colligebat. In iisdem libris, non est dubitandum, quin τὴν προ-

παιδείαν tractaverit. Quemadmodum notatur de Origene. Ita eas artes vocabant, quarum scientia majori scientiæ, religioni nimirum Christianæ, præmittebatur. Quarum princeps est logica. Ita Sextus Empiricus in iis libris quas Ὑποτυπώσεις inscripsit, ut informet scepticum, et doceat C quo pacto oppugnare debeat dogmaticos, libro secundo, quidquid est logicum examinat. Ibi enim agit de criterio, de veritate et vero, quæ a Stoicorum dialecticis præmittebantur : tum de demonstratione, de syllogismis et inductione, definitione, et divisione, de generibus et speciebus, aliisque quæ in ea parte a dogmaticis traduntur. Postremo et de sophismatibus. Eodem modo Clemens non est dubitandum quin in suis *Hypotyposibus* idem fecerit, et ex illis libris hoc fragmentum sit desumptum : cui tempore Photii nonnulla ex iisdem libris parum sana adhæserunt, quæ aut logicis inspersa fuerunt, εἰς παράδειγμα, aut quæ postea præceptis prius traditis accommodarat. Librum integrum non esse, satis moles reliquorum evincit. Quo pacto autem reliquis conveniat non capio. Quanquam in fine septimi, ait se ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ποιήσεσθαι τὸν λόγον. Quod fecisse eum notat Photius, et tamen theologica tractasse. Quo pacto enim non θεολογικά, si ἑτερόδοξα, si impura, si hæretica? Quare puto diu esse, cum amissus est octavus *Stromateon*. Nunc autem partem *Hypotyposeon* ejus locum invasisse. HEINSIUS.

(77) *Οὓς ἄντ.* Ms. Paris. οἷς ἄντ.

(78) *Διερευνᾶσθαι τὸ ζητεῖν.* Interpres vulg. lectionem retinet, « ad perscrutandum quærere jubet, » omisso articulo : sed rectius opinor, διερευνᾶσθαι καὶ ζητεῖν, « ad perscrutandum et quærendum. » SYLBURG.

(79) *Αἰτεῖσθε.* Αἰτεῖτε habet uterque evangelista; et apud utrumque, hoc membrum primo loco ponitur.

(80) *Ζητῆσαι μ. . . . διαπτύξαι.* Ms. Paris. ζητῆσαι μὲν, οὐχὶ δὲ ἐρευνήσασθαι· οὐχὶ δὲ διερευνήσασθαι μέν· οὐχὶ διαπτύξαι.

(81) *Διερευνήσασθαι· οὐδέ.* Hæc desunt in Florent. edit. SYLBURG.

Digitized by Google

ζητουμένου. Ἀλλ' ἔστι μὲν εὑρεῖν τὸν ζητήσαντα· ζητῆσαι δὲ, εἰ οἰηθείη πρότερον μὴ εἰδέναι. Ἡόθῳ δὴ ἐντεῦθεν ἀγόμενος πρὸς τὴν εὕρεσιν τοῦ καλοῦ, εὐγνωμόνως ζητεῖ, ἀφιλονείκως, ἀφιλοδόξως, ἐρωτώμενος καὶ ἀποκρινόμενος, πρὸς δὲ, καὶ αὐτὰ ἐπισκεπτόμενος τὰ λεγόμενα. Ἐχομένους γὰρ καθήκει, οὐ μόνον τῶν Γραφῶν τῶν θείων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐννοιῶν τῶν κοινῶν τὰς ζητήσεις ποιεῖσθαι, εἴς τι πέρας ὠφέλιμον τῆς εὑρέσεως καταληγούσης. Ἐκδέχεται γὰρ ἄλλος τόπος τε καὶ ὄχλος τοὺς ταραχώδεις τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς ἀγοραίους εὐρησιλογίας· τὸν δὲ καὶ ἀληθείας (82) ἐραστήν τε ἅμα καὶ γνώριμον, εἰρηνικὸν εἶναι κἀν ταῖς ζητήσεσι προσῆκεν, δι' ἀποδείξεως ἐπιστημονικῆς ἀφιλαύτως καὶ φιλαληθῶς εἰς γνῶσιν προσιόντα καταληπτικήν.

A non deinceps accipiat præmium, videlicet scientiam ejus quod quæritur. Sed ejus quidem est invenire qui quæsierit: quærere autem ejus, qui prius existimaverit se nescire. Hinc autem ductus desiderio ad id quod pulchrum est inveniendum, benigne quærit, citra contentionem et citra gloriæ cupiditatem, interrogando et respondendo, et ea etiam quæ dicuntur considerando. Oportet enim non solum eos, qui ad divinas se applicant Scripturas, sed eos etiam qui communes sequuntur notiones, ita proponere quæstiones ut in finem aliquem utilem desinat inventio. Turbulentos enim homines, et forenses sermonum inventiones, alius excipit locus et alia turba: eum autem, qui veritatis simul est amator et discipulus, oportet esse pacificum, et in inquisitionibus per demonstrationem scientificam, et sine nimio amore sui, tantum veritatis amantem, accedere ad comprehensivam cognitionem.

CAPUT II.

Quod antea dixerat, eos qui philosophiæ aut theologiæ operam dant, id agere debere ut certum aliquod invenant, illud obtineri posse ait primum claris et perspicuis tam rerum quam nominum definitionibus.

Τίς ἂν οὖν ἄλλη βελτίων ἢ ἐναργεστέρα (83) μέθοδος εἰς ἀρχὴν τῆς τοιᾶσδε εἴη ἂν διδασκαλίας, ἢ τὸ προταθὲν ὄνομα λόγῳ διελθεῖν οὕτω σαφῶς, ὡς πάντας ἀκολουθῆσαι τοὺς ὁμοφώνους; Ἆρ' οὖν τοιοῦτόν ἐστιν ὄνομα τῆς ἀποδείξεως, οἷόν περ τὸ *βλίτυρι* (84), φωνὴ μόνον, οὐδὲν σημαίνουσα; Καὶ πῶς (85) οὔθ' ὁ φιλόσοφος, οὔθ' ὁ ῥήτωρ, ἀλλ' οὐδὲ ὁ δικαστὴς, ὡς ἄσημον ὄνομα προφέρεται τὴν ἀπόδειξιν (86), οὔτε τις τῶν δικαζομένων ἀγνοεῖ τὸ σημαινόμενον, ὅτι οὐχ ὑπάρχει; Αὐτίκα ὡς ὑποστατὸν πορίζονται τὴν ἀπόδειξιν οἱ φιλόσοφοι, ἄλλος ἄλλως. Περὶ παντὸς τοίνυν τοῦ ζητουμένου εἴ τις ὀρθῶς διαλαμβάνοι, οὐκ ἂν ἐφ' ἑτέραν ἀρχὴν ὁμολογουμένην μᾶλλον ἀναγάγοι τὸν λόγον, ἢ τὸ πᾶσι τοῖς ὁμοεθνέσι τε καὶ ὁμοφώνοις ἐκ τῆς προσηγορίας ὁμολογούμενον σημαίνεσθαι. Εἶτα ἐντεῦθεν ὁρμηθέντα ζητεῖν ἀνάγκη, εἰ ὑπάρχει τὸ σημαινόμενον τοῦ τόπου ὁ λόγος (87), εἴτε καὶ μή· ἐφεξῆς δὲ, εἴπερ ὑπάρχειν δειχθείη, ζητητέον τούτου τὴν φύσιν ἀκριβῶς, ὁποία τίς ἐστιν, καὶ (88) μή ποτε ὑπερβαίνει τὴν δοθεῖσαν τάξιν. Εἰ δ' οὐκ ἀρκεῖ τοῦτο μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν περὶ τοῦ ζητουμένου τὸ δόξαν (ἔξεστι γὰρ καὶ τὸν ἀντικαθιστάμενον ἐπίσης ἀνταποφήνα-

B Quænam ergo erit alia melior aut evidentior methodus ad principium talis doctrinæ, quam ut nomen propositum tam aperte definitione persequatur, ut id assequantur quicunque eadem lingua utuntur? Estne demonstrationis ergo nomen ejusmodi ✠ cujusmodi est *blityri*, vox solum, nihil significans? Quare igitur neque philosophus, neque orator, sed neque judex, tanquam nomen nihil significans, profert demonstrationem, neque aliquis ex iis qui judicio contendunt, ignorat non exsistere, id quod significatur? Jam vero philosophi demonstrationem, tanquam rem quæ vere aliquo modo subsistit, quærunt. De quavis ergo re quæsita si quis recte tractare velit, non ad aliud principium quod sit magis extra controversiam potius deducet C orationem, quam ad id quod quicunque sunt ejusdem gentis et sermonis, ex appellatione fatentur significari. Deinde ab eo progrediendo, necesse est quærere, exsistat necne id quod oratione significatur. Deinde, si esse fuerit ostensum, accurate quærendum est qualis sit ejus natura, et num ordinem datum superet. Si autem **327** non sufficit id solum quod visum est, absolute dicere de eo quod

✠ P. 905 ED. POTTER, 770 ED. PARIS.

(82) *Τὸν δὲ καὶ ἀληθείας*. Forte rectius τὸν δὲ τῆς ἀληθείας. SYLBURG. Hanc correctionem firmat Ms. Paris.

(83) *Ἐναργεστέρα*. Flor., ἐνεργεστάτη, perperam superlativo pro comparativo supposito. SYLBURG. — Ἐνεργεστάτη Ms. Paris.

(84) *Βλίτυρι*. Vel βλήτυρι, adhiberi solet ut exemplum vocis nihil significantis: Παραπλήρωμα λόγων μὴ ἐχόντων λόγον vocat Suidas v. βλήτυρι. Scribitur etiam βλίτρι. Laertius *Lenone* lib. VII, sect. 57, tradit λόγον et λέξιν differre, ὅτι λόγος ἀεὶ σημαντικός ἐστι, λέξις δὲ καὶ ἀσήμαντος, ὡς ἡ *βλίτρι*· « quod λόγος semper aliquid significet: λέξις autem dicatur etiamsi nihil significet, ut *blitri*. » Quin et Artemidorus lib. IV, cap. 3, βλίτυρι vocat, nisi mendosi sint ejus codices.

(85) *Καὶ πῶς*. Legi potest καί πως, absque interrogatione. SYLBURG.

(86) *Ἀλλ' οὐδὲ ὁ δικαστὴς ὡς ἄσημον ὄνομα προφέρεται τὴν ἀπόδειξιν*. Scribe, εἰς ἄσημον ὄνομα. Nemo enim interrogatus quid sit βλίτυρι, illud explicat vel definit. HEINSIUS.

D (87) *Εἰ ὑπάρχει τὸ σημαινόμενον τοῦ τόπου ὁ λόγος*. Ait primo omnium, proposita voce, quæ sit loco definiti, videndum esse an definitio cum ejus conveniat significatione, deinde, an cum natura et essentia. Unde et diversæ definitiones oriuntur: quarum aliæ grammaticorum, aliæ philosophorum sunt propriæ. Scribe: Εἶτα ἐντεῦθεν ὁρμηθέντα ζητεῖν ἀνάγκη, εἰ ὑπάρχει τὸ σημαινόμενον τοῦτό που ὁ λόγος, εἴτε καὶ μή. Ib.

(88) *Ὁποία τίς ἐστιν, καί*. Ms. Paris., ὁποῖά τίς ἐστιν καί.

Digitized by Google

quæritur (licet enim ei qui adversatur, ex æquo contrarium afferre quod velit) : verum oportet confirmare id quod dictum est. Et si ejus quidem referatur judicium ad id de quo similiter dubitatur, et illius pariter ad alterum de quo dubitatur, procedet in infinitum, et non poterit demonstrari. Si autem ejus quod est certum et extra controversiam, referatur fides ad id quod omnes confitentur, illud est constituendum doctrinæ principium. Omne ergo nomen propositum, est sumendum ad definitionem quæ est certa et extra controversiam, et manifesta iis qui sunt participes ejusdem considerationis, utpote futurum doctrinæ principium, expositurum autem inventionem eorum quæ quæruntur. Age ergo ponamus nomen, de quo agimus, esse *sol*. Dicunt itaque Stoici eum esse aliquid « accensum ex aquis marinis intellectu præditum. » An non est ergo definitio ipso nomine obscurior, quæ alia demonstratione indiget ut constet an sit vera ? Melius est ergo dicere communi et aperta oratione, solem nominari ✠ id quod est splendidissimum eorum quæ cœlum obeunt. Est enim, ut opinor, fide dignior, et apertior, et quam omnes similiter confitentur homines, hæc oratio.

A σθαι ὃ βούλεται), ἀλλὰ πιστώσασθαι χρὴ τὸ λεχθέν· εἰ μὲν εἰς ὁμοίως ἀμφισβητούμενον ἀναφέροιτο αὐτοῦ ἡ κρίσις, κἀκείνου πάλιν ὁμοίως εἰς ἀμφισβητούμενον ἕτερον, εἰς ἄπειρον προσβήσεται καὶ ἀναπόδεικτον ἔσται· εἰ δ' εἰς ὁμολογούμενον ἅπασιν ἡ τοῦ ὁμολογουμένου (89) πίστις ἀναφέροιτο, ἐκεῖνο τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας ποιητέον. Πᾶν οὖν τὸ προβληθὲν ὄνομα μεταλαμβάνειν χρὴ εἰς λόγον ὁμολογούμενόν τε καὶ σαφῆ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς σκέψεως, ἀρχὴν μὲν τῆς διδασκαλίας ἐσόμενον, ἐξηγησόμενόν τε (90) τὴν τῶν ζητουμένων εὕρεσιν. Φέρε οὖν προβεβλήσθω ὁ ἥλιος τοὔνομα. Φασὶν οὖν οἱ Στωϊκοὶ τοῦτ' εἶναι « ἄναμμα (91) νοερὸν ἐκ θαλαττίων ὑδάτων. » Ἆρ' οὐκ ἀσαφέστερος ὁ λόγος αὐτοῦ τοῦ ὀνόματος, ἄλλης ἀποδείξεως δεόμενος εἰ ἀληθής B ἐστιν ; Ἄμεινον οὖν εἰπεῖν κοινῷ καὶ σαφεῖ τῷ λόγῳ, ἥλιον ὀνομάζεσθαι τὸ λαμπρότατον τῶν κατ' οὐρανὸν ὄντων· πιστότερος γάρ, οἶμαι, καὶ σαφέστερος, καὶ πᾶσιν ὁμοίως ὁμολογούμενος ὁ λόγος οὗτος.

CAPUT III.

De demonstratione adhibita in quæstionibus philosophicis, quæ quomodo a syllogismo distinguatur exponitur.

Similiter autem demonstrationem quoque omnes fatebuntur homines rationi esse consentaneam, quæ iis de quibus dubitatur, ex iis quæ sunt certa et extra controversiam, facit fidem. Non solum autem demonstratio et fides et cognitio, sed etiam præscientia seu præcognitio, dicitur duobus modis : una quidem scientifica ac stabilis ; altera autem solum ex spe. Ac proprie igitur dicitur demonstratio, quæ fidem scientificam indit animis eorum qui discunt ; altera autem est ex opinione. Sicut etiam homo, unus quidem vere est homo qui communem habet prudentiam ; alter vero agrestis et belluinus.

Ὡς αὕτως (92) δὲ καὶ τὴν ἀπόδειξιν πάντες ἄνθρωποι ὁμολογήσαιεν εὔλογον εἶναι (93) τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἐκπορίζοντα τὴν πίστιν. Οὐ μόνον δὲ ἀπόδειξις καὶ πίστις καὶ γνῶσις, ἀλλὰ καὶ πρόγνωσις λέγεται διχῶς· ἡ μὲν ἐπιστημονική τε καὶ βεβαία, ἄλλη δὲ μόνον ἐλπιστική. Κυριώτατα μὲν οὖν ἀπόδειξις λέγεται ἡ τὴν ἐπιστημονικὴν πίστιν ἐντιθεῖσα ταῖς τῶν μανθανόντων ψυχαῖς· δοξαστικὴ δὲ ἡ ἑτέρα· ὡς καὶ ἄνθρωπος ὁ μὲν ὄντως ἄνθρωπος, ὁ τὰς κοινὰς φρένας κεκτημένος, ὁ δὲ ἄγριος καὶ θηριώδης. Οὕτω τοι καὶ ὁ κωμικὸς ἔλεγεν, ὡς (94) « χαρίεις ἐστὶν ἄνθρωπος,

✠ P. 966 ED. POTTER, 771 ED. PARIS.

(89) *Ἡ τοῦ ὁμολογουμένου.* Legendum videtur ἡ τοῦ μὴ ὁμολογουμένου, ut sensus sit : « Quod si rei, quæ non est certa, fides referatur in id, quod est omnibus certum et extra controversiam positum, tum illud est pro doctrinæ principio habendum. » Quem sensum confirmant, tum quæ præcedunt, tum quæ sequuntur. Sic paulo post, « eam esse demonstrationem, rationi consentaneam, » dicit, quæ τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἐκπορίζει πίστιν· « rebus in controversia positis ex iis, quæ sunt extra controversiam, fidem conciliat. »

(90) *Ἐξηγησόμενόν τε.* Rectius ἐξηγησόμενον δέ, ut præcedens μέν habeat suam redditivam. SYLBURG.

Προτακτέον δὴ καὶ τῶν ὅρων, καὶ τῶν ἀποδείξεων, καὶ διαιρέσεων, ποσαχῶς λέγεται τὸ ζητούμενον· τά τε ὁμώνυμα χειριστέον (54), καὶ τὰ συνώνυμα εὐκρινῶς τακτέον κατὰ τὰς σημασίας· ἔπειτα ζητητέον, εἰ τῶν πρὸς ἕτερα θεωρουμένων ἐστὶ τὸ προκείμενον, ἢ καθ' αὐτὸ λαμβάνεται· ἐπὶ τούτοις, εἰ ἔστι, τί ἐστι, τί αὐτῷ συμβέβηκεν· ἢ καὶ οὕτως, εἰ ἔστι, τί ἐστι, διότι ἐστί. Πρὸς δὲ τὴν τούτων θεωρίαν ἡ τῶν καθ' ἕκαστα γνῶσις καὶ ἡ τῶν καθόλου συνυποβάλλει (55), καὶ τὰ πρότερα, καὶ τὰ ἐπὶ τὰς διαφορὰς, καὶ αἱ διαιρέσεις αὐτῶν. Ἡ μὲν οὖν ἐπαγωγὴ (56) φέρει τὸ καθόλου καὶ τὸν ὁρισμόν· αἱ δὲ διαιρέσεις τὰ εἴδη καὶ τὸ τί ἦν εἶναι (57) καὶ τὸ ἄτομον· ἡ δὲ θεωρία τοῦ ποσαχῶς τὴν λῆψιν τοῦ οἰκείου· αἱ δὲ διαπορήσεις τὰς C κατ' αὐτὰς (58) διαφορὰς καὶ τὰς ἀποδείξεις, καὶ ἄλλως τὴν θεωρίαν συναύξουσι, τά τε παρεπόμενα αὐτῇ· ἐκ πάντων δὲ ἐπιστήμη τε παρίσταται καὶ ἀλήθεια. Πάλιν τὸ κεφαλαιωθὲν ἐκ τῆς διαιρέσεως ὅρος γίνεται· λαμβάνεται γὰρ καὶ πρότερος τῆς διαιρέ-

Quæstionum insinuationes et principia circa hæc et in his sunt.

Ante definitiones autem, demonstrationes, et divisiones, prius ponendum est quot modis dicatur id, quod quæritur: et tractanda sunt homonyma, et synonyma sunt apte et distincte ponenda secundum suas significationes. Deinde quærendum est an ex iis, quæ considerantur, ut relata ad alia, sit id quod proponitur, an per seipsum sumatur. Post hæc, an sit, quid sit, quid ei accidat: aut sic etiam, an sit, quid sit, propter quid sit. Ad hæc autem contemplanda confert singulorum cognitio et universorum, et ea quæ sunt priora, et differentiæ, et earum divisiones. Atque inductio quidem affert id quod est universum et definitionem: divisiones autem, species, et quid sit, et individuum. Contemplatio autem qua consideratur, quot modis dicatur, affert assumptionem ejus quod est proprium: dubitationes autem, eas quæ sunt in ipsis differentias et demonstrationes: et alioqui augent contemplationem, et ea quæ ipsam consequuntur: ex omnibus autem

✠ P. 9$\frac{2}{14}$ ED. POTTER, 778 ED. PARIS.

(49) *Μὴ βεβαιῶν.* Delenda videtur particula negativa μή, ut sensus sit: « Hoc ipso concedit veritatem posse cognosci, quod videtur retentionem assensionis suadere. »

(50) *Αἵρεσις.* Conf. Diogenes Laertius in proœmio seg. 20: Sextus Empiricus *Hypotyp.* lib. I, Suidas v. Αἵρεσις.

(51) *Περιέχουσα.* « Continens. » Hervetus exp. « præbens, » quod est παρέχουσα. Posset legi περιέχουσι, « continentibus. »

(52) *Ἐφεκτικοί.* Ἐφεκτοί. Forte verius ἐφεκτικοί. Sylburg. — Sic superius μεθεκτοί pro μεθεκτικοί *Strom.* I, pag. 348, ubi conf. not.

(53) *Αἱ τῶν ζητ.* Titulum ipsum Hervetus interpres omittit, et absque separatione sequentia cum præcedentibus connectit. Sylburg.

(54) *Χειριστέον.* Χειριστέον agnoscit etiam Herveti versio, « tractanda sunt homonyma: » sed verius χωριστέον. Sylburg.

(55) *Συνυποβάλλει.* L. συνεπιβάλλει. Lowth.

(56) *Ἐπαγωγή.* Inductio enim est argumenti species, qua ex singularibus colligitur universale.

(57) *Καὶ τὸ τί ἦν εἶναι.* Quid sit res, id est essentialem ejus definitionem. Nam ex divisione rerum, partes earum, et essentiæ rationem discimus. Unde et paulo post, definitionis demonstrationem sequi divisionem affirmat: et divisionem τί ἐστι, « quid sit, » docere. Quomodo autem tum definitio ex inductione procedit, ut sententia præcedente dicitur? Hunc nodum Clemens paulo infra solvit, ubi docet definitionem et præcedere divisionem, et eam subsequi.

(58) *Κατ' αὐτάς.* In Flor. est etiam altera lectio καθ' αὑτάς. Priorem sequitur Herveti versio, « eas quæ sunt in ipsis differentias. » Sylburg.

Digitized by Google

ostenditur scientia et veritas. Rursus id quod in summam redigitur ex divisione, appellatur definitio; sumitur enim determinatio et prior divisione, et posterior: prior quidem, quando concessa vel tantum proposita fuerit; posterior autem, quando demonstrata, et per sensum, ex singularibus, in summam colligitur universale; inductionis enim principium est sensus: finis autem, id quod est universale. Atque inductio quidem non ostendit quid sit, sed quod sit, vel non sit: ✠ divisio autem quod sit, et determinatio similiter atque divisio, essentiam docet, et quid sit, non autem an sit. Demonstratio autem tria, nempe an sit, et quid sit, et propter quid sit aperit. Sunt autem nonnullæ quoque definitiones quæ causam continent. Quoniam autem scire est, quando causam viderimus: sunt autem causæ quatuor, materia, id quod movet, forma, finis: erit quadruplex determinatio. Primum ergo sumendum est genus, in quo sunt ea quæ sunt proxima supremis: postea propinqua differentia. Differentiarum autem continuatio scissa et divisa, complet quid sit esse, seu rei essentiam ac definitionem. Non necesse est autem dicere omnes uniuscujusque differentias, sed eas quæ species constituunt. Geometrica resolutio et compositio divisioni dialecticæ et definitioni similis. Et a divisione quidem recurrimus ad ea quæ sunt simpliciora, et magis principalia. Atque genus quidem rei quæ quæritur dividimus in eas quæ ei insunt species: ut exempli causa, in homine, animal quod est genus, dividimus in eas quæ in ipso apparent species, nempe mortale et immortale. Et sic semper genera quæ videntur esse composita, secantes in species simpliciores, accedimus ad id quod quæritur, et non amplius suscipit divisionem. Cum enim animal diviserimus in mortale et immortale, deinde vero mortale in terrestre et aquatile, et rursus terrestre in volucre et pedestre, et sic propinquam ei quod quæritur speciem, quæ etiam comprehendit id quod quæritur, diviserimus, secando deveniemus ad simplicissimam speciem, quæ nihil quidem aliud, sed id solum quod quæritur comprehendit. Rursus enim pedestre dividimus in rationis particeps et expers rationis. Deinde ex iis speciebus quæ sumuntur ex divisione, eligentes ea quæ sunt magis propinqua homini, cum ex iis unam componuerimus orationem, efficimus hominis definitio-

A σεως καὶ ὕστερος ὁ διορισμός· πρότερος μὲν, ὅταν συγχωρηθῇ ἢ προτεθῇ· ὕστερος (59) δὲ, ὅταν ἀποδειχθῇ· καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν δὲ ἐκ τοῦ καθ' ἕκαστα κεφαλαιοῦται τὸ καθόλου· ἀρχὴ (60) γὰρ τῆς ἐπαγωγῆς ἡ αἴσθησις· πέρας δὲ τὸ καθόλου. Ἡ μὲν οὖν ἐπαγωγὴ οὐ τὸ τί ἐστι δείκνυσιν, ἀλλ' ὅτι ἐστὶν, ἢ οὐκ ἔστιν· ἡ διαίρεσις δὲ, ὅτι ἐστὶ παρίστησιν (61), ὅ τε διορισμὸς ὁμοίως τῇ διαιρέσει τὴν οὐσίαν καὶ τὸ τί ἐστι διδάσκει, οὐχὶ δὲ τὸ εἰ ἔστιν· ἡ τε ἀπόδειξις, τὰ τρία, τό τε εἰ ἔστιν, καὶ τὸ τί ἐστιν, καὶ τὸ διατί ἐστιν, σαφηνίζει. Εἰσὶ δὲ ἔνιοι καὶ τῆς αἰτίας ἐμπεριεκτικοὶ ὅροι. Ἐπεὶ δὲ ἐπίστασθαί ἐστιν, ὅταν ἴδωμεν τὴν αἰτίαν· αἰτίαι (62) δὲ τέσσαρες, ἡ ὕλη, τὸ κινοῦν (63), τὸ εἶδος, τὸ τέλος· τετραχῶς ἔσται ὁ διορισμός. Ληπτέον οὖν πρῶτον τὸ γένος, ἐν ᾧ ἐστι
B τῶν ἐπάνω τὰ ἐγγύτατα· μετὰ τοῦτο, τὴν προσεχῆ διαφοράν. Ἡ δὲ συνέχεια τῶν διαφορῶν (64), τεμνομένη καὶ ἀποδιαιρουμένη, τὸ τί ἦν εἶναι ἐκπληροῖ. Οὐκ ἀνάγκη δὲ πάσας λέγειν ἑκάστου τὰς διαφοράς, ἀλλὰ τὰς εἰδοποιούσας. Ἡ γεωμετρικὴ ἀνάλυσις καὶ σύνθεσις, τῇ διαλεκτικῇ διαιρέσει καὶ ὁρισμῷ ἔοικε· καὶ ἀπὸ μὲν τῆς διαιρέσεως, ἐπὶ τὰ ἁπλούστερα καὶ ἀρχικώτερα ἀνατρέχομεν. Τὸ γοῦν γένος τοῦ ζητουμένου πράγματος διαιροῦμεν εἰς ἐνυπάρχοντα αὐτῷ εἴδη· οἷον ἐπὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ ζῶον, γένος ὄν, εἰς τὰ ἐμφαινόμενα εἴδη διαιροῦμεν, τὸ θνητὸν καὶ ἀθάνατον· καὶ οὕτως ἀεὶ τὰ σύνθετα δοκοῦντα εἶναι γένη εἰς τὰ ἁπλούστερα εἴδη τέμνοντες, ἐπὶ τὸ μὴ ζητούμενον (65) καὶ μηκέτι τομὴν ἀποδεχόμενον παραγιν-
C όμεθα. Τὸ γὰρ ζῶον εἰς τὸ θνητὸν καὶ ἀθάνατον διελόντες, εἶτα μέντοι τὸ θνητὸν εἰς τὸ χερσαῖον καὶ ἔνυδρον, καὶ πάλιν τὸ χερσαῖον εἰς τὸ πτηνὸν καὶ πεζὸν, καὶ οὕτως τὸ προσεχὲς τῷ ζητουμένῳ εἶδος, ὃ καὶ περιλαμβάνει τὸ ζητούμενον, διαιροῦντες, ἀφιξόμεθα τέμνοντες ἐπὶ τὸ ἁπλούστατον εἶδος, ὅπερ ἄλλο μὲν οὐδὲν, μόνον δὲ τὸ ζητούμενον παραλαμβάνει. Πάλιν γὰρ τὸ πεζὸν εἰς λογικὸν καὶ ἄλογον διαιρούμεθα· κἄπειτα τὰ προσεχῆ τῶν ἐκ τῆς διαιρέσεως λαμβανομένων εἰδῶν τῷ ἀνθρώπῳ ἐκλεγόμενοι, καὶ ἐπισυνθέντες εἰς ἕνα λόγον, τὸν ὅρον τοῦ ἀνθρώπου ἀποδίδομεν, ὃς ἐστὶ ζῶον θνητὸν, χερσαῖον, πεζὸν, λογικόν. Ὅθεν ὕλης μὲν τάξιν ἐπέχει ἡ διαίρεσις, τῷ ὅρῳ τὴν ἁπλότητα τοῦ ὀνόματος ἀναζητοῦσα· τεχνίτου δὲ καὶ δημιουργοῦ ὁ ὅρος ἐπισυντιθεὶς καὶ κα-
D τασκευάζων, καὶ τὴν γνῶσιν τοῦ ὄντος παριστάς· οὐ τούτων τῶν πραγμάτων ὧν ἔχομεν καθολικὰς διανοίας. Τούτων τῶν διανοιῶν τοὺς ἑρμηνευτικοὺς λό-

✠ P. 9$\frac{2}{5}$ ED. POTTER, 779 ED. PARIS.

(59) Ὕστερος. Conf. Aristotelis *Analyt. post.* lib. II, cap. 13.

(60) Ἀρχή. Eadem docet Aristoteles *Analyt.* lib. I, cap. 18.

(61) Ὅτι ἐστὶ παρ. « Quod sit, » etc. Perperam: Id enim, ut dictum est, docet inductio. Scribendum, τὸ τί ἐστι· vel, ὅ τι ἐστί· « quid sit. » Id quippe afferre divisionem, mox ait.

(62) Αἰτίαι. Conf. Aristoteles *Analyt. poster.* lib. II, c. 11, quod sic incipit: Ἐπεὶ δὲ ἐπίστασθαι οἰόμεθα, ὅταν εἰδῶμεν τὴν αἰτίαν· αἰτίαι δὲ τέσσαρες. « Cum autem putemus nos tunc scire, quando causam cognoscimus; causæ vero quatuor sint, » etc., quæ fere κατὰ λέξιν repetit Clemens.

(63) Τὸ κινοῦν. Id est, τὸ ποιητικόν. H. Stebbg. Nempe causa efficiens, ἢ τι πρῶτον ἐκίνησε, « quæ primum movit, » ut ab Aristotele dicitur loc. cit.

(64) Συνέχεια τῶν διαφορῶν. « Coacervatio differentiarum, » cujus specimen occurrit in definitione hominis infra posita, pag. 779 edit. Paris. Lowth.

(65) Τὸ μὴ ζητ. Delenda est particula neg. μή, sensus enim est, per ejusmodi divisionem perveniri tandem ἐπὶ τὸ ζητούμενον, « ad id quod quæritur, quod ulterioris divisionis capax non est; » ut statim sequitur. Idem Lowthio quoque visum est.

Digitized by Google

γους εἶναι φαμέν· τούτων γὰρ τῶν διανοιῶν, καὶ αἱ διαιρέσεις γίνονται. Τῶν δὲ διαιρέσεων ἡ μέν τις εἰς εἴδη διαιρεῖ τὸ διαιρούμενον, ὡς γένος· ἡ δέ τις εἰς μέρη, ὡς ὅλον· ἡ δὲ εἰς τὰ συμβεβηκότα. Ἡ μὲν οὖν τοῦ ὅλου εἰς τὰ μέρη διαίρεσις, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον κατὰ μέγεθος ἐπινοεῖται· ἡ δὲ εἰς τὰ συμβεβηκότα οὐδέποτε ὅλη δύναται διαληφθῆναι, εἴγε καὶ οὐσίαν ἑκάστῳ δεῖ πάντως τῶν ὄντων ὑπάρχειν. Ὅθεν ἀδόκιμοι ἄμφω αὗται αἱ διαιρέσεις, μόνη δὲ εὐδοκιμεῖ ἡ τοῦ γένους εἰς εἴδη τομή, ὑφ' ἧς χαρακτηρίζεται ἥ τε ταυτότης ἡ κατὰ γένος, ἥ τε ἑτερότης ἡ κατὰ ἰδικὰς διαφοράς. Τὸ εἶδος ἀεὶ ἔν τινι μέρει θεωρεῖται· οὐ μὴν ἀνάπαλιν, εἴ τι μέρος ἐστί τινος, τοῦτο καὶ εἶδος γενήσεται· ἡ γὰρ χεὶρ μέρος μέν ἐστι τοῦ ἀνθρώπου, εἶδος δὲ οὐκ ἔστιν. Καὶ τὸ μὲν γένος ἐν τοῖς εἴδεσιν ἐνυπάρχει· τὸ γὰρ ζῶον καὶ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ καὶ ἐν τῷ βοΐ· τὸ δὲ ὅλον, ἐν τοῖς μέρεσιν οὐκ ἐνυπάρχει· οὐ γὰρ ὁ ἄνθρωπος ἐν τοῖς ποσὶν ὑπάρχει. Διὸ κυριώτερον τὸ εἶδος τοῦ μέρους· καὶ ὅσα τοῦ γένους κατηγορεῖται, ταῦτα πάντα καὶ τοῦ εἴδους κατηγορηθήσεται. Ἄριστον μὲν οὖν εἰς δύο θεωρεῖν (66) εἴδη τὸ γένος· εἰ δὲ μή, εἰς τρία. Τὰ τοίνυν εἴδη, γενικώτερον μὲν διαιρούμενα, χαρακτηρίζεται τῷ τε ταυτῷ καὶ θατέρῳ· ἔπειτα δὲ διὰ τῶν γενικῶς σημαινομένων διαιρούμενα χαρακτηρίζεται. Ἕκαστον γὰρ τῶν εἰδῶν ἤτοι οὐσία ἐστίν· ὥσπερ ὅταν λέγωμεν, Τῶν ὄντων τὰ μὲν σώματά ἐστι, τὰ δὲ ἀσώματα· ἢ ποσὸν, ἢ πρός τι, ἢ ποῦ, ἢ πότε, ἢ ποιεῖν, ἢ πάσχειν. Παντὸς οὗ τινος οὖν ἐπιστήμων τίς ἐστι, τούτου καὶ τὸν ὅρον ἀποδώσει· ὡς ὅ γε μὴ δυνάμενος λόγῳ περιλαβεῖν καὶ ὁρίσασθαι ὁτιοῦν, τούτου ἐπιστήμων οὐκ ἄν ποτε εἴη. Ἐκ δὲ τῆς τοῦ ὅρου ἀγνοίας καὶ τὰς πολλὰς ἀμφισβητήσεις γίνεσθαι καὶ τὰς ἀπάτας, συμβαίνει. Εἰ γὰρ ὁ τὸ πρᾶγμα εἰδὼς ἔχει κατὰ διάνοιαν τὴν εἴδησιν αὐτοῦ, δύναται δὲ καὶ λόγῳ σαφηνίσαι ὃ διανοεῖται, ἡ δὲ τῆς διανοίας ἑρμηνεία ὅρος ἐστίν, ἀναγκαῖόν ἐστι τὸν εἰδότα τὸ πρᾶγμα δύνασθαι αὐτοῦ καὶ τὸν ὅρον ἀποδιδόναι. Προσλαμβάνεται δὲ ὅροις καὶ ἡ διαφορὰ, σημείου τάξιν ἐπέχουσα τῷ ὅρῳ. Τῷ γοῦν τοῦ ἀνθρώπου ὅρῳ τὸ γελαστικὸν προστεθὲν, ποιεῖ τὸ ὅλον· ζῶον λογικὸν, θνητὸν, χερσαῖον, πεζὸν, γελαστικόν. Σημεῖα γάρ ἐστι τὰ κατὰ διαφορὰν προσαγόμενα τῷ ὅρῳ οἰκείων πραγμάτων· τὴν δὲ φύσιν αὐτῶν τῶν πραγμάτων οὐκ ἐνδείκνυται. Αὐτίκα ἰδίου ἀπόδοσιν φασὶν εἶναι τὴν διαφοράν· καὶ καθὸ τῶν ἄλλων ἀπάντων διαφέρει τὸ ἔχον τὴν διαφορὰν, ἃ μόνῳ ὑπάρχει καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος ἐν τοῖς ὅροις, ἀνάγκη τὸ πρῶτον γένος ὡς ἀρχηγὸν καὶ ὑποστατὸν (67) δεῖ παραλαμβάνειν. Ἐν μὲν οὖν τοῖς μακροτέροις ὅροις τὸ πλῆθος τῶν εἰδῶν τῶν ἐξευρισκομένων διὰ τῶν δέκα κατηγοριῶν· ἐν δὲ τοῖς ἐλαχίστοις, τὰ προηγούμενα τῶν προσεχῶν εἰδῶν ληφθέντα, τὴν οὐσίαν καὶ φύσιν διασημαίνει τοῦ πράγματος· ὁ δὲ ἐλάχιστος ἐκ τριῶν συνέστηκε, τοῦ γένους καὶ δυεῖν τῶν

nem, quæ est animal mortale, terrestre, pedestre, rationis particeps. Quo fit ut materiæ quidem locum præstet divisio, definitioni quærens simplicitatem nominis : artificis autem et opificis definitio, quæ componit et construit, et ejus quod est ostendit cognitionem. Non harum autem rerum, nec idearum **331** sunt definitiones, sed rerum quarum habemus universales in animo notiones. Harum notionum dicimus esse orationes interpretativas; harum enim notionum fiunt etiam divisiones. Ex divisionibus autem, una quidem ✠ dividit rem divisam in species, ut genus : altera autem in partes, ut totum : alia vero in accidentia. Atque totius quidem in partes divisio, ut plurimum consideratur in magnitudine : quæ fit autem in accidentia, nunquam potest tota explicari, siquidem oportet unicuique entium omnino inesse essentiam. Unde etiam reprobantur ambæ hæ divisiones : sola autem probatur divisio generis in species, a qua formam characteremque accipit quæ est secundum genus identitas, et diversitas quoad differentias speciales. Species semper in aliqua parte consideratur, non tamen contra si quid est pars alicujus, hoc erit etiam species : manus enim est pars quidem hominis, non est autem species. Et genus quidem inest in speciebus : animal enim inest in homine et bove. Totum autem non inest in partibus. Homo enim non inest in pedibus. Quocirca species est parte potior. Et quæcunque de genere prædicantur, ea etiam omnia prædicabuntur de specie. Atque optimum quidem fuerit contemplari genus in duabus speciebus : sin minus autem, in tribus. Species ergo divisæ quidem generalius, characterem accipiunt ex eodem et altero. Deinde vero divisæ, per ea quæ generaliter significantur characterem accipiunt. Unaquæque enim species aut est substantia : ut cum dicimus : Ex iis quæ sunt, alia quidem sunt corporea, alia vero incorporea : aut quantum, aut quod refertur ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut agere, aut pati. Cujuscunque ergo rei habet aliquis scientiam, ejus etiam dabit definitionem : quemadmodum qui non potest oratione comprehendere et definire quidlibet, ejus rei nunquam habebit scientiam. Ex ignoratione autem definitionis, accidit ut multæ dubitationes oriantur et deceptiones. Si enim qui rem novit, habet in animo ejus cognitionem : potest autem quis oratione explicare id quod habet in animo : ejus autem quod animo cogitatur explicatio, est definitio : necesse ergo est ut qui rem norit, possit ejus etiam dare definitionem. Assumitur autem in definitionibus etiam differentia, quæ signi locum obtinet in definitione. Hominis itaque definitioni adjectum, vi ridendi præditum, facit totum : animal rationis particeps, mortale, terrestre, pede-

✠ P. 916 ED. POTTER, 779-780 ED. PARIS.

(66) *Θεωρεῖν*. Θεωρεῖν agnoscit etiam Herveti versio, « contemplari genus in duabus speciebus: » atque ita est in p. præcedente, non aspernanda tamen est A. lectio διαιρεῖν, « dividere. »

(67) *Ὑποστατόν*. « Quod reliquis substernitur. » Lowth.

Digitized by Google

stre, vi ridendi præditum. Quæ enim per differentiam adhibentur definitioni, sunt signa rerum propriarum, ipsarum autem rerum naturam non indicant. Jam vero dicunt differentiam esse proprii redditionem, et secundum quod differt ab aliis id quod habet differentiam, quod soli inest, et de re mutuo prædicatur : necesse est in definitionibus primum genus assumere ut principale, et quod subsistat. Et in longioribus quidem ✠ definitionibus, multitudo specierum quæ inveniuntur per decem prædicamenta : in minimis autem, quæ ex propinquis speciebus sumptæ fuerint principales, rei essentiam et naturam significant. Quæ est autem minima, constat ex tribus, ex genere, et duabus speciebus maxime necessariis. Hoc autem fit propter brevitatem. Dicimus ergo : Homo est animal vi ridendi præditum. Tunc assumendum est id quod præcipue accidit ei quod definitur, aut propria ejus virtus, aut proprium ejus munus ac officium, aut aliquid aliud ejusmodi. Quare cum definitio debeat rei essentiam exponere, non potest quidem rei naturam accurate comprehendere : per præcipuas autem species declarat essentiam : et habet definitio propemodum essentiam in qualitate.

A ἀναγκαιοτάτων εἰδῶν. Γίνεται δὲ τοῦτο διὰ συντομίαν. Φαμὲν οὖν· Ἄνθρωπός ἐστι τὸ ζῶον γελαστικόν· τό τε ἐξαιρέτως συμβεβηκὸς τῷ ὁριζομένῳ προσπαραληπτέον, ἢ τὴν ἰδίαν ἀρετὴν αὐτοῦ, ἢ τὸ ἴδιον ἔργον αὐτοῦ, καὶ τοιούτων τινῶν ἄλλων. Ἐξηγητικὸς οὖν ὁ ὅρος ὢν τῆς τοῦ πράγματος οὐσίας, περιλαβεῖν μὲν ἀκριβῶς τὴν φύσιν τοῦ πράγματος ἀδυνατεῖ· διὰ δὲ τῶν κυριωτάτων εἰδῶν τὴν δήλωσιν τῆς οὐσίας ποιεῖται, καὶ σχεδὸν ἐν ποιότητι ὁ ὅρος τὴν οὐσίαν ἔχει.

CAPUT VII.

De causis dubitandi sive assensum sustinendi.

Quæ efficiunt ut sustineatur assensio, causæ sunt duæ supremæ. Una quidem, mens humana quæ est multiplex et instabilis, cui quidem natura est insitum ut generet dissensionem, aut aliorum inter se invicem aut sui ipsorum a seipsis. Secunda autem, ea quæ est in rebus discrepantia, quæ etiam maxime efficit ut sustineatur assensio. Nam cum neque omnibus visis possimus credere propter repugnantiam : neque omnibus fidem non habere, quod id quod dicit omnia esse incredibilia, cum sit ex omnibus, in numerum etiam omnium ascribatur; neque aliquibus quidem credere, aliquibus vero non credere, propter æqualitatem : eo deducti sumus ut sustineamus assensionem. Harum autem principalium causarum, propter quas assensionem sustinemus, cogitationis quidem instabilitas, generat dissensionem : dissensio autem est immediata causa propter quam sustinetur assensio. Hinc plena quidem est vita judiciis et curiis, et in summa, eorum quæ dicuntur bona et mala electione : quæ quidem dubiæ mentis et ad oppositarum rerum infirmitatem claudicantis, sunt argumenta. Sunt itaque libris plenæ bibliothecæ, classesque et commentationes iis qui in dogmatibus inter se dissentiunt, et sibi persuaserunt se in rebus tenere veritatem.

B Τὰ ποιητικὰ τῆς ἐποχῆς αἴτια δύο ἐστὶ τὰ ἀνωτάτω· ἓν μὲν τὸ πολύτροπον καὶ ἄστατον τῆς ἀνθρωπίνης γνώμης, ὅπερ γεννητικὸν εἶναι πέφυκε τῆς διαφωνίας, ἤτοι τῆς (68) ἀλλήλων πρὸς ἀλλήλους, ἢ τῆς ἑαυτῶν πρὸς ἑαυτούς· δεύτερον δὲ ἡ ἐν τοῖς οὖσι διαφωνία, ἢ καὶ εἰκότως ἐμποιητικὴ καθέστηκε τῆς ἐποχῆς. Μήτε γὰρ πάσαις φαντασίαις πιστεύειν δυνηθέντες διὰ τὴν μάχην, μήτε πάσαις ἀπιστεῖν (69) διὰ τὸ καὶ τὴν λέγουσαν πάσας ἀπίστους ὑπάρχειν ἐξ ἁπασῶν οὖσαν συμπεριγράφεσθαι πάσαις· μήτε τισὶ μὲν πιστεύειν, τισὶ δὲ ἀπιστεῖν διὰ τὴν ἰσότητα, κατήχθημεν εἰς ἐποχήν. Τούτων δὲ αὐτῶν τῶν ἀρχικωτάτων τῆς ἐποχῆς τὸ μὲν ἀβέβαιον τῆς διανοίας γεννητικόν ἐστι διαφωνίας· ἡ δὲ διαφωνία, πρωτοσχὲς αἴτιον τῆς ἐποχῆς· ὅθεν πλήρης μὲν ὁ βίος δικαστηρίων τε καὶ βουλευτηρίων, καὶ καθόλου τῆς περὶ (70) τὰ λεγόμενα ἀγαθὰ καὶ κακὰ αἱρέσεως, ἅπερ ἠπορημένης ἐστὶ διανοίας καὶ πρὸς τὴν τῶν (71) ἀντικειμένων πραγμάτων εἰς ἀσθένειαν (72) μετοχλαζούσης τεκμήρια· πλήρεις δ' αἱ θῆκαι τῶν βιβλίων, καὶ αἱ συντάξεις καὶ αἱ πραγματεῖαι τῶν διαφωνούντων ἐν τοῖς δόγμασι, καὶ πεποιθότων ἑαυτοὺς τὴν ἐν τοῖς οὖσιν ἀλήθειαν γινώσκειν.

CAPUT VIII.

Qua methodo tum res, tum nomina ad certas classes reduci possunt.

In voce tria versantur : nempe et nomina quæ sunt signa eorum quæ animo cogitantur principali-

D Τρία (73) ἐστὶ περὶ τὴν φωνήν· τά τε ὀνόματα, σύμβολα ὄντα τῶν νοημάτων κατὰ τὸ προηγούμενον,

✠ P. 9$\frac{2}{7}$7 ED. POTTER, 781 ED. PARIS.

(68) *Ἤτοι τῆς*. Duplicem dissensionem statuit; aliam, qua diversi homines inter se dissentiunt; aliam qua quis a seipso discrepat.

(69) *Μήτε π. α.* Sensus est : Credi non posse hanc propositionem, « Nihil est credendum. » Quia tum ne hæc quidem propositio esset credenda, cum etiam ea generali voce « nihil » excluderetur. Simili argumento adversus Pyrrhoniorum ἐποχήν supra est usus p. 777 edit. Paris.

(70) *Καὶ καθόλου τῆς π.* Vult, difficultatem eligendi quod optimum est, quæ ubique gentium conspicitur, esse manifestum indicium, quod in multis rebus retinenda sit assensio.

(71) *Καὶ πρὸς τὴν τῶν.* Τὴν superfluum est. Sic expl. : « Quæ sunt indicia mentis dubiæ, quæque præ rerum inter se repugnantia ob infirmitatem claudicat. »

(72) *Εἰς ἀσθένειαν.* Dele εἰς. Lowth.

(73) *Τρία.* Hæc se tria sequuntur : res, conceptus, voces. Voces repræsentant conceptus, con-

Digitized by Google

καν' ἐπακολούθημα δὲ καὶ τῶν ὑποκειμένων· δεύτερον δὲ τὰ νοήματα, ὁμοιώματα καὶ ἐκτυπώματα τῶν ὑποκειμένων ὄντα. Ὅθεν ἅπασι καὶ τὰ νοήματα τὰ αὐτά ἐστι, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων ἅπασιν ἐγγίνεσθαι τύπωσιν· οὐκ ἔτι δὲ καὶ τὰ ὀνόματα, διὰ τὰς διαλέκτους τὰς διαφόρους. Τρίτον δὲ, τὰ ὑποκείμενα πράγματα, ἀφ' ὧν ἡμῖν τὰ νοήματα ἐντυποῦνται. Τὰ μὲν οὖν ὀνόματα ἡ γραμματικὴ εἰς τὰ καθολικὰ στοιχεῖα κδ' ἀνάγει· ὡρισμένα γὰρ χρὴ εἶναι τὰ στοιχεῖα· τῶν γὰρ καθ' ἕκαστα, ἀπείρων ὄντων, μὴ εἶναι ἐπιστήμην· ἴδιον δὲ ἐπιστήμης καθολικοῖς (74) ἐπερείδεσθαι θεωρήμασι καὶ ὡρισμένοις. Ὅθεν τὰ καθ' ἕκαστα εἰς τὰ καθόλου ἀνάγεται. Ἡ δὲ τῶν φιλοσόφων πραγματεία περί τε τὰ νοήματα καὶ τὰ ὑποκείμενα καταγίνεται. Ἐπὶ δὲ τούτων, τὰ καθ' ἕκαστα (75), ἄπειρα στοιχεῖά τινα καὶ τούτων εὑρέθη (76), ὑφ' ἃ πᾶν τὸ ζητούμενον ὑπάγεται· καὶ εἰ μὲν φαίνοιτο ὑφ' ἕν τι ὑποδεδυκὸς τῶν στοιχείων, ἢ καὶ πλείω, ἀποφανούμεθα αὐτὸ εἶναι· εἰ δὲ πάντα διαφύγοι, μηδαμῆ εἶναι. Τῶν λεγομένων (77) τὰ μὲν ἄνευ συμπλοκῆς λέγεται, ὡς τὸ *ἄνθρωπος*, καὶ ὡς τὸ *τρέχει*, καὶ ὅσα λόγον οὐκ ἀποτελεῖ, ὃ δὴ (78) τἀληθὲς ἢ τὸ ψεῦδος ἔχει· τῶν δὲ μετὰ συμπλοκῆς (79) λεγομένων τὰ μὲν οὐσίαν σημαίνει, τὰ δὲ ποιὸν, τὰ δὲ ποσὸν, τὰ δὲ πρός τι, τὰ δὲ ποῦ, τὰ δὲ πότε, τὰ δὲ κεῖσθαι, τὰ δὲ ἔχειν, τὰ δὲ ποιεῖν, τὰ δὲ πάσχειν· ἃ δὴ καὶ στοιχεῖα τῶν ὄντων φαμὲν, τῶν ἐν ὕλῃ καὶ μετὰ τὰς ἀρχάς (80)· ἔστι γὰρ λόγῳ θεωρητὰ ταῦτα· τὰ δὲ ἄῦλα νῷ μόνῳ ληπτά ἐστι κατὰ τὴν πρώτην ἐπιβολήν· τῶν δὲ ὑπὸ τὰς δέκα κατηγορίας ὑποτασσομένων, τὰ μὲν καθ' αὐτὰ λέγεται, ὡς αἱ ἐννέα κατηγορίαι, τὰ δὲ πρός τι. Καὶ πάλιν τῶν ὑπὸ ταύτας τὰς δέκα κατηγορίας τὰ μέν ἐστι συνώνυμα, ὡς βοῦς καὶ ἄνθρωπος, καθὸ

ter, per consequentiam autem, etiam subjectorum : secundo autem, cogitata quæ res subjectas referunt et exprimunt. Unde sunt omnibus eadem cogitata, ✠ propterea quod ex rebus subjectis eadem forma et typus ingeneretur omnibus : non itidem etiam nomina, propter diversos sermones. Tertium autem, sunt res subjectæ, ex quibus nobis imprimuntur cogitata. Atque nomina **332** quidem reducit grammatica in vigintiquatuor generalia elementa : oportet enim esse elementa definita : eorum enim quæ sunt singularia, cum sint infinita, non est scientia. Est autem proprium scientiæ, universis ac generalibus theorematibus niti et definitis. Unde singularia reducuntur ad universa ac generalia. Philosophorum autem indagatio versatur et in iis quæ animo cogitantur, et in rebus subjectis. Quoniam autem singularia horum sunt infinita, horum quoque sunt quædam inventa elementa, ad quæ reducitur quidquid quæritur : et si videatur quidem subire unum aliquod, vel etiam plura ex elementis, id esse pronuntiamus : quod si omnia effugerit, nequaquam esse. Ex iis quæ dicuntur, alia quidem dicuntur absque connexione, ut *homo*, et ut *currit*, et quæcunque orationem minime perficiunt, quæ habet verum vel falsum ; alia vero cum connexione. Ex iis autem quæ dicuntur absque connexione, alia quidem significant essentiam, alia autem quale, alia vero quantum, alia autem quæ referuntur ad aliquid, alia autem ubi, alia vero quando, alia autem situm esse, alia autem habere, alia vero agere, alia autem pati ; quæ etiam dicimus esse elementa eorum quæ sunt in materia et post principia. Considerari enim possunt hæc ratione. Quæ carent autem materia, sola mente possunt apprehendi per

✠ P. 9$\frac{2}{1}$8 ED. POTTER, 782 ED. PARIS.

ceptus repræsentant res. Ac res quidem et conceptus ubique sunt eadem, voces autem differunt. Aristoteles lib. *De interpretatione* cap. 1 : « Ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτά, οὕτως οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί. Ὧν μέντοι ταῦτα σημεῖα πρώτως, τὰ αὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς· καὶ ὧν ταῦτα ὁμοιώματα, πράγματα ἤδη τὰ αὐτά. » « Ut litteræ non sunt apud omnes eædem, ita neque voces sunt eædem. Sed passiones animi, quarum hæc primum sunt signa, eædem sunt apud omnes. Eædem sunt etiam res, quarum hæ passiones sunt simulacra. »

(74) *Καθολικοῖς*. Conf. Aristotelis *Analyt. poster.* lib. 1, cap. 4.

(75) *Ἐπὶ δὲ τούτων, τὰ καθ' ἕκαστα*. Scribe cum interprete : Ἐπεὶ δὲ τούτων τὰ καθ' ἕκαστα ἄπειρα, στοιχεῖά τινα καὶ τούτων εὑρέθη. Paulo post : Τῶν δὲ μετὰ συμπλοκῆς λεγομένων, τὰ μὲν οὐσίαν σημαίνει, τὰ δὲ ποιόν. Recte interpres, χωρὶς συμπλοκῆς legit. Quis enim logicus dicet, voces singulas quæ comprehenduntur prædicamentis, olovel στοιχεῖα πρῶτα, μετὰ συμπλοκῆς λέγεσθαι; Heinsius.

(76) *Εὑρέθη*. Forte congruentius εὑρεθείη, opt. modo. Sylburg.

(77) *Τῶν λεγομ.* Hic aliquid deesse vidit Hervetus, et post eum Heinsius. Quod vero deerat, neuter perfecte supplevit. Id quid sit, ex Aristotele facile liquebit. Is enim libro *De categor.* cap. 2 hæc verba habet : Τῶν λεγομένων τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς. Τὰ μὲν οὖν κατὰ συμπλοκὴν οἷον, ἄνθρωπος τρέχει, ἄνθρωπος νικᾷ· ἄνευ συμπλοκῆς· οἷον, ἄνθρωπος, βοῦς, τρέχει, νικᾷ. « Eorum quæ dicuntur alia conjuncta efferuntur, alia sine conjunctione. Conjuncta : ut, homo currit, homo vincit. Sine conjunctione : ut, homo, bos, currit, vincit. »

(78) *Ὃ δή*. Lege ὅ, et referendum ad λόγος. Lowth. — Aristoteles libri jam dicti c. 4 : Τῶν δὲ κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων οὐδὲν οὔτε ἀληθὲς, οὔτε ψευδές ἐστιν· οἷον, ἄνθρωπος, λευκὸν, τρέχει, νικᾷ. « Eorum autem, quæ sine omni conjunctione dicuntur, nihil est verum aut falsum : ut homo, album, currit, vincit. »

(79) *Τῶν δὲ μετὰ συμ.* Lege τῶν δὲ ἄνευ συμ. Nam μετά positum ab imperito scriba, qui non advertit, prius membrum, quod tractabat de his quæ μετὰ συμπλοκῆς dicuntur, intercidisse. Quod vero prædicamenta sint voces incomplexæ, cuivis notum. Audi Aristotelem principio cap. 4 libri modo citati : Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει, ἢ ποσὸν, ἢ ποιὸν, ἢ πρός τι, ἢ ποῦ, ἢ πότε, ἢ κεῖσθαι, ἢ ἔχειν, ἢ ποιεῖν, ἢ πάσχειν. « Eorum quæ sine omni conjunctione dicuntur, unumquodque aut substantiam significat, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. »

(80) *Μετὰ τὰς ἀρχάς*. Nam summa rerum principia prædicamenta « transcendunt. »

Digitized by Google

primam applicationem. Ex iis autem quæ collocantur sub decem prædicamentis, alia quidem per se dicuntur, ut novem prædicamenta, alia autem relata ad aliquid. Et rursus ex iis quæ sunt sub his decem prædicamentis, alia quidem sunt synonyma, sicut bos et homo, quatenus animal. Sunt enim synonyma, quorum amborum nomen est commune, ut animal : et ratio eadem, hoc est, definitio, nempe, essentia animata. Heteronyma autem sunt, quæ circa idem subjectum sunt in diversis nominibus, ut ascensus et descensus : ✠ est enim eadem via, sive sursum, sive deorsum. Est autem alia species heteronymorum, utpote equus, et niger, quæ et nomen et rationem habent, alterum ab altero diversum, et neque habent idem subjectum : sunt ea autem dicenda altera, non heteronyma. Polyonyma autem sunt quæ eamdem quidem habent rationem, nomen autem diversum, ut ensis, spatha, gladius. Denominativa autem sunt, quæ ex aliquo altero sunt nominata, ut a fortitudine fortis. Homonyma autem sunt, quæ utuntur eodem nomine, non habent autem eamdem rationem, ut homo, qui est et animal, et homo pictus. Ex homonymis autem, alia quidem habent idem nomen ex fortuna, ut Ajax Locrus, et Ajax Salaminius; alia autem ex intentione. Et ex his, alia quidem per similitudinem, ut homo, et qui est animal, et qui pictus; alia autem per proportionem ac convenientiam, ut pedes Idæ, et nostri pedes, propterea quod sint inferius; alia autem ex operatione, ut pes navis, per quem navis navigat, et pes noster, per quem movemur. Dicuntur etiam homonyma ab eodem et ad idem, ut a medico liber et scalpellum medica, et a medico qui utitur, et ad rationem medicam.

A ζῶον· ἔστι γὰρ συνώνυμα (81), ὧν τό τε ὄνομα ἀμφοῖν κοινὸν, τὸ ζῶον· καὶ ὁ λόγος, ὁ αὐτὸς, τουτέστιν ὁ ὅρος, τουτέστιν οὐσία ἔμψυχος· ἑτερώνυμα δὲ, ὅσα περὶ τὸ αὐτὸ ὑποκείμενον ἐν διαφόροις ἐστὶν ὀνόμασιν, οἷον ἀνάβασις καὶ κατάβασις· ὁδὸς γὰρ ἡ αὐτὴ, ἤτοι εἰς τὸ ἄνω, ἢ εἰς τὸ κάτω. Τὸ δ' ἄλλο εἶδος τῶν ἑτερωνύμων, οἷον ἵππος καὶ μέλας, καὶ ὄνομα καὶ λόγον ἕτερον ἀλλήλων ἔχοντα, μηδὲ τοῦ ὑποκειμένου κοινωνοῦντα· ἕτερα δὲ λεκτέον, οὐχ ἑτερώνυμα. Πολυώνυμα δὲ τὰ τὸν μὲν λόγον τὸν αὐτὸν ἔχοντα, ὄνομα δὲ διάφορον· ὡς ἄορ, ξίφος, φάσγανον· παρώνυμα δ' ἐστὶ τὰ παρά τι ἕτερον ὠνομασμένα, ὡς ἀπὸ τῆς ἀνδρείας ὁ ἀνδρεῖος. Τὰ δὲ ὁμώνυμα (82), τῷ αὐτῷ ὀνόματι χρώμενα, λόγον δὲ οὐ τὸν αὐτὸν ἔχοντα· οἷον ἄνθρωπος, τό τε ζῶον B καὶ ὁ γεγραμμένος. Τῶν δὲ ὁμωνύμων τὰ μὲν ἀπὸ τύχης ὁμωνυμεῖ, ὡς Αἴας (83) ὁ Λοκρὸς καὶ ὁ Σαλαμίνιος· τὰ δὲ ἀπὸ διανοίας· καὶ τούτων τὰ μὲν καθ' ὁμοιότητα, ὡς ἄνθρωπος τό τε ζῶον καὶ ὁ γεγραμμένος· τὰ δὲ κατὰ ἀναλογίαν, ὡς πόδες Ἴδης (84), καὶ οἱ ἡμέτεροι πόδες, διὰ τὸ κατωτέρω εἶναι· τὰ δὲ κατ' ἐνέργειαν, ὡς ποῦς πλοίου (85), δι' οὗ τὸ πλοῖον πλεῖ, καὶ ποῦς ὁ ἡμέτερος, δι' οὗ κινούμεθα. Λέγεται ὁμώνυμα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ καὶ πρὸς τὸ αὐτό· ὡς ἀπὸ τοῦ ἰατροῦ (86) τὸ βιβλίον καὶ τὸ σμιλίον ἰατρικὰ, ἀπό τε τοῦ χρωμένου ἰατροῦ, καὶ πρὸς τὸν αὐτὸν λόγον τὸν ἰατρικόν.

Ex iis autem quæ collocantur sub decem prædicamentis, alia quidem per se dicuntur, ut novem prædicamenta, alia autem relata ad aliquid. Et rursus ex iis quæ sunt sub his decem prædicamentis, alia quidem sunt synonyma, sicut bos et homo, quatenus animal. Sunt enim synonyma, quorum amborum nomen est commune, ut animal : et ratio eadem, hoc est, definitio, nempe, essentia animata. Heteronyma autem sunt, quæ circa idem subjectum sunt in diversis nominibus, ut ascensus et descensus : ✠ est enim eadem via, sive sursum, sive deorsum. Est autem alia species heteronymorum, utpote equus, et niger, quæ et nomen et rationem habent, alterum ab altero diversum, et neque habent idem subjectum : sunt ea autem dicenda altera, non heteronyma. Polyonyma autem sunt quæ eamdem quidem habent rationem, nomen autem diversum, ut ensis, spatha, gladius. Denominativa autem sunt, quæ ex aliquo altero sunt nominata, ut a fortitudine fortis. Homonyma autem sunt, quæ utuntur eodem nomine, non habent autem eamdem rationem, ut homo, qui est et animal, et homo pictus. Ex homonymis autem, alia quidem habent idem nomen ex fortuna, ut Ajax Locrus, et Ajax Salaminius; alia autem ex intentione. Et ex his, alia quidem per similitudinem, ut homo, et qui est animal, et qui pictus; alia autem per proportionem ac convenientiam, ut pedes Idæ, et nostri pedes, propterea quod sint inferius; alia autem ex operatione, ut pes navis, per quem navis navigat, et pes noster, per quem movemur. Dicuntur etiam homonyma ab eodem et ad idem, ut a medico liber et scalpellum medica, et a medico qui utitur, et ad rationem medicam.

CAPUT IX.

De diversis generibus.

Ex causis, aliæ quidem sunt quæ dicuntur procatarcticæ, aliæ vero synecticæ, aliæ autem adjuvantes, aliæ sine quibus non. Procatarcticæ, quæ primo dant occasionem ad hoc ut aliquid fiat, quemadmodum pulchritudo dat incontinentibus occasionem amoris; eis enim visa solum ingenerat affectionem amatoriam, nec tamen necessario. Synecticæ, quæ etiam per synonymiam seu univoce vocantur, per se perfectæ quandoquidem per se est plene efficiens effectus. Deinceps autem omnium causarum exempla ostendentur ei qui discit.

C Τῶν αἰτίων τὰ μὲν προκαταρκτικά· τὰ δὲ συνεκτικά· τὰ δὲ συνεργά· τὰ δὲ, ὧν οὐκ ἄνευ. Προκαταρκτικὰ μὲν τὰ πρώτως ἀφορμὴν παρεχόμενα εἰς τὸ γίγνεσθαί τι, καθάπερ τὸ κάλλος τοῖς ἀκολάστοις τοῦ ἔρωτος· ὀφθὲν γὰρ αὐτοῖς, τὴν ἐρωτικὴν διάθεσιν ἐμποιεῖ μόνον, οὐ μὴν κατηναγκασμένως· συνεκτικὰ δὲ, ἅπερ (87) συνωνύμως καὶ αὐτοτελῆ καλεῖται, ἐπειδήπερ αὐτάρκως δι' αὐτοῦ ποιητικόν ἐστι τοῦ ἀποτελέσματος. Ἐξῆς δὲ πάντα τὰ αἴτια ἐπὶ τοῦ μανθάνοντος δεικτέον· ὁ μὲν πατὴρ αἴτιόν ἐστι προκαταρκτικὸν τῆς μαθήσεως· ὁ διδάσκαλος δὲ συνεκτι-

✠ P. 919 ED. POTTER, 783 ED. PARIS.

(81) *Συνώνυμα.* Aristoteles libro superius dicto cap. 1, sect. 2 : Συνώνυμα δὲ λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός· οἷον ζῶον, ὅ τε ἄνθρωπος, καὶ ὁ βοῦς. « Synonyma autem dicuntur, quorum et nomen est commune, et ad illud nomen accommodata definitio est eadem; quemadmodum et homo, et bos dicitur animal. »

(82) *Ὁμώνυμα.* Aristoteles libri modo dicti cap. 1, initio : Ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν· ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος· οἷον ζῶον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον. « Homonyma dicuntur, quorum nomen solum est commune, ad illud vero nomen accommodata definitio est diversa : quemadmodum et homo, et quod pictum est, animal dicitur. »

(83) *Αἴας.* Ajaces duo a Trojani belli auctoribus multum celebrati.

(84) *Πόδες Ἴδης.* Pedes Idæ montis Il. Υ, v. 59, *Πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπίδακος Ἴδης.*

(85) *Ποῦς πλοίου.* Nonius Marcellus : « Remi sunt navales pedes. » Vocantur alias « pedes, » funes nautici, quibus vela astringuntur. Unde Lycophron ποδωτὰ λίνα vocat. Conf. Meursius in istius poetæ *Cassandræ* v. 97 et 1015, et noster ibidem commentarius.

(86) *Ἀπὸ τοῦ ἰατροῦ.* Redundare videntur hæ voces. Forte ἐπὶ τοῦ ἰατροῦ legendum.

(87) *Συνωνύμως.* Sic legendum esse pro vulg. συνώνυμα, liquet ex p. 334.

Digitized by Google

κόν· ἡ δὲ τοῦ μανθάνοντος φύσις συνεργὸν αἴτιον· ὁ δὲ χρόνος τῶν ὧν οὐκ ἄνευ λόγον ἐπέχει. Αἴτιον δὲ κυρίως λέγεται τὸ παρεκτικόν τινος ἐνεργητικῶς· ἐπεὶ καὶ τὸν σίδηρον τμητικὸν φαμὲν εἶναι οὐ μόνον ἐν τῷ τέμνειν, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μὴ τέμνειν. Οὕτως οὖν καὶ τὸ παρεκτικὸν ἅμφω σημαίνει, καὶ τὸ ἤδη ἐνεργοῦν, καὶ τὸ μηδέπω μὲν, δυνάμει δὲ κεχρημένον τοῦ ἐνεργῆσαι. Οἱ μὲν οὖν, σωμάτων, οἱ δ', ἀσωμάτων, φασὶν εἶναι τὰ αἴτια· οἱ δὲ τὸ μὲν σῶμα κυρίως αἴτιον φασὶ, τὸ δὲ ἀσώματον καταχρηστικῶς καὶ οἷον αἰτιωδῶς. Ἄλλοι δ' ἔμπαλιν ἀναστρέφουσι, τὰ μὲν ἀσώματα κυρίως αἴτια λέγοντες, καταχρηστικῶς δὲ τὰ σώματα· οἷον τὴν τομὴν, ἐνέργειαν οὖσαν, ἀσώματον εἶναι, καὶ αἰτίαν εἶναι τοῦ τέμνειν, ἐνεργείας οὔσης καὶ ἀσωμάτου, καὶ τοῦ τέμνεσθαι, ὁμοίως τῇ τε μαχαίρᾳ καὶ τῷ τεμνομένῳ, σώμασιν οὖσι. Τὸ τινῶν ἐστιν αἴτιον λέγεται τριχῶς· τὸ μὲν, ὃ ἐστιν αἴτιον, οἷον ὁ ἀνδριαντοποιός· τὸ δὲ, οὗ ἐστιν αἴτιον, τοῦ γίνεσθαι τὸν ἀνδριάντα· τὸ δὲ, ᾧ ἐστιν αἴτιον, ὥσπερ ἡ ὕλη· τῷ χαλκῷ γὰρ αἴτιός ἐστι τοῦ γίνεσθαι τὸν ἀνδριάντα. Τὸ γίνεσθαι οὖν καὶ τὸ τέμνεσθαι, τὰ οὗ ἐστιν αἴτια, ἐνέργειαι οὖσαι, ἀσώματοί εἰσιν. Εἰς ὃν λόγον κατηγορημάτων, ἤ, ὥς τινες, λεκτῶν (λεκτὰ (88) γὰρ τὰ κατηγορήματα καλοῦσιν Κλεάνθης καὶ Ἀρχέδημος·) τὰ αἴτια· ἤ, ὅπερ καὶ μᾶλλον, τὰ μὲν κατηγορημάτων αἴτια λεχθήσεται, οἷον τὸ τέμνεται, οὗ πτῶσις τὸ τέμνεσθαι· τὰ δ' ἀξιωμάτων, ὡς τοῦ ναῦς γίνεσθαι (89), οὗ πάλιν ἡ πτῶσίς ἐστι τὸ ναῦν γίνεσθαι. Ἀριστοτέλης δὲ προσηγορίαν (90), οἷον τῶν τοιούτων, οἰκίας, νεώς, καύσεως, τομῆς· ἡ πτῶσις δὲ ἀσώματος εἶναι ὁμολογεῖται. Διὸ καὶ τὸ σόφισμα ἐκεῖνο οὕτω λύεται. Ὃ λέγεις, διέρχεταί σου διὰ τοῦ στόματος· ὅπερ ἀληθές· οἰκίαν δὲ λέγεις, οἰκία ἄρα διὰ τοῦ στόματός σου διέρχεται· ὅπερ ψεῦδος· οὔτε γὰρ τὴν οἰκίαν λέγομεν σῶμα οὖσαν, ἀλλὰ τὴν πτῶσιν, ἀσώματον οὖσαν, ἧς οἰκία τυγχάνει. Καὶ τὸν οἰκοδόμον οἰκοδομεῖν λέγομεν κατὰ τὴν ἐπὶ τὸ γενησόμενον ἀναφοράν. Οὕτω φαμὲν χλαμύδα ὑφαίνεσθαι· τὸ γὰρ ποιοῦν ἐνεργείας δηλωτικὸν ὑπάρχει. Οὐκ ἔστι δὲ ἑτέρου μὲν τὸ ποιοῦν, ἑτέρου δὲ τὸ αἴτιον, ἀλλὰ ταὐτοῦ, τῆς χλαμύδος, καὶ τῆς οἰκίας· καθ' ὃ γὰρ αἴτιος τοῦ γίνεσθαι, κατὰ τοῦτο καὶ ποιητικός ἐστι τοῦ γίνεσθαι. Τὸ δὲ αὐτὸ ἄρα αἴτιον καὶ ποιητικὸν καὶ δι' ὅ. Καὶ εἴ μέν τί ἐστιν αἴτιον καὶ ποιητικὸν, τοῦτο πάντως ἐστὶ καὶ δι' ὅ· εἰ δέ τί ἐστι δι' ὅ, οὐ πάντως τοῦτο καὶ αἴτιον. Πολλὰ γοῦν ἐφ' ἓν ἀποτέλεσμα συντρέχει, δι' ἃ γίνεται τὸ τέλος· ἀλλ' οὐκ ἔστι πάντα αἴτια. Οὐ γὰρ

A Pater quidem est causa procatarctica disciplinæ : magister autem, synectica. Ejus autem qui discit, ingenium, est causa adjuvans; tempus autem obtinet rationem causarum sine quibus non. Causa autem proprie dicitur id quod aptum est præstare aliquem effectum : sicut etiam ferrum dicimus esse secare aptum, non solum cum secat, sed etiam cum non secat. Sic ergo παρεκτικόν quoque, id est, præstare aptum, ambo significat, et id quod jam operatur, et quod nondum quidem operatur, sed vim habeat operandi. Porro autem alii quidem dicunt causas esse ex corporibus : alii vero ex incorporeis : alii autem dicunt corpus quidem esse proprie causam, incorporeum ✠ autem per abusionem et quodammodo causaliter. Alii autem convertunt e contrario, res incorporeas quidem proprie dicentes esse causas; per abusionem autem corpora : ut, verbi causa, sectionem, cum sit operatio, esse incorpoream; et esse pariter causam corporibus, gladio quidem secandi, quod est actio et quid incorporeum; et rei sectæ, ut secetur. Aliquorum autem causa dicitur tribus modis. Uno quidem, id quod est causa, ut statuarius; alio autem, id cujus causa est, ut fiat statua; alio vero, id cui est causa, ut materia : æri enim causa est ut fiat statua. Fieri ergo et scindi, quæ sunt causæ cujus sunt, cum sint operationes, sunt incorporea. Qua ratione, categorematum, vel ut nonnulli dicunt, dictorum (categoremata enim λεκτά, hoc est dicta, vocant Cleanthes et Archidemus) sunt causæ : vel, quod potius dicendum est, aliæ quidem dicentur causæ categorematum, ut hujus, scinditur, cujus casus est scindi : aliæ vero, pronuntiatorum, ut hujus, navis fit, cujus rursus casus est, navem fieri. Aristoteles autem vocat appellationem, nempe eorum quæ sunt ejusmodi, domus, templi, ustionis, sectionis. Est autem extra controversiam, casum esse incorporeum, quocirca illud quoque sophisma sic solvitur. Quod tu dicis transit per os tuum, quod quidem est verum : domum autem dicis, domus, ergo transit per os tuum. Quod quidem falsum est. Neque enim domum dicimus quæ est corpus, sed casum qui est incorporeus, quem habet domus. **333** Et ædificatorem dicimus ædificare per eam relationem quæ sit ad id quod futurum est. Sic dicimus texi chlamydem, id enim quod facit, significat operationem. Non est autem alterius quidem, id quod facit, alterius vero, causa, sed ejus-

✠ P. 920 ED. POTTER, 784 ED. PARIS.

(88) *Λεκτά*. Vox a Stoicis usurpari solita. Λεκτά et κατηγορήματα distinguit in *Zenone* Laertius lib. 7, seg. 43 : Καὶ τῶν ἐκ τούτων ὑφισταμένων λεκτῶν, ἀξιωμάτων, καὶ αὐτοτελῶν, καὶ κατηγορημάτων. « Eorum quæ ex istis subsistunt, dictorum, pronuntiatorum, et ex se perfectorum, et prædicamentorum. » Λεκτά apud Stoicos secundum Philoponum est synonymum ταῖς φωναῖς. Conf. quæ ex eo citata sunt p. 772. Laertius in *Zenone* lib. 7, seg. 63, definit λεκτόν esse, τὸ κατὰ φαντασίαν λογικὴν ὑφιστάμενον· « quod secundum rationalem visionem subsistit. » Idem etiam λεκτόν et κατηγόρημα distinguit. Conf. Suidas, v. κατηγόρημα, et Sextus Empiricus *Adv. Mathematicos* p. 232.

(89) *Τοῦ ναῦς γίνεσθαι*. Sic recte edit. Flor., quod posteriores editiones perperam mutaverunt in τοῦ ναοὺς γίνεσθαι. Lowthio scribendum videtur, τὸ ναῦς γίνεται.

(90) *Ἀριστοτέλης δὲ προσηγορίαν*. Deest aliquid. Lowth.

Digitized by Google

dem et chlamydis et domus. Quatenus enim causa est ut fiat, ea ratione est etiam efficiens, ut fiat : eadem autem omnino est causa et efficiens, et propter quod. Et si aliquid quidem est causa et efficiens, hoc quoque est omnino propter quod : si quid autem est propter quod, non est id omnino quoque causa. Multa quidem certe concurrunt ad unum effectum, propter quæ fit finis : sed non sunt omnia causæ. Filios enim non occidisset Medea, nisi fuisset irata ; neque fuisset irata, nisi laborasset zelotypia ; neque fuisset zelotypa, nisi amasset ; neque amasset, nisi Jason Colchos navigasset ; neque Colchos navigasset, nisi Argo fuisset ædificata ; neque Argo fuisset ædificata, nisi ligna fuissent scissa ex Pelio. ✠ In his enim omnibus cum sit propter quod, non sunt omnia causæ cædis filiorum, sed sola Medea. Quamobrem id quod non prohibet, non operatur : quocirca non est causa id quod non impedit, sed id quod prohibet : in agendo enim aliquod et operando causa intelligitur. Præterea, quod non prohibet, separatum est ab eo quod fit, causa autem refertur ad id quod fit ; non erit ergo causa id quod non prohibet. Propterea quidem certe perficitur, quod non adsit id quod potest prohibere. Quatuor autem modis dicitur causa : efficiens, ut statuarius ; et materia, ut æs ; et forma, ut character ; et finis, ut honor gymnasiarchæ. Eorum ergo sine quibus non, rationem æs tenet, ad hoc ut fiat statua, et est similiter causa. Nam quidquid est sine quo non contingit fieri effectum, causa est necessario, causa autem non absolute, non est enim synectica causa, id sine quo non, sed adjuvans. Quidquid autem operatur, effectum reddit cum ejus quod patitur aptitudine ; nam disponit quidem causa, patitur autem unum quodque prout ei fuerit aliquid a natura insitum, nam concurrit ipsa aptitudo et eorum sine quibus non, rationem obtinet. Est ergo causa inefficax absque aptitudine : ea vero non est causa, sed solum adjuvat. Omnis enim causa consideratur in agendo. Seipsam autem non fecerit terra : quare nec fuerit causa sui ipsius. Ridiculum est autem dicere, ignem non esse causam ustionis, sed ligna : neque gladium sectionis, sed carnem : neque quod victus sit athleta, vires adversarii, sed suam imbecillitatem. Causa synectica non opus habet tempore : nam cauterium simul ac carni fuerit applicatum, præbet dolorem.

A ἂν ἐτεκνοκτόνησε Μήδεια, εἰ μὴ ὠργίσθη· οὐδ' ἂν ὠργίσθη, εἰ μὴ ἐζήλωσεν· οὐδὲ τοῦτο, εἰ μὴ ἠράσθη· οὐδὲ τοῦτο, εἰ μὴ Ἰάσων ἔπλευσεν εἰς Κολχούς· οὐδὲ τοῦτο, εἰ μὴ Ἀργὼ κατεσκευάσθη· οὐδὲ τοῦτο, εἰ μὴ τὰ ξύλα ἐκ τοῦ Πηλείου ἐτμήθη. Ἐν τούτοις γὰρ ἅπασιν τοῦ δι' ὃ (91) τυγχάνοντος, οὐ πάντα τῆς τεκνοκτονίας αἴτια τυγχάνει, μόνη δὲ ἡ Μήδεια· διὸ τὸ μὴ κωλῦον ἀνενέργητόν ἐστιν· διὸ οὐκ ἔστιν αἴτιον τὸ μὴ κωλῦον, ἀλλὰ τὸ κωλῦον. Ἐν γὰρ
B τῷ ἐνεργεῖν καὶ δρᾷν τι τὸ αἴτιον νοεῖται. Ἔτι τὸ μὴ κωλῦον κεχώρισται τοῦ γινομένου· τὸ δὲ αἴτιον πρὸς τὸ γινόμενον. Οὐκ ἂν οὖν εἴη αἴτιον τὸ μὴ κωλῦον. Διὰ τοῦτο γοῦν ἐπιτελεῖται, ὅτι τὸ δυνάμενον κωλύειν οὐ πάρεστιν. Τετραχῶς τὸ αἴτιον λέγεται, τὸ ποιοῦν, ὡς ὁ ἀνδριαντοποιός· καὶ ἡ ὕλη, ὡς ὁ χαλκός· καὶ τὸ εἶδος, ὡς ὁ χαρακτήρ· καὶ τὸ τέλος, ὡς ἡ τιμὴ τοῦ γυμνασιάρχου. Τῶν ὧν οὐκ ἄνευ λόγον ὁ χαλκὸς ἐπέχει πρὸς τὸ γενέσθαι τὸν ἀνδριάντα, καὶ ὁμοίως ἐστὶν αἴτιον. Πᾶν γὰρ οὗ χωρὶς οὐκ ἐνδεχόμενον γενέσθαι τὸ ἀποτέλεσμα, κατὰ ἀνάγκην ἐστὶν αἴτιον· αἴτιον δὲ οὐχ ἁπλῶς· οὐ γάρ ἐστι συνεκτικὸν τὸ οὗ μὴ ἄνευ, συνεργὸν δέ· πᾶν δὲ τὸ ἐνεργοῦν, παρέχει τὸ ἀποτέλεσμα μετ' ἐπιτηδειότητος τοῦ πάσχοντος· διατίθησι μὲν γὰρ τὸ αἴτιον (92)· πάσχει δὲ ἕκαστον εἰς ὃ πέφυκέ τι, παρεκτικῆς τῆς ἐπιτηδειότητος οὔσης, καὶ τῶν
C ὧν οὐκ ἄνευ λόγον ἐπεχούσης· ἀπρακτον οὖν τὸ αἴτιον ἄνευ τῆς ἐπιτηδειότητος· οὐκ ἔστι δὲ αἰτία, ἀλλὰ συνεργός· ἐπεὶ πᾶν αἴτιον ἐν τῷ δρᾷν νοεῖται· αὐτὴν δὲ οὐκ ἂν ποιοίη ἡ γῆ· ὥστε οὐδὲ αἰτία ἂν εἴη ἑαυτῆς. Καταγέλαστον δὲ τὸ λέγειν, μὴ τὸ πῦρ αἴτιον τῆς καύσεως, ἀλλὰ τὰ ξύλα· μηδὲ τὴν μάχαιραν τῆς τομῆς, ἀλλὰ τὴν σάρκα· μηδὲ τοῦ καταπαλαισθῆναι (93) τὸν ἀθλητὴν τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀντιπάλου, τὴν ἑαυτοῦ δὲ ἀσθένειαν. Τὸ συνεκτικὸν αἴτιον οὐ δεῖται χρόνου· τὸ γὰρ καυτήριον ἅμα τῷ κατὰ τῆς σαρκὸς ἐπερεισθῆναι τὴν ἀλγηδόνα παρέχει. Τῶν προκαταρκτικῶν τὰ μὲν χρόνου δεῖται, ἄχρις ἂν γένηται τὸ ἀποτέλεσμα· τὰ δὲ οὐ δεῖται, ὡς ἡ πτῶσις τοῦ κατάγματος. Μήτι οὐ κατὰ στέρησιν χρόνου ἄχρονα (94) λέγεται ταῦτα, ἀλλὰ κατὰ μείωσιν, ὡς καὶ τὸ ἐξαίφνης, μηδὲ αὐτὸ χωρὶς χρόνου γενόμενον. Πᾶν αἴτιον ὡς αἴτιον διανοίᾳ ληπτὸν τυγχάνει ἐπί τινος, καὶ πρός τι
D νοεῖται· τινὸς μέντοι ἀποτελέσματος· καθάπερ ἡ μάχαιρα τοῦ τέμνειν· πρός τινι δὲ, καθάπερ τῷ ἐπιτηδείως ἔχοντι, καθάπερ τὸ πῦρ τῷ ξύλῳ· τὸν ἀδάμαντα (95) γὰρ οὐ καύσει. Τὸ αἴτιον τῶν πρός τι· κατὰ γὰρ τὴν πρὸς ἕτερον νοεῖται σχέσιν· ὥστε δυεῖν ἐπιβάλλομεν, ἵνα τὸ αἴτιον ὡς αἴτιον νοήσωμεν. Ὁ αὐτὸς

✠ P. 9$\frac{3}{4}$1 ED. POTTER, 785 ED. PARIS.

(91) Δι' ὅ. Flor. conjuncte διό, minus perspicue. Hic autem allusio est ad prologum *Medeæ* Euripideæ, qui apud Ciceronem quoque expressus est. Disputatio de causa prohibente, supra tractata latius p. 134. SYLBURG.

(92) *Διατίθησι μὲν γὰρ τὸ αἴτιον.* Vide quæ paulo post sequuntur. LOWTH.

(93) *Καταπαλαισθῆναι.* Sic recte Flor. Posteriores editiones perperam exhibent κατὰ παλαισθῆναι.

(94) *Ἄχρονα.* Duplici sensu hanc vocem accipit : 1° κατὰ στέρησιν · pro re quæ tempore caret ; cujusmodi est Deus, æternus ; 2° κατὰ μείωσιν · pro re quæ exiguum tempus durat. Quo sensu χρόνος temporis moram notat. Hoc Hesychius vocat Ἀχρονοτριβές, σύντομον, ταχύ · παρὰ τὸ μὴ τετρίφθαι ἐν χρόνῳ, ἢ χρόνον πολὺν διατρίψαι. Priori sensu idem exp. ἄχρονον, τὸ μὴ ἀρξάμενον ἐπὶ χρόνου.

(95) *Ἀδάμαντα.* De adamante super. dictum *Str.* 7, p. 739 ed. Par.

Digitized by Google

καὶ περὶ τοῦ δημιουργοῦ καὶ ποιητοῦ λόγος καὶ πατρός. Οὐκ ἔστιν αὐτό τι ἑαυτοῦ αἴτιον, οὐδὲ ἑαυτοῦ τις πατήρ· ἐπεὶ τὸ πρῶτον γενήσεται δεύτερον· τό γε μὴν αἴτιον ἐνεργεῖ καὶ διατίθησι· τὸ ὑπὸ τοῦ αἰτίου γενόμενον πάσχει καὶ διατίθεται. Οὐ δύναται δὲ τὸ αὐτὸ πρὸς ἑαυτῷ λαμβανόμενον ἐνεργεῖν ἅμα καὶ διατίθεσθαι, οὐδὲ υἱὸς εἶναι καὶ πατήρ. Καὶ ἄλλως τὸ αἴτιον τοῦ ὑπ' αὐτοῦ γινομένου προχρονεῖ κατὰ τὴν οὐσίαν, ὡς ἡ μάχαιρα τῆς τομῆς. Οὐ δύναται δὲ τὸ αὐτὸ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ προχρονεῖν τῇ ὕλῃ καθὸ αἴτιόν ἐστιν, ἅμα καὶ ὑστερεῖν καὶ ὑστεροχρονεῖν, καθὸ τῆς αἰτίας ἐστὶν ἔργον. Διαφέρει τε τὸ εἶναι τοῦ γενέσθαι· οὕτω καὶ αἴτιον μὲν τοῦ γινομένου, πατὴρ δὲ υἱοῦ. Οὐκ ἐνδέχεται γὰρ τὸ αὐτὸ κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ εἶναι ἅμα καὶ γίνεσθαι· οὐθὲν οὖν ἐστιν ἑαυτοῦ αἴτιον. Ἀλλήλων οὐκ ἔστι τὰ αἴτια, ἀλλήλοις δὲ αἴτια· ἡ γὰρ σπληνικὴ διάθεσις προϋποκειμένη, οὐ πυρετοῦ αἴτιος, ἀλλὰ τοῦ γίνεσθαι τὸν πυρετόν· καὶ ὁ πυρετὸς, προϋποκείμενος, οὐ σπληνὸς, ἀλλὰ τοῦ αὔξεσθαι τὴν διάθεσιν. Οὕτω καὶ αἱ ἀρεταὶ ἀλλήλαις αἴτιαι τῷ μὴ χωρίζεσθαι (96), διὰ τὴν ἀνταkολουθίαν· καὶ οἱ ἐπὶ τῆς ψαλίδος λίθοι ἀλλήλοις εἰσὶν αἴτιοι τοῦ μένειν κατηγορήματος (97), ἀλλήλων δὲ οὐκ εἰσὶν αἴτιοι· καὶ ὁ διδάσκαλος δὲ καὶ ὁ μανθάνων ἀλλήλοις εἰσὶν αἴτιοι τοῦ προκόπτειν κατηγορήματος. Λέγεται δὲ ἀλλήλοις αἴτια, ποτὲ μὲν τῶν αὐτῶν, ὡς ὁ ἔμπορος καὶ ὁ κάπηλος ἀλλήλοις εἰσὶν αἴτιοι τοῦ κερδαίνειν· ποτὲ δὲ ἄλλου καὶ ἄλλου, καθάπερ ἡ μάχαιρα καὶ ἡ σάρξ· ἡ μὲν γὰρ τῇ σαρκὶ τοῦ τέμνεσθαι· ἡ σὰρξ δὲ τῇ μαχαίρᾳ τοῦ τέμνειν τὸ ὀφθαλμὸν (98) ἀντὶ ὀφθαλμοῦ καὶ ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς· ὁ μὲν γὰρ πλήξας τινὰ θανασίμως αἰτιός ἐστιν αὐτῷ τοῦ θανάτου, ἢ τοῦ γίνεσθαι τὸν θάνατον· ἀντιπληγεὶς δὲ ὑπ' αὐτοῦ θανασίμως, ἔσχεν αὐτὸν ἀνταίτιον, οὐ καθὸ ἐγένετο αὐτῷ αἴτιος, καθ' ἕτερον δέ· αἴτιος μὲν γὰρ αὐτῷ θανάτου γίνεται, οὐχ ὁ θάνατος δὲ τούτῳ πάλιν (99) τὴν θανασίμην ἀντεπέθηκε πληγὴν, ἀλλ' αὐτὸς ὁ τρωθείς. Ὥστ' ἄλλου μὲν αὐτὸς γέγονεν αἴτιος, ἄλλον δὲ ἔσχεν αἴτιον. Καὶ ὁ ἀδικήσας ἄλλου μὲν αἴτιος καθίσταται, τοῦ ἀδικηθέντος· ὁ δὲ ἀντιτιμωρεῖσθαι κελεύων νόμος οὐκ ἀδικήματος, ἀλλὰ τῷ μὲν ἐκδικίας, τῷ δὲ παιδείας. Ὥστε οὐκ ἀλλήλων τὰ αἴτια ὡς αἴτια, ἃ δή ἐστιν αἴτια. Ἔτι ζητεῖται, εἰ πολλὰ κατὰ σύνοδον ἑνὸς αἴτια γίνεται πολλά· οἱ γὰρ ἄνθρωποι, συνελόντες (1), αἴτιοί εἰσι τοῦ καθέλκεσθαι τὴν ναῦν, ἀλλὰ σὺν τοῖς ἄλλοις, εἰ μή τι καὶ τὸ συναίτιον

A Ex procatarcticis aliæ quidem tempore opus habent, donec ad finem perductus fuerit effectus; aliæ autem non indigent, ut casus fracturæ. Num ergo hæc non dicuntur expertia temporis per ejus privationem, sed per diminutionem, ut etiam repente, quod nec ipsum quidem factum est absque tempore? Omnis causa, quatenus causa, concipitur esse alicujus, et versari in aliquo. Alicujus quidem effectus, ut gladius secandi; in aliquo autem versari, nempe in idoneo subjecto, quemadmodum ignis in ligno, non uret enim adamantem. Causa est ex iis quæ referuntur ad aliquid; concipitur enim per eam quæ est ad alterum habitudinem. Quo fit ut duobus sibi invicem applicatis, causam ut causam intelligamus. Eadem autem est ratio opificis, effectoris, et

B patris. Non est aliquid ipsum sui ipsius causa, neque ✠ est aliquis pater suus: nam sic primum, futurum esset secundum. Causa quidem certe agit et afficit: quod a causa factum est, patitur et afficitur. Non potest autem idem a seipso sumptum, operari simul et affici, neque esse filius et pater. Et alioqui id quod est causa eo quod fit ab ipsa, est prius tempore quoad essentiam, ut gladius incisione. Non potest autem idem simul et tempore esse prius quoad materiam, quatenus est causa; et tempore esse posterius, quatenus est opus causæ. Et differunt esse ac fieri. Sic etiam causa quidem ejus quod fit, pater vero filii. Non contingit enim idem secundum idem et esse simul et fieri. Nihil est ergo sui ipsius causa. Causæ non sunt altera alterius invicem, sed altera alteri.

C Spleniaca enim quæ prius exsistit affectio, non est causa febris, sed ut fiat febris; et quæ præcedit febris, non splenis causa est, sed ut augeatur affectio. Sic etiam virtutes sunt sibi invicem causæ ne separentur, propter mutuam consequentiam: et qui sunt in fornice lapides sunt sibi invicem causæ quoad prædicatum manendi, non sunt autem invicem causæ. Magister quoque et discipulus sunt sibi invicem causæ quoad prædicatum proficiendi. Dicuntur autem alteri alterius inter se causæ, aliquando quidem eorumdem, ut mercator et caupo sunt sibi invicem causæ ut proficiant; aliquando autem alterius et alterius, quemadmodum ensis et caro; ille quidem carni, ut scin-

D datur; caro autem gladio, ut scindat oculum pro oculo, et animam pro anima. Qui enim alicui

✠ P. 922 ED. POTTER, 786-787 ED. PARIS.

(96) *Αἴτιαι, τῷ μὴ χωρίζεσθαι.* Rectius αἴτιαι τοῦ μὴ χωρίζεσθαι, ut interpres quoque, « sibi invicem causæ sunt ne separentur. » SYLBURG.—Cave autem, ne vulgo receptam lectionem sollicites. Sensus enim est: « Virtutes sibi invicem causæ sunt, eo quod propter mutuam consequentiam non separentur. » Quippe virtutes, cum inter se sint connexæ, ut loquuntur morales philosophi, necessario se mutuo ponunt in eodem subjecto, et vicissim tollunt; licet alioqui non sint sui invicem causæ: id quod Clemens supra dicit esse ἀλλήλοις αἴτια, non vero ἀλλήλων αἴτια. Conf. *Strom.* II, pag. 379 edit. Paris.

(97) *Τοῦ μένειν κατηγορήματος.* « Hujus prædicati manere. » Ita mox. LOWTH.

(98) *Τὸ ὀφθαλμόν.* Τόν mavult A. Sed τό recte scriptum; quippe quod totam sequentem sententiam respicit: in cujus fine subaudiendum εὐλόγως εἴρηται, vel simile quid. SYLBURG.

(99) *Οὐχ ὁ θάνατος δὲ τούτῳ πάλιν.* Corrupta. LOWTH.

(1) *Συνελόντες.* Malet forte aliquis συνέλκοντες, « una trahentes: » ferri tamen et συνελόντες potest. Aliis verbis supra in eadem re utitur, pag. 137. SYLBURG.

Digitized by Google

vulnus inflixit letale, is ei causa est mortis, aut ut ei mors accidat; qui autem ab ipso est vicissim lethaliter sauciatus, eum vicissim causam habuit non per id quo ei fuit causa, sed per aliud : ipsi enim fit causa mortis; non autem mors mortale ipsi vulnus vicissim intulit, sed ipse sauciatus. Quare ipse quidem fuit alterius causa, aliam autem causam habuit. Et qui alii fecit injuriam, causa quidem est alterius, **334** nempe ejus cui facta est injuria. Lex autem quæ contra jubet eum supplicio affici, non injuriæ ac maleficii, sed alteri quidem vindictæ, alteri vero disciplinæ causa est. Quamobrem non sunt sui invicem causæ ut causæ, sed illa quæ causæ sunt. Præterea quæritur an multa per congressum fiant multæ causæ unius. Conjuncti enim homines causæ sunt ut navis trahatur; verum cum aliis, nisi concausa sit causa. Alii autem dicunt, si multæ ✠ causæ fiunt, seorsum una est unius causa, veluti ut quis sit beatus, quod unum est, causæ sunt virtutes, quæ sunt multæ; et ejus quod est calefieri, et dolere, multæ sunt causæ similiter. Nunquid ergo multæ virtutes sunt una potestate, et quæ calefaciunt, et dolore afficiunt : et multitudo virtutum quæ est unum genere, fit causa unius, nempe ut quis sit beatus? Revera autem procatarcticæ quidem causæ sunt unius plures et genere et specie : et genere quidem, ut cujuslibet morbi, exempli gratia, algor, resolutio, labor, mala concoctio, ebrietas : specie autem febris. Continentes autem causæ, genere solum, non itidem etiam specie. Nam ut quis boni sit odoris, quod est unum genere, multæ sunt causæ specie, utpote thus, rosa, crocus, styrax, myrrha, unguentum. Rosa enim non erit adeo odorifera, ut myrrha. Idem autem fit causa contrariorum, quod aliquando accidit propter ipsius causæ magnitudinem, ac vim, aliquando autem ob ejus, quod patitur, aptitudinem. Ob certam quidem vim, eadem chorda quatenus intenditur aut remittitur, acutum aut gravem edit sonum; ob aptitudinem autem eorum quæ patiuntur, mel quidem sanos dulcedine afficit, amarore autem eos qui febre laborant; et unum et idem vinum, alios quidem ciet ad iram, alios vero exhilarat; et idem sol ceram quidem liquefacit, lutum autem exsiccat. Porro autem ex causis aliæ quidem sunt apertæ, aliæ quas cogitando assequimur, aliæ obscuræ : aliæ quas colligimus. Ex obscuris autem, aliæ quidem sunt obscuræ ad tempus, ut quæ aliquo quidem tempore abditæ fuerint, aliquando autem

A αἴτιον. Ἄλλοι δέ φασιν, εἰ πολλὰ αἴτια κατ' ἰδίαν, ἕκαστον ἑνὸς αἴτιον γίνεται. Τοῦ γοῦν εὐδαιμονεῖν ἑνὸς ὄντος αἴτιαι τυγχάνουσιν αἱ ἀρεταὶ, πολλαὶ οὖσαι· καὶ τοῦ θερμαίνεσθαι καὶ τοῦ ἀλγεῖν ὁμοίως πολλὰ τὰ αἴτια. Μήτι οὖν αἱ πολλαὶ ἀρεταὶ μία ἐστὶ κατὰ δύναμιν, καὶ τὰ θερμαίνοντα καὶ τὰ ἀλγοῦντα· καὶ τὸ πλῆθος δὲ τῶν ἀρετῶν, κατὰ γένος ἓν τυγχάνον, ἑνὸς αἴτιον γίνεται τοῦ εὐδαιμονεῖν; Τῷ ὄντι δὲ προκαταρκτικὰ μὲν αἴτια ἑνὸς γίνεται πλείονα, κατὰ γένος καὶ κατ' εἶδος· καὶ κατὰ γένος μὲν, τοῦ νοσεῖν ὁπωσοῦν, οἷον ψύξις, ἔκλυσις, κόπος, ἀπεψία, μέθη· κατ' εἶδος δὲ, τοῦ πυρετοῦ. Τὰ δὲ συνεκτικὰ αἴτια κατὰ γένος μόνον, οὐκ ἔτι δὲ καὶ κατ' εἶδος. Τοῦ γὰρ εὐωδιάζεσθαι κατὰ γένος ἑνὸς ὄντος, πολλὰ τὰ αἴτια κατ' εἶδος· οἷον λιβανωτὸς, ῥόδον, κρόκος, στύραξ, σμύρνα, μύ-

B ρον· τὸ γὰρ ῥόδον οὐκ ἂν οὕτως εὐῶδες εἴη ὡς ἡ σμύρνα. Τὸ δὲ αὐτὸ τῶν ἐναντίων αἴτιον γίνεται· ποτὲ μὲν παρὰ τὸ μέγεθος τοῦ αἰτίου καὶ τὴν δύναμιν, ποτὲ δὲ παρὰ τὴν ἐπιτηδειότητα τοῦ πάσχοντος. Παρὰ μὲν τὴν ποιὰν δύναμιν, ἡ αὐτὴ χορδὴ παρὰ τὴν ἐπίτασιν ἢ τὴν ἄνεσιν ὀξὺν ἢ βαρὺν ἀποδίδωσι τὸν φθόγγον· παρὰ δὲ τὴν ἐπιτηδειότητα τῶν πασχόντων τὸ μέλι γλυκάζει μὲν τοὺς ὑγιαίνοντας, πικράζει δὲ τοὺς πυρέσσοντας· καὶ εἷς καὶ ὁ αὐτὸς οἶνος (2) τοὺς μὲν εἰς ὀργὴν, τοὺς δὲ εἰς διάχυσιν ἄγει· καὶ ὁ αὐτὸς ἥλιος τήκει μὲν τὸν κηρὸν, ξη-

C ραίνει δὲ τὸν πηλόν. Τῶν οὖν αἰτίων τὰ μέν ἐστι πρόδηλα, τὰ δὲ ἐπιλογισμῷ λαμβανόμενα· τὰ δὲ ἄδηλα· τὰ δὲ ἀναλογισμῷ. Καὶ τῶν ἀδήλων τὰ μὲν πρὸς καιρὸν ἄδηλα, κατὰ μὲν τινὰ καιρὸν ἀποκεκρυμμένα, κατὰ δὲ τινὰ πάλιν ἔκδηλα βλεπόμενα· τὰ δὲ φύσει ἄδηλα, τὰ κατὰ μηδένα καιρὸν πρόδηλα γενέσθαι δυνάμενα· καὶ τῶν μὲν φύσει τὰ μὲν καταληπτά· ἅπερ οὐκ ἄδηλά τινες ἐκάλουν, διὰ σημείων ἀναλογιστικῶς λαμβανόμενα, καθάπερ ἡ συμμετρία τῶν λόγῳ θεωρητῶν πόρων (3)· τὰ δὲ ἀκατάληπτα, τὰ κατὰ μηδένα τρόπον ὑπὸ κατάληψιν πεσεῖν δυνάμενα, ἃ δὴ καὶ ἄδηλα, ἐν τῷ καθάπαξ λέγεσθαι (4). Καὶ τὰ μὲν προκαταρκτικὰ, τὰ δὲ συνεκτικὰ, τὰ δὲ συναίτια, τὰ δὲ συνεργά· καὶ τὰ μὲν τοῦ κατὰ φύσιν, τὰ δὲ τοῦ παρὰ φύσιν, τὰ δὲ νόσου, καὶ κατὰ τὸ

D ὑποβεβηκὸς (5), τὰ μὲν παθῶν, τὰ δὲ τοῦ μεγέθους αὐτῶν, τὰ δὲ χρόνων καὶ καιρῶν. Τῶν μὲν οὖν προκαταρκτικῶν αἱρομένων μένει τὸ ἀποτέλεσμα· συνεκτικὸν δέ ἐστιν αἴτιον, οὗ παρόντος, μένει τὸ ἀποτέλεσμα· καὶ αἱρομένου, αἴρεται. Τὸ δὲ συνεκτικὸν συνωνύμως καὶ αὐτοτελὲς καλοῦσιν· ἐπειδὴ αὐτάρκως δι' αὐτοῦ (6) ποιητικόν ἐστι τοῦ ἀποτελέσματος. Εἰ δὲ τὸ αἴτιον αὐτοτελοῦς ἐνεργείας ἐστὶ δηλωτι-

✠ P. 923 ED. POTTER, 787-788 ED. PARIS.

(2) *Οἶνος*. Vinum idem alios aliter afficere, docet etiam Philo *Περὶ τῶν μετονομαζ.* pag. 172. Plutarchus pag. 199, 387, et Aristot. problem. 17, sect. 3. H. SYLBURG.

(3) *Τῶν λόγῳ θεωρ. πόρ.* Id est, « pororum, » seu « meatuum, » corporis, qui, licet sensui haud sint obvii, « ratione » tamen deprehenduntur ac « videntur. » Τῶν λόγων θεωρητῶν π. habet Flor., quod explicare frustra conatus est interpres.

(4) *Λέγεσθαι*. Supple δυνάμενα, vel lege λέγεται.

(5) *Ὑποβεβηκός*. Flor., ὑπεβηκός· quod ne Ionismus quidem facile admiserit. Regulare ὑποβεβηκός supra quoque legitur pag. 525, et infra pag. 536. SYLBURG.

(6) *Δι' αὐτοῦ*. Vel potius δι' αὐτοῦ, « per se. »

Digitized by Google

κὸν, τὸ συνεργὸν ὑπηρεσίαν σημαίνει, καὶ τὴν σὺν ἑτέρῳ λειτουργίαν. Εἰ μὲν οὖν μηδὲν παρέχεται, οὐδὲ συνεργὸν λεχθήσεται· εἰ δὲ παρέχεται, τούτου πάντως γίνεται αἴτιον, οὗ καὶ παρέχεται, τουτέστι τοῦ δι' αὐτοῦ γινομένου. Ἔστιν οὖν συνεργὸν, οὗ παρόντος ἐγίνετο τὸ ἀποτέλεσμα· προδήλως (7) μὲν οὖν παρόντος (8), ἀδήλως δὲ ἀδήλου. Καὶ τὸ συναίτιον δὲ ἐκ τοῦ γένους ἐστὶ τῶν αἰτίων, καθάπερ ὁ συστρατιώτης στρατιώτης, καὶ ὁ συνέφηβος ἔφηβος. Τὸ μὲν οὖν συνεργὸν αἴτιον τῷ συνεκτικῷ πρὸς τὴν ἐπίτασιν βοηθεῖ τοῦ ὑπ' αὐτοῦ γινομένου· τὸ δὲ συναίτιον οὐκ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ἐστιν ἐννοίας· δύναται γὰρ συναίτιον ὑπάρχειν, κἂν μὴ συνεκτικὸν αἴτιον ᾖ τι. Νοεῖται γὰρ σὺν ἑτέρῳ τὸ συναίτιον, οὐδ' αὐτῷ (9) δυναμένῳ κατ' ἰδίαν ποιῆσαι τὸ ἀποτέλεσμα, αἴτιον ὂν σὺν αἰτίῳ. Διαφέρει δὲ τοῦ συναιτίου τὸ συνεργὸν ἐν τῷ τὸ μὲν συναίτιον κατ' ἰδίαν μὴ ποιοῦντος τὸ ἀποτέλεσμα παρέχειν· τὸ δὲ συνεργὸν ἐν τῷ κατ' ἰδίαν μὴ ποιεῖν, ἑτέρῳ δὲ προσερχόμενον τῷ κατ' ἰδίαν ποιοῦντι, συνεργεῖ αὐτῷ πρὸς τὸ σφοδρότατον γίνεσθαι τὸ ἀποτέλεσμα. Μάλιστα δὲ τὸ ἐκ προκαταρκτικοῦ συνεργὸν γεγονέναι τὴν τοῦ αἰτίου διατείνειν δύναμιν παρίστησιν (10).

A rursus apertæ videntur; aliæ autem obscuræ natura, quæ nullo tempore possunt esse apertæ. Et ex his quidem quæ sunt natura, aliæ quidem possunt deprehendi, quas quidem vocabant non obscuras, ut quæ per signa reputando ac ratiocinando colligantur, quemadmodum symmetria dubiarum orationum quæ cadunt in contemplationem: aliæ vero quæ deprehendi nequeunt, quæ nullo modo possunt cadere sub deprehensionem, quæ etiam dicuntur penitus obscuræ. Et aliæ quidem sunt procatarcticæ, aliæ vero synecticæ, aliæ autem concausæ, aliæ vero adjuvantes. Et aliæ quidem, ejus quod est secundum naturam; aliæ vero, ejus quod præter naturam. Aliæ autem morbi et secundum accidens; aliæ quidem affectionum, aliæ vero B earum magnitudinis, aliæ autem temporum et occasionum. Atque si tollantur quidem causæ procatarcticæ, manet tamen effectus. Synectica autem causa est, quæ si adsit, manet effectus; et si tollatur, tollitur. Synecticam per synonymiam ✠ appellant, etiam per se perfectam, quandoquidem est sufficienter per se efficiens effectus. Si autem causa per se perfectam significat operationem, adjuvans causa significat ministerium, et munus quod obit cum alio. Atque si nihil quidem præstet, ne dicetur quidem adjuvans; sin autem præstet, ejus fit omnino causa, quod etiam præstat, hoc est, ejus quod fit per ipsam. Est ergo causa adjuvans, quæ cum adest fit effectus, apertus quidem apertæ, obscurus autem obscuræ. Porro autem concausa quoque est ex genere causarum, quemadmodum commilito est miles, et coëphebus est ephebus; atque adjuvans quidem causa fert opem causæ synecticæ, ad intentionem ejus quod ab ipsa fit. Concausæ autem non est eadem notio; potest enim aliquid esse concausa, etsi non sit causa synectica. Intelligitur enim concausa cum alio, quod per se non potest effectum efficere, ut quæ sit causa cum causa. Differt autem adjuvans causa a concausa, quod concausa quidem, ei quod seorsum non efficit, præbeat effectum; adjuvans autem seorsum quidem non efficiat, alteri autem accedens quæ seorsum efficit, ei ferat opem ad hoc ut sit effectus vehementissimus. Maxime autem ex procatarctica causa factam esse causam adjuvantem, ad vim causæ intendendam confert.

✠ P. 9⅔ ED. POTTER.

(7) *Προδήλως . . . ἀδήλως.* Flor., προδήλῳ..... ἀδήλῳ.

(8) *Παρόντος.* Scribendum προδήλου, quod requirit sententiarum oppositio. Atque hoc etiam vidit interpres. Παρόντος ex periocha præcedente videtur irrepsisse; vel forte margini ascriptum, postea in textum ab imperito scriba receptum est.

(9) *Αὐτῷ.* Flor. divise, αὖ τῷ. Sed pronomen αὐτῷ agnoscit etiam Herveti versio, « quod nec ipsum per se potest effectum efficere. » SILBURG.

(10) *Παρίστησιν.* Mancum esse hunc Στρωματέα, e superiorum proœmiis et epilogis sat clarum est. An vero idem etiam ultimus sit, non abs re dubitaveris. Plura enim superiorum prologi nobis pollicentur quam huc usque sint pertractata. Ib.

Digitized by Google

ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ ΤΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΛΟΓΟΣ ΤΙΣ Ο ΣΩΖΟΜΕΝΟΣ ΠΛΟΥΣΙΟΣ.

CLEMENTIS ALEXANDRINI LIBER QUIS DIVES SALVETUR.

Cum Clementis Alexandrini egregius de *Salvabilitate divitum* libellus, qui per plura sæcula intercideraat, et tandem Michaelis Geisleri opera sub Origenis nomine, alieno prorsus loco editus (nimirum ejus *Commentario in prophetiam Jeremiæ*), tanquam etiamnum ineditus, ad paucorum notitiam pervenerit : porro cum deinceps *Auctario Græcorum Patrum* Combefisiano insertus, inter scriptorum neotericorum quibuscum componebatur catervas, vel adhuc delituerit : rem non ingratam litteratis futuram speravi, si efficerem ut melioribus, hoc est, suis auspiciis tandem aliquando in publicum prodiret. Genuinum esse opus non tantum fidem faciunt scripti pondus et decor, sed et Eusebii Cæsariensis testimonium, qui in *Historia* sua *ecclesiastica*, librum sæpius laudat, et lib. III, cap. 23, exinde solidas paginas descripsit; quæ quidem in ms. Vaticano (cui unico exemplari, quantum adhuc novimus, opus hoc servatum debemus), mutilæ occurrebant, et ex Eusebio feliciter restituuntur. Mentio itidem tractatus hujus habetur in Hieronymi *Catalogo;* quinimo non solum eum laudat, sed ejusdem principium *Bibliothecæ* suæ inseruit Photius, cod. III. Unde nullus superest dubitandi locus de libelli auctore et statu. Interim non abnuerim ultimam periodum, ὧ διὰ τοῦ παιδός, etc., a librario adjectam, qui tractatum hunc pro homilia Origeniana venditavit, et proinde solemni concionum clausula finiendum censuit. Talia passim intentasse hoc hominum genus, alibi a me, in opusculis Cypriano ascriptis, est observatum. Supervacuum fortasse non fuerit admonuisse in exemplari nonnullas fuisse lacunas, quæ lectori moram facturæ videbantur, quas nos vocibus quam paucissimis interpositis supplevimus. Sed ne adjectitia genuinis commiscerentur, quæcunque a nobis interpolata fuerunt, uncis inclusimus. FELL.

335 ✠ I. Qui encomiorum munera divitibus tribuunt; ii vero mihi nedum adulatores et illiberales merito habendi esse videntur, qui magno se gratificari simulent quorum nulla gratia; verum etiam impii ac insidiosi : impii quidem, quod, posthabitis Dei laudibus et gloria, qui unus perfectus ac bonus est, « ex quo omnia, et per quem omnia, et in quo omnia[a], » [quem sibi ille honorem vindicat], hominibus tribuunt [piaculari et impura] vita volutantibus, [ipsis] proinde, in mercedem, judicio divino obnoxiis : insidiosi autem, quoniam cum et solæ opes sufficiant ad emolliendos corrumpendosque locupletum animos, deque via per quam salus paratur, procul avocandos : illi contra etiam

A'. Οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους τοῖς πλουσίοις δωροφοροῦντες, οὐ μόνον κόλακες καὶ ἀνελεύθεροι δικαίως ἂν ἔμοιγε κρίνεσθαι δοκοῖεν, ὡς ἐπὶ πολλῷ προσποιούμενοι χαρίσασθαι τὰ ἀχάριστα· ἀλλὰ καὶ ἀσεβεῖς καὶ ἐπίβουλοι· ἀσεβεῖς μέν, ὅτι παρέντες αἰνεῖν καὶ δοξάζειν τὸν μόνον τέλειον καὶ ἀγαθὸν Θεὸν, « ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ὃν τὰ πάντα, » περιάπτουσι τὸ [θεοπρεπέστα-] το[ν] (11) γέρας (12) ἀνθρώποις ἐνα[γεῖ καὶ βορβορώδει] βίῳ κυλινδομένοις, [τούτου ἕνεκα], τὸ κεφάλαιον, ὑποκειμένοις τῇ κρίσει τοῦ Θεοῦ· ἐπίβουλοι δὲ, ὅτι καὶ αὐτῆς τῆς περιουσίας καθ' αὐτὴν ἱκανῆς οὔσης χαυνῶσαι τὰς ψυχὰς τῶν κεκτημένων καὶ διαφθεῖραι καὶ ἀποστῆσαι τῆς ὁδοῦ, δι' ἧς ἐπιτυχεῖν

✠ P. 925 ED. POTTER. [a] Rom. XI, 35.

(11) *Θεοπρεπέστατον*. Hæc et quæ sequuntur uncis inclusa, ex conjectura ad hiatus codicis ms. implendos addita. FELL.

(12) *Γέρας*. Τέρας, ms. ID.

Digitized by Google

ἔστι σωτηρίας· οἱ δὲ προσεμπλήσσουσι, τὰς γνώμας τῶν πλουσίων ταῖς ἡδοναῖς τῶν ἀμέτρων ἐπαίνων ἐπαίροντες· καὶ καθάπαξ τῶν ὅλων πραγμάτων πλὴν τοῦ πλούτου, δι' ὃν θαυμάζονται, παρασκευάζοντες ὑπερφρονεῖν· τὸ δὴ τοῦ λόγου, πῦρ ἐπὶ πῦρ μετοχετεύοντες, τύφῳ τύφον ἐπαντλοῦντες καὶ ὄγκον πλούτῳ προσανατιθέντες, βάρει φύσει φορτίον βαρύτερον, οὗ μᾶλλον ἐχρῆν ἀφαιρεῖν καὶ περικόπτειν, ὡς σφαλεροῦ νοσήματος καὶ θανατηφόρου. Τῷ γὰρ ὑψουμένῳ καὶ μεγαλυνομένῳ ἀντίστροφος ἡ πρὸς τὸ ταπεινὸν μεταβολὴ καὶ πτῶσις, ὡς ὁ θεῖος διδάσκει λόγος. Ἐμοὶ δὲ φαίνεται μακρῷ φιλανθρωπότερον εἶναι τοῦ θεραπεύειν [ἀνελευθέρως] τοὺς πλουτοῦντας [καὶ προσεπαινεῖν] ἐπὶ κακῷ τὸ συναίρεσθαι [λόγοις, καὶ] τὴν σωτηρίαν αὐτοῖς [κατεργάζεσθαι] ἅπαντα τὸν δυνατὸν τρόπον· τοῦτο μὲν ἐξαιτουμένους παρὰ Θεοῦ, τοῦ βεβαίως καὶ ἡδέως τοῖς ἑαυτοῦ τέκνοις τὰ τοιαῦτα προϊεμένου· τοῦτο δὲ διὰ τῆς χάριτος (13) τοῦ Σωτῆρος ἰωμένους τὰς ψυχὰς αὐτῶν, φωτίζοντας καὶ προσάγοντας ἐπὶ τὴν τῆς ἀληθείας κτῆσιν· ἧς ὁ τυχὼν καὶ ἔργοις ἀγαθοῖς λαμπρυνόμενος, μόνος οὗτος βραβεῖον τῆς αἰωνίου ζωῆς ἀναιρήσεται. Δεῖται δὲ καὶ ἡ εὐχὴ ψυχῆς εὐρώστου καὶ λιπαρᾶς, ἄχρι τῆς ἐσχάτης ἡμέρας τοῦ βίου συμμεμετρημένη· καὶ πολιτεία διαθέσεως χρηστῆς καὶ νομίμου, καὶ πάσαις ταῖς ἐντολαῖς τοῦ Σωτῆρος ἐπεκτεινομένης.

A stolidiores efficiunt, divitum mentes immodicarum laudum oblectationibus fastu efferentes, idque adeo præstantes, ut cætera omnia plane flocci pendant, præter divitias ✠ ob quas in honore habentur; igni, ut dicitur, ignem addendo, fastumque fastu cumulando, ac thesauris molem apponendo, gravi elemento gravius pondus, de quo potius auferendum erat et amputandum, ceu morbo periculoso ac letifero. Ei enim qui se extollit ac magnum facit, vicissim succedit tumentis animi in humile mutatio ac casus, uti docet sermo divinus [a]: propiusque ad humanitatem existimo, quam palpare [illiberaliter] divites [et laudibus evehere] pro eo quod malefecerint, [monitis subvenire, et] salutem illis [procurare] quibus fieri potest mediis; nimirum Deum orando, qui res ejusmodi suis filiis firmiter ac jucunde fruendas elargitur: tum vero per gratiam Salvatoris eorum animis mederi, illuminando et ad capessendam veritatem nos eis duces offerendo: quam quisquis adeptus fuerit, bonisque operibus claruerit, solus vitæ æternæ bravium præmio reportabit. Enimvero oratio, quæ utique ad extremum spiritum durare debet, robustum animum atque serenum: porro vitæ ratio ac disciplina, probam mentem, æquique acjjusti tenacem, et quæ ad omnia Salvatoris præcepta extendatur, postulat.

B

Β'. Κινδυνεύει δὲ οὐχ ἁπλοῦν τι εἶναι τὸ αἴτιον τοῦ τὴν σωτηρίαν χαλεπωτέραν τοῖς πλουτοῦσι δοκεῖν ἢ τοῖς ἀχρημάτοις τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ ποικίλον. Οἱ μὲν γὰρ αὐτόθεν καὶ προχείρως ἀκούσαντες τῆς τοῦ Σωτῆρος φωνῆς, ὅτι « ῥᾷον κάμηλος διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διεκδύσεται, ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, » ἀπογνόντες ἑαυτοὺς ὡς οὐ βιωσόμενοι, τῷ κόσμῳ πάντα χαριζόμενοι, καὶ τῆς ἐνταῦθα ζωῆς ὡς μόνης ἑαυτοῖς ὑπολειπομένης, ἐκκρεμασθέντες ἀπέστησαν πλέον τῆς ἐκεῖ ὁδοῦ, μηκέτι πολυπραγμονήσαντες, μήτε τίνας τοὺς πλουσίους ὁ Δεσπότης καὶ διδάσκαλος προσαγορεύει, μήτε ὅπως τὸ ἀδύνατον ἐν ἀνθρώπῳ Θεῷ (14) δυνατὸν γίνεται. Ἄλλοι δὲ τοῦτο μὲν συνῆκαν ὀρθῶς καὶ προσηκόντως, τῶν δὲ ἔργων τῶν εἰς τὴν σωτηρίαν ἀναφερόντων ὀλιγωρήσαντες, οὐ παρεσκευάσαντο τὴν δέουσαν παρασκευὴν εἰς τὸ τῶν ἐλπιζομένων τυχεῖν. Λέγω δὲ ταῦτα ἑκάτερα ἐπὶ τῶν πλουσίων, καὶ τῆς δυνάμεως τοῦ Σωτῆρος καὶ τῆς ἐπιφανοῦς σωτηρίας ἠσθημένων· τῶν ἀνοήτων τῆς ἀληθείας ὀλίγον μοι μέλει.

II. Forte autem non unum quid simplex est quod facit, ut opulentorum salus difficilior appareat salute egenorum, sed diversi generis hujus ratio exstiterit. Alii enim auditis raptim et perfunctorie illis Domini Salvatoris vocibus: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum [b], » animum despondentes quasi vitam minime consecuturi, et tanquam præsens hæc vita sola illis reliqua sit, illius desiderio suspensi, longius a via quæ in cœlum ducit, diverterunt, ne pervestigantes quidem serioque pensantes quosnam Dominus et magister appellet divites, ac nec quomodo apud homines impossibile Deo sit possibile. Alii vero, hoc quidem recte convenienterque intellexerunt; neglectis tamen quæ ad salutem spectant, operibus, quantum par erat apparatum non fecerunt, ut eorum quæ in spe posita sunt, compotes efficerentur. Ambo hæc dicta a me sunt de divitibus, quibus nota est et virtus Salvatoris et illustris salus; de aliis parum curo, quibus ut intelligerent, veritatis radius non affulsit.

C

D

Γ'. Χρὴ τοίνυν τοὺς φιλαλήθως καὶ φιλαδέλφως (διακειμένους) καὶ μήτε καταθρασυνομένους αὐθαδῶς τῶν πλουσίων κλητῶν, μήτε αὖ πάλιν ὑποπίπτοντας αὐτοῖς διὰ οἰκείαν φιλοκέρδειαν, πρῶτον μὲν αὐτῶν ἐξαιρεῖν τῷ λόγῳ τὴν κενὴν (15) ἀπόγνωσιν, καὶ δηλοῦν μετὰ τῆς δεούσης ἐξηγήσεως τῶν λογίων τοῦ Κυρίου, διότι οὐκ ἀποκέκοπται τέλεον αὐτοῖς ἡ κληρονομία τῆς

III. Decet ergo ut qui veritatis fratrumque amore teneantur, quippe nec petulanter insurgunt in divites qui vocati sunt (*i. e.* Christiani) neque vero lucri proprii causa rursum illis assentantur; primum quidem ex eorum animis verbi prædicatione eximant inanem metum; congruaque oraculorum Domini expositione liquido ostendant, ✠ non om-

✠ P. 926 ED. POTTER. [a] Matth. XXIII, 12. [b] Matth. XIX, 24. ✠ P. 927 ED. POTTER.

(13) *Διὰ τῆς χάρ.* Interponit ms., λέγω. FELL.
(14) *Θεῷ.* H. in ms. ID.
(15) *Κενὴν* Καινήν, ms. FELL.

Digitized by Google

nino repulsos eos ab hæreditate regni cœlorum, si modo dicto audientes sint ut mandata exsequantur: deinde admoneant, timere eos ubi nullus timendi locus, eosque qui velint, Dominum placide suscipere : tumque ad hæc ostendere et institutione catechetica docere par erit, qua nempe ratione quibusve operibus pariter affectibusque spes alatur, ut quæ nec illis omnino negata sit, nec rursus temere nulloque hominis conatu obveniat. Sed sicut se in athletis res habet (ut parva et corruptibilia cum magnis et incorruptibilibus conferamus), ita quoque in ipso contingere cogitet qui sæculi opibus dives est. Etenim quicunque de victoria et corona desperaverit, is nec omnino ut in arenam descendat, nomen dederit; qui vero hanc ipse quidem animo spem conceperit, labores tamen et cibos et exercitationes in eam rem congruas non admittit, corona indonatus manet, ac spes illum frustrata est. Sic et quisquis terrenis opibus affluit, caveat ne se ipse primum a Salvatoris certaminibus præmiisque exclusum ducat, modo fidelis exsistat, ac divinæ bonitatis magnitudinem intelligat; nec rursus nulla exercitatione nulloque certamine posito, citra pulverem atque sudorem immortalitatis se corona donandum speret, sed se Verbo tradat ac rationi tanquam palæstræ magistro, Christoque certaminum præsidi subjiciat. Cibus illi ac potus præstitutus, Novum Domini Testamentum; exercitamenta, mandata; ornatus ac cultus, bonæ animi affectiones ac dotes; fides, spes, charitas, veri cognitio [benignitas], lenitas, misericordia, castitas; ut cum novissima tuba ineundi cursus signum dederit atque hinc emigrandi velut stadio [a], ex mortali hac vita, bona fretus conscientia, certaminum præsidi victor coronis, angelorumque præconio ac plausu donatus

336 IV. Det igitur nobis Salvator, ut hinc ordientes sermonem, vera et convenientia, quæque ad fratrum salutem faciunt, conferamus; primum de spe ipsa, deinde iis quæ ad spem conducunt. Ille quidem indigentibus largitur, docetque rogantes, porro ignorantiam solvit, atque desperationem excutit; eosdem rursus de divitibus sermones inducens, qui ipsi seipsos interpretantur tutoque exponant. Nihil enim sic juvet, ac ipsa rursus audire verba, quæ in Evangeliis exposita, nec justo satis examine atque errore auditoribus præ infantia mentis accepta, hactenus vos conturbarunt. « Et cum exiret in viam, accedens quidam genu flectebat, dicens : Magister bone, quid faciam ut ✠ vitam æternam possideam? Jesus autem ait : Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus, Deus. Præcepta nosti : Ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum et matrem tuam. At ille respondens, ait illi : Hæc om-

A βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐὰν ὑπακούσωσι ταῖς ἐν λαῖς· εἶθ' ὑπομνημονεῦσαι (16) ὡς ἀδεὲς δεδίασι δέ καὶ ὅτι βουλομένους αὐτοὺς ὁ Σωτὴρ ἀσμένως δέ ται· τότε καὶ προσδεικνύναι καὶ μυσταγωγεῖν ὅπ ἂν καὶ δι' οἵων ἔργων τε καὶ διαθέσεων ἐπαίροιντο (1 τὰ τῆς ἐλπίδος, ὡς οὔτ' ἀμηχάνου καθεστώσης αὐτοῖ οὔτε τοὐναντίον εἰκῆ περιγινομένης· ἀλλ' ὅντερ τρ πον ἔχει τὸ τῶν ἀθλητῶν, ἵνα μικρὰ καὶ ἐπίκηη μεγάλοις καὶ ἀφθάρτοις παραβάλωμεν, τοῦτ καὶ ἐ ἑαυτῷ ὁ κατὰ κόσμον πλουτῶν λογιζέσθω. Καὶ γ ἐκείνων ὁ μὲν ὅτι δυνήσεται νικᾶν, καὶ στεφάνο τυγχάνειν ἀπελπίσας, οὐδ' ὅλως ἐπὶ τὴν ἄθλησ ἀπεγράψατο· ὁ δὲ ταύτην μὲν ἐμβαλόμενος τῇ γνώ μῃ τὴν ἐλπίδα, πόνους δὲ καὶ τροφὰς καὶ γυμνάσι μὴ προσιέμενος προσφόρους, ἀστεφάνωτος διεγένετο

B καὶ διήμαρτε τῶν ἐλπίδων. Οὕτω τις καὶ τὴν ἐπίγειο περιβεβλημένος περιβολὴν, μήτε τὴν ἀρχὴν ἑαυτὸ ἄθλων τῶν Σωτῆρος ἐκκηρυσσέτω, πιστός γε ὤν, κα τὸ μεγαλεῖον συνορῶν τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας μήτε μὴν αὖθις ἀνάσκητος καὶ ἀναγώνιστος μείνας ἀκονιτὶ κάνιδρωτὶ τῶν στεφάνων τῆς ἀφθαρσίας ἐλπιζέτω μεταλαβεῖν· ἀλλ' αὐτὸν ὑποβαλέτω φέρων γυμναστῇ (18) μὲν τῷ Λόγῳ, ἀγωνοθέτῃ δὲ τῷ Χριστῷ· τροφὴ δὲ αὐτῷ καὶ ποτὸν γενέσθω τεταγμένον ἡ Καινὴ Διαθήκη τοῦ Κυρίου· γυμνάσια δὲ ἐντολαί, εὐσχημοσύνη δὲ καὶ κόσμος αἱ καλαὶ διαθέσεις, ἀγάπη, πίστις, ἐλπὶς, γνῶσις ἀληθείας, [ἐπιείκεια,] πραότης, εὐσπλαγχνία, σεμνότης, ἵνα, ὅταν ἐσχάτῃ σάλπιγγι ὑποσημήνῃ τοῦ δρόμου καὶ τῆς ἐντεῦθεν ἐξόδου, κα-

C θάπερ ἐκ σταδίου τοῦ βίου μετ' ἀγαθοῦ τοῦ συνειδότος τῷ ἀθλοθέτῃ παραστῇ νικηφόρος, ὡμολογημένως τῆς ἄνω πατρίδος ἄξιος, εἰς ἣν μετὰ στεφάνων καὶ κηρυγμάτων ἀγγελικῶν ἐπανέρχεται.

præsentetur, cœlesti palam dignus patria, in quam revertitur.

Δ'. Δοίη τοίνυν ἡμῖν ὁ Σωτὴρ, ἐντεῦθεν ἀρξαμένοις τοῦ λόγου, τἀληθῆ καὶ τὰ πρέποντα καὶ τὰ σωτήρια συμβαλέσθαι τοῖς ἀδελφοῖς, πρός τε τὴν ἐλπίδα πρῶτον αὐτὴν, καὶ δεύτερον πρὸς τὴν τῆς ἐλπίδος προσαγωγήν. Ὁ δὴ χαρίζεται δεομένοις, καὶ αἰτοῦντας διδάσκει· λύει τε τὴν ἄγνοιαν, καὶ τὴν ἀπόγνωσιν ἀποσείεται, τοὺς αὐτοὺς πάλιν εἰσάγων λόγους περὶ τῶν πλουσίων ἑαυτῶν ἑρμηνέας γινομένους καὶ ἐξη-

D γητὰς ἀσφαλεῖς. Οὐδὲν γὰρ οἷον αὐτῶν αὖθις ἀκοῦσαι τῶν ῥητῶν, ἅπερ ὑμᾶς ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις ἄχρι νῦν διετάρασσεν, ἀβασανίστως καὶ διημαρτημένως ὑπὸ νηπιότητος ἀκροωμένους· « Ἐκπορευομένῳ αὐτῷ εἰς ὁδὸν προσελθών τις ἐγονυπέτει, λέγων· Διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; Ὁ δὲ Ἰησοῦς λέγει· Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. Τὰς ἐντολὰς οἶδας· Μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς, μὴ κλέψῃς, μὴ ψευδομαρτυρήσῃς, μὴ ἀποστερήσῃς, τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ· Πάν-

✠ P. 928 ED. POTTER. [a] I Cor. IX, 24.

(16) *Ὑπομνημονεῦσαι.* Ὑποκαυμάτωσιν, ms. FELL.

(17) *Ἐπαίροιντο.* Ἐπαίροντο τῆς, ms. Id.

(18) *Γυμναστικῇ.* Præcedentia, nec non et quæ sequuntur ad rem agonisticam spectant. FELL.

Digitized by Google

τα ταῦτα ἐφύλαξα. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας ἠγάπησεν αὐτὸν καὶ εἶπεν· Ἓν σοι ὑστερεῖ· εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, πώλησον ὅσα ἔχεις, καὶ διάδος πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ· καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι. Ὁ δὲ, στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ, ἀπῆλθε λυπούμενος· ἦν γὰρ πλούσιος, ἔχων κτήματα πολλά. Περιβλεψάμενος δὲ ὁ Ἰησοῦς λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· Πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ! Οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. Πάλιν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς· Τεκνία, πῶς δύσκολόν ἐστι τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν! Εὐκολώτερον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς βελόνης κάμηλος εἰσελεύσεται ἢ πλούσιος εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, καὶ ἔλεγον· Τίς οὖν δύναται σωθῆναι; Ὁ δὲ, ἐμβλέψας αὐτοῖς, εἶπεν· Ὅτι παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον παρὰ Θεῷ δυνατόν· πάντα γὰρ δυνατά ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ. Ἤρξατο ὁ Πέτρος λέγειν αὐτῷ· Ἴδε, ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, λέγει· Ἀμὴν ὑμῖν λέγω, ὃς ἂν ἀφῇ τὰ ἴδια καὶ γονεῖς, καὶ ἀδελφοὺς, καὶ χρήματα ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ Εὐαγγελίου μου, ἀπολήψεται ἑκατομπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, ἀγροὺς καὶ χρήματα καὶ οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς μετὰ διωγμῶν, ἐν δὲ τῷ ἐρχομένῳ ζωὴ ἐστιν αἰώνιος. Πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι. »

A nia observavi. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit : Unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vende quæcunque habes, et distribue pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens; erat enim dives, habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis, introire in regnum Dei! Facilius est camelum per foramen acus ingredi, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, atque dicebant : Et quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus ait : Apud B homines impossibile est, sed non apud Deum; omnia enim possibilia apud Deum. Cœpit et Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis, omnis qui sua reliquerit et parentes et fratres et pecunias propter me et propter Evangelium; centies tantum nunc in tempore hoc recipiet, agros et pecunias et domos et fratres cum persecutionibus, et in futuro vita æterna erit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi [a]. »

Ε'. Ταῦτα μὲν ἐν τῷ κατὰ Μάρκον Εὐαγγελίῳ γέγραπται· καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις δὲ πᾶσιν (19) ὁμολογουμένως, ὀλίγον μὲν ἴσως ἑκασταχοῦ τῶν ῥημάτων ἐναλλάσσει, πάντα δὲ τὴν αὐτὴν τῆς γνώμης συμφωνίαν ἐπιδείκνυται. Δεῖ δὲ, σαφῶς εἰδότας, ὡς οὐδὲν ἀνθρωπίνως ὁ Σωτὴρ, ἀλλὰ πάντα θείᾳ σοφίᾳ καὶ μυστικῇ διδάσκει τοὺς ἑαυτοῦ, μὴ σαρκίνως ἀκροᾶσθαι τῶν λεγομένων, ἀλλὰ τὸν ἐν αὐτοῖς κεκρυμμένων νοῦν μετὰ τῆς ἀξίας ζητήσεως καὶ συνέσεως ἐρευνᾷν καὶ καταμανθάνειν. Καὶ γὰρ τὰ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Κυρίου δοκοῦντα ἁπλῶσθαι πρὸς τοὺς μαθητὰς τῶν ἠνιγμένως ὑπειρημένων οὐδὲν ἧττονος, ἀλλὰ πλείονος ἔτι νῦν τῆς ἐπιστάσεως εὑρίσκεται δεόμενα διὰ τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς φρονήσεως ἐν αὐτοῖς ὑπερβολήν. Ὅπου δὲ καὶ τὰ νομιζόμενα ὑπ' αὐτοῦ διηνοῖχθαι τοῖς ἴσω, καὶ αὐτοῖς τοῖς τῆς βασιλείας τέκνοις ὑπ' αὐτοῦ καλουμένοις, ἔτι χρῄζει φροντίδος πλείονος, ἤπου γε τὰ δόξαντα μὲν ἁπλῶς ἐξενηνέχθαι, καὶ διὰ τοῦτο μηδὲ διηρωτημένα πρὸς τῶν ἀκουσάντων, εἰς ὅλον δὲ τὸ τέλος αὐτὸ τῆς σωτηρίας διαφερόντων, σκοπησομένων δὲ θαυμαστῷ καὶ ὑπερουρανίῳ διανοίας βάθει, οὐκ ἐπιπολαίως δέχεσθαι ταῖς ἀκοαῖς προσῆκεν, ἀλλὰ καθιέντας τὸν νοῦν ἐπ' αὐτὸ τὸ Πνεῦμα τοῦ Σωτῆρος καὶ τὸ τῆς γνώμης ἀπόῤῥητον.

V. Hæc quidem in Marci Evangelio scripta sunt; quin et in reliquis plane omnibus eadem habentur, C paucis forsitan per singulos verbis immutatis, sed quæ eamdem ubique sententiam contineant. Decet autem nos qui aperte sciamus, nihil Salvatorem quasi humano more locutum esse, sed divina mysticaque sapientia suos cuncta docuisse; sermones hos non carnaliter audire, sed latentem in eis sensum digna investigatione mentisque solertia ac sagacitate perquirere et addiscere. Nam cum et ipsa quoque quæ ab ipso Domino videntur discipulis fuisse exposita, non minori, sed majori etiamnum consideratione indigere noscantur, quam quæ obscurius ac velut ænigmate dicta sunt, ob profundissimam in eis altitudinem sensuum; cumque adeo etiam illa, quæ ab eo scholæ domesticis videntur explanata, ac iis, quos ab eo filios regni invenimus vocatos, majori adhuc D opus habeant indagatione, quam quæ videntur simpliciter ab eo prolata, quæ proinde nemo auditorum interrogavit ut exponerentur, ✠ pertinentia ad ipsum salutis finem, mirandoque ac supercœlesti mentis consideranda profundo; non perfunctorie hæc auribus haurienda, sed ita ut ad ipsum Salvatoris Spiritum ac sententiæ arcanum animum demittamus.

Ϛ'. Ἡρώτηται μὲν γὰρ ἡδέως ὁ Κύριος ἡμῶν καὶ Σωτὴρ ἐρώτημα καταλληλότατον αὐτῷ· ἡ Ζωὴ περὶ ζωῆς, ὁ Σωτὴρ περὶ σωτηρίας, ὁ Διδάσκαλος περὶ

VI. Jucunda certe Domino nostro ac Salvatori oblata quæstio est, ipsi nimirum convenientissima. Nempe oblata quæstio Vitæ de vita, Salvatori de

✠ P. 929 ED. POTTER. [a] Marc. x, 17, 18, seqq.

(19) *Πᾶσιν*. Matthæo nimirum et Marco; nam Joannes res gestas ad historiæ modum minime enarrandas suscepit. FELL.

Digitized by Google

salute, Magistro ac doctori de capite eorum quæ dogmate tradebantur, Veritati de vera immortalitate, Verbo de paterno verbo atque doctrina, Perfecto de perfecta requie, Incorruptibili de firma incorruptione. De illis oblata illi quæstio est, quorum etiam causa descenderat, quibus instituit, quæ docet, quæ præbet, ut ostendat Evangelii argumentum esse, ut vita æterna ipsa tribuatur. Præsciebat autem ut Deus, tum quæ interrogandus erat, tum quod responsum interrogans esset accepturus. Quis enim id potius fecerit quam propheta prophetarum, omnisque prophetici spiritus arbiter ac Dominus? Vocatus autem bonus, a primo hoc verbo sumpta occasione inde etiam doctrinam auspicatur, convertens discipuli animum in Deum bonum, primumque ac solum vitæ æternæ præbitorem, quam ab eo acceptam, nobis confert Filius.

A κεφαλαίου τῶν διδασκομένων δογμάτων, Ἀλήθεια περὶ τῆς ἀληθινῆς ἀθανασίας, ὁ Λόγος περὶ τοῦ Πατρὸς λόγου, ὁ Τέλειος περὶ τῆς τελείας ἀναπαύσεως, ὁ Ἄφθαρτος περὶ τῆς βεβαίας ἀφθαρσίας. Ἠρώτηται περὶ τούτων περὶ ὧν καὶ κατελήλυθεν, ἃ παιδεύει, ἃ διδάσκει, ἃ παρέχει, ἵνα δείξῃ τὴν τοῦ Εὐαγγελίου ὑπόθεσιν, ὅτι δόσις ἐστὶν αἰωνίου ζωῆς. Προεῖδε δὲ ὡς Θεὸς καὶ ἃ μέλλει διερωτηθήσεσθαι, καὶ ἃ μέλλει τις αὐτῷ ἀποκρίνεσθαι. Τίς γὰρ καὶ μᾶλλον ἢ ὁ προφήτης πρόφητῶν, καὶ Κύριος παντὸς προφητικοῦ πνεύματος; Κληθεὶς δὲ ἀγαθὸς, ἀπ' αὐτοῦ πρώτου τοῦ ῥήματος τούτου τὸ ἐνδόσιμον λαβὼν, ἐντεῦθεν καὶ τῆς διδασκαλίας ἄρχεται, ἐπιστρέφων τὸν μαθητὴν ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ἀγαθὸν, καὶ πρῶτον καὶ μόνον ζωῆς αἰωνίου ταμίαν, ἣν ὁ Υἱὸς δίδωσιν ἡμῖν παρ' ἐκείνου λαβών. B

VII. Itaque maximum et præcipuum documentorum ad vitam spectantium, ab initio statim animo inserendum est; ut Deus æternus esse ac æternorum dator, agnoscatur; primumque ac supremum, et unum ac bonum Deum, Deum nobis per scientiam et comprehensionem vindicemus. Hoc enim immobile inconcussumque principium et principale vitæ fulcimentum, Dei, qui est vere scientia, et qui ea quæ sunt (æterna scilicet) largitur; ex quo etiam aliis provenit, ut esse accipiant, eoque incolumia sint. Hujus quippe ignoratio mors est; cognitio vero et necessitudo atque ad eum dilectio ductaque cum eo similitudo, sola vita exsistit.

Ζ'. Οὐκοῦν τὸ μέγιστον καὶ κορυφαιότατον τῶν πρὸς τὴν ζωὴν μαθημάτων, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς εὐθὺς ἐγκαταθέσθαι τῇ ψυχῇ δεῖ· γνῶναι τὸν Θεὸν τὸν αἰώνιον, καὶ δοτῆρα αἰωνίων, καὶ πρῶτον, καὶ ὑπέρτατον, καὶ ἕνα, καὶ ἀγαθὸν Θεὸν κτήσασθαι διὰ γνώσεως καὶ καταλήψεως. Αὕτη γὰρ ἄτρεπτος καὶ ἀσάλευτος ἀρχὴ, καὶ κρηπὶς ζωῆς, ἐπιστήμη Θεοῦ τοῦ ὄντως ὄντος, καὶ τὰ ὄντα, τουτέστι τὰ αἰώνια, δωρουμένου· ἐξ οὗ καὶ τὸ εἶναι τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει καὶ τὸ μεῖναι (20) λαβεῖν. Ἡ μὲν γὰρ τούτου ἄγνοια θάνατός ἐστιν, ἡ δὲ ἐπίγνωσις αὐτοῦ καὶ οἰκείωσις, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀγάπη καὶ ἐξομοίωσις, μόνη ζωή. C

337 VIII. Hunc ergo primum agnoscendum jubet ei qui veram vitam sit acturus: « Quem nemo novit nisi Filius, et cui Filius revelaverit [a]. » Exinde cognoscenda est magnitudo Salvatoris post illum novaque gratia, quodque juxta Apostolum, « lex per Moysem data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est [b]; » nec paria sunt, quæ per servum fidelem data sunt, et quæ a vero filio donata sunt. Denique si Moysis lex sufficiens erat ut vitam præstaret [c]; frustra nimirum Salvator ipse adveniret, nostrique causa pateretur, ab ortu nativitatis ad metam usque emenso humanæ vitæ curriculo. Frustra quoque, qui omnia legis mandata a juventute impleverat [d], ✠ ab alio, illi provolutus, immortalis vitæ exposceret præmia. Neque enim solum legem servaverat, sed et a prima ætate in eam rem incubuerat. Quid enim magni aut egregii est, senectus non ita delictorum ferax? sed si quis lasciviente juventa ac ætatis æstu maturum præ se sensum ferat, et quam pro temporis ratione senior appareat; hic plane admirandus ac præclarus pugil, et judicio canus. Hic tamen cum tantus esset, apprime noverat certusque erat, nihil sibi quidem ad justitiam deesse: omnino autem illi vita opus erat; idcirco præstari rogat ab eo, qui solus dare

Η'. Τοῦτον οὖν πρῶτον ἐπιγνῶναι τῷ ζησομένῳ τὴν ὄντως ζωὴν παρακελεύεται, «ὃν οὐδεὶς ἐπιγινώσκει, εἰ μὴ ὁ Υἱὸς ἀποκαλύψῃ. » Ἔπειτα τὸ μέγεθος τοῦ Σωτῆρος μετ' ἐκεῖνον καὶ τὴν καινότητα τῆς χάριτος μαθεῖν, ὅτι δὴ, κατὰ τὸν Ἀπόστολον, « ὁ νόμος διὰ Μωϋσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια δι' Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο· » καὶ οὐκ ἴσα τὰ (21) διὰ δούλου πιστοῦ διδόμενα τοῖς ὑπὸ τοῦ γνησίου Υἱοῦ δωρουμένοις. Εἰ γοῦν ἱκανὸς ἦν ὁ Μωϋσέως νόμος ζωὴν αἰώνιον παρασχεῖν, μάτην μὲν ὁ Σωτὴρ αὐτὸς παραγίνεται, καὶ πάσχει δι' ἡμᾶς ἀπὸ γενέσεως μέχρι τοῦ σημείου τὴν ἀνθρωπότητα διατρέχων· μάτην (22) δὲ ὁ πάσας πεποιηκὼς ἐκ νεότητος τὰς νομίμους ἐντολὰς, παρὰ ἄλλου ἦτει γονυπετῶν τὴν ἀθανασίαν. Οὐδὲ γὰρ πεπλήρωκε μόνον τὸν νόμον, ἀλλὰ καὶ εὐθὺς ἀπὸ πρώτης ἡλικίας ἀρξάμενος. Ἐπεὶ καὶ τί μέγα ἢ ὑπέρλαμπρον γῆρας ἄγονον ἁμαρτημάτων; ἀλλ' εἴ τις ἐν σκιρτήματι νεοτησίῳ καὶ τῷ καύσωνι τῆς ἡλικίας παρέχηται φρόνημα πεπανὸν, καὶ πρεσβύτερον τοῦ χρόνου, θαυμαστὸς οὗτος ἀγωνιστὴς καὶ διαπρεπὴς, καὶ τὴν γνώμην πολιώτερος. Ἀλλ' ὅμως οὗτος ὁ τοιοῦτος ἀκριβῶς πέπεισται, διότι αὐτῷ πρὸς μὲν δικαιοσύνην οὐδὲν ἐνδεῖ, ζωῆς δὲ ὅλως προσδεῖ· διὸ αὐτὴν αἰτεῖ παρὰ τοῦ δοῦναι μόνου δυναμένου. Καὶ πρὸς μὲν τὸν νόμον ἄγει παῤῥησίαν, τοῦ Θεοῦ δὲ τὸν D

✠ P. 930 ED. POTTER. [a] Matth. xi, 27. [b] Joan. i, 17. [c] Gal. ii, 21. [d] Marc. x, 20.

(20) *Μεῖναι*. Forte μὴ εἶναι. FELL.
(21) *Ἴσα τά*. Ms., εἰς τά. Ib.
(22) *Μάτην*. Conf. *Strom.* vii, p. 747, edit. Paris.

Digitized by Google

Υἱὸν ἱκετεύει. Ἐκ πίστεως εἰς πίστιν μετατάσσεται. Ὡς σφαλερῶς ἐν νόμῳ σαλεύων καὶ ἐπικινδύνως ναυλοχῶν, εἰς τὸν Σωτῆρα μεθορμίζεται.

possit. At quidem ad legem quod spectat, longe securus erat, Dei tamen Filio supplicat. Ex fide in fidem transfertur. Veluti qui non tuto in legis navigio jactaretur ac periculose stationem habuerat, ad Salvatorem transmittit.

Θ'. Ὁ γοῦν Ἰησοῦς οὐκ ἐλέγχει μὲν αὐτὸν, ὡς πάντα τὰ ἐκ νόμου μὴ πεπληρωκότα, ἀλλὰ καὶ ἀγαπᾷ καὶ ὑπερασπάζεται τῆς ἐν οἷς ἔμαθεν εὐπειθείας· ἀτελῆ δὲ εἶναι φησὶν ὡς πρὸς τὴν αἰώνιον ζωὴν, ὡς οὐ τέλεια πεπληρωκότα· καὶ νόμου μὲν ἐργάτην, ἀργὸν δὲ ζωῆς ἀληθινῆς. Καλὰ μὲν κἀκεῖνα· τίς δ' οὔ φησιν; Ἡ γὰρ « ἐντολὴ ἁγία » ἄχρι παιδαγωγίας τινὸς μετὰ φόβου καὶ προπαιδείας, ἐπὶ τὴν τοῦ Ἰησοῦ νομοθεσίαν τὴν ἄκραν καὶ χάριν προχωροῦσα· πλήρωμα δὲ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι· οὐχὶ δὲ δούλους ποιῶν ὡς δοῦλος, ἀλλὰ B καὶ υἱοὺς καὶ ἀδελφοὺς καὶ συγκληρονόμους τοὺς ἐπιτελοῦντας τὸ θέλημα τοῦ Πατρός.

IX. At vero Jesus non illum redarguit, quod legis omnia non impleverit, quin etiam diligit, et quod iis, quibus fuerat institutus, strenue obsecutus sit, passis ulnis amplectitur, ad vitam tamen æternam quod attinet, imperfectum eum pronuntiat, quod ea quæ perfectionis sunt, non impleverit; ac legis quidem operarium dicit, verum in æternæ vitæ rebus cessatorem. Bona quidem et illa; quis eat infitias? Nam « mandatum sanctum [a] » hactenus ut pædagogi cujusdam vice cum timore fungatur præviamque institutionis [b], ad summum legis Jesu verticem gratiamque viam sternens: plenitudo vero legis Christus ad justitiam omni credenti [c]; non qui ut servus servos faciat, sed et filios et fratres et cohæredes, Patris voluntatem facientes præstet.

I'. « Εἰ θέλεις τέλειος γενέσθαι· » οὐκ ἄρα πω τέλειος ἦν· οὐδὲν γὰρ τελείου τελειότερον. Καὶ θείως τό, « Εἰ θέλεις, » τὸ αὐτεξούσιον τῆς προσδιαλεγομένης αὐτῷ ψυχῆς ἐδήλωσεν· ἐπὶ τῷ ἀνθρώπῳ γὰρ ἦν ἡ αἵρεσις, ὡς ἐλευθέρῳ· ἐπὶ Θεῷ δὲ ἡ δόσις, ὡς Κυρίῳ. Δίδωσι δὲ βουλομένοις καὶ ὑπερσπουδακόσι καὶ δεομένοις, ἵν' οὕτως ἴδιος αὐτῶν ἡ σωτηρία γένηται. Οὐ γὰρ ἀναγκάζει ὁ Θεὸς (βία γὰρ ἐχθρὸν θεῷ), ἀλλὰ τοῖς ζητοῦσι πορίζει, καὶ τοῖς αἰτοῦσι παρέχει, καὶ τοῖς κρούουσιν ἀνοίγει. Εἰ θέλεις οὖν, C εἰ ὄντως θέλεις, καὶ μὴ ἑαυτὸν ἐξαπατᾷς, κτῆσαι τὸ ἐνδέον. Ἔν σοι λείπει, τὸ ἓν τὸ μένον, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ἤδη ὑπὲρ νόμον, ὅπερ νόμος οὐ δίδωσιν, ὅπερ νόμος οὐ χωρεῖ, ὃ τῶν ζώντων ἴδιόν ἐστιν. Ἀμέλει ὁ πάντα τὰ τοῦ νόμου πληρώσας ἐκ νεότητος καὶ τὰ ὑπέρογκα ῥυαξάμενος, ἓν τοῦτο πραθῆναι τοῖς ὅλοις οὐ δεδύνηται, τὸ τοῦ Σωτῆρος ἐξαίρετον, ἵνα λάβῃ ζωὴν αἰώνιον, ἣν ἐπόθει· ἀλλὰ δυσχεράνας ἀπῆλθεν, ἀχθεσθεὶς τῷ παραγγέλματι τῆς ζωῆς, ὑπὲρ ἧς ἱκέτευεν. Οὐ γὰρ ἀληθῶς ζωὴν ἤθελεν, ὡς ἔφασκεν, ἀλλὰ δόξαν προαιρέσεως ἀγαθῆς μόνην περιεβάλλετο· καὶ περὶ πολλὰ μὲν οἷός τε ἦν ἀσχολεῖσθαι, τὸ δὲ ἕν, τὸ τῆς ζωῆς ἔργον ἀδύνατος καὶ ἀπρόθυμος καὶ ἀσθενὴς ἐκτελεῖν. Ὁποῖόν τι καὶ πρὸς τὴν Μάρθαν εἶπεν ὁ Σωτὴρ ἀσχολουμένην πολλὰ καὶ περιελκομένην καὶ D ταραττομένην διακονικῶς· τὴν δὲ ἀδελφὴν αἰτιωμένην, ὅτι τὸ ὑπηρετεῖν ἀπολιποῦσα, τοῖς ποσὶν αὐτοῦ παρακάθηται, μαθητικὴν ἄγουσα σχολήν· « Σὺ περὶ πολλὰ τάρασσῃ· Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, καὶ οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς· » οὕτω καὶ τοῦτον ἐκέλευε, τῆς πολυπραγμοσύνης ἀφειμένον, ἑνὶ προστετηκέναι καὶ προσκαθέζεσθαι τῇ χάριτι τοῦ ζωὴν αἰώνιον προτιθέντος.

X. « Si vis perfectus esse [d]. » Nondum ergo perfectus erat: perfecto namque nihil perfectius est. Ceterum præclare illud atque divine: « Si vis, » colloquentis animæ liberam arbitrii facultatem ostendit: in homine quippe, tanquam libero, libera erat voluntatis electio; in Deo autem dare, tanquam Domino atque arbitro. Dat autem volentibus et summo studio adnitentibus et orantibus, ut sic illorum propria exsistat salus. Neque enim Deus cogit (vis enim inimica est Deo), sed quærentibus tribuit, et petentibus præbet, ac pulsantibus aperit [e]. Si vis igitur, si vere vis, et teipsum non fallis, illud compara quo deficeris. Unum tibi deest; illud unum quod manet, quod bonum est, quod est jam supra legem, quod lex non dat, quod lex non capit, quod viventium proprium est. Denique qui totam legem a juventute impleverat, et qui de se sic magna atque superba locutus erat, unum hoc omnibus parare nequivit, quod Salvatoris singulare est, ut vitam æternam, cujus eum desiderium incesserat, arriperet: ✠ sed tristis abiit, vitæ mandato gravatus, cujus gratia supplicatum venerat. Non enim vere vitam ambiebat, ut verbis proferebat; sed bonæ duntaxat voluntatis famam aucupabatur: ac quidem circa multa sollicitus esse poterat, unum vero illud, opus illud salutis ut perficeret, non valebat; inque rem supinus et infirmus erat. Sicut enim Marthæ dixit Dominus, cum in multis esset sollicita et ministrandi cura distraheretur ac turbaretur, sororique vitio daret quod, relicto ministerio, sederet ad pedes ejus, discipulæ otium captans: « Tu erga multa turbaris: Maria autem optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea [f]: » ita hunc quoque, negotiosa occupatione omissa, uni tantum adhærere jubet, ejusque assidere gratiæ, qui ipse vitam æternam proponeret.

✠ P. 951 ED. POTTER. [a] Rom. VII, 12. [b] Gal. III, 24. [c] Rom. X, 4. [d] Matth. XIX, 21. [e] Matth. VII, 7; Luc. XI, 9. [f] Luc. X, 41.

Digitized by Google

XI. Quid ergo fuit quod illi fugam suasit, fecitque ut se a magistro, a supplicatione, a spe, a vita, a laboribus, quibus jam perfunctus erat, subduceret? Nempe, « Vende quæ habes. » Quid vero hoc sibi vult? Haud sane, quod quidam obvio statim sensu accipiunt, facultates projici jubet et pecunias a se amovere; sed quæ de divitiis vana judicia sunt animo exterminare, erga eas effrenem libidinem ac avaritiæ labem, sollicitudines, sæculi spinas, quæ suffocant vitæ semen. Haud enim magnum dignumque æmulatione, temere, non ut vitam nanciscaris, divitiis carere: sic namque qui nihil prorsus habent, sed, omni destituti vitæ solatio, quotidiani mendici per vias inopes projecti sunt, cum et Deum ignorent Deique justitiam, ea duntaxat ratione quod extrema premantur paupertate, omnique vitæ subsidio careant, ac vel minimis deficiantur, omnium beatissimi essent ac religiosissimi, solique compotes vitæ æternæ. Nec nova res abdicare divitias, et in pauperes atque egenos elargiri; quod et multi ante Salvatoris adventum præstiterunt, qua ut litterarum studiis mortuæque sapientiæ vacarent, qua ut inani jactantia nominis claritatem ac gloriolæ curam captarent, Anaxagoræ, Democriti, Cratetes.

338 XII. Quid igitur ut novum Deique proprium jubet, ac solum ejusmodi ut vivificare queat, quod antiquis salutem non attulit? Quid vero eximium quid ac singulare nova creatura, Dei Filius præcipit ac docet? Non hoc mandat quod in aspectum cadit, quod alii fecere, sed aliud quid majus diviniusque et perfectius, quod illo significatur: ut animum scilicet affectumque vitiis nudemus, ac quæ aliena sunt, radicitus ex eo exscindamus et ejiciamus. Hoc nimirum viri fidelis proprium documentum, dignaque Salvatore doctrina. Antiqui enim, contemptis exterioribus, possessiones quidem reliquerunt ✠ ac amiserunt; sed vitia animi ac perturbationes arbitror et auxerunt. Superbi enim ex hoc et elati evaserunt, inanis gloriæ pleni, et qui reliquorum contemptu ducerentur, quasi ipsi aliquid supra hominem gessissent. Quomodo igitur Salvator in æternum victuris præciperet, quæ sint nocitura labemque allatura, quod attinet ad vitam, quam sancte pollicetur? Nam etsi illud contigerit, potest quis, deposito facultatum onere, nihilominus adhuc pecuniarum cupiditatem ac sitim animo inolitam vigentemque habere: ac usum quidem abjecisse, indigentia tamen simulque desiderio dilapidatæ rei familiaris, dupliciter dolere, tum nimirum quod desint necessaria servitia, tum quod ea abjecisse pœniteat. Fieri enim non potest, nec secus unquam fit, ut cui desint necessaria quibus vitam sustentet, non animo frangi atque a potioribus undevis hæc parare conatur.

XIII. At quanto satius oppositum, ut per opes mediocres et ipse mala non toleret, et quibus opor-

IA'. Τί τοίνυν ἦν τὸ προτρεψάμενον αὐτὸν εἰ
γὴν, καὶ ποιῆσαν ἀπαυτομολῆσαι τοῦ διδασκ
τῆς ἱκεσίας, τῆς ἐλπίδος, τῆς ζωῆς, τῶν προπε
μένων; « Πώλησον τὰ ὑπάρχοντά σου. » Τί δὲ
ἐστιν; Οὐχ ἃ προχείρως δέχονταί τινες, τὴν ὑ
χουσαν οὐσίαν ἀπορρίψαι προστάσσει καὶ ἀποσ
ἀπὸ τῶν χρημάτων· ἀλλὰ τὰ δόγματα περὶ χρ
των ἐξορίσαι τῆς ψυχῆς, τὴν περὶ αὐτὰ πτοίαν
νόσον, τὰς μερίμνας, τὰς ἀκάνθας τοῦ βίου, α
σπέρμα τῆς ζωῆς συμπνίγουσιν. Οὔτε γὰρ
καὶ ζηλωτὸν τὸ τηνάλλως ἀπορεῖν χρημάτων μὴ
λόγῳ ζωῆς· οὕτω μὲν γὰρ ἦσαν οἱ μηδὲν ἔχο
μηδαμῇ, ἀλλὰ ἔρημοι καὶ μεταῖται τῶν ἐφ' ἡμέ
οἱ κατὰ τὰς ὁδοὺς ἐῤῥιμμένοι πτωχοί, ἀγνοοῦντε
Θεὸν καὶ δικαιοσύνην Θεοῦ, κατ' αὐτὸ μόνον τὸ ἄ
ἀπορεῖν καὶ ἀμηχανεῖν βίου καὶ τῶν ἐλαχίσ
σπανίζειν μακαριώτατοι καὶ θεοφιλέστατοι, καὶ
νοι ζωὴν ἔχοντες αἰώνιον. Οὔτε καινὸν τὸ ἀπείπα
πλοῦτον καὶ χαρίσασθαι πτωχοῖς ἢ πένησιν, ὃ πο
πρὸ τῆς τοῦ Σωτῆρος καθόδου πεποιήκασιν, οἱ
τῆς εἰς λόγους σχολῆς καὶ νεκρᾶς σοφίας ἕνεκεν
δὲ φήμης κενῆς καὶ κενοδοξίας, Ἀναξαγόραι
Δημόκριτοι καὶ Κράτητες.

IB'. Τί οὖν ὡς καινὸν, ἴδιον Θεοῦ παραγγέλλει
μόνον ζωοποιὸν, ὃ τοὺς προτέρους οὐκ ἔσωσε; Τί
ἐξαίρετόν τι ἡ καινὴ κτίσις, ὁ Υἱὸς Θεοῦ μηνύει
διδάσκει; Οὐ τὸ φαινόμενον, ὅπερ ἄλλοι πεποιήκα
παρεγγυᾷ, ἀλλ' ἕτερόν τι διὰ τοῦτο σημαινόμε
μεῖζον καὶ θειότερον καὶ τελειότερον, τὸ τὴν ψυχ
αὐτὴν καὶ τὴν διάθεσιν γυμνῶσαι τῶν ἀπὸ τῶν π
θῶν καὶ πρόῤῥιζα τὰ ἀλλότρια τῆς γνώμης ἐκτεμ
καὶ ἐκβαλεῖν. Τοῦτο γὰρ ἴδιον μὲν τοῦ πιστοῦ τὸ μ
θημα, ἄξιον δὲ τοῦ Σωτῆρος τὸ δίδαγμα. Οἱ γάρ
πρότερον καταφρονήσαντες τῶν ἐκτὸς, τὰ μὲν κτ
ματα ἀφῆκαν καὶ παραπώλεσαν, τὰ δὲ πάθη τ
ψυχῶν οἶμαι ὅτι καὶ προσεπέτειναν. Ἐν ὑπεροψ
γὰρ ἐγένοντο καὶ ἀλαζονείᾳ καὶ κενοδοξίᾳ καὶ περ
φρονήσει τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, ὡς αὐτοί τι ὑπὲ
ἄνθρωπον ἐργαζόμενοι. Πῶς ἂν οὖν ὁ Σωτὴρ παρ
νει τοῖς ἀεὶ βιωσομένοις τὰ βλάψοντα καὶ λυμανο
μενα πρὸς τὴν ζωὴν ἣν ἐπαγγέλλεται; Καὶ γὰρ ὃ
κἀκεῖνό ἐστι, δύναταί τις ἀποφορτισάμενος τὴν κτ
σιν, οὐδὲν ἧττον ἔτι τὴν ἐπιθυμίαν καὶ τὴν ὄρεξ
τῶν χρημάτων ἔχειν ἐντετηκυῖαν καὶ συζῶσαν· κα
τὴν μὲν χρῆσιν ἀποβεβληκέναι, ἀπορῶν δὲ ἅμα κα
ποθῶν ἅπερ ἐσπάθησε, διπλῆ λυπεῖσθαι, καὶ τῇ τῆ
ὑπηρεσίας ἀπουσίᾳ καὶ τῇ τῆς μετανοίας παρουσίᾳ
Ἀνέφικτον γὰρ καὶ ἀμήχανον, δεόμενον τῶν πρὸ
τὸ βιοτεύειν ἀναγκαίων μὴ κατακλᾶσθαι τὴν γνώμη
καὶ ἀσχολίαν ἄγειν ἀπὸ τῶν κρειττόνων, ὁπωσοῦν κα
ὁθενοῦν ταῦτα πειρώμενον ἐκπορίζειν.

IΓ'. Καὶ πόσῳ χρησιμώτερον τὸ ἐναντίον, ἱκανὰ
κεκτημένον αὐτόν τε περὶ τὴν κτῆσιν μὴ κακοπα-

✠ P. 932 ED. POTTER.

Digitized by Google

θεῖν, καὶ οἷς καθῆκεν ἐπικουρεῖν; Τίς γὰρ ἂν κοινωνία καταλίποιτο παρὰ ἀνθρώποις, εἰ μηδεὶς ἔχει μηδέν; Πῶς ἂν τοῦτο τὸ δόγμα πολλοῖς ἄλλοις καὶ καλοῖς τοῦ Κυρίου δόγμασιν οὐχὶ φανερῶς ἐναντιούμενον εὑρίσκοιτο καὶ μαχόμενον; « Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους ἐκ τοῦ μαμμονᾶ τῆς ἀδικίας, ἵνα, ὅταν ἐκλίπητε, δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. Κτήσασθε θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, ὅπου μήτε σὴς μήτε βρῶσις ἀφανίζουσι, μήτε κλέπται διορύσσουσι. » Πῶς ἄν τις πεινῶντα τρέφοι, καὶ διψῶντα ποτίζοι, καὶ γυμνὸν σκεπάζοι, καὶ ἄστεγον συνάγοι, ἃ τοῖς μὴ ποιήσασιν ἀπειλεῖ πῦρ καὶ σκότος τὸ ἐξώτερον, εἰ πάντων αὐτὸς ἕκαστος φθάνοι τούτων ὑστερῶν; Ἀλλὰ μὴν αὐτός τε ἐπιξενοῦσθαι Ζακχαίῳ κελεύει καὶ Ματθαίῳ τοῖς (23) πλουσίοις καὶ τελώναις. Καὶ τὰ μὲν χρήματα αὐτοὺς οὐ κελεύει μεθεῖναι, τὴν δὲ δικαίαν κρίσιν ἐπιθεὶς, καὶ τὴν ἄδικον ἀφελὼν, καταλέγει· « Σήμερον σωτηρία τῷ οἴκῳ τούτῳ ἐγένετο, καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν. » Οὕτω τὴν χρείαν αὐτῶν ἐπαινεῖ, ὥστε καὶ μετὰ τῆς προσθήκης ταύτης τὴν κοινωνίαν ἐπιτάσσει, ποτίζειν τὸν διψῶντα, ἄρτον διδόναι τῷ πεινῶντι, ὑποδέχεσθαι τὸν ἄστεγον, ἀμφιεννύναι τὸν γυμνόν. Εἰ δὲ τὰς χρείας οὐχ οἷόν τε ἐκπληροῦν ταύτας μὴ ἀπὸ χρημάτων, τῶν δὲ χρημάτων ἀφίστασθαι κελεύει, τί ἂν ἕτερον εἴη ποιῶν ὁ Κύριος, ἢ τὰ αὐτὰ διδόναι τε καὶ μὴ διδόναι παραινῶν, τρέφειν τε καὶ μὴ τρέφειν, ὑποδέχεσθαι καὶ ἀποκλείειν, κοινωνεῖν καὶ μὴ κοινωνεῖν; ὅπερ ἁπάντων ἀλογώτατον.

tet suppeditet. Quæ enim jam apud homines reliqua communicatio sit, si nemo quidquam habeat? Quomodo vero dogma hoc non aperte pugnet cum multis aliis ac præclaris, quæ Dominus sanxit rataque voluit? « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula [a]. Parate thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demoliuntur, neque fures effodiunt [b]. » Quanam quis ratione esurientem alat, sitienti potum det [c], nudum contegat, peregrinum colligat, quæ nisi quis faciat, ignem comminatur et tenebras exteriores, si quisque ipse prior horum omnium egenus exstiterit? Quin et ipse excipi se hospitio a Zacchæo jubet et Matthæo, qui divites essent et publicani [d]. Ac quidem dimittere eos pecunias non jubet; sed adjecto justo judicio ablatoque injusto, subjungit: « Hodie salus huic domui facta est, eo quod et ipse filius Abrahæ. » Sic vero laudat pecuniarum usum, ut cum hac adjectione communicationem præcipiat, potum dare sitienti, esurienti panem præbere, peregrinum suscipere, nudum vestire. Quod si hæc nemo munia absque pecuniis explere potest, jubetque ut divortio facto illas relinquamus; quid aliud, quæso, facit Dominus, quam ut eadem dare et non dare jubeat, alere et non alere, suscipere et non suscipere, communicare et non communicare? Quod omnium insulsissimum est.

ΙΔ'. Οὐκ ἄρα ἀπορριπτέον τὰ καὶ τοὺς πέλας ὠφελοῦντα χρήματα· κτήματα γάρ ἐστι κτητὰ ὄντα, καὶ χρήματα χρήσιμα ὄντα καὶ εἰς χρῆσιν ἀνθρώπων παρεσκευασμένα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· ἃ δὴ παράκειται καὶ ὑποβέβληται καθάπερ ὕλη τις καὶ ὄργανα πρὸς χρῆσιν ἀγαθὴν τοῖς εἰδόσι τὸ ὄργανον. Ἐὰν χρῇ τεχνικῶς, τεχνικόν ἐστιν· ἐὰν ὑστερῇς τῆς τέχνης, ἀπολαύει τῆς σῆς ἀπαιδευσίας (24) ὃν ἀναίτιον. Τοιοῦτον καὶ ὁ πλοῦτος ὄργανόν ἐστι. Δύνασαι χρῆσθαι δικαίως αὐτῷ; πρὸς δικαιοσύνην καθυπηρετεῖ. Ἀδίκως τις αὐτῷ χρῆται; πάλιν ὑπηρέτης ἀδικίας εὑρίσκεται. Πέφυκε γὰρ ὑπηρετεῖν, ἀλλ' οὐκ ἄρχειν. Οὐ χρὴ τοίνυν τὸ ἐξ αὐτοῦ μὴ ἔχον μήτε τὸ ἀγαθὸν μήτε τὸ κακὸν, ἀναίτιον ὄν, αἰτιᾶσθαι· ἀλλὰ τὸ δυνάμενον καὶ καλῶς τούτοις χρῆσθαι καὶ κακῶς, ἀφ' ὧν ἂν ἕληται καθ' αὑτό· τοῦτο δέ ἐστι νοῦς ἀνθρώπου καὶ κριτήριον, ἐλεύθερον ἔχον ἐν ἑαυτῷ καὶ τὸ αὐτεξούσιον τῆς μεταχειρήσεως τῶν δοθέντων. Ὥστε μὴ τὰ κτήματά τις ἀφανιζέτω μᾶλλον ἢ τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, τὰ μὴ συγχωροῦντα τὴν ἀμείνω χρῆσιν τῶν ὑπαρχόντων· ἵνα, καλὸς καὶ ἀγαθὸς γενόμενος, καὶ τούτοις τοῖς χρήμασι χρῆσθαι δυνηθῇ καλῶς. Τὸ οὖν ἀποτάξασθαι πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσι καὶ πωλῆσαι πάντα τὰ ὑπάρχοντα, τοῦτον τὸν

XIV. Non ergo abjiciendæ sunt opes, quæ et in proximi cedant utilitatem: etenim possessiones dicuntur, quia earum ea indoles est ut possideantur; insuper opes appellantur ✠ quia opem ferunt, et humanis usibus sunt a Deo accommodatæ. Porro divitiæ ac opes præsto sunt subjacentque velut materia quædam et instrumentum, boni usus præstandi causa, his qui vim instrumenti sciant. Si ex artis rationibus utaris, artificiale est; si arte careas, imperitiæ tuæ labem contrahit, cum sit ipsum ab omni immune culpa. Tales divitiæ quoque sunt; instrumentum sunt. Potes illis uti, justitia comite? ad justitiam ministræ sunt. Utitur quis illis, ea non comite? ministræ rursus fiunt injustitiæ. Divitiis enim ex indole est ut inserviant, non ut præsint aut imperent. Cum igitur opes ex se neque bonum neque malum habeant, atque omni vacent crimine, haud ipsæ vituperandæ sunt; sed quod suo arbitratu, et a se illis bene aut male uti potest; mens scilicet humana ac judicii facultas, cui liberum sit qua ratione uti velit illis ad usum concessis. Nemo igitur divitias et opes, et non magis affectus ac perturbationes destruat, per quas non liceat uti facultatibus in bonum virtutis; qu-

✠ P. 9[4]/33 ED. POTTER. [a] Luc. XVI, 9. [b] Matth. VI, 19. [c] Matth. XXV, 35. [d] Luc. V, 29; XIX, 5.

(23) *Τοῖς*. Addit Combefisius contra fidem exemplaris, συνδειπνεῖται. FELL.

(24) *Ἀπαιδευσίας*. Ἀπουσίας ms. FELL.

Digitized by Google

nimirum bonus quis ac probus effectus, his quoque divitiis ac pecuniis probe exque honesti ratione uti possit. Quod igitur cunctis opibus renuntiare jubemur, et ut quæ in censu sunt, omnia venda- affectibus animi ac perturbationibus dictum accipiatur.

A τρόπον ἐκδεκτέον, ὡς ἐπὶ τῶν ψυχικῶν παθῶν εἰρημένων (25).

339 XV. Ego certe illud etiam addiderim. Quandoquidem alia quidem extra animam, alia intus inque anima sunt; ac siquidem anima illis bene honesteque utatur, illa quoque bona honestaque videntur; sin autem male, mala; num, quæso, qui facultates abalienare jubet, has magis repudiat, quibus sublatis adhuc vitia manent ac perturbationes; an vero illas, quibus peremptis ipsæ quoque utiles divitiæ fiant? Siquidem igitur abjectis quis sæcularis fastus divitiis, vitiorum adhuc ac affectuum segete dives esse potest, tametsi terrena substantia ei non suppetit (cupiditas enim quod suum est agit, animumque velut præfocat angitque et premit, alumnisque ac inolitis desideriis accendit), nihil plane ei profuit, quod egenus divitiis factus est, qui vitiis et affectibus dives sit. Non enim ea abjecit quæ abjicienda erant; sed quæ promiscui usus: ac sibi quidem servitia abstulit, innatam vero libidinis vitiique materiam exteriori penuria succendit. Renuntiandum ergo facultatibus quæ noxiæ sint, non iis rebus quæ si quis rectum usum attenderit, conducere etiam possint. Conducunt vero quæ prudentia comite et sobrietate ac pietate dispensantur. Porro ea submovenda quæ noxia: quæ autem foris sunt, ea nihil damni afferunt. Sic igitur Dominus etiam exteriorum usum insinuat, jubens ponere non ea, quibus vita sustentatur; ✠ sed quæ illis male utantur, ægritudines animi vitiaque seu affectus.

IE'. Ἐγὼ γοῦν κἀκεῖνο φήσαιμ' ἄν. Ἐπειδὴ τὰ μὲν ἐντός ἐστι τῆς ψυχῆς, τὰ δὲ ἐκτός· κἂν μὲν ἡ ψυχὴ χρῆται καλῶς, καλὰ καὶ ταῦτα δοκεῖ· ἐὰν δὲ πονηρῶς, πονηρά· ὁ κελεύων ἀπαλλοτριοῦν τὰ ὑπάρχοντα, πότερον ταῦτα παραιτεῖται, ὧν ἀναιρεθέντων ἔτι τὰ πάθη μένει· ἢ ἐκεῖνα μᾶλλον, ὧν ἀναιρεθέντων καὶ τὰ κτήματα χρήσιμα γίνεται; Εἰ τοίνυν ὁ ἀποβαλὼν τὴν κοσμικὴν περιουσίαν ἔτι δύναται πλουτεῖν τῶν παθῶν, καὶ τῆς ὕλης μὴ παρούσης (ἡ γάρ τοι διάθεσις τὸ αὐτῆς ἐνεργεῖ καὶ τὸν λογισμὸν ἄγχει, καὶ πιέζει καὶ φλεγμαίνει ταῖς συντρόφοις ἐπιθυμίαις)· οὐδὲν οὖν προὔργου γέγονεν αὐτῷ πτωχεύειν χρημάτων, πλουτοῦντι τῶν παθῶν. Οὐ γὰρ τὰ ἀπόβλητα ἀπέβαλεν, ἀλλὰ τὰ ἀδιάφορα· καὶ τῶν μὲν ὑπηρετικῶν ἑαυτὸν περιέκαψεν, ἐξέκαυσε δὲ τὴν ὕλην τῆς κακίας τὴν ἔμφυτον τῇ τῶν ἐκτὸς ἀπορίᾳ. Ἀποτακτέον οὖν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς βλαβεροῖς, οὐχὶ τοῖς, ἐὰν ἐπιστῆταί τις τὴν ὀρθὴν χρῆσιν, καὶ συνωφελεῖν δυναμένοις. Ὠφελεῖ δὲ τὰ μετὰ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ εὐσεβείας οἰκονομούμενα. Ἀπωστέα δὲ καὶ ἐπιζήμια· τὰ δὲ ἐκτὸς οὐ βλάπτει. Οὕτως οὖν ὁ Κύριος καὶ τὴν τῶν ἐκτὸς χρείαν εἰσάγει, κελεύων ἀποθέσθαι οὐ τὰ βιωτικά, ἀλλὰ τὰ τούτοις κακῶς χρώμενα· ταῦτα δ' ἦν τὰ τῆς ψυχῆς ἀῤῥωστήματα καὶ τὰ πάθη.

B

XVI. Horum copia ipsa quidem suppetens, cunctis mortifera est; et si pereat, salutis causa est. Ab ea mundam, hoc est, pauperem nudamque animam præstare decet, sicque jam Salvatorem audire dicentem: « Veni, sequere me [a].» Via enim ipse tunc fit, habenti cor purum: in impuram autem animam, Dei gratia non subit. Impura autem est quæ desideriis dives, multisque amoribus, iisque sæcularibus, feta est atque parturit. Nam qui possessionibus locuples, aurumque et argentum et domos tanquam Dei dona habet, Deoque largitori in hominum salutem ex eis obsequitur; novitque fratrum potius causa, quam in sui gratiam hæc a se possideri; animoque quam pro illorum possessione præstantior, non ut servus hisque mancipatus, ea possidet; neque animo circumfert, nec eis vitam suam definit ac circumscribit, sed et honesti aliquid operis atque divini in laboris partem semper assumit, et si quando necesse fuerit illis privari, placido animo pariqùe hilaritate eorum jacturam ferre potest ac abundantiam: hic ille est qui a Domino beatus prædicatur, et pauper spiritu vocatur [b], expeditus hæres regni cœlorum, non qui divitiarum impatiens earum cultu vivere non potest.

C

IϚ'. Ὁ τούτων πλοῦτος, παρὼν μὲν, ἅπασι θανατηφόρος, ἀπολλύμενος δὲ, σωτήριος· οὗ δεῖ καθαρεύουσαν, τουτέστι πτωχεύουσαν καὶ γυμνὴν τὴν ψυχὴν παρασχόμενον, οὕτως ἤδη τοῦ Σωτῆρος ἀκοῦσαι λέγοντος· « Δεῦρο, ἀκολούθει μοι.» Ὁδὸς γὰρ αὐτὸς ἤδη τῷ καθαρῷ τὴν καρδίαν γίνεται· εἰς δὲ ἀκάθαρτον ψυχὴν Θεοῦ χάρις οὐ παρεισδύεται. Ἀκάθαρτος δὲ ἡ πλουτοῦσα τῶν ἐπιθυμιῶν, καὶ ὠδίνουσα πολλοῖς ἔρωσι καὶ κοσμικοῖς. Ὁ μὲν γὰρ ἔχων κτήματα καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον, καὶ οἰκίας ὡς Θεοῦ δωρεάς· καὶ τῷ τε διδόντι Θεῷ λειτουργῶν ἀπ' αὐτῶν εἰς ἀνθρώπων σωτηρίαν· καὶ εἰδὼς, ὅτι ταῦτα κέκτηται διὰ τοὺς ἀδελφοὺς μᾶλλον ἢ ἑαυτόν· καὶ κρειττων ὑπάρχων τῆς κτήσεως αὐτῶν, μὴ δοῦλος ὢν κέκτηται, μηδὲ ἐν τῇ ψυχῇ ταῦτα περιφέρων, μηδὲ ἐν τούτοις ὁρίζων καὶ περιγράφων τὴν ἑαυτοῦ ζωὴν, ἀλλά τι καὶ καλὸν ἔργον καὶ θεῖον ἀεὶ διαπονῶν· κἂν ἀποστερηθῆναι δέῃ ποτὲ τούτων, δυνάμενος ἔλεῳ τῇ γνώμῃ, καὶ ἀπαλλαγὴν αὐτῶν ἐνεγκεῖν ἐξ ἴσου, καθάπερ καὶ τὴν περιουσίαν· οὗτος ὁ μακαριζόμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου, καὶ πτωχὸς τῷ πνεύματι καλούμενος, κληρονόμος ἕτοιμος οὐρανοῦ βασιλείας, οὐ πλούσιος ζῆσαι μὴ δυνάμενος.

D

✠ P. 934 ED. POTTER. [a] Marc. x, 21. [b] Matth. v, 3.

(25) *Εἰρημένων*. Scribe εἰρημένον.

Digitized by Google

ΙΖ'. Ὁ δὲ ἐν τῇ ψυχῇ τὸν πλοῦτον φέρων, καὶ ἀντὶ Θεοῦ Πνεύματος ἐν τῇ καρδίᾳ χρυσὸν φέρων ἢ ἀγρόν, καὶ τὴν κτῆσιν ἄμετρον ἀεὶ ποιῶν, καὶ ἑκάστοτε τὸ πλεῖον βλέπων, κάτω νενευκὼς καὶ τοῖς τοῦ κόσμου θηράτροις πεπεδημένος, γῇ ὢν καὶ εἰς γῆν ἀπελευσόμενος, πόθεν δύναται βασιλείας οὐρανῶν ἐπιθυμῆσαι καὶ φροντίσαι, ἄνθρωπος οὐ καρδίαν, ἀλλὰ ἀγρὸν ἢ μέταλλον φορῶν, ἐν τούτοις εὑρεθησόμενος ἐπάναγκες ἐν οἷς εἵλετο ; Ὅπου γὰρ ὁ νοῦς τοῦ ἀνθρώπου, ἐκεῖ καὶ ὁ θησαυρὸς αὐτοῦ. Θησαυροὺς δή γε ὁ Κύριος οἶδε διττούς· τὸν μὲν ἀγαθὸν, Ὁ γὰρ « ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας προφέρει τὸ ἀγαθόν· » τὸν δὲ πονηρὸν, Ὁ γὰρ « κακὸς ἐκ τοῦ κακοῦ θησαυροῦ προφέρει τὸ κακόν· ὅτι ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. » Ὥσπερ οὖν θησαυρὸς οὐχ εἷς παρ' αὐτῷ, καθὸ καὶ παρ' ἡμῖν, ὁ τὸ αἰφνίδιον μέγα κέρδος ἐν εὑρέσει διδούς· ἀλλὰ καὶ δεύτερος ὁ ἀκερδὴς καὶ ἄζηλος καὶ δύσκτητος καὶ ἐπιζήμιος· οὕτω καὶ πλοῦτος ὁ μέν τις ἀγαθῶν, ὁ δὲ κακῶν· εἴ γε τὸν πλοῦτον καὶ τὸν θησαυρὸν οὐκ ἀπηρτημένους ἴσμεν ἀλλήλων τῇ φύσει. Καὶ ὁ μέν τις πλοῦτος κτητὸς ἂν εἴη καὶ περίβλητος, ὁ δὲ ἄκτητος καὶ ἀπόβλητος. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ πτωχεία μακαριστὴ μὲν ἡ πνευματική· διὸ καὶ προσέθηκεν ὁ Ματθαῖος· « Μακάριοι οἱ πτωχοί. » Πῶς; « Τῷ πνεύματι. » Καὶ πάλιν· « Μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην τοῦ Θεοῦ. » Οὐκοῦν ἄθλιοι οἱ ἐναντίοι πτωχοὶ, Θεοῦ μὲν ἄμοιροι, ἀμοιρότεροι δὲ τῆς ἀνθρωπίνης κτήσεως, ἄγευστοι δὲ δικαιοσύνης Θεοῦ.

A

B

XVII. At qui fert opes in animo, et loco Spiritus Dei fert aurum in corde sive agrum, nulloque iis adhibito modo prædia et possessiones semper auget, ac quotidie alia pluraque animo cogitat, in terram pronus cernuusque, ac mundi laqueis irretitus, qui terra sit et in terram reversurus sit, unde is regni cœlorum desiderio accendatur ac ejus cura affici possit; homo scilicet, qui non cor, sed agrum aut metallum gerat, quem plane necesse sit in iis deprehendi, quorum amore captus exsistit? Ubi enim est mens hominis, ibi et thesaurus ejus est. Duplicem porro thesaurum novit Dominus: alterum bonum; « bonus enim homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; » alterum malum, « malus enim de malo thesauro profert malum; ex abundantia enim cordis os loquitur [a]. » Quemadmodum igitur thesaurus non unus apud eum, velut etiam se res in nobis habet, quo scilicet inopinato invento, ingens lucrum offendenti præstatur; sed et alius est nullius frugis, nihilque expetendus, infaustæ possessionis atque damnosus: sic sunt quoque bonorum, deque malorum genere, divitiæ; siquidem divitias et thesaurum haud inter se natura dirimi scimus. Ac quidem erant divitiæ merito possidendæ ac amplexandæ, itemque ne dignæ quidem quæ possideantur ac respuendæ. Ad ✠ eumdem modum etiam paupertas spiritalis quidem beata prædicanda; unde et adjecit Matthæus: « Beati pauperes [b]. » Quo id modo? Nimirum « pauperes spiritu. » Ac rursus: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam Dei [c]. » Igitur miseri pauperes contrariæ indolis, qui Dei expertes magisque expertes humanarum facultatum, Dei justitiam ne quidem delibarunt.

ΙΗ'. Ὥστε τοὺς πλουσίους μαθηματικῶς (26) ἀκουστέον, τοὺς δυσκόλως εἰσελευσομένους εἰς τὴν βασιλείαν, μὴ σκαιῶς μηδὲ ἀγροίκως μηδὲ σαρκικῶς. Εἰ γὰρ οὕτω λέλεκται, οὐδὲ ἐπὶ τοῖς ἐκτὸς ἡ σωτηρία, οὔτε εἰ πολλὰ οὔτε εἰ ὀλίγα ταῦτα, ἢ μικρὰ ἢ μεγάλα, ἢ ἔνδοξα ἢ ἄδοξα, ἢ εὐδόκιμα ἢ ἀδόκιμα· ἀλλ' ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ, πίστει, καὶ ἐλπίδι, καὶ ἀγάπῃ, καὶ φιλαδελφίᾳ, καὶ γνώσει, καὶ πραότητι, καὶ ἀτυφίᾳ, καὶ ἀληθείᾳ, ὧν ἄθλον ἡ σωτηρία. Οὐδὲ γὰρ διὰ κάλλος σώματος ζήσεταί τις, ἢ τοὐναντίον ἀπολεῖται· ἀλλ' ὁ μὲν τῷ δοθέντι σώματι, ἀγνῶς καὶ κατὰ Θεὸν χρώμενος, ζήσεται· ὁ δὲ φθείρων τὸν ναὸν Θεοῦ φθαρήσεται. Δύναται δέ τις καὶ αἰσχρὸς ἀσελγαίνειν, καὶ καλὸς σωφρονεῖν. Οὐδὲ ἰσχὺς καὶ σώματος μέγεθος ζωοποιεῖ, οὐδὲ τῶν μελῶν οὐδὲν ἀπολλύει· ἀλλ' ἡ τούτοις ψυχὴ χρωμένη τὴν αἰτίαν ἐφ' ἑκατέραν παρέχεται. Ὑπόφερε γοῦν, φησὶ, παιόμενος τὸ πρόσωπον· ὅπερ δύναται καὶ ἰσχυρός τις ὢν καὶ εὐεκτῶν ἐπακοῦσαι, καὶ πάλιν ἀσθενικός τις ὢν ἀκρασίᾳ γνώμης παραδῆναι. Οὕτω καὶ ἄπορός τις αὖ καὶ ἄδικος εὑρεθείη ποτ' ἂν μεθύων ταῖς ἐπιθυμίαις, καὶ χρήμασι πλούσιος, νήφων καὶ πτωχεύων ἡδονῶν, πεπεισμένος, συνετὸς, καθαρὸς, κεκολασμένος. Εἰ

C

D

340 XVIII. Divites ergo qui difficile intrabunt in regnum cœlorum subtilius ac erudite intelligendi, non pravo sensu rusticiusque ac carnali intellectu. Non enim ita dictum est, nec in eis quæ foris sunt salus posita est, sive illa multa sive pauca sint, sive parva sive magna, sive laude clara sive obscura, sive probata sive reproba; sed in animi virtute, fide, spe et charitate, fraterno amore, et scientia, et mansuetudine, et modestia, et veritate, quorum præmium salus est. Neque enim vivet quispiam quod pulchro sit corpore, aut contra, peribit; sed qui caste exque divinis rationibus utitur concesso corpore, is vivet; qui vero Dei templum corrumpit, disperdetur [d]. Potest vero quis etiam deformis indulgere libidini, et qui pulcher sit, studere castitati. Neque robur molesque ac proceritas corporis vitam afferunt, nec membrum aliquod dat perniciem; sed causam in utrumque præbet, quæ his anima utitur. Sustine, inquit, si quis te in faciem cædit [e]; cui et robustus et prospera utens valetudine obaudire potest; et contra quis infirmus, mentis petulantia ejus transgressor esse. Sic et rursus egenus quidam et inops, cupi-

✠ P. 925 ED. POTTER. [a] Matth. VI, 21; XII, 35, 34. [b] Matth. V, 3. [c] Ibid. 6. [d] I Cor. III, 17. [e] Matth. V, 39; Luc. VI, 29; II Cor. XI, 20.

(26) *Μαθηματικῶς*. Forte πνευματικῶς, aut μεμελημένως. FELL.

Digitized by Google

ditatibus ebrius exstiterit, quique divitiis affluat, sobrius et egenus voluptatum : nempe obsequendi animo, sedulus, cordatus, mundus, castigatus. Si igitur quod potissimum primumque vitam est habiturum, anima est, eique vitam præstat, quæ illi virtus quasi adnascitur atque comes est, vitium autem vitam perimit; aperte constat, ipsam tum eorum egenam quæ quis divitiis labefactat, incolumem fore; tum iis affluentem quæ ex divitiis proclive inolescunt, interitu mergendam. Nec jam alibi quam in animæ ipso statu et affectione, ut Deo obsequatur mundamque se præbeat, et ut transgrediendo mandata, vitium ac malitiam colligat, causam quæramus cur hæc ita utrinque eveniant.

A τοίνυν ἐστὶ τὸ ζησόμενον μάλιστα καὶ πρῶτον ἡ ψυχή, καὶ περὶ ταύτην ἀρετὴ μὲν φυομένη σώζει, κακία δὲ θανατοῖ· δῆλον ἤδη σαφῶς, ὅτι αὐτὴ καὶ πτωχεύουσα ὧν ἂν τις ὑπὸ πλούτου (27) διαφθείρει, σώζεται, καὶ πλουτοῦσα τούτων, ὧν ἐπιτρίβει πλοῦτος, θανατοῦται. Καὶ μηκέτι ζητῶμεν ἀλλαχοῦ τὴν αἰτίαν τοῦ τέλους πλὴν ἐν τῇ τῆς ψυχῆς καταστάσει καὶ διαθέσει πρός τε τὴν ὑπακοὴν Θεοῦ καὶ καθαρότητα, πρός τε παράβασιν ἐντολῶν καὶ κακίας συλλογήν.

XIX. Vere igitur probeque dives est, qui fretus virtutibus est et quavis fortuna sancte et fide uti potest : falso autem dives, qui carne dives est, vitamque transtulit ad exteriorem substantiam quæ præterit atque interit, ac quandoque in alterius censum transit, et ad extremum nullius plane exsistit. ✠ Rursus eadem ratione est et verus pauper, et spurius alius falsique nominis pauper exsistit : quorum nempe alius pauper spiritu fit, quod est proprium, alius sæculari fastu, quod alienum. Mundi igitur fastu pauperi, ac qui dives vitiis sit, non qui spiritu pauper, et secundum Deum dives exsistat, Recede, ait, ab his, quas in animo possides, alienis facultatibus, ut mundo corde evadens videas Deum; quod et alia verborum forma est, ut intres in regnum cœlorum. Quonam vero modo ab eis recesseris? Vendendo. Quid ergo? Ita nimirum ut prædiorum pretio pecuniam recipias? Nempe opes opibus commutando, conflata quæ in oculos incurrit substantia? Nequaquam. Sed ita ut loco earum, quæ animo ante inerant, quem esse salvum cupis, alias divitias deificas vitæque æternæ pararias (ex divini scilicet ratione mandati consertos animi affectus) inferas; pro quibus erit tibi merces ac perpetuus honor et salus æternaque incorruptio. In hunc modum recte vendis quæ possides, multa illa et superflua, et quæ tibi cœlum occludunt, cum illis commutans, quæ salutem afferre possint. Illa habeant carnali ritu pauperes et qui his indigeant : tu vero spiritalibus eorum loco receptis divitiis, thesaurum in cœlis habeas.

IΘ'. Ὁ μὲν ἄρα ἀληθῶς καὶ καλῶς ἐστιν ὁ τῶν ἀρετῶν πλούσιος, καὶ πάσῃ τύχῃ χρῆσθαι ὁσίως καὶ πιστῶς δυνάμενος· ὁ δὲ νόθως πλούσιος, ὁ κατὰ σάρκα B πλούσιος, καὶ τὴν ζωὴν εἰς τὴν ἔξω κτῆσιν μετενηνοχὼς τὴν παρερχομένην καὶ φθειρομένην, καὶ ἄλλοτε ἄλλου γινομένην, καὶ ἐν τῷ τέλει μηδενὸς μηδαμῆ. Πάλιν αὖ καὶ κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ γνήσιος πτωχός, καὶ νόθος ἄλλος πτωχὸς καὶ ψευδώνυμος· ὁ μὲν κατὰ πνεῦμα πτωχός, τὸ ἴδιον, ὁ δὲ κατὰ κόσμον, τὸ ἀλλότριον. Τῷ δὴ κατὰ κόσμον πτωχῷ καὶ πλουσίῳ κατὰ τὰ πάθη, ὁ (27*) κατὰ πνεῦμα οὐ πτωχὸς καὶ κατὰ Θεὸν πλούσιος, Ἀπόστηθι, φησὶ, τῶν ὑπαρχόντων ἐν τῇ ψυχῇ σου κτημάτων ἀλλοτρίων, ἵνα, καθαρὸς τῇ καρδίᾳ γενόμενος, ἴδῃς τὸν Θεόν· ὅπερ καὶ δι' ἑτέρας φωνῆς ἐστιν, εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Καὶ πῶς αὐτῶν ἀποστῇς; Πωλήσας. Τί οὖν; χρήματα ἀντὶ κτημάτων λάβῃς, ἀντίδοσιν πλούτου προσποιησάμενος, ἐξαργυρίσας τὴν φανερὰν οὐσίαν; C Οὐδαμῶς. Ἀλλὰ ἀντὶ τῶν προτέρων ἐνυπαρχόντων τῇ ψυχῇ, ἣν σῶσαι ποθεῖς, ἀντεισαγόμενος ἕτερον πλοῦτον θεοποιὸν καὶ ζωῆς χορηγὸν αἰωνίου, τὰς κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ διαθέσεις· ἀνθ' ὧν σοι περιέσται μισθὸς καὶ τιμὴ διηνεκὴς, καὶ σωτηρία, καὶ αἰώνιος ἀφθαρσία. Οὕτω καλῶς πωλεῖς τὰ ὑπάρχοντα, τὰ πολλὰ καὶ περισσὰ, καὶ ἀποκλείοντά σοι τοὺς οὐρανοὺς, ἀντικαταλλασσόμενος αὐτῶν τὰ σῶσαι δυνάμενα. Ἐκεῖνα ἐχέτωσαν οἱ σαρκικοὶ πτωχοὶ καὶ τούτων δεόμενοι· σὺ δὲ τὸν πνευματικὸν πλοῦτον ἀντιλαβὼν ἔχοις ἂν ἤδη θησαυρὸν ἐν οὐρανοῖς.

XX. Hæc per metaphoram dicta non intelligens ille multis pecuniis locuples et homo legalis; neque D ut possit idem et pauper esse et dives, et habere pecunias et non habere, necnon uti sæculo et non uti, abiit tristis et mœrens, relicta vitæ sorte, quam solummodo cupere, ac non etiam assequi potuit; qui sibi nimirum quod arduum erat, impossibile reddiderit. Arduum namque ac difficile non circumduci animum et labefactari, affluentium bonorum floridaque specie præstigio prope obrepentium conspicuo censu ac divitiis; non tamen impossibile cum his etiam nancisci salutem, si quis ab iis opi-

K'. Ταῦτα μὴ συνιεὶς κατὰ τρόπον ὁ πολυχρήματος καὶ ἔννομος ἄνθρωπος, μηδὲ ὅπως ὁ αὐτὸς καὶ πτωχὸς δύναται εἶναι καὶ πλούσιος, καὶ ἔχειν τὰ χρήματα καὶ μὴ ἔχειν, καὶ χρῆσθαι τῷ κόσμῳ καὶ μὴ χρῆσθαι, ἀπῆλθε στυγνὸς καὶ κατηφὴς, λιπὼν τὴν τάξιν τῆς ζωῆς, ἧς ἐπιθυμεῖν μόνον, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τυχεῖν ἠδύνατο, τὸ δύσκολον ποιήσας ἀδύνατον αὐτὸς ἑαυτῷ. Δύσκολον γὰρ ἦν μὴ περιάγεσθαι, μηδὲ καταστρέφεσθαι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τῶν προσόντων ἀβρῶν τῷ προδήλῳ πλούτῳ καὶ ἀνθηρῶν γοητευμάτων· οὐκ ἀδύνατον δὲ καὶ ἐν τούτῳ λαβέσθαι σωτηρίας, εἴ τις ἑαυτὸν ἀπὸ τοῦ αἰσθητοῦ πλούτου ἐπὶ

✠ P. 936 ED. POTTER.

(27) *Πλούτου.* Τούτου ms. FELL.

(27*) Vertit interpres quasi legisset ὅς (subaudiendo ἐστι). Klotzius, in editione sua Lipsiana an. 1832, particulam οὐ repudiavit, ita ut ὁ κατὰ πνεῦμα πτωχὸς καὶ κ. Θ. π. verbi sequentis, φησὶ, subjectum evadat. EDIT. PATROL.

Digitized by Google

τὸν νοητὸν καὶ θεοδίδακτον μεταγάγοι, καὶ μάθοι τοῖς ἀδιαφόροις χρῆσθαι καλῶς καὶ ἰδίως, καὶ ὡς ἂν εἰς ζωὴν αἰώνιον ὁρμῷτο. Καὶ οἱ μαθηταὶ δὲ τὸ πρῶτον μὲν καὶ αὐτοὶ περιδεεῖς καὶ καταπληγεῖς γεγόνασιν. Ἀκούσαντες τί δήποτε; ἆρά γε ὅτι χρήματα καὶ αὐτοὶ ἐκέκτηντο πολλά; Ἀλλὰ καὶ αὐτὰ ταῦτα τὰ δικτύδια καὶ ἄγκιστρα, καὶ τὰ ὑπηρετικὰ σκαφίδια ἀφῆκαν πάλαι, ἅπερ ἦν αὐτοῖς μόνα. Τί οὖν φοβηθέντες λέγουσι· « Τίς δύναται σωθῆναι; » Καλῶς ἤκουσαν, καὶ ὡς μαθηταὶ, τοῦ παραβολικῶς καὶ ἀσαφῶς λεχθέντος ὑπὸ τοῦ Κυρίου, καὶ ᾐσθοντο τοῦ βάθους τῶν λόγων. Ἕνεκα μὲν οὖν χρημάτων ἀκτημοσύνης, εὐέλπιδες ἦσαν πρὸς σωτηρίαν· ἐπειδὴ δὲ συνῄδεσαν ἑαυτοῖς μήπω τὰ πάθη τέλεον ἀποτιθεμένοις (ἀρτιμαθεῖς γὰρ ἦσαν καὶ νεωστὶ πρὸς τοῦ Σωτῆρος ἠνδρολογημένοι), περισσῶς ἐξεπλήττοντο, καὶ ἀπεγίνωσκον ἑαυτοὺς οὐδέν τι ἧττον ἐκείνου τοῦ πολυχρημάτου καὶ δεινῶς τῆς κτήσεως περιεχουμένου, ἦν γε προέκρινε ζωῆς αἰωνίου. Ἄξιον οὖν ἦν τοῖς μαθηταῖς φόβου παντὸς, εἰ καὶ ὁ χρήματα κεκτημένος καὶ ὁ τῶν παθῶν ἔγκυος ὤν, ἐπλούτουν, καὶ αὐτοὶ παραπλησίως ἀπελαθήσονται οὐρανῶν. Ἀπαθῶν γὰρ καὶ καθαρῶν ψυχῶν ἐστιν ἡ σωτηρία.

A bus quæ in sensum cadunt, ad eas se transferat, quæ in mente intelliguntur, Deoque docente noscuntur; noveritque bene uti illis quæ promiscui usus sunt propriaque illi ratione, et ut animi desiderio ad vitam æternam enitatur. Quin et discipuli, illi quidem primum timore perculsi ac attoniti sunt. Quo nempe audito? Num quod ipsi quoque multas pecunias habebant? Verum ipsa quoque vilia retia hamosque ac piscatorias scaphas lintresque jam olim reliquerant, quæ sola illis in censu erant. Quid ergo timentes aiunt: « Et quis potest salvus fieri [a]? » Præclare audierant, et ut discipuli, quod per parabolam sensuque obscuriore a Domino dictum fuerat, ac sententiæ altitudinem intellexerant. Et quidem quod attinet ad pecuniarum abdicationem, B ✠ bona spe consequendæ salutis freti erant: quod vero necdum se perfecte affectus vitiaque exuisse sibi conscii erant (quippe nuper disciplina imbuti recensque a Salvatore in familiam asciti), supra modum animis perculsi erant, suamque ipsi salutem, haud secus ac divitis illius habentis multas pecunias, direque animo rei familiari addicti (quam et vitæ æternæ prætulerat), in desperatis habebant. Magno itaque illis timore dignum videbatur: si tum is qui pecunias haberet, tum qui affectibus gravidus esset, in divitum censu habendi essent, ipsique perinde regno cœlorum ejiciendi forent. Animas enim immunes ab affectibus ac labe puras manet salus.

ΚΑ'. Ὁ δὲ Κύριος ἀποκρίνεται· « Διότι τὸ ἐν ἀνθρώποις ἀδύνατον δυνατὸν Θεῷ. » Πάλιν καὶ τοῦτο μεγάλης σοφίας μεστόν ἐστιν· ὅτι καθ' αὑτὸν μὲν ἀσκῶν καὶ διαπονούμενος ἀπάθειαν ἄνθρωπος, οὐδὲν C ἀνύει· ἐὰν δὲ γένηται ὅλως ὑπερεπιθυμῶν τούτου καὶ διεσπουδακὼς, τῇ προσθήκῃ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως περιγίνεται. Βουλομέναις μὲν γὰρ ὁ Θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ· εἰ δὲ ἀποσταῖεν τῆς προθυμίας, καὶ τὸ δοθὲν ἐκ Θεοῦ πνεῦμα συνεστάλη. Τὸ μὲν γὰρ ἄκοντας σώζειν, ἐστὶ βιαζομένου· τὸ δὲ αἱρουμένους, χαριζομένου. Οὐδὲ τῶν καθευδόντων καὶ βλακευόντων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' « οἱ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. » Αὕτη γὰρ μόνον βία καλὴ, Θεὸν βιάσασθαι, καὶ παρὰ Θεοῦ ζωὴν ἁρπάσαι. Ὁ δὲ γνοὺς τοὺς βεβαίως, μᾶλλον δὲ βιαίως ἀντεχομένους, συνεχώρησεν, εἶξε· χαίρει γὰρ ὁ Θεὸς τὰ τοιαῦτα ἡττώμενος. Τοιγάρτοι τούτων ἀκούσας ὁ μακάριος Πέτρος, ὁ ἐκλεκτὸς, ὁ ἐξαίρετος, ὁ πρῶτος τῶν μαθητῶν, ὑπὲρ οὗ μόνου καὶ ἑαυτοῦ τὸν φόρον ὁ Σωτὴρ ἐκτελεῖ, D ταχέως ἥρπασε καὶ συνέλαβε τὸν λόγον. Καὶ τί φησιν; « Ἴδε ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι. » Τὰ δὲ πάντα εἰ μὲν τὰ κτήματα τὰ ἑαυτοῦ λέγει, τέσσαρας ὀβολοὺς ἴσως τοῦ ὅλου καταλιπὼν μεγαλύνεται, καὶ τούτων ἀνταξίαν ἀποφαίνων ἂν λάθοι τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· εἰ δὲ ἅπερ ἄχρι νῦν ἐλέγομεν τὰ παλαιὰ τὰ κτήματα, καὶ ψυχικὰ νοσήματα ἀπορρίψαντες, ἕπονται κατ' ἴχνος τῷ διδασκάλῳ, τοῦτ' ἀνάπτοιτο ἤδη τοῖς ἐν οὐρανοῖς ἐγγραφησομένοις. Οὕτω γὰρ ἀκολουθεῖν ὄντως τῷ Σωτῆρι ἀναμαρτησίαν καὶ τελειότητα τὴν ἐκείνου μετερχόμε-

341 XXI. Dominus vero respondit: « Quod est impossibile apud homines, est possibile Deo [b]. » Et hoc rursus magnæ sapientiæ plenum est: idcirco nimirum quod homo ipse a se, suaque virtute operam ponens, studensque ac laborans ut compressis affectibus tranquilli animi fiat, nihil inde præstat: sin autem ejus desiderio vehementius inardescat, diligentiamque omnem adhibeat, adjuncta illi divina virtute evadet votorum compos. Deus namque volentibus animis aspirat. Sin autem a cœpta animi alacritate abscesserint, etiam datus a Deo spiritus contrahitur. Invitis enim salutem afferre, ejus est qui vim afferat; volentibus autem libero animi proposito, ejus qui liberaliter indulgeat. Nec dormientium et in deliciis agentium est regnum cœlorum; « sed violenti rapiunt [c] » illud. Hæc enim sola bona violentia, Deo vim inferre, atque a Deo vitam rapere. Qui autem novit eos, qui strenue ac firmiter, imo qui violenter rei incumbunt, ejus copiam facit ceditque; gaudet enim Deus in his se vinci. Itaque cum hæc audisset beatus Petrus, electus ille et eximius, primus ille discipulorum, pro quo uno et seipso Dominus tributum pendit [d]; sermonem confestim rapuit vimque ejus comprehendit. Quid vero ait? « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te [e]. » Porro omnia, si ea dicat quæ in censu habebat, relictis forsitan, quæ tota substantia esset, quatuor obolis, magnifice glorietur, imprudensque dignum horum præmium vicemque regnum cœlorum pronuntiet. Sin autem quas hactenus memo-

✠ P. 957 ED. POTTER. [a] Marc. x, 26. [b] Luc. xviii, 27. [c] Matth. xi, 12. [d] Matth. xvii, 26. [e] Matth. xix, 28.

Digitized by Google

ravimus, veteribus spiritualibus quasi facultatibus animique ægritudinibus atque vitiis projectis, magistri vestigia sequuntur; id vero jam illis connectat, qui cœlis ascribendi sunt. Sic enim revera præstatur ut Salvatorem sequatur, qui illius ab omni immunem noxa vitam colat ac perfectionem, quique in illam velut speculum contuendo animum perornet componatque, ac in omnibus pares illi mores prorsus induat.

A νον, καὶ πρὸς ἐκείνην ὥσπερ κάτοπτρον κοσμῶντα καὶ ῥυθμίζοντα τὴν ψυχὴν, καὶ πάντα διὰ πάντων ὁμοίως διατεθέντα.

✠ XXII. « Respondens autem Jesus, ait : Amen dico vobis, qui reliquerit propria, et parentes et fratres et pecunias propter me et propter Evangelium, recipiet centies tantum [a]. » At neque hoc vos turbet, nec quod adhuc durioribus verbis alio loco editum est : « Qui non odit patrem et matrem et filios, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus [b]. » Non enim præcepit odium et divortium a charissimis Deus pacis, qui et inimicos diligere jubeat. Quod si inimici diligendi sunt, pari etiam ratione ab eis ascendendo, qui sunt genere conjunctissimi; aut si odio habendi affines et cognati, potiori ratione rejiciendos inimicos descendendo ratio edocet. Proinde alia aliam sententiam liquido destruit. At non invicem destruunt, neque ulla re adversantur, aut vel prope destruunt. Ex eodem quippe affectu et animo, eademque regula patrem odio habeat amando inimicum, qui nec inimicum ulciscatur, neque patrem plus Christo vereatur. In illo quidem verbo odium resecat et voluntatem inferendi mala, in hoc vero nimiam in conjunctos reverentiam, dum hæc saluti officiat. Si ergo infidelis cuipiam pater aut filius aut frater exstiterit, atque horum quilibet fidei vitæque in cœlis consequendæ impedimentum præstiterit; huic ne consentiat, aut cum illo concordiam habeat, sed spiritalis inimicitiæ causa carnalem necessitudinem diluat.

ΚΒ'. « Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὃς ἂν ἀφῇ τὰ ἴδια, καὶ γονεῖς καὶ ἀδελφοὺς, καὶ χρήματα ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ ἕνεκεν τοῦ Εὐαγγελίου, ἀπολήψεται ἑκατομπλασίονα. » Ἀλλὰ μηδὲ τοῦθ' ὑμᾶς ἐπιταρασσέτω, μηδὲ τὸ ἔτι σκληρότερον ἀλλαχοῦ ταῖς φωναῖς ἐξενηνεγμένον, « Ὃς οὐ μισεῖ πατέρα καὶ μητέρα, καὶ παῖδας, προσέτι δὲ καὶ τὴν ψυχὴν ἑαυτοῦ, ἐμὸς μαθητὴς εἶναι οὐ δύναται. » Οὐ γὰρ εἰσηγεῖται μῖσος καὶ διάλυσιν ἀπὸ τῶν φιλτάτων ὁ τῆς εἰρήνης Θεὸς, ὅ γε καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπᾷν παραινῶν. Εἰ δὲ τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπητέον, ἀνάλογον ἀπ' ἐκείνων ἀνιόντι καὶ τοὺς ἐγγυτάτω γένους· ἢ εἰ μισητέον τοὺς πρὸς αἵματος, πολὺ μᾶλλον τοὺς ἐχθροὺς ἀποδάλλεσθαι κατιὼν ὁ λόγος διδάσκει. Ὥστε ἀλλήλους ἀναιροῦντες ἐλέγχοιντ' ἂν οἱ λόγοι. Ἀλλ' οὐδ' ἀναιροῦσιν, οὐδ' ἐγγύς· ἀπὸ γὰρ τῆς αὐτῆς γνώμης καὶ διαθέσεως καὶ ἐπὶ τῷ αὐτῷ ὅρῳ πατέρα μισοίη τις ἂν ἐχθρὸν ἀγαπῶν, ὁ μήτε ἐχθρὸν ἀμυνόμενος, μήτε πατέρα Χριστοῦ πλέον αἰδούμενος. Ἐν ἐκείνῳ μὲν γὰρ τῷ λόγῳ μῖσος ἐκκόπτει καὶ κακοποιΐαν, ἐν τούτῳ δὲ τὴν πρὸς τὰ σύντροφα δυσωπίαν, εἰ βλάπτοι πρὸς σωτηρίαν. Εἰ γοῦν ἄθεος εἴη τινὶ πατὴρ, ἢ υἱὸς, ἢ ἀδελφὸς, καὶ κώλυμα τῆς πίστεως γένοιτο, καὶ ἐμπόδιον τῆς ἄνω ζωῆς, τούτῳ μὴ συμφερέσθω, μηδὲ ὁμονοείτω, ἀλλὰ τὴν σαρκικὴν οἰκειότητα διὰ τὴν πνευματικὴν ἔχθραν διαλυσάτω.

B

C

XXIII. Rem arbitrator litis esse contestationem. Hinc quidem videatur astans pater dicere : « Ego te proseminavi, enutrivi; sequere me, pariterque inique age, nec Christi legi obsequere, » ac quidquid aliud vir blasphemus et mortuus natura dixerit. Aliunde vero audi Salvatorem : « Ego te regeneravi, qui male a mundo mortis victima fuisses genitus : in libertatem asserui, sanavi, redemi. Ego Dei boni patris tibi vultum ostendam : noli patrem vocare super terram : mortui sepeliant mortuos : tu vero me sequere; sublimem enim ducam in requiem arcanorum, et quæ nemo eloqui queat, bonorum; quæ oculus non vidit, nec auris audiat, nec in cor hominis ascenderunt [c], in quæ desiderant angeli prospicere, et videre quæ præparavit Deus bona sanctis seque diligentibus filiis [d]. Ego nutritius tuus, qui meipsum panem præbeam, quem qui gustaverit, nemo adhuc mortis periculum faciet; qui fundam quotidie potum immortalitatis. Ego magister cœlo celsioris doctrinæ ac disciplinæ. Pro te cum morte certamen desudavi, ac cujus reus pœnæ eras ob patrata delicta Deoque negatam fidem et incredulitatis crimen, ego exsolvi. » Qui hos utrinque sermo-

ΚΓ'. Νόμισον εἶναι τὸ πρᾶγμα διαδικασίαν. Ὁ μὲν πατήρ σοι δοκείτω παρεστὼς λέγειν· « Ἐγὼ ἔσπειρα καὶ ἔθρεψα· ἀκολούθει μοι, καὶ συναδίκει, καὶ μὴ πείθου τῷ Χριστοῦ νόμῳ· » καὶ ὅσα ἂν εἴποι βλάσφημος ἄνθρωπος καὶ νεκρὸς τῇ φύσει. Ἑτέρωθεν δὲ ἄκουε τοῦ Σωτῆρος· « Ἐγώ σε ἀνεγέννησα, κακῶς ὑπὸ κόσμου πρὸς θάνατον γεγενημένον· ἠλευθέρωσα, ἰασάμην, ἐλυτρωσάμην. Ἐγώ σοι δείξω Θεοῦ πατρὸς ἀγαθοῦ πρόσωπον· μὴ κάλει σεαυτῷ πατέρα ἐπὶ γῆς· οἱ νεκροὶ τοὺς νεκροὺς θαπτέτωσαν· σὺ δέ μοι ἀκολούθει· ἀνάξω γάρ σε εἰς ἀνάπαυσιν ἀῤῥήτων καὶ ἀλέκτων ἀγαθῶν, ἃ μὴ ὀφθαλμὸς εἶδε, μήτε οὖς ἤκουσε, μήτε ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων ἀνέβη, εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, καὶ ἰδεῖν ἅπερ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἁγίοις ἀγαθὰ καὶ τοῖς φιλοῦσιν αὐτὸν τέκνοις. Ἐγώ σου τροφεὺς, ἄρτον ἐμαυτὸν διδοὺς, οὗ γευσάμενος οὐδεὶς ἔτι πεῖραν θανάτου λαμβάνει, καὶ πόμα καθ' ἡμέραν ἐνδιδοὺς ἀθανασίας. Ἐγὼ διδάσκαλος ὑπερουρανίων παιδευμάτων· ὑπὲρ σοῦ πρὸς τὸν θάνατον διηγωνισάμην καὶ τὸν σὸν ἐξέτισα θάνατον, ὃν ὤφειλες ἐπὶ τοῖς προημαρτημένοις καὶ τῇ πρὸς Θεὸν ἀπιστίᾳ. » Τούτων τῶν λόγων ἑκατέρωθεν διακούσας, ὑπὲρ σεαυτοῦ δίκασον, καὶ τὴν ψῆφον ἔνεγκε τῇ σαυτοῦ σωτη-

D

✠ P. 938 ED. POTTER. [a] Marc. x, 29 [b] Luc. xiv, 26. [c] I Cor. ii, 9. [d] I Pet. i, 12.

Digitized by Google

ρίζ. Κἂν ἀδελφὸς ὁμοια λέγῃ, κἂν τέκνον, κἂν γυνή, κἂν ὁστισοῦν, πρὸ πάντων ἐν σοὶ Χριστὸς ὁ νικῶν ἔστω· ὑπὲρ σοῦ γὰρ ἀγωνίζεται.

nes audias, pro te ipse esto judex, inque tuæ rem salutis ferto sententiam. Et si frater similia loquatur, et si filius, et si uxor, et si quivis alius, ante ✠ omnes Christus in te vincat; quippe cujus ille gratia in arenam descendat.

ΚΔ'. Δύνασαι καὶ τῶν χρημάτων ἐπίπροσθεν εἶναι. Φράσον· « Ναὶ οὐκ ἀπάγει με Χριστὸς τῆς κτήσεως, ὁ Κύριος οὐ φθονεῖ. » Ἀλλ' ὁρᾷς σεαυτὸν ἡττώμενον ὑπ' αὐτῶν καὶ ἀνατρεπόμενον; Ἄφες, ῥῖψον, μίσησον, ἀπόταξαι, φύγε. « Κἂν ὁ δέξιός σου ὀφθαλμὸς σκανδαλίζῃ σε, » ταχέως « ἔκκοψον αὐτόν. » Αἱρετώτερον ἑτεροφθάλμῳ βασιλεία Θεοῦ, ἢ ὁλοκλήρῳ τὸ πῦρ. Κἂν χεὶρ, κἂν ποῦς, κἂν ἡ ψυχὴ, μίσησον αὐτήν. Ἂν γὰρ ἐνταῦθα ἀπόληται ὑπὲρ Χριστοῦ, ἐκεῖ ζωογονήσεται.

XXIV. Potes et pecuniis opponere. Dicito: « Sane non vetat Christus ne possessiones habeam, non invidet Dominus. » At vides illarum te vinci libidine, et a mentis statu ea te dimoveri? Dimitte, projice, odio habe, abrenuntia, fuge. « Et si dexter oculus scandalizat te, » quam primum « erue eum [a]. » Melius est cum unoculo regnum Dei, quam integro ignis. Sive sit manus, sive pes, sive anima, habe odio. Si enim hic Christi causa etiam pereat, futuro ævo ad vitam reparandam exspecta.

ΚΕ'. Ταύτης δὲ ὁμοίως ἔχεται τῆς γνώμης καὶ τὸ ἑπόμενον· « Νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ ἀγροὺς καὶ χρήματα καὶ οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς μὴ ἔχειν μετὰ διωγμῶν. « Οὔτε γὰρ ἀχρημάτους, οὔτε ἀνεστίους, οὔτε ἀναδέλφους ἐπὶ τὴν ζωὴν καλεῖ, ἐπεὶ καὶ πλουσίους κέκληκεν· ἀλλ' ὃν τρόπον προειρήκαμεν, καὶ ἀδελφοὺς κατ' αὐτὸν, ὥσπερ Πέτρον μετ' Ἀνδρέου, καὶ Ἰάκωβον μετὰ Ἰωάννου τοὺς Ζεβεδαίου παῖδας, ἀλλ' ὁμονοοῦντας ἀλλήλοις τε καὶ Χριστῷ. Τὸ δὲ « μετὰ διωγμῶν » ταῦτα ἕκαστα ἔχειν ἀποδοκιμάζει. Διωγμὸς δὲ ὁ μέν τις ἔξωθεν περιγίνεται, τῶν ἀνθρώπων ἢ δι' ἔχθραν, ἢ διὰ φθόνον, ἢ διὰ φιλοκέρδειαν, ἢ κατ' ἐνέργειαν διαβολικὴν τοὺς πιστοὺς ἐλαυνόντων· ὁ δὲ χαλεπώτατος ἔνδοθέν ἐστι διωγμὸς, ἐξ αὐτῆς ἑκάστῳ τῆς ψυχῆς προπεμπόμενος, λυμαινομένης ὑπὸ ἐπιθυμιῶν ἀθέων καὶ ἡδονῶν ποικίλων καὶ φαύλων ἐλπίδων καὶ φθαρτῶν ὀνειροπολημάτων· ὅταν ἀεὶ τῶν πλειόνων ὀρεγομένη, καὶ λυσσῶσα ὑπὸ ἀγρίων ἐρώτων, καὶ φλεγομένη καθάπερ κέντροις ἢ μύωψι τοῖς προκειμένοις αὐτῇ πάθεσιν, ἐξαιμάσσηται πρὸς σπουδὰς μανιώδεις καὶ ζωῆς ἀπόγνωσιν καὶ Θεοῦ καταφρόνησιν. Οὗτος ὁ διωγμὸς βαρύτερος καὶ χαλεπώτερος, ἔνδοθεν ὁρμώμενος, ἀεὶ συνὼν, ὃν οὐδὲ ἐκφυγεῖν ὁ διωκόμενος δύναται· τὸν γὰρ ἐχθρὸν ἐν ἑαυτῷ περιάγει πανταχοῦ. Οὕτω καὶ πύρωσις, ἡ μὲν ἔξωθεν προσπίπτουσα δοκιμασίαν κατεργάζεται, ἡ δὲ ἔνδοθεν θάνατον διαπράττεται. Καὶ πόλεμος, ὁ μὲν ἐπακτὸς ῥᾳδίως καταλύεται, ὁ δὲ ἐν τῇ ψυχῇ μέχρι θανάτου παραμετρεῖται. Μετὰ διωγμοῦ τοιούτου πλοῦτον ἐὰν ἔχῃς τὸν αἰσθητὸν, κἂν ἀδελφοὺς τοὺς πρὸς αἵματος καὶ τὰ ἄλλα ἐνέχυρα, κατάλιπε τὴν τούτων παγκτησίαν τὴν ἐπὶ κακῷ, εἰρήνην σεαυτῷ παράσχες, ἐλευθερώθητι διωγμοῦ μακροῦ, ἀποστράφηθι πρὸς τὸ Εὐαγγέλιον ἀπ' ἐκείνων, ἑλοῦ τὸν Σωτῆρα πρὸ πάντων, τὸν τῆς σῆς συνήγορον καὶ παράκλητον ψυχῆς, τὸν τῆς ἀπείρου πρύταγιν ζωῆς. « Τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα· τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. » Καὶ ἐν μὲν τῷ παρόντι χρόνῳ ὠκύμορα καὶ ἀβέβαια, ἐν τῷ ἐρχομένῳ δὲ ζωή ἐστιν αἰώνιος.

B

342 XXV. Hunc sensum habent et quæ sequuntur: « Nunc, in tempore hoc, agros, pecuniam, domos et fratres non habere cum persecutionibus [b]. » Neque enim vocat ad vitam qui pecunia careant, qui sine lare et tecto, qui fratres nullos habeant, cum vocaverit etiam divites; sed, ut supra diximus, fratres quoque illius cultos moribus, veluti Petrum et Andream, necnon Jacobum et Joannem Zebedæi filios; verum inter se concordes et cum Christo. Cæterum singula hæc « cum persecutionibus » habere non probat. Persecutio vero alia quidem forinsecus obtingit, persequentibus hominibus fideles et vel inimicitiæ causa, vel invidiæ, vel lucri, vel suggestione diabolica. At gravissima persecutio est, quæ oritur intrinsecus ex ipsa cujusque anima, depravata impiis desideriis variisque voluptatibus, necnon improba spe inanibusque insomniis; quæ plura semper habendi cupiditate et ferinis amoribus rabida, æstuansque, objectis velut stimulis aculeisque, affectibus, ac libidinibus, cruentetur ad furiosa studia, ad desperandam salutem Deique spretionem. Persecutio hæc gravior est et acerbior, ex animo ipso prorumpens, semperque præsens, quam nec evitare potest qui illa appetitur: quippe qui hostem omni loco in se ipse circumferat. Similiter etiam quæ extrinsecus adhibetur, incensio ac tentatio, probationem operatur; quæ vero intrinsecus oritur, mortem inducit. Bellum quoque accidentario ac velut casu externo agente conflatum, facile dissolvitur; quod autem ipsi animo inest, ad mortem usque extenditur. Cum tali igitur persecutione si carnales divitias habeas, si fratres carnales et alia pignora; omnem hanc possessionem censumque in malum cedentem relinque, tibi ipse pacem præbe, prolixa liberare persecutione, ad Evangelium ab illis convertere, præ omnibus Salvatorem elige, tuæ patronum ac solatium animæ, nullumque finem habituræ præbitorem vitæ. « Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna [c]. »

C

D

Et in præsenti quidem ✠ tempore caduca sunt nullaque firmitate fulta; in futuro autem æterna est vita.

✠ P. 939 ED. POTTER. ✠ P. 940 ED. POTTER. [a] Matth. v, 29. [b] Marc. xx, 30. [c] II Cor. v, 18.

Digitized by Google

XXVI. « Erunt primi novissimi, et novissimi, primi [a]. » Multa hic locus habet reconditioris sensus, et quæ egeant explicatione; non tamen de illo inpræsentiarum vertitur quæstio. Non enim ad solos divites spectat, sed ad omnes plane homines qui fidei semel nomen dedere. Itaque huic modo supersedeamus quæsito : quod autem subjectum argumento est ita demonstratum arbitror, ut satisfactum sit datæ fidei; quod nempe Salvator ad ipsas divitias quod attinet longeque copiosam substantiam, divites nullo modo excluserit aut eis salutem intercluserit, si modo possint ac velint divinis inclinare mandatis, vitamque suam rebus temporaneis præferant, necnon fixis in Dominum luminibus, ejus ut boni gubernatoris nutum avida exspectatione attendant, quid velit, quid jubeat, quid mandet, quam suis nautis dat tesseram; quo tandem et unde cursum navigationis intendat. Quid enim peccat aliquis aut nocet, quod ante fidem susceptam animum adhibens ususque parcimonia, quantæ sufficiant ad honestam vitæ sustentationem sibi facultates paravit? aut, quod etiam a culpa remotius est, si statim a Deo præbente animam, in domum ejusmodi hominum genusque copiosum inductus est, potens scilicet pecunia et divitiis præstans? Si enim ejectus vita est, quod non sponte sua inter divitias natus est, injuriam certe a Deo Creatore patitur, temporaria quidem prosperitate donatus, vita autem æterna privatus. Quorsum vero prorsus opus erat opes e terra pullulare, si mortem important ejusque auctores exsistunt? Si quis tamen, quibus fultus divitiis est, de potentia decedere animumque flectere potest; et modeste sapere atque sobrius esse, Deumque unum quærere ac Deum anhelare, et cum Deo conversationem habere : hic pauper præsto mandatis est, liber, invictus, nulla laborans ægritudine, nullo ex pecuniis vulnere. Sin minus, « facilius camelus per acum ingredietur, quam dives ejusmodi intrabit in regnum cœlorum [b]. » Porro etiam altius quidpiam significet camelus, per arctam ac coangustatam viam antevertens divitem; quod Salvatoris mysterium in Expositione principiorum et theologiæ condiscere licet.

A ΚϚ'. « Ἔσονται οἱ πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι. » Τοῦτο πολύχουν μέν ἐστι κατὰ τὴν ὑπόνοιαν καὶ τὸν σοφισμὸν (28), οὐ μὴν ἔν γε τῷ παρόντι τὴν ζήτησιν ἀπαιτεῖ. Οὐ γὰρ μόνον ῥέπει πρὸς τοὺς πολυκτήμονας, ἀλλ' ἁπλῶς πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους, τοὺς πίστει καθάπαξ ἑαυτοὺς ἐπιδιδόντας. Ὥστε τοῦτο μὲν ἀνακείσθω τὰ νῦν· τὸ δέ γε προκείμενον ἡμῖν οἶμαι μηδέν τι ἐνδεέστερον τῆς ἐπαγγελίας δεδεῖχθαι, ὅτι τοὺς πλουσίους οὐδένα τρόπον ὁ Σωτὴρ κατ' αὐτόν γε τὸν πλοῦτον καὶ τὴν περιβολὴν τῆς κτήσεως ἀποκέκλεικεν, οὐδ' αὐτοῖς ἀποτετάφρευκε τὴν σωτηρίαν, εἴ γε δύναιντο καὶ βούλοιντο ὑποκύπτειν τὴν ἑαυτῶν ζωὴν, τοῦ Θεοῦ ταῖς ἐντολαῖς, καὶ τῶν προσκαίρων προτιμῷεν καὶ βλέποιεν πρὸς τὸν Κύριον ἀτενεῖ τῷ βλέμματι, καθάπερ εἰς ἀγαθοῦ κυβερνήτου νεῦμα δεδορκότες, τί B βούλεται, τί προστάσσει, τί σημαίνει, τί δίδωσι τοῖς αὐτοῦ ναύταις τὸ σύνθημα, ποῦ καὶ πόθεν τὸν ὅρμον ἐπαγγέλλεται. Τί γὰρ ἀδικεῖ τις, εἰ προσέχων τὴν γνώμην, καὶ φειδόμενος πρὸ τῆς πίστεως, βίον ἱκανὸν συνελέξατο; ἢ καὶ τὸ τούτου μᾶλλον ἀνέγκλητον, εἰ εὐθὺς ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τὴν ψυχὴν νέμοντος, εἰς οἶκον τοιούτων ἀνθρώπων εἰσῳκίσθη γένος ἀμφιλαφὲς, τοῖς χρήμασιν ἰσχύον καὶ τῷ πλούτῳ κρατοῦν; Εἰ γὰρ διὰ τὴν ἀκούσιον ἐν πλούτῳ γένεσιν ἀπελήλατο ζωῆς, ἀδικεῖται μᾶλλον ὑπὸ τοῦ γεναμένου Θεοῦ, προσκαίρου μὲν ἡδυπαθείας κατηξιωμένος, ἀϊδίου δὲ ζωῆς ἀπεστερημένος. Τί δὲ ὅλως πλοῦτον ἐχρῆν ἐκ γῆς ἀνατεῖλαί ποτε, εἰ χορηγὸς καὶ πρόξενός ἐστι θανάτου; Ἀλλ' εἰ δύναταί τις ἐνC δοτέρω τῶν ὑπαρχόντων κάμπτειν τῆς ἐξουσίας, καὶ μέτρια φρονεῖν, καὶ σωφρονεῖν, καὶ Θεὸν μόνον ζητεῖν, καὶ Θεὸν ἀναπνεῖν, καὶ Θεῷ συμπολιτεύεσθαι, πτωχὸς οὗτος παρέστηκε ταῖς ἐντολαῖς, ἐλεύθερος, ἀήττητος, ἄνοσος, ἄτρωτος ὑπὸ χρημάτων. Εἰ δὲ μή, « θᾶττον κάμηλος διὰ βελόνης εἰσελεύσεται, ἢ ὁ τοιοῦτος πλούσιος ἐπὶ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ παρελεύσεται. » Σημαινέτω μὲν οὖν τι καὶ ὑψηλότερον ἡ κάμηλος, διὰ στενῆς ὁδοῦ καὶ τεθλιμμένης φθάνουσα τὸν πλούσιον, ὅπερ ἐν τῇ ἀρχῶν (29) καὶ θεολογίας ἐξηγήσει μυστήριον τοῦ Σωτῆρος ὑπάρχει μαθεῖν.

XXVII. Verum exponamus primum de parabola quod illius conspicuum est, et cujus gratia dicta fuit. Doceat locupletes haud negligendam salutem, quasi ejus jam spes omnis illis sublata sit; nec vero rursus opes pelago mergendas aut improbandas, quasi ✠ vitæ insidiantes et inimicas : sed discendum, quomodo quave ratione illis utendum, et ut vita comparanda sit. Nam quia non omnino perit quis, timens quia dives sit, nec omnino salvus est, ea fiducia ac spe, qua se salvum fore confidit :

D ΚΖ'. Οὐ μὴν ἀλλὰ τό γε φαινόμενον πρῶτον, καὶ δι' ὃ λέλεκται, τῆς παραβολῆς παρεχέσθω. Διδασκέτω τοὺς εὐπορουῦντας ὡς οὐκ ἀμελητέον τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας, ὡς ἤδη προκατεγνωσμένους, οὐδὲ καταποντιστέον (30) αὖ πάλιν τὸν πλοῦτον, οὔτε καταδικαστέον ὡς τῆς ζωῆς ἐπίβουλον καὶ πολέμιον· ἀλλὰ μαθητέον τίνα τρόπον καὶ πῶς πλούτῳ χρηστέον, καὶ τὴν ζωὴν κτητέον. Ἐπειδὴ γὰρ οὔτε ἐκ παντὸς ἀπόλλυταί τις, ὅτι πλουτεῖ δεδιὼς, οὔτε ἐκ παντὸς σώζεται θαῤῥῶν καὶ πιστεύων ὡς σωθήσε-

✠ P. 941 ED. POTTER. [a] Marc. x, 31. [b] Ibid. 25.

(28) *Σοφισμόν*. Seu σαφηνισμόν, « explicationem, dilucidationem. »

(29) *Καὶ θεολ.* Hujus libri mentio habetur *Strom.* I, 3. FELL.

(30) *Καταποντιστέον*. Respicit Cratetis philosophi historiam, quam vide in Diogene Laertio.

Digitized by Google

ται· φέρε σκεπτέον ἣν τινα τὴν ἐλπίδα αὐτοῖς ὁ Σωτὴρ ὑπογράφει, καὶ πῶς ἂν τὸ μὲν ἀνέλπιστον ἐγγυον γένοιτο, τὸ δὲ ἐλπισθὲν εἰς κτῆσιν ἀφίκοιτο. Φησὶν οὖν ὁ διδάσκαλος, τίς ἡ μεγίστη τῶν ἐντολῶν, ἠρωτημένος· « Ἀγαπήσεις τὸν Κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου. » Ταύτης μείζω μηδεμίαν ἐντολὴν εἶναι· καὶ μάλα εἰκότως· καὶ γὰρ καὶ περὶ τοῦ πρώτου καὶ περὶ τοῦ μεγίστου παρήγγελται, αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ, Πατρὸς ἡμῶν, δι' οὗ καὶ γέγονε καὶ ἔστι τὰ πάντα, καὶ εἰς ὃν τὰ σωζόμενα πάλιν ἐπανέρχεται. Ὑπὸ τούτου τοίνυν προαγαπηθέντας καὶ τοῦ γενέσθαι τυχόντας οὐχ ὅστιον ἄλλοτι πρεσβύτερον ἄγειν καὶ τιμώτερον· ἐκτίνοντας μόνην τὴν χάριν ταύτην μικρὰν ἐπὶ μεγίστοις, ἄλλο δὲ μηδοτιοῦν ἔχοντας ἀνενδεεῖ καὶ τελείῳ Θεῷ πρὸς ἀμοιβὴν ἐπινοῆσαι· αὐτῷ δὲ τῷ ἀγαπᾷν τὸν Πατέρα εἰς οἰκείαν ἰσχὺν καὶ δύναμιν, ἀφθαρσίαν, νομιζομένους. Ὅσον γὰρ ἀγαπᾷ τις τὸν Θεὸν, τοσούτῳ καὶ πλέον ἐνδοτέρω τοῦ Θεοῦ παραδύεται.

age consideremus, quam illis spem Salvator præscribat; et qua item ratione quod extra spem fore videtur, pignoris loco fiat, quodque illa nititur, in adeptionem evadat. Ait igitur magister, interrogatus, quod sit maximum mandatorum, « Diliges Dominum Deum ex tota anima tua, et ex tota virtute tua [a]. » Hoc nullum esse majus mandatum; et jure quidem optimo: nam et de primo maximoque latum mandatum est, de ipso nimirum Deo, Patre nostro, per quem facta sunt atque exsistunt omnia, et ad quem rursus revertuntur quæ fiunt salva. Ab hoc igitur ante dilectos et conditos, nefas aliud quidvis antiquius ducere ac præstantius, quam ut hanc duntaxat exiguam gratiam maximorum munerum grata vice referamus, cum nihil aliud excogitari possit, quod nullius egenti ac perfecto Deo rependi a nobis possit; ipsaque ea ratione qua Patrem diligimus, quanta virtus ac facultas est, incorruptionis munus consequamur. Quanto enim quis amplius Deum diligit, tanto in Deum intimius quasi pervadit.

ΚΗ'. Δευτέραν δὲ τάξει, καὶ οὐδέν τι μικροτέραν ταύτης εἶναι λέγει, τὸ « Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν· » οὐκοῦν τὸν Θεὸν ὑπὲρ σεαυτόν. Πυνθανομένου δὲ τοῦ προσδιαλεγομένου, « Τίς ἐστί μου πλησίον; » οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον Ἰουδαίοις προωρίσατο τὸν πρὸς αἵματος, οὐδὲ τὸν πολίτην, οὐδὲ τὸν προσήλυτον, οὐδὲ τὸν ὁμοίως περιτετμημένον, οὐδὲ τὸν ἑνὶ καὶ ταὐτῷ νόμῳ χρώμενον· ἀλλὰ ἄνωθεν καταβαίνοντα ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἄγει τῷ λόγῳ τινὰ εἰς Ἰεριχὼ, καὶ τοῦτον δείκνυσιν ὑπὸ λῃστῶν συγκεκεντημένον, ἐρριμμένον ἡμίθνητα ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, ὑπὸ ἱερέως παροδευόμενον, ὑπὸ Λευίτου παρορώμενον, ὑπὸ δὲ τοῦ Σαμαρίτου τοῦ ἐξωνειδισμένου καὶ ἀφωρισμένου κατελεούμενον· ὃς οὐχὶ κατὰ τύχην, ὡς ἐκεῖνοι παρῆλθον, ἀλλ' ἦκεν ἐσκευασμένος ὧν ὁ κινδυνεύων ἐδεῖτο, οἶον, ἔλαιον, ἐπιδέσμους, κτῆνος, μισθὸν τῷ πανδοχεῖ, τὸν μὲν ἤδη διδόμενον, τὸν δὲ προσυπισχνούμενον. « Τίς, ἔφη, τούτων γέγονε πλησίον τῷ τὰ δεινὰ παθόντι; » Τοῦ δὲ ἀποκρινομένου, « Ὁ τὸν ἔλεον πρὸς αὐτὸν ἐπιδειξάμενος· Καὶ σὺ τοίνυν, πορευθεὶς, οὕτω ποίει, » ὡς τῆς ἀγάπης βλαστανούσης εὐποιΐαν.

343 XXVIII. Alterum autem ordine, nec quidquam priore minus ait esse mandatum: « Diliges proximum tuum sicut teipsum [b]. » Ergo Deum supra teipsum. Percontante autem eo, quocum illi sermo: « Et quis est meus proximus [c]? » non eodem modo, quo Judæi, definivit proximum, id est consanguineum, civem, proselytum, aut qui similiter circumcisus sit, vel una eademque lege utitur; sed hominem inducit, qui procul ab Jerusalem descendat in Jericho: huncque ostendit a latronibus confossum, projectum semivivum in via; quem sacerdos prætereat, levites despiciat; Samaritanus vero (spretus ille ac segregatus) misericordia impertiat: venit autem non casu ut illi secus locum transiens, sed illis instructus quæ sic versanti in periculo ac laboranti opus erant, puta oleo, alligaturis, jumento; qui mercedem stabulario partim tribuat, partim se daturum polliceatur. « Quis horum, inquit, fuit proximus ejus, qui dira passus est? » Illoque respondente, « Qui fecit misericordiam in illum, Et tu, inquit, vade, et fac similiter [d]; » quod videlicet charitas beneficentiæ parens sit.

Κθ'. Ἐν ἀμφοτέραις μὲν οὖν ταῖς ἐντολαῖς ἀγάπην εἰσηγεῖται· τάξει δ' αὐτὴν διῄρηκε. Καὶ ὅπου μὲν τὰ πρωτεῖα τῆς ἀγάπης ἀνάπτει τῷ Θεῷ, ὅπου δὲ τὰ δευτερεῖα νέμει τῷ πλησίον. Τίς δ' ἂν ἄλλος εἴη πλὴν αὐτὸς ὁ Σωτήρ; ἢ τίς μᾶλλον ἡμᾶς ἐλεήσας ἐκείνου, τοὺς ὑπὸ τῶν κοσμοκρατόρων τοῦ σκότους ὀλίγου τεθανατωμένους τοῖς πολλοῖς τραύμασι, φόβοις, ἐπιθυμίαις, ὀργαῖς, λύπαις, ἀπάταις, ἡδοναῖς; Τούτων δὲ τῶν τραυμάτων μόνος ἰατρὸς Ἰησοῦς, ἐκκόπτων ἄρδην τὰ πάθη πρόῤῥιζα· οὐχ ὥσπερ ὁ νόμος ψιλὰ τὰ ἀποτελέσματα, τοὺς καρποὺς τῶν πονηρῶν φυτῶν, ἀλλὰ τὴν ἀξίνην τὴν ἑαυτοῦ πρὸς τὰς ῥίζας τῆς κακίας προσαγαγών. Οὗτος ὁ τὸν οἶνον (31)

XXIX. In utroque igitur mandato charitatem documento tradit, ordine tamen ambo hæc distinxit: primasque charitatis partes Deo ascribit, secundas vero proximo tribuit. Quis vero alius fuerit quam ipse Salvator? aut quis illo majorem nobis misericordiam ✠ impendit, a mundi scilicet rectoribus tenebrarum vix non multis vulneribus, terroribus, desideriis, furoribus, mœroribus, fraudibus, voluptatibus enecatis atque exstinctis? Horum porro vulnerum medicus solus est Jesus, qui radicitus vitia prorsus exscindat, non sicut lex nuda effecta (pravarum fructus plantarum), sed qui ipse suam securim malitiæ radicibus admoverit. Hic est, qui

✠ P. 942 ED. POTTER. [a] Matth. XII, 36, 37, 38. [b] Matth. XXII, 39. [c] Luc. X, 29. [d] Ibid. 36, 37.

(31) *Olivet.* Respicit Luc. X, 34.

Digitized by Google

vinum (sanguinem vitis Davidicæ) sauciis animabus infudit; qui ex visceribus Spiritus oleum adhibuit, abundantiorique largitate tribuit. Hic est qui sanitatis salutisque alligaturas, charitatem, fidem, spem insolubiles effecit. Hic est qui angelos et principatus et potestates, ut nobis ministerio fungantur, sub magna mercede subjecit; nam et ipsi liberabuntur a mundi vanitate in revelatione gloriæ filiorum Dei. Hunc igitur æque diligere oportet ac Deum : diligit autem Christum, qui facit ejus voluntatem, servatque illius mandata. « Non enim omnis qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei [a]. » Et : « Quid me dicitis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico [b]? » Et : « Vos beati qui videtis et auditis, quæ nec justi, nec prophetæ viderunt [c]; » modo tamen feceritis ea quæ dico.

A (τὸ αἷμα τῆς ἀμπέλου τῆς Δαβὶδ) ἐκχέας ἡμῶν ἐπὶ τὰς τετρωμένας ψυχάς, ὁ τὸ ἐκ σπλάγχνων Πνεύματος ἔλαιον προσενεγκών, καὶ ἐπιδαψιλευόμενος· οὗτος ὁ τοὺς τῆς ὑγείας καὶ σωτηρίας δεσμοὺς ἀλύτους ἐπιδείξας, ἀγάπην, πίστιν, ἐλπίδα· οὗτος ὁ διακονεῖν ἀγγέλους καὶ ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας ἡμῖν ὑποτάξας ἐπὶ μεγάλῳ μισθῷ· διότι καὶ αὐτοὶ ἐλευθερωθήσονται ἀπὸ τῆς ματαιότητος τοῦ κόσμου παρὰ τὴν ἀποκάλυψιν τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ. Τοῦτον οὖν ἀγαπᾷν ἴσα χρὴ τῷ Θεῷ· ἀγαπᾷ δὲ Χριστὸν Ἰησοῦν ὁ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῶν καὶ φυλάσσων αὐτοῦ τὰς ἐντολάς. « Οὐ γὰρ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ Πατρός μου. » Καί· « Τί με λέγετε, Κύριε, Κύριε, καὶ οὐ ποιεῖτε ἃ λέγω; » B Καί· « Ὑμεῖς μακάριοι οἱ ὁρῶντες καὶ ἀκούοντες, ἃ μήτε δίκαιοι, μήτε προφῆται, » ἐὰν ποιῆτε ἃ λέγω.

XXX. Primus igitur hic est, qui Christum diligit; secundus ille, qui ejus fideles honori habet ac colit. Quod enim in discipulum quis egerit, hoc in se Dominus factum accipit, ac quidquid illud est sibi ascribit. « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et cooperuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; et sitientem, C et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus? et nudum, et cooperuimus? aut quando te vidimus infirmum, et visitavimus? aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens rex dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Rursus vero e contrario, ad eos qui hæc non præbuerunt : « Amen dico vobis, quandiu non fecistis uni ex his minimis, nec mihi fecistis [d]. » Alio item loco : « Qui vos recipit, me recipit; qui vos non recipit, me spernit [e]. »

Λ'. Πρῶτος μὲν οὖν οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸν ἀγαπῶν, δεύτερος δὲ ὁ τοὺς εἰς ἐκεῖνον πεπιστευκότας τιμῶν καὶ περιέπων. Ὅ γὰρ ἄν τις εἰς μαθητὴν ἐργάσηται, τοῦτο εἰς ἑαυτὸν ὁ Κύριος ἐκδέχεται, καὶ πᾶν ἑαυτοῦ ποιεῖται. « Δεῦτε, οἱ εὐλογημένοι τοῦ Πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. Ἐπείνασα γάρ, καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐδώκατέ μοι πιεῖν, καὶ ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με· γυμνὸς ἤμην, καὶ ἐνεδύσατέ με· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με· ἐν φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρὸς μέ. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες· Κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν· ἢ διψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν; Πότε δὲ εἴδομέν σε ξένον, καὶ συνηγάγομεν· ἢ γυμνὸν, καὶ περιεβάλομεν; ἢ πότε σε εἴδομεν ἀσθενοῦντα, καὶ ἐπεσκεψάμεθα; ἢ ἐν φυλακῇ καὶ ἤλθομεν πρὸς σέ; Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, ἐμοὶ ἐποιήσατε. » Πάλιν ἐκ τῶν ἐναντίων πρὸς τοὺς ταῦτα μὴ παρασχόντας· « Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε. » Καὶ ἀλλαχοῦ· « Ὁ ὑμᾶς δεχόμενος ἐμὲ δέχεται· ὁ ὑμᾶς μὴ δεχόμενος ἐμὲ ἀθετεῖ. »

XXXI. Hos vocat et filios et pueros et infantes et amicos, et parvulos in præsenti, si cum futura illorum D in cœlis magnitudine conferantur. « Ne contemnatis, inquit, unum ex ✠ his pusillis; angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis [f]. » Alio quidem loco : « Nolite timere, pusillus grex : complacuit enim Patri dare vobis regnum cœlorum [g]. » Hac ipsa ratione, etiam Joanne, qui maximus est inter natos mulierum, qui minor est in regno cœlorum (suum nimirum discipulum) majorem esse dicit. Ac rursus : « Qui recipit justum aut prophetam in nomine justi aut prophetæ, illius

A Θεὸς παντοδύναμος καὶ παντοκράτωρ, ὁ δυνάμενος κρατῆσαι, κτίσαι, ποιῆσαι, τρέφειν, αὔξειν, σώζειν, σώματος καὶ ψυχῆς ἐξουσίαν ἔχων. Ὡς οὖν τῶν στοιχείων ὑπερέχει τὸ πῦρ, οὕτω θεῶν τε καὶ δυνάμεων καὶ ἀρχῶν ὁ παντοκράτωρ. Διπλῆ τε ἡ δύναμις τοῦ πυρὸς, ἡ μὲν πρὸς δημιουργίαν καὶ πέπανσιν καρπῶν καὶ ζώων γένεσιν καὶ τροφὴν ἐπιτήδειος, ἧς εἰκὼν ὁ ἥλιος· ἡ δὲ πρὸς ἀνάλωσιν καὶ φθοράν, ὡς τὸ πῦρ τὸ ἐπίγειον. Πῦρ οὖν ὅταν λέγηται ὁ Θεὸς καταναλίσκον, δύναμις ἰσχυρὰ καὶ ἀπρόσαντητος, ᾗ μηδὲν ἀδύνατον (43), ἀλλὰ καὶ τὸ ἀπολέσαι δυνατόν. Περὶ τοιαύτης δυνάμεως καὶ ὁ Σωτὴρ λέγει· *Πῦρ ἦλθον βαλεῖν ἐπὶ τὴν γῆν*, δηλονότι δύναμιν, τῶν μὲν ἁγίων καθαρτικὴν, τῶν δὲ ὑλικῶν, ὡς μὲν ἐκεῖνοι φασὶν, ἀφανιστικήν· ὡς δὲ ἡμεῖς ἂν φαίημεν, παιδευτικήν. Ἔχει δὲ καὶ φόβον τὸ πῦρ, B καὶ διάχυσιν τὸ φῶς.

XXVII. Non autem scripserunt seniores, neque illis arridebat, ut cura traditionis docendæ alteri curæ ac scribendi labori incumberet, nec quidem uti tempus præmeditandi quæ essent dicenda scribendo insumerent. Fortasse vero cum ejusdem genii non esse persuasum habuerint, libros componendi atque docendi studium, unicuique quod ex indole esset, permiserunt. Quippe alterum quidem libere atque impetu quodam ex ore dicentis fluens cito una rapere potest; alterum autem, quod examini diligenter legentium quotidie subdatur, disquisitionem summam postulat, operamque sedulam exigit. Est etiam, ut ita dicam, scripta doctrinæ confirmatio, sicque ad nepotes hoc modo scriptis transmissio. Quippe seniorum depositum, ex scripto loquens, scriptore utitur ministro, ad traditionem eorum quæ leguntur. Ad eumdem itaque modum quo Magnes lapis, aliæ materiæ conjunctus, ferrum solummodo, propter necessitudinem qua illi sit affine, ad se trahit; sic etiam libri, multi cum sint qui iis versantur, hos tantum trahunt, qui intelligendi fuerint capaces. Veritatis enim sermo, *aliis quidem stultitia* [b], aliis vero *scandalum*; paucis autem est sapientia. Sic Dei virtus invenitur, licet invidia rumpatur gnostici. Propterea quærit etiam, an ✠ pejus fuerit indigno dare, vel digno haud præbere: præque nimio amore, periculum est; ne non solum omni, cui deceat, verum etiam interdum indigno fervide petenti communicet: non propter orationem, quippe non laudis D amore movetur, sed propter perseverantiam petentis, oratione prolixa ad fidem animum erudientis.

ΚΖ'. Οὐκ ἔγραφον δὲ οἱ πρεσβύτεροι, μήτε ἀπασχολεῖν βουλόμενοι τὴν διδασκαλικὴν τῆς παραδόσεως φροντίδα τῇ περὶ τὸ γράφειν ἄλλῃ φροντίδι, μηδὲ μὴν τὸν τοῦ προσκέπτεσθαι τὰ λεχθησόμενα καιρὸν καταναλίσκοντες εἰς γραφήν. Τάχα δὲ οὐδὲ τῆς αὐτῆς φύσεως κατόρθωμα τὸ συντακτικὸν καὶ διδασκαλικὸν εἶδος εἶναι πεπεισμένοι, τοῖς εἰς τοῦτο πεφυκόσι συνεχώρουν. Τὸ μὲν γὰρ, ἀκωλύτως καὶ μετὰ ῥύμης φέρεται ῥεῦμα τοῦ λέγοντος, καί που τάχα συναρπάσαι δυνάμενον· τὸ δὲ, ὑπὸ τῶν ἐντυγχανόντων (44) ἑκάστοτε βασανιζόμενον ἀκριβῶς, τῆς ἐξετάσεως τυγχάνον ἄκρας καὶ τῆς ἐπιμελείας ἀξιοῦται· καὶ ἔστιν οἷον εἰπεῖν ἔγγραφος διδασκαλίας βεβαίωσις, καὶ εἰς τοὺς ὀψιγόνους οὕτως διὰ τῆς συντάξεως C παραπεμπομένης τῆς φωνῆς. Ἡ γὰρ τῶν πρεσβυτέρων παρακαταθήκη, διὰ τῆς γραφῆς λαλοῦσα, ὑπουργῷ χρῆται τῷ γράφοντι πρὸς τὴν παράδοσιν τῶν ἐντευξομένων. Καθάπερ οὖν ἡ μαγνῆτις λίθος, τὴν ἄλλην ὕλην παραπεμπομένη, μόνον ἑφέλκεται δι' ἐπιτηδειότητα τὸν σίδηρον· οὕτως καὶ τὰ βιβλία, πολλῶν ὄντων τῶν ἐντυγχανόντων, τοὺς οἵους τε συνιέναι μόνους ἐπισπᾶται· ὁ γὰρ τῆς ἀληθείας λόγος *τοῖς μὲν μωρία*, τοῖς δὲ *σκάνδαλον*, ὀλίγοις δὲ σοφία· οὕτως καὶ δύναμις εὑρίσκεται Θεοῦ· φθόνος δὲ ἀπείη (46) γνωστικοῦ· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ ζητεῖ, πότερον χεῖρον ἀναξίῳ δοῦναι, ἢ ἀξίῳ μὴ παραδοῦναι· καὶ κινδυνεύει ὑπὸ πολλῆς τῆς ἀγάπης, οὐ μόνον παντὶ τῷ προσήκοντι, ἀλλ' ἔσθ' ὅτε καὶ ἀναξίῳ λιπαρῶς δεομένῳ κοινωνῆσειν, οὐ διὰ τὴν δέησιν· οὐ γὰρ φιλοδοξεῖ· ἀλλὰ διὰ τὴν ἐπιμονὴν τοῦ δεομένου μελετῶντος εἰς πίστιν διὰ πολλῆς τῆς δεήσεως.

✠ P. 987 ED. POTTER. [a] Luc. XII, 49. [b] 1 Cor. I, 18.

(43) Ἢ μηδὲν ἀδύνατον. In Flor. sunt etiam alterius scripturæ vestigia, ἢ μηδὲν ἀδύνατος, *quæ nihil non facere potis est*. SYLBURG.

(44) Ὑπὸ τῶν ἐντυγχ. Non minus apte sic legeris, ὑπὸ τῶν ἐντυγχανόντων ἑκάστοτε βασανιζόμενον, ἀκριβοῦς τῆς ἐξετάσεως τυγχάνον, ἄκρας καὶ τῆς ἐπιμελείας ἀξιοῦται. SYL.

(45) *Μαγνῆτις*. Similitudo de Magnetis lapidis natura, usurpata etiam supra, pag. 299, et apud Philonem, p. 630, sed aliam ejus rei causam adnotat Joannes Broddæus *Miscell.* lib. III, cap. 29. SYLBURG.

(46) *Φθόνος δὲ ἀπ.* Sensus est, *Dei* (*absit verbo invidia*) *gnostici*, i. e. hominis gnostici in divinam quamdam naturam transmutati: quod tamen absque invidia dictum volo. SYLBURG.

Digitized by Google

ΚΗ'. Εἰσὶ δ' οἱ, λέγοντες εἶναι γνωστικοὶ, τοῖς οἰκείοις φθονοῦσι μᾶλλον ἢ τοῖς ἐκτός. Ὡς δὲ ἡ θάλασσα ἀνίεται (47) πᾶσιν, ἀλλ' ὁ μὲν νήχεται, ὁ δὲ ἐμπορεύεται, ὁ δὲ ἀγρεύει τοὺς ἰχθῦς. Καὶ ὡς ἡ γῆ κοινὴ, ἀλλ' ὁ μὲν ὀδεύει, ὁ δὲ ἀροῖ, θηρᾷ δὲ ἕτερος, καί τις ἄλλος μέταλλα ἐρευνᾷ (48), ὁ δὲ οἰκοδομεῖ· οὕτως καὶ τῆς Γραφῆς ἀναγινωσκομένης, ὁ μὲν εἰς πίστιν, ὁ δὲ εἰς ἦθος ὠφελεῖται, ἀπαιρεῖται δὲ ἄλλος δεισιδαιμονίαν (49), διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τῶν πραγμάτων· ὁ δὲ ἀθλητὴς, γνωρίσας τὸ στάδιον τὸ Ὀλυμπιακὸν, ἐπαποδύεται τῇ διδασκαλίᾳ καὶ ἀγωνίζεται καὶ νικηφόρος γίνεται, τοὺς ἀντιπάλους καὶ κατατρέχοντας τῆς γνωστικῆς ὁδοῦ παρακρουσάμενος καὶ ἀγωνισάμενος. Ἀναγκαία γὰρ ἡ γνῶσις καὶ πρὸς ψυχῆς γυμνασίαν καὶ πρὸς σεμνότητα ἤθους, ἀξιεντρεπτοτέρους ποιοῦσα τοὺς πιστοὺς, καὶ τῶν πραγμάτων ἀκριβεῖς θεατάς. Ὡς γὰρ οὐκ ἔστι πιστεῦσαι ἄνευ κατηχήσεως, οὕτως οὐδὲ καταλαβέσθαι ἄνευ γνώσεως.

XXVIII. Sunt vero qui, cum gnostici esse dicantur, domesticis magis quam exteris invident. Uti vero omnibus patet mare liberum, sed alius quidem in eodem natat, alius mercaturam exercet, piscaturam vero facit alius. Et sicuti terra communis est, alius tamen in eadem iter facit, alius arat, venatur alius, metalla scrutatur alius quis, alius denique ædificat, sic etiam Scripturarum lectione, hic quidem ad fidem, ad mores ædificatur ille, superstitionem alius deponit, nempe quod res penitus cognoscat. Ille vero qui pugil est, ac stadium Olympiacum probe intelligit, doctrina capessenda exuitur, ac certat victorque evadit, viæ gnosticæ adversarios qui semet opponunt, depellens atque palmam reportans. Quippe necessaria quidem est scientia, tum ad animæ exercitationem, tum ad morum honestatem, quæque agiliores semper fideles reddat, atque accuratos rerum inspectores. Ad eumdem enim modum ut absque catechesi vel institutione fieri non potest uti credat quis, sic neque sine scientia ut comprehendat,

ΚΘ'. Τῶν γὰρ εὐχρήστων καὶ ἀναγκαίων (50) εἰς σωτηρίαν, οἷον Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, ἀλλὰ καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς δεῖ πάντως καὶ τὸν περὶ αὐτῶν λόγον, ὃς ἐστι γνωστικὸς, εὔχρηστον ὁμοῦ καὶ ἀναγκαῖον τυγχάνειν. Τοῖς δὲ καὶ τὴν προστασίαν ἐπανηρημένοις τοῦ ὠφελεῖν εὔχρηστος ἡ πολυπειρία πρὸς τὸ μὴ διαλαθεῖν τι τῶν δοκούντων παρ' ἄλλοις ἀναγκαίως καὶ πολυμαθῶς ἐπεγνῶσθαι. Φέρει δὲ καὶ ἄλλη συγγυμνασίαν (51) ψυχῆς ζητητικῆς ἡ τῆς ἑτεροδόξου διδασκαλίας ἔκθεσις, καὶ ἀνεξαπάτητον τῆς ἀληθοῦς (52) τηρεῖ τὸν μαθητὴν, περισαλπίζεσθαι πάντοθεν ἤδη προμεμελετηκότα τοῖς πολεμικοῖς ὀργάνοις.

XXIX. Non solum hisce quæ quidem ad salutem utilia et necessaria sunt, nempe Patre, Filio, ac Spiritu sancto, sed et opera animæ nostræ semper opus est, utque ratio quæ de illis est, quæ gnostica vocatur, utilis simul atque necessaria sit. His autem qui prælaturæ munus susceperunt, ut aliis benefaciant, experientia multa utilis, ut ne quid eorum lateat illos, quæ ab aliis necessario, qui doctrina multa fuerint imbuti, cognita videantur. Insuper doctrina hæreticorum exponenda, alteram animam exercendi curam affert, et discipulum ab erroribus immunem præstat, qui ubique instrumentis bellicis clangere, jam animo paratus ac institutus sit.

Λ'. Τοῦ γνωστικοῦ νόμου, καθάπερ λέγουσι τὴν Κρήτην ἄγονον εἶναι θηρίων ὀλεθρίων, ὁ βίος καθαρὸς ἀπὸ παντὸς πονηροῦ ἔργου τε καὶ νοήματος καὶ λόγου, οὔτε ἐχθρὸν ἔχοντος τὸ παράπαν, ἀλλὰ καὶ φθόνου καὶ μίσους, καὶ βλασφημίας πάσης καὶ διαβολῆς ἐκτὸς ὄντων (53).

XXX. Legis gnosticæ vita (sicuti de Creta dicunt, quod bestias exitiales parum producat) ab omni pravo opere, animi sensu, ac sermone est pura, nec prorsus inimicum habet, sed extra invidiæ ac odii, ac blasphemiæ omnisque calumniæ aleam posita est.

ΛΑ'. Ἐν πολλῷ τῷ βίῳ μακαριστὸς οὐ διὰ τὸ μακρὸν γενόμενος ζῆν, ᾧ γε καὶ διὰ τὸ ζῆσαι καὶ ὑπῆρξεν ἀξίῳ τοῦ ζῆν ἀεὶ γενέσθαι (54). Οὐδένα λελύπηκεν, ὅτι μὴ τῷ λόγῳ παιδεύων τοὺς ἡλκωμένους τὴν καρδίαν, καθάπερ μέλιτι σωτηρίῳ, γλυ-

XXXI. Longævitate beatus est ille celebrandus, non qui multos in annos vixerit, sed qui vivendo, quodque exstitit, vita æterna se dignum præstitit. Neminem tristitia affecit, præterquam, dum animo exulceratos castigarit, salutari quasi melle, quod

✠ P. 988 ED. POTTER.

(47) *Ἀνίεται.* Malim, ἀνεῖται πᾶσι, *expositum est omnibus, patet omnibus.* SYLBURG.

(48) *Μέταλλα ἐρευνᾷ.* Flor. et H. mss., μεγάλα ἐρευνᾷ, *magna scrutatur.* Sed μέταλλα legendum esse, recte vidit etiam X. et H. ID.

(49) *Ἀπαιρεῖται δὲ ἄλλος δεισ.* H. ms. ἀφαιρεῖται δὲ ἄλλος. Sed vulg. lectio melior. ID.

(50) *Ἄνευ γνώσεως· τῶν γὰρ εὐχρήστων καὶ ἀναγκ.* Haud scio an verior scriptura sit, ἄνευ γνώσεως τῶν γοῦν εὐχρήστων καὶ ἀναγκ. *Absque cognitione eorum quidem quæ utilia et necessaria sunt ad salutem.* ID.

(51) *Ἄλλη συγγ.* Legi etiam potest ἄλλην συγγ. ID.

(52) *Τῆς ἀληθοῦς.* Legi potest τἀληθοῦς, aut cum præcedente membro repetendum διδασκαλίας. SYLBURG.

(53) *Ὄντων.* Congruentius ὄντος, singulari numero; ut paulo ante ἔχοντος. ID.

(54) *ὯΙ γε.... γενέσθαι.* Paulo congruentius, ᾧ γε καὶ διὰ τὸ ζῆσαι εὖ ὑπῆρξεν ἄξιον τοῦ ζῆν, ἀεὶ γενέσθαι· *cui etiam ob vitam recte actam, vita dignum foret semper esse superstitem.* Sensus est, ἐν πολλῷ τῷ βίῳ μακαριστὸς γενόμενος οὐ διὰ τὸ μακρὸν ζῆν, ἀλλὰ διὰ τὸ εὖ ζῆν, καὶ διὰ τὸ εὖ ζῆσαι, τοῦ ἀεὶ ζῆν ἄξιος γενέσθαι. ID.

Digitized by Google

et dulce mordaxque sit. Proinde vir sapiens ac vere gnosticus præ omnibus decorum, cum eo quod rationi consentaneum est, servat. Quidquid enim ex affectu et passionibus est, ex anima omni abscisso et ablato, cum eo quod præstantissimum purumque sit, ac filiorum libertatem adoptione consecutum, postea versatur vitamque suam agit.

XXXII. Pythagoras voluit, non solum eruditissimum, verum etiam sapientium antiquissimum ducendum fore, qui rebus nomina imponeret. Oportet itaque ut Scripturas sacras accurate perscrutando, quoniam in parabolis contextas esse constat, ex nominibus earumdem sententias venemur, quas Spiritus sanctus de rebus sibi proposuit, et ut ita dicam, vocibus indidit, indeque mentem suam expressam docet; eum nempe in finem, ut nomina quæ significatione multiplici dicta sunt, diligenter a nobis expensa explicentur, et absconditus in multis sic tegentibus sensus, quasi contrectando condiscendoque appareat atque eluceat. Sic enim et plumbum attritu candescit, alba ex nigro cerussa jam facta. Sic etiam et scientia lucem ac splendorem effundens, vere divina illa sapientia fuerit, purum illud lumen, illuminans illos quorum pupilla oculorum pura fuerit, veritatem ut videant eamdemque firmiter comprehendant.

364 XXXIII. Proinde lucis hujusce principio, face accensa, ex passione quæ quidem in illa versatur, quam maxime licet ad similitudinem contendentes, lucis pleni, viri Israelitæ reipsa evadimus. Amicos enim fratresque vocavit illos, qui desiderio, qui conatu, ut cum Deo similitudinem ineant, student operamque navant.

XXXIV. Loci quidem puri prataque acceperunt voces, ac aspectus quosdam apparitionum sanctarum; hominum autem unusquisque, qui accurate fuerit purgatus, doctrinæ ac virtutis divinæ compos evadit.

XXXV. Insuper mihi quidem innotescit, quod scientiæ mysteria, a multis ludibrio habeantur, præcipue vero cum tropologia sophistica haud mista sunt ac consuta: paucos vero, sicuti lumen repente symposio triclinioque illatum, primum stupore percutiet; postea assuescentes se atque mente ✠ exercitati, quasi gaudio recreati ac exsultantes, Dominum..... Prout enim voluptas liberationem a dolore ex natura sua habet, sic et scientia ignorantiæ ablationem. Sicut enim somno gravati qui sunt maxime, semet vigilare maxime arbitrantur, qui clarioribus minusque dissipatis ac alio trahentibus in somnis spectacula sint occupati; sic qui summa laborant ignorantia, se maxime scire arbi-

✠ P. 989 ED. POTTER.

κεῖ τε ὄντι καὶ δηκτικῷ. Ὥστε παντὸς μᾶλλον ὁ γνωστικὸς τὸ πρέπον ἂν μετὰ τοῦ κατὰ λόγον φυλάσσει. Τοῦ γὰρ ἐμπαθοῦς παντὸς περιτμηθέντος καὶ περιαιρεθέντος ἁπάσης τῆς ψυχῆς, τῷ κρατίστῳ καθαρῷ γενομένῳ καὶ ἠλευθερωμένῳ εἰς υἱοθεσίαν τοῦ λοιποῦ σύνεστί τε καὶ βιοῖ.

ΛΒ'. Πυθαγόρας ἠξίου μὴ μόνον λογιώτατον, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτατον ἡγεῖσθαι τῶν σοφῶν τὸν θέμενον τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι. Δεῖ τοίνυν τὰς Γραφὰς ἀκριβῶς διερευνωμένους, ἐπειδὴ ἐν παραβολαῖς εἰρῆσθαι ὁμολογοῦνται, ἀπὸ τῶν ὀνομάτων θηρωμένους τὰς δόξας, ἃς τὸ ἅγιον Πνεῦμα περὶ τῶν πραγμάτων ἔχον, εἰς τὰς λέξεις, ὡς εἰπεῖν, τὴν αὐτοῦ διάνοιαν ἐκτυπωσάμενον διδάσκει, ἵνα ἡμῖν ἀκριβῶς ἐξεταζόμενα διαπτύσσηται τὰ ὀνόματα πολυσήμως μὲν εἰρημένα (55), τὸ δ' ἐγκεκρυμμένον ἐν πολλαῖς τῶν σκέπουσι ψηλαφώμενον καὶ καταμανθανόμενον ἐκφαίνηται καὶ ἀναλάμψῃ. Οὕτως γὰρ καὶ ὁ μόλιβδος τοῖς τρίβουσιν ἐξανθεῖ λευκὸν ἐκ μέλανος τὸ ψιμύθιον· οὕτως καὶ (56) ἡ γνῶσις, φέγγος καὶ λαμπρότητα καταχέουσα τῶν πραγμάτων, ἡ τῷ ὄντι θεία σοφία εἴη ἄν, τὸ φῶς τὸ εἰλικρινὲς, τὸ φωτίζον τοὺς καθαροὺς τῶν ἀνθρώπων ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, εἰς ὄψιν καὶ κατάληψιν τῆς ἀληθείας βεβαίαν.

ΛΓ'. Ἀναψάμενοι τοίνυν τῆς ἀρχῆς τοῦ φωτὸς ἐκείνου ἐκ τοῦ πάθους τοῦ περὶ αὐτὸ, ὡς ἐν μάλιστα ἐξομοιοῦσθαι πειρώμενοι, φωτὸς ἔμπλεοι φῶτες Ἰσραηλῖται τῷ ὄντι γινόμεθα. Φίλους γὰρ εἶπε καὶ ἀδελφοὺς τοὺς ἐχομένους τῆς πρὸς τὸ Θεῖον ἀφομοιώσεως κατὰ ἐπιθυμίαν καὶ δίωξιν.

ΛΔ'. Ἦν (57) τόποι μὲν καθαροὶ καὶ λειμῶνες ἐδέξαντο φωνὰς καί τινας ὄψεις ἁγίων φασμάτων· ἄνθρωπος δὲ ὁ ἀκριβῶς κεκαθαρμένος ἅπας διδασκαλίας καὶ δυνάμεως θεϊκῆς καταξιωθήσεται.

ΛΕ'. Οἶδα δὲ ἐγὼ, ὅτι τὰ τῆς γνώσεως μυστήρια τοῖς μὲν πολλοῖς χλεύην φέρει, καὶ μάλιστα μὴ κεκαττυμένα, σοφιστικῇ τροπολογίᾳ· τοὺς δὲ ὀλίγους, καθάπερ φῶς ἐπεισενεχθὲν ἐξαίφνης συμποσίῳ τινὶ συνηρεφεῖ, ἐκπλήξει τὰ πρῶτα· ἔπειτα ἐθίσαντες καὶ συντραφέντες καὶ ἐγγυμνασάμενοι τῷ λογισμῷ, ὡς ὑφ' ἡδονῆς εὐφραινόμενοι καὶ ἀγαλλιώμενοι τὸν Κύριον..... Ὡς γὰρ ἡδονὴ τὴν τῆς ἀλγηδόνος ἀπαλλαγὴν οὐσίαν ἔχει, οὕτως ἡ γνῶσις τῆς ἀγνοίας τὴν ὑπεξαίρεσιν. Ὡς γὰρ οἱ μάλιστα καθεύδοντες οἴονται μάλιστα ἐγρηγορέναι, ἐναργεστέροις (58) ὑποπίπτοντες καὶ ἀπερισπάστοις ταῖς ὄναρ φαντασίαις· οὕτως οἱ μάλιστα ἀγνοοῦντες μάλιστα εἰδέναι νομίζουσι. Μακάριοι δὲ οἱ ἐξ ὕπνου τοῦδε

(55) *Διαπτ... μὲν εἰρημένα.* Planior erit sententia, si transposito μέν, legamus, διαπτύσσηται μὲν τὰ ὀνόματα πολυσήμως εἰρημένα. SYLBURG.

(56) *Οὕτως γάρ.* Coucinnius ὡς γάρ, *ut enim.* Id.

(57) *Ἦν.* Etiamsi ᾗ legamus pro ἦν, tamen ne sic quidem sat recte constare videtur sententia. SYLBURG.

(58) *Ἐναργεστέροις.* Usitatius ἐναργεστέραις, feminina terminatione. Id.

Digitized by Google

καὶ τῆς παραφροσύνης ἀνεγειρόμενοι καὶ ἀναβλέψαντες τὸ φῶς καὶ τὴν ἀλήθειαν.

ΑϚ'. Δεῖ τοίνυν ἐπίσης τῷ βουλομένῳ τὸ πειθόμενον ἔχειν τὸν μαθητὴν, καὶ τῷ πόθῳ τὴν πίστιν ἐγκαταμίξαντα, γυμνάζειν καὶ μελετᾷν ἑκάστοτε πρὸς ἑαυτὸν τὴν τῶν θεωρημάτων ἀλήθειαν ἐξετάζοντα. Ἐπειδὰν δὲ εὖ ἔχειν αὐτῷ δοκῇ, τότε δὴ καὶ εἰς τὰς τῶν πέλας ζητήσεις καθιέναι· ἐπεὶ καὶ οἱ νεοττοὶ προσαποπειρῶνται (59) τοῦ πετάσαι ἐπὶ τῆς καλιᾶς, γυμνάσαντες τὰ πτερά.

ΑΖ'. Ἡ γὰρ ἀρετὴ ἡ γνωστικὴ πανταχοῦ καλὸν καὶ πρᾶον καὶ ἀβλαβὲς, καὶ ἄλυπον, καὶ μακάριον, καὶ παρεσκευασμένον, ἄριστα μὲν ὁμιλεῖν παντὶ τῷ θείῳ, ἄριστα δ' ἀνθρώποις, θεωρητικὸν ὁμοῦ καὶ πρακτικὸν ἄγαλμα θεῖον τὸν ἄνθρωπον κατασκευάζουσα, καὶ φιλόκαλον ἀπεργαζομένη δι' ἀγάπης· τὸ γὰρ καλὸν, ὡς ἐκεῖ σοφίᾳ θεωρητὸν καὶ νοητὸν, ἐνταῦθα σωφοσύνῃ καὶ δικαιοσύνῃ διὰ πίστεως πρακτόν· ἐν σαρκὶ μελετήσαντες ἀγγελικὴν ὑπουργίαν, ὥσπερ ἐν τόπῳ διαφανεῖ καὶ ἀμιάντῳ τῷ σώματι τὸν νοῦν καθιερώσαντες.

ΑΗ'. Πρὸς δὲ Τατιανὸν (60), λέγοντα εὐκτικὸν εἶναι τὸ *Γενηθήτω φῶς*, λεκτέον· Εἰ τοίνυν εὐχόμενος ἤδη τὸν ὑπερκείμενον (61) Θεὸν, πῶς λέγει *Ἐγὼ Θεὸς, καὶ πλὴν ἐμοῦ ἄλλος οὐδείς;* εἴπομεν ὡς κολάσεις εἰσὶ βλασφημιῶν, φλυαρίας, ἀκολάστων ῥημάτων, λόγῳ (62) κολαζομένων καὶ παιδευομένων.

ΑΘ'. Ἔφασκεν δὲ καὶ διὰ τὰς τρίχας κολάζεσθαι καὶ τὸν κόσμον τὰς γυναῖκας ὑπὸ δυνάμεως τῆς ἐπὶ τούτοις τεταγμένης, ἥ καὶ τῷ Σαμψὼν δύναμιν παρεῖχε ταῖς θριξὶν, ἥτις κολάζει τὰς διὰ κόσμου τριχῶν ἐπὶ πορνείαν ὁρμώσας.

Μ'. Καθάπερ ἀγαθοῦ ἀπορροίᾳ ἀγαθύνονται, οὕτως καὶ κακοῦνται. Καλὴ ἡ κρίσις τοῦ Θεοῦ, ἥ τε διάκρισις ἡ τῶν πιστῶν ἀπὸ τῶν ἀπίστων, ἥ τε πρόκρισις ὑπὲρ τοῦ μὴ μείζονι περιπεσεῖν κρίσει, ἥ τε κρίσις, παίδευσις οὖσα.

ΜΑ'. Ἡ Γραφή φησι τὰ βρέφη τὰ ἐκτεθέντα τιμελούχῳ παραδίδοσθαι ἀγγέλῳ, ὑφ' οὗ παιδεύεσθαί τε καὶ αὔξειν· καὶ ἔσονται, φησὶν, ὡς οἱ ἑκατὸν ἐτῶν ἐνταῦθα πιστοί· διὸ καὶ Πέτρος ἐν τῇ Ἀποκαλύψει φησί· *Καὶ ἀστραπὴ πυρὸς πηδῶσα ἀπὸ τῶν βρεφῶν ἐκείνων, καὶ πλήσσουσα τοὺς ὀφθαλμοὺς τῶν γυναικῶν.* Ἐπεὶ ὁ δίκαιος ὡς *σπινθὴρ* διὰ καλάμης ἐκλάμπει, καὶ κρινεῖ ἔθνη.

ΜΒ'. *Μετὰ ὁσίου ὁσιωθήσῃ.* Κατὰ αἶνόν

A trantur. Beati vero qui, ex somno hoc dementiaque excitati, ad lucem ac veritatem oculos convertant.

XXXVI. Pariter itaque oportet, eum qui discipulum obsequentem habere velit, et desiderio admista fide exercere, et apud se quotidie meditari, veritatem argumentorum expendendo. Et cum eamdem se recte tenere judicaverit, tunc nimirum ad quæstiones hisce vicinas descendere; quoniam et avium pulli pennas exercendo etiam in nido volatum experiantur.

XXXVII. Virtus enim gnostica, ubique bonum mansuetumque, et innoxium, et dolorum expertem, ac beatum paratumque, optime versari in omnibus quæ ad Deum, imo optime in his quæ ad homines B attineant, simulacrum divinum, contemplatione simul et actione hominem excultum reddens, ac per charitatem honesti amatorem præstans. Bonum enim prout illic sapientia consideratur et intelligitur, sic etiam hic temperantia et justitia per fidem exercetur; functionem angelicam in carne meditantes, sicut in loco conspicuo et impolluto, in corpore mentem sacrificamus.

365 XXXVIII. Contra vero Tatianum, asserentem optantis esse scriptum illud *Fiat lux* [a], dicendum est: Si igitur orationem ad Deum superiorem dirigat, quomodo dicit: *Ego Deus, et præter me non est alius ullus* [b]? Diximus blasphemiarum pœnas esse, verborum petulantium nugas, ratione punitorum atque castigatorum.

C

XXXIX. Insuper etiam asseruit mulieres propter crines ac mundum puniri, a virtute quæ rebus hisce præfecta fuerit, quæ crinibus Samsonis virtutem præbuit [c]; quæ etiam illas punit quæ per crinium ornatum in scortationem feruntur.

XL. Sicuti boni defluxione redduntur boni, sic et mali qualitate similiter imbuuntur. Bonum est Dei judicium: ac discrimen fideles inter et infideles, imo judicium illud quod prohibet ne in majus judicium quis incidat; illud demum judicium quod est emendatio.

XLI. Scriptura dicit, infantes projectos angelo tutori tradi erudiendos atque educandos. ✠ Et D crunt, inquit, quasi centum annorum in hoc sæculo fideles. Quapropter etiam Petrus in Apocalypsi dicit: *Et fulgur ignis exsiliens ab infantibus illis, et mulierum oculos perstringens* [d]. Quippe justus in arundineto *sicut scintilla* [e] effulget, gentesque judicabit.

XLII. *Cum sancto sanctus eris.* [f] Uti nempe pro

[a] Gen. I, 3. [b] Isa. XLIV, 6. [c] Jud. XVI, 13. [d] Apoc. Petri Revelat. [e] Sap. III, 7. [f] Psal. XVII, 26.

P. ~~990~~ ED. POTTER.

(59) *Προσαποπειρῶνται.* Forte verius προαποπειρῶνται, *prius experiuntur* (seu *tentant*) *volatus.* SYLBURG.

(60) *Tatianov.* Conf. Gul. Cave *Histor. litter.*, vol. II, p. 33, et testimonia de Tatiano in ejus edit. Oxon., p. 7.

(61) *Εὐχόμενος ἤδη τὸν ὑπερκ.* Nescio an verius εὐχόμενος ἤτει τὸν ὑπερκ. *precans, petebat a sup.* SYLBURG.

(62) *Λόγῳ.* Ambiguum est λόγῳ an λόγων scripserit auctor. ID.

Digitized by Google

laudis suæ ratione, atque ex agnitione nostra, Deus glorificetur; similiter ex hæreditatis jure. Sic quoque dictum illud, *vivit Dominus*, atque illud, *surrexit Dominus* [a].

XLIII. *Populus quem non noveram, servivit mihi* [b]; per testamentum non noveram. *Filii alieni*, qui ea quæ alterius sunt, æmulati sunt.

XLIV. *Magnificans salutes regis ejus.* [c] Reges vocantur omnes fideles, in regnum translati, quique hæredes futuri sunt.

XLV. Malorum tolerantia, dulcedo quidem est melle major; non autem qua malorum tolerantia est, sed ratione fructus ejusmodi tolerantiæ. Quoniam itaque continens qui est, ab affectibus non est prorsus immunis, utpote qui non absque labore a passionibus contineat. Cum vero insit habitus, haud amplius continens est, quod in uno habitu et Spiritu sancto homo nunc sit.

XLVI. Spiritus vocantur, quæ in anima passiones sunt, non autem spiritus potentes, quippe tunc homo qui his esset obnoxius dæmonum legio foret, sed propter suggestionem. Eadem enim anima, mutatione quadam, alias atque alias qualitates dum recipiat, spiritus tunc recipere dicitur.

XLVII. Ratio a creatura discedere nos non jubet, sed uti nulla passionum pravitate cum illa una versaremur: cumque aliquid acciderit, ut moleste non feramus, nec contristemur, neque possidendi desiderio simus abrepti. Cum ab affectu rerum possessione, omnique libidine discedere jubeat Providentia divina, in eos solos sermonem vertit, qui in carne versantur.

XLVIII. Illico Petrus in Apocalypsi dicit, infantes abortivos, conatus ac sortis esse melioris, hos angelo tutori tradi, ut scientiæ præceptis imbuti, habitationem nanciscantur meliorem, eadem nempe passi, quæ si in corpore versati fuissent, paterentur; reliqui vero, salutis tantum fient participes, quasi injuriam passi, misericordiam consecuti, ac manent sine cruciatu, præmii loco hoc quidem reportantes.

XLIX. Mulierum autem lac defluens ex uberibus ac concretum, inquit Petrus in ✠ Apocalypsi, bestias parvas ac carnivoras pariet, et in eas recurrentia, devorabunt; nimirum propter peccata venisse pœnas erudiendo; ex peccatis nasci illas dicit, sicuti propter peccata venundatus est populus; quodque in Christum credere noluit, uti dicit Apostolus, a serpentibus mordebatur.

L. Dixit quidam senex, animal esse quod in

σου (63), δεδόξασται τὸ ὄνομά σου, κατ' ἐπίγνωσιν ἡμῶν, δοξαζομένου τοῦ Θεοῦ κατά τε τὴν κληρονομίαν. Οὕτω καὶ τὸ *Ζῇ Κύριος*, καὶ τὸ *Ἀνέστη Κύριος*.

ΜΓ'. *Λαὸς ὃν οὐκ ἔγνων, ἐδούλευσέ μοι·* κατὰ διαθήκην οὐκ ἔγνων. *Υἱοὶ ἀλλότριοι*, τὰ τοῦ ἑτέρου καὶ ἐζηλωκότες.

ΜΔ'. *Μεγαλύνων τὰς σωτηρίας τοῦ βασιλέως αὐτοῦ.* Βασιλεῖς πάντες λέγονται οἱ πιστοὶ εἰς βασιλείαν κατὰ κληρονομίαν τε.

ΜΕ'. Ἡ μακροθυμία γλυκύτης ἐστὶν ὑπὲρ τὸ μέλι, οὐχ ὅτι ἐστὶ μακροθυμία, ἀλλὰ κατὰ τὸν καρπὸν τῆς μακροθυμίας. Ἐπεὶ οὖν ὁ ἐγκρατής ἐστιν ἀπαθής, κρατῶν οὐκ ἀπόνως τῶν παθῶν· ὅταν δὲ ἕξις γένηται, οὐκ ἔτι ἐγκρατὴς, ἐν μιᾷ ἕξει καὶ ἀγίῳ Πνεύματι γενομένου τοῦ ἀνθρώπου.

ΜΖ'. Πνεύματα λέγεται τὰ πάθη τὰ ἐν τῇ ψυχῇ, οὐκ ἐξουσίας πνεύματα, ἐπεὶ ἔσται ἐμπαθὴς ἄνθρωπος λεγεὼν δαιμόνων· ἀλλὰ κατὰ τὴν προτροπήν. Ἡ γὰρ αὐτὴ ψυχὴ, κατὰ μεταβολὰς ἄλλας καὶ ἄλλας ποιότητας κακίας ἀναδεχομένη, πνεύματα λέγεται ἀνειληφέναι.

ΜΖ'. Ὁ λόγος τῆς κτίσεως (64) ἀφίστασθαι οὐ κελεύει, ἀλλ' ἀπροσπαθῶς διοικεῖσθαι τὴν κτίσιν· ἐπισυμβάντος δέ τινος, μὴ ἀγανακτεῖν, μηδὲ λυπεῖσθαι, μηδὲ ἐπιθυμεῖν κτήσασθαι· τῆς ἐν πάθει καρακτήσεως ἀφίστασθαι κελεύει καὶ πάσης προσπαθείας, ἡ θεία Πρόνοια ἀναστρέφει ἐπὶ μόνους τοὺς ἐν σαρκὶ (65).

ΜΗ'. Αὐτίκα ὁ Πέτρος ἐν τῇ Ἀποκαλύψει φησὶν, τὰ βρέφη ἐξαμβλωθέντα, τῆς ἀμείνονος ἐσόμενα πείρας (66), ταῦτα ἀγγέλῳ τημελούχῳ παραδίδοσθαι, ἵνα, γνώσεως μεταλαβόντα, τῆς ἀμείνονος τύχῃ μονῆς, παθόντα ἃ ἂν ἔπαθεν καὶ ἐν σώματι γενόμενα· τὰ δ' ἕτερα μόνης τῆς σωτηρίας τεύξεται, ὡς ἠδικημένα ἐλεηθέντα, καὶ μένει ἄνευ κολάσεως, τοῦτο γέρας λαβόντα.

ΜΘ'. Τὸ δὲ γάλα τῶν γυναικῶν, ῥέον ἀπὸ τῶν μαστῶν καὶ πηγνύμενον, φησὶν ὁ Πέτρος ἐν τῇ Ἀποκαλύψει, γεννήσει θηρία λεπτὰ σαρκοφάγα, καὶ ἀνατρέχοντα εἰς αὐτὰς, κατεσθίει, διὰ τὰς ἁμαρτίας γίνεσθαι τὰς κολάσεις διδάσκων. Ἐκ τῶν ἁμαρτιῶν γεννᾶσθαι αὐτάς φησιν, ὡς διὰ τὰς ἁμαρτίας ἐπράθη ὁ λαός· καὶ διὰ τὴν εἰς Χριστὸν ἀπιστίαν, ὡς φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ὑπὸ τῶν ὄφεων ἐδάκνοντο.

Ν'. Ἔλεγε πρεσβύτης ζῶον εἶναι τὸ κατὰ γαστρὸς

[a] Luc. xxiv, 34. [b] Psal. xvii, 45. [c] Ibid. 51.

✠ P. 904 ED. POTTER.

(63) *Κατὰ αἶνόν σου.* A. legendum suspicatur, καθὰ εἰς αἰῶνας δεδόξασται· alludi enim ad locum qui est Sap. iii. In Flor. edit. corrupte scriptum κατὰ αἰνονόσω. SYLBURG.

(64) *Τῆς κτίσεως.* Aptius τῆς κτήσεως, *acquisitione et possessione bonorum*: itemque mox τὴν κτῆσιν· ut declarant sequentia. ID.

(65) *Ἀναστρέφει ἐπὶ μόνους τοὺς ἐν σαρκί.* Paulo melius ἀναστρ. ἔτι μένοντας ἐν σαρκί, *adhuc commorantes in hac carne*: ut ἀναστρέφει τῆς προσπαθείας per ellipsin præpositionis ἀπό dictum sit, ut alibi ἀνακαλεῖ. SYLBURG.

(66) *Μείρας.* Non male cum H. legemus μοίρας. ID.

Digitized by Google

εἰσιοῦσαν γὰρ τὴν ψυχὴν εἰς τὴν μήτραν ἀπὸ τῆς καθάρσεως ηὐτρεπισμένην εἰς σύλληψιν, καὶ εἰσκριθεῖσαν ὑπό τινος τῶν τῇ γενέσει ἐφεστώτων ἀγγέλων, παραγινώσκοντος τὸν καιρὸν τῆς συλλήψεως, κινεῖν πρὸς συνουσίαν τὴν γυναῖκα. Καταβληθέντος δὲ τοῦ σπέρματος, ὡς εἰπεῖν, ἐξοικειοῦσθαι τὸ ἐν τῷ σπέρματι πνεῦμα, καὶ οὕτω συλλαμβάνεσθαι τῇ πλάσει. Μαρτύριον ὠνόμασεν πᾶσιν, ὁπηνίκα ἂν εὐαγγελίζωνται οἱ ἄγγελοι τὰς στείρας, οἷον προεισκρίνουσι τῆς συλλήψεως τὰς ψυχάς· καὶ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τὸ *βρέφος ἐσκίρτησεν* ὡς ἔμψυχον (67)· καὶ αἱ στεῖραι διὰ τοῦτό εἰσι στεῖραι, ὡς ἂν μὴ εἰσκρινομένης τῆς τὴν τοῦ σπέρματος καταβολὴν συναγούσης εἰς κατοχὴν συλλήψεως καὶ γεννήσεως. A ventre reperitur. Ingressam enim animam in matricem per emundationem ad fetum concipiendum bene præparatam, atque ab angelorum aliquo qui hominum generationi præsunt infusam, qui et conceptionis opportunitatem articulumque optime cognoverit, movere ad mariti complexus mulierem : semine vero commisto, ut ita loquar, spiritus qui quidem in semine est, amice conjungitur, sicque per formationem concipi. Omnibus rei hujusce testimonium perhibuit, cum angelos iis, quæ steriles sunt annuntiant, ante conceptionem infundere animas. Et in Evangelio *exsultavit infans*[a], utpote qui jam anima præditus esset. Hanc ob causam steriles sunt steriles, quasi non infundatur anima, quæ semen conjectum colligat, ad conceptionis ac generationis detentionem rectam.

ΝΑ'. *Οἱ οὐρανοὶ* (68) *διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ*. Οἱ οὐρανοὶ λέγονται πολλαχῶς, καὶ οἱ κατὰ διάστημα καὶ περίοδον, καὶ οἱ κατὰ διαθήκην τῶν πρωτοκτίστων ἀγγέλων ἐνέργεια προσεχής (69)· κυριωτέραν γὰρ παρουσίαν ἀγγέλων αἱ διαθῆκαι ἐνήργησαν (70), ἡ ἐπὶ Ἀδάμ, ἡ ἐπὶ Νῶε, ἡ ἐπὶ Ἀβραάμ, ἡ ἐπὶ Μωϋσέως. Διὰ γὰρ τοῦ Κυρίου κινηθέντες πρωτόκτιστοι ἄγγελοι, ἐνήργουν εἰς τοὺς προσεχεῖς τοῖς προφήταις ἀγγέλους, ἡγούμενοι δόξαν Θεοῦ, τὰς διαθήκας. Ἀλλὰ καὶ τὰ κατὰ τὴν γῆν γενόμενα ὑπ' ἀγγέλων διὰ τῶν πρωτοκτίστων ἀγγέλων ἐγένοντο εἰς δόξαν Θεοῦ. **366** LI. *Cœli enarrant gloriam Dei*[b]. Cœli dicuntur multis modis; qui scilicet per distantiam ac periodum sunt, et qui per testamentum angelorum primo creatorum virtus immediata. Quippe angelorum præsentiam principaliorem testamenta ceu fœdera sunt operata, in Adamo, in Noe, in Abrahamo, in Moyse. Primæ enim creationis angeli a Domino moti, in angelos prophetis immediate conjunctos, operati sunt, existimantes gloriam Dei, nimirum testamenta ceu fœdera. Nam opera quæ ab angelis in terra peracta sunt per creationis primæ angelos in Dei gloriam edita fuerunt.

ΝΒ'. Καλοῦνται δὲ οὐρανοὶ κυρίως μὲν ὁ Κύριος, ἔπειτα δὲ καὶ οἱ πρωτόκτιστοι, μεθ' οὓς καὶ οἱ ἅγιοι πρὸ νόμου ἄνθρωποι, ὡς οἱ πατριάρχαι καὶ Μωϋσῆς καὶ οἱ προφῆται· εἶτα καὶ οἱ ἀπόστολοι. *Ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα.* Στερέωμα λέγει τὸν Θεὸν τὸν ἀπαθῆ καὶ ἀμετάβλητον, ὡς καὶ ἀλλαχῆ ὁ αὐτὸς Δαβὶδ, *Ἀγαπήσω σε, Κύριε, ἡ ἰσχύς μου. Κύριος στερέωμά μου, καὶ καταφυγή μου.* Τὴν ποίησιν οὖν τῶν χειρῶν αὐτοῦ αὐτὸ τὸ στερέωμα ἀναγγέλλει, τουτέστιν δείκνυσι καὶ φαίνει τὴν ποίησιν τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ· ἀναγγέλλει γὰρ καὶ δείκνυσιν οὓς ἐποίησεν. C LII. Cœli vero vocantur, præcipue quidem, Dominus; dein autem, qui primo fuerunt creati; post hos et homines sancti ante legem, nempe patriarchæ, et Moyses, atque prophetæ; et dein quoque apostoli. *Opus vero manuum ejus annuntiat firmamentum.* Firmamentum vocat Deum, qui a passione immunis est ac immutabilis, sicuti et alio loco idem ille David asserit : *Diligam te, Domine, virtus mea : Dominus firmamentum meum ac refugium meum*[c]. Opus itaque manuum ejus ipsum firmamentum annuntiat; hoc est ostendit ac apparere facit opus angelorum suorum. Annuntiat enim ac ostendit, quos ille fecit.

ΝΓ'. *Ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα.* Ὡς οἱ οὐρανοὶ πολλαχῶς, οὕτως καὶ ἡ ἡμέρα. Ῥῆμα δὲ ὁ Κύριος· καὶ ὁ αὐτὸς δὲ ἡμέρα πολλαχῆ εἴρηται. *Καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν.* Ὁ διάβολος ᾔδει ἐλευσόμενον τὸν Κύριον· εἰ δὲ Θεὸς (71) αὐτὸς εἴη, οὐκ ἠπίστατο· διὸ καὶ ἐπείραζεν αὐτὸν, ἵνα γνῷ εἰ δυνατός ἐστιν. Ἐᾷν (72) φησι, *καὶ ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ εἰς καιρὸν*, τουτέστιν ἀνεβάλλετο τὴν εὕρεσιν εἰς LIII. *Dies diei eructat verbum*[d]. Sicut cœli multipliciter dicuntur, sic etiam dies. ✠ Verbum autem Dominus est, ac ipse sæpenumero dies nominatus est. *Et nox nocti indicat scientiam.* Cognovit D diabolus Dominum venturum esse : an vero Deus idem esset futurus, illum latuit. Quapropter ipsum tentavit, ut cognosceret qualis illi potentia fuerit, utique cum dicit : *Et recessit ab eo ad tempus*[e] : hoc

[a] Luc. I, 41. [b] Psal. XVIII, 1. [c] Psal. XVII, 3. [d] Psal. XVIII, 2. ✠ P. ~~992~~ 1002 ED. POTTER. [d] Luc. IV, 13.

(67) *Ἐμψυχον*. Post hanc vocem in Flor. defectus signum est, cum tamen structuræ nihil desit. SYLBURG.

(68) *Οἱ οὐρανοί*. Enarratio est psalmi XVIII, quæ quantum huc quadret, judicent alii. ID.

(69) *Ἐνέργειαι προσεχεῖς*. Etiamsi legas ἐνεργείᾳ προσεχεῖς, parum lucis sententiæ accesserit. ID.

(70) *Ἐνήργησαν*. Flor., ἐνειργήσθησαν, corrupte. ID.

(71) *Θεός*. Hæc vox addita e Flor. edit. margine. SYLBURG.

(72) *Ἐᾷν*. Pro ἐᾷν structura postulat εἶα vel εἴασε, *sivit*. Lucas cap. IV, dicit : Καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ διάβολος, ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ. Sequentia vero, ἀνεβάλλετο τὴν εὕρεσιν εἰς τὴν ἀνάστασιν, alludere videntur ad narrationem quæ est in Evangelio secundum Nicodemum. ID.

Digitized by Google

est differebat cognitionem hanc ad resurrectionem usque. Quippe noverat illum esse Dominum, qui resurrecturus esset. Similiter etiam dæmones, quoniam Salomonem Dominum esse putarunt; ipso autem peccante, probe cognoverunt, non esse illum. *Nox nocti;* dæmones autem omnes norunt Dominum esse illum qui post passionem a morte resurrexit. Jam vero dicit etiam Enoch, transgressores angelos docuisse homines astronomiam, divinationem, reliquasque artes.

A τὴν ἀνάστασιν. Ἤδει γὰρ τοῦτον εἶναι τὸν Κύριον τὸν ἀναστησόμενον. Ὁμοίως καὶ οἱ δαίμονες· ἐπεὶ καὶ Σολομῶνα ὑπώπτευσαν εἶναι τὸν Κύριον· ἔγνωσαν δὲ μὴ εἶναι, ἁμαρτόντος αὐτοῦ. *Νὺξ νυκτί·* πάντες οἱ δαίμονες ἔγνωσαν ὅτι Κύριος ἦν ὁ ἀναστὰς μετὰ τὸ πάθος. Ἤδη δὲ καὶ Ἐνὼχ (73) φησιν, τοὺς παραβάντας ἀγγέλους διδάξαι τοὺς ἀνθρώπους ἀστρονομίαν καὶ μαντικὴν, καὶ τὰς ἄλλας τέχνας.

LIV. *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum :* nempe nec dierum, neque noctium. *In omnem terram exivit sonus eorum* [a]. Transtulit sermonem ad solos sanctos, quos etiam cœlos vocavit atque dies.

ΝΔ'. *Οὐκ εἰσὶ λαλιαὶ οὐδὲ λόγοι, ὧν οὐκ ἀκούονται αἱ φωναὶ αὐτῶν·* οὔτε τῶν ἡμερῶν οὔτε τῶν νυκτῶν. *Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν.* Μετήνεγκε τὸν λόγον ἐπὶ μόνους τοὺς ἁγίους, οὓς οὐρανούς τε εἴρηκεν καὶ ἡμέρας.

B

LV. Stellæ, corpora spiritalia, quibus cum angelis præfectis est rerum administratio communis, non quidem generationis sunt ipsæ causæ, signa vero sunt eorum quæ fiunt, quæ futura sunt et quæ prius exstiterunt, in vertentibus cœli temperie anni tempestatibus; in frugum ubertate etiam et penuria; in pestibus ac febrium ardoribus; in homines vero nec per somnium virtutem suam exserunt astra; ast indicant tum ea quæ sunt, tum quæ futura, quæ etiam fuerunt.

ΝΕ'. Οἱ ἀστέρες, σώματα πνευματικὰ, κεκοινωνηκότα ἀγγέλοις ἐφεστῶσι διοικούμενα, οὐκ αἴτια γενέσεως, σημαντικὰ δὲ τῶν γινομένων τε καὶ ἐσομένων καὶ γενομένων, ἐπί τε τροπῶν ἀέρων, ἐπί τε εὐφορίας καὶ ἀκαρπίας, ἐπί τε λοιμῶν καὶ φλογμῶν, ἐπί τε τῶν ἀνθρώπων. Οὔτ' ὄναρ τὰς ἐνεργείας ποιεῖ τὰ ἄστρα· σημαίνει (74) δὲ τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

LVI. *Et in sole posuit tabernaculum suum* [b]. Hic loci hyperbaton est; sermo enim est de secundo adventu. Hunc itaque in modum quod ordine tam præpostero scriptum est, serie recta legendum est nobis. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultabit ut gigas currere viam suam : a summo cœli egressus ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.* Et dein : *In sole posuit tabernaculum suum.* Proinde dicunt quidem nonnulli, ipsum Salvatorem corpus suum in sole posuisse, ut Hermogenes. Corpus autem dicunt, alii quidem tabernaculum suum, alii Ecclesiam fidelium. Noster autem Pantænus dixit, indefinite voces prophetas efferre ✠ in pluribus, et præsente pro futuro uti, et rursus præsenti tempore pro præterito. Quod et nunc ap-

ΝΣ'. *Καὶ ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ.* Ἐνταῦθα ὑπερβατόν ἐστι· περὶ γὰρ τῆς παρουσίας τῆς δευτέρας ὁ λόγος. Οὕτως οὖν ἀναγνωστέον τὸ ὑπερβατὸν κατὰ ἀκολουθίαν. *Καὶ αὐτὸς, ὡς νυμφίος ἐκπορευόμενος ἐκ παστοῦ αὐτοῦ, ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδὸν αὐτοῦ. Ἀπ' ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ ἡ ἔξοδος· καὶ οὐκ ἔστιν ὃς ἀποκρυβήσεται τὴν θέρμην αὐτοῦ* (75). Καὶ τότε· *Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ.* Ἔνιοι μὲν οὖν φασι τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐν τῷ ἡλίῳ αὐτὸν ἀποτίθεσθαι, ὡς Ἑρμογένης· σῶμα δὲ λέγουσιν οἱ μὲν τὸ σκῆνος αὐτοῦ, οἱ δὲ τὴν τῶν πιστῶν Ἐκκλησίαν· ὁ Πανταῖνος δὲ (76) ἡμῶν ἔλεγεν, ἀορίστως τὴν προφητείαν ἐκφέρειν τὰς λέξεις, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, καὶ τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ μέλλοντος (77) χρῆσθαι χρόνῳ, καὶ

C

[a] Psal xviii, 4, 5. [b] Ibid. 6. ✠ P. 903 ED. POTTER.

(73) *Ἐνὼχ.* Apocryphis plurimum delectatus Clemens, in quibus hic liber Enoch, Petri Revelatio, Prædicatio, etc., ex quibus proclive haurire, quæ sanæ doctrinæ adversantur; aut certe nescio quo genio, ac velut ostentandæ eruditionis fumo quodam sic promere, et chartis oblinere, vel etiam docendo obtrudere; quod magistrorum Κατηχήσεως Alexandriæ vitium non leve videtur, ad quod forte cogeret ipsa gentis indoles, et quod nisi his instructi mercibus, omnique τῇ ἔξω sapientia (sæcularis scilicet ut Græcanica), quantum decebat apud auditores, fidem non obtinebant. Combef. — Vide hunc Enoch de angelis librum partim editum in *Animadvert.* Scal. ad Eusebium. Conf. Clementis *Strom.* i, p. 366, not, 7; item *Recognitiones* Clementis lib. iv, c. 26, et Clementina homil. 8, c. 12, et seq.

(74) *Σημαίνει.* Homeri locus est *Iliad.* A. Sylburg.

(75) *Τὴν θέρμην αὐτοῦ.* Vulg. Bib. psalmo xviii, τῆς θέρμης αὐτοῦ, genit. casu. A. Id.

(76) *Πανταῖνος δέ.* Meminit hic Pantæni, quod de illo advertit Eusebius, l. vi, c. 13, ejusque sententias aliquas affert : quanquam non præceptorem aut magistrum vocat, sed solum Pantænum ἡμῶν, *nostrum*, sive Alexandrinum perinde velit, sive etiam hominem ecclesiasticum, quem Hermogeni opponat, qui forte ἀπὸ τῶν αἱρέσεων fuerit. Quid si ipse Hermogenes, cujus Paulus meminit II Tim. i, 16, qui sic ab eo (sanaque adeo doctrina) aversus sit, cum eum Jacobus prius ex mago convertisset : haud dissimilis Simoni aut Elymæ, cujus sententias Dionysius refellit. Longe distant, quod Pantænum, suum Clemens dicat, et quod suum magistrum, sive Eusebius τὴν διδασκάλου vocem addidit, sive qui fecit ἐκλογάς sustulit : sic levi lapsu nutat veritas, nec ubique Eusebium auctores assecutum, aut satis expressisse dicta illorum ac sensa, in Irenæo, Tertull., etc., observavit, qui sic strenue in eo nuper laboravit, Hen. Valesius. Combef.

(77) *Ἀντὶ τοῦ μ.* Flor., ἂν ἐπὶ τοῦ μέλλοντος. Sylburg.

Digitized by Google

πάλιν τῷ ἐνεστῶτι ἀντὶ τοῦ παρῳχηκότος· ὃ καὶ νῦν φαίνεται. Τὸ γὰρ *ἔθετο* καὶ ἐπὶ τοῦ παρῳχηκότος καὶ ἐπὶ τοῦ ἐσομένου τάσσεται. Ἐπὶ μὲν τοῦ ἐσομένου, ὅτι, πληρωθείσης ταύτης τῆς κατὰ τὴν παρουσίαν κατάστασιν (78) περιόδου, ὁ Κύριος ἐλεύσεται, καὶ τοὺς δικαίους, τοὺς πιστοὺς, οἷς ἐπαναπαύεται καθάπερ σκηνῇ (ἓν γὰρ σῶμα οἱ πάντες, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, τὴν αὐτὴν πίστιν καὶ δικαιοσύνην ἐλόμενοι) εἰς τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἀποκαταστησόμενος (79)· ἀλλ' οἱ μὲν ὡς κεφαλὴ, οἱ δὲ ὡς ὀφθαλμοὶ, οἱ δὲ ὡς ὦτα, οἱ δὲ ὡς χεῖρες, οἱ δὲ ὡς στήθη, οἱ δὲ ὡς πόδες, ἐν ἡλίῳ τεθήσονται φωτεινοί. *Λάμψατε ὡς ὁ ἥλιος*· ἡ ἐν ἡλίῳ, ἐπεὶ ἀρχοντικὸς ἄγγελος ἐν ἡλίῳ· *εἰς ἀρχὴν γὰρ ἡμερῶν* τέτακται, καθάπερ ἡ *σελήνη εἰς τὸ ἄρχειν νυκτός*· Ἡμέραι δὲ ἄγγελοι ἐκλήθησαν. Μετὰ τῶν μεθ' ἡλίου (80) ἀγγέλων, φησὶ, ταγήσονται ἓν, ὥσπερ κεφαλὴ σώματος ὄντος ἑνὸς ὁ ἥλιος ἐτόμενοί ποτε κατά τινα· περὶ δὲ καὶ αὐτοὶ ἄρχοντες ἡμερῶν, ὡς ἐκεῖνος ὁ ἐπὶ τοῦ ἡλίου, ἐπὶ τὸ μεῖζον, ἐφ' ᾧ μετῆλθεν πρὸ αὐτοῦ ἐν τῷ αὐτῷ· καὶ πάλιν ἐπαναβησόμενοι κατὰ προκοπὴν ἀφίκονται (81) ἐπὶ τὴν πρώτην μονὴν, κατὰ τὸν παρῳχηκότα ἔθετο· τούς τε πρωτοκτίστους ἀγγέλους εἰς τὸ μηκέτι κατὰ τὴν πρόνοιαν τῷ ὡρισμένῳ λειτουργεῖν, ἀλλ' ἵνα ἐν ἀναπαύσει, καὶ πρὸς μόνῃ τῇ θεωρίᾳ τοῦ Θεοῦ· οἱ δὲ προσεχέστεροι τούτοις προκόψουσιν εἰς ἣν ἐκεῖνοι ἀπολελοίπασι τάξιν· καὶ οὕτως οἱ ὑποβεβηκότες ἀναλόγως.

paret. Quippe illud, *posuit*, pro præterito et futuro ponitur. Pro futuro quidem, quod, periodo status hujusce præsentis impleta, veniet Dominus, ac justos, nempe fideles, in quibus quasi in tabernaculo conquiescit (unum enim corpus omnes sunt, ex eodem genere, qui fidem eamdem ac justitiam receperint), in eamdem unitatem restituturus. At hi quidem ut caput, illi vero ut oculi, hi quidem ut aures, illi vero ut manus, hi denique uti pectora, illi vero ut pedes, in sole collocabuntur lucidi. *Lucete ut sol* [a], vel in sole; quoniam angelus princeps in sole est. *Diebus* enim uti *præsit*, collocatus est sicuti *luna ut nocti præsit* [b]. Dies autem, angeli, vocati sunt. Cum solis angelis, inquit, ordine pari una sedem obtinebunt, unum, ut caput, corpore uno exsistente, sol et ipsi ratione quadam tandem aliquando futuri sint. Dierum autem et ipsi præsides, sicut ille qui in sole sedem habet, ad id quod majus est, quo et ipse prior in eodem commigraverit; ac rursum ascendentes ad stationem priorem revertunt, respectu præteriti posuit; utpote primæ creationis angeli, non amplius per providentiam ministerio definito sint occupati, sed ut in requie, in perseverantia, atque assidua Dei contemplatione maneant. Qui vero his immediatiores sunt, ad eum nempe ordinem proficiunt, quem ipsi reliquerunt; sic etiam ratione pari, qui sunt inferiores.

NZ'. Εἰσὶν οὖν κατὰ τὸν Ἀπόστολον οἱ ἐν τῇ ἄκρᾳ ἀποκαταστάσει πρωτόκτιστοι· θρόνοι δὲ ἂν εἶεν, καίτοι δυνάμεις ὄντες οἱ πρωτόκτιστοι διὰ τὸ ἀναπαύεσθαι ἐν αὐτοῖς τὸν Θεὸν, ὡς καὶ ἐν τοῖς πιστεύουσιν. Ἕκαστος γὰρ, κατὰ τὴν ἰδίαν προκοπὴν, οἰκείαν ἔχει τὴν περὶ Θεοῦ γνῶσιν· ἐφ' ᾗ γνώσει ἀναπαύεται ὁ Θεὸς, ἀϊδίων γενομένων διὰ τῆς γνώσεως τῶν ἐγνωκότων. Καὶ μήτι τὸ, *Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ*, οὕτως ἐξακούεται· *Ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο*, τουτέστιν, ἐν τῷ Θεῷ τῷ πλησίον Θεὸς, ὡς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ *Ἠλί, Ἠλί* (82), ἀντὶ τοῦ, *Θεέ μου, Θεέ μου*. Καὶ τὸ *ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου*, οἱ τελειωθέντες εἰσὶν ἐξ ἀνθρώπων, ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, εἰς τὴν πρωτόκτιστον τῶν ἀγγέλων φύσιν. Οἱ γὰρ ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀγγέλους μεταστάντες χίλια ἔτη μαθητεύονται ὑπὸ τῶν ἀγγέλων, εἰς τελειότητα ἀποκαθιστάμενοι· εἶτα οἱ μὲν διδά-

367 LVII. Sunt itaque, secundum Apostolum, creationis primæ angeli, qui in summa arce collocati sunt; hi vero throni sint; quamvis virtutes sunt primo creati, quippe in iis quiescit Deus, sicuti etiam in fidelibus. Unusquisque enim secundum profectum proprium, propriam etiam de Deo scientiam habet; in qua quidem scientia conquiescit Deus, ac illi æternitatem consecuti sunt, propter scientiam, qua sunt prædili. Et, an comma: *In sole posuit tabernaculum suum*, sic sit intelligendum: *In sole posuit*, hoc est in Deo qui est proximus Deus; sicut est in Evangelio: *Eli, Eli* [c], pro eo nimirum, *Deus meus, Deus meus*. Insuper hoc, ✠ *Super omnem principatum, et potestatem, ac virtutem, et omne nomen quod nominatur*, hi sunt, qui ex hominibus angeli et archangeli perfecte constituti, uti demum naturam creationis primæ angelorum consequantur. Quippe qui ex hominum in an-

[a] Matth. XIII, 43. [b] Gen. I, 18. [c] Matth. XXVII, 46. ✠ P. ~~994~~ 1004 ED. POTTER.

(78) *Παρουσίαν κατάστασιν*. Corrupte utrobique. SYLBURG. —Legendum videtur παρουσίαν κατάστασιν. Paulo ante Sylburgio visum est legi debere ordine inverso, τῷ παρῳχηκότι ἀντὶ τοῦ ἐνεστῶτος· id certe innuunt sequentia.

(79) *Ἀποκαταστησόμενος*. Flor., ἀποκαταστησόμενοι. Quæ lectio non male congruit. Nostræ scripturæ, singulari numero, cohærentia hæc est, cum præcedentibus, Ὁ Κύριος ἐλεύσεται, καὶ (i.e *etiam*) τοὺς δικαίους, τοὺς πιστοὺς (sequentia enim sunt parentheta), εἰς τὴν αὐτὴν ἑνότητα ἀποκαταστησόμενος. Forsan etiam sequentia sic legenda: Ἀλλ' ὁ μὲν ὡς κεφαλὴ, οἱ δὲ ὡς μέλη. Καὶ τούτων οἱ μὲν ὡς ὀφθ. SYLBURG.

(80) *Μεθ' ἡλίου*. Forte καθ' ἡλίου, vel ἐφ' ἡλίου, *in sole*; ut paulo infra. Sequentia sic interpolabuntur paulo melius: ταγήσονται ἓν, ὥσπερ κεφαλὴ σώματος, ὄντος ἑνὸς, ὁ ἥλιος, ἐσόμενοί ποτε κατά τινα περίοδον καὶ αὐτοὶ ἄρχοντες ἡμερῶν. SYLBURG.

(81) *Ἀφίκονται*. Non minus aptum fut. tempus ἀφίξονται. ID.

(82) *Ἠλί*, Quasi quidem ἐν τῷ Ἠλί. Hebraico אֵלִי, quod solem significaret. SELD. Mira Hebraici sermonis inscitia, illa τοῦ ἡλίου, et Ἠλεί evangelici conjugatio: ut et quod Romani milites, illa voce Eliam appellasse Dominum in cruce putaverunt. COMBEF.

Digitized by Google

gelorum statum transeunt, sub angelorum institutione, mille annos erudiuntur, ad perfectionem quidem reversi ac determinati. Dein, qui docendi munus in se susceperunt, in potestatem archangelicam transeunt : qui vero discendi partes perfecerunt, illos rursus, qui ex hominibus ad angelos transeunt, erudiendos suscipiunt; sic postea periodis certis jam dictis in propriam angelicamque corporis stationem constituuntur.

A ξαντες μετατίθενται εἰς ἀρχαγγελικὴν ἐξουσίαν· οἱ μαθόντες δὲ τοὺς ἐξ ἀνθρώπων αὖθις μεθισταμένους εἰς ἀγγέλους μαθητεύουσιν· ἔπειτα οὕτως περιόδοις ῥηταῖς ἀποκαθίστανται τῇ οἰκείᾳ τοῦ σώματος ἀγγελοθεσίᾳ.

LVIII. *Lex Domini immaculata convertens animas* [a]. *Lex* ac *Verbum*, ipse Salvator dicitur, prout asserit Petrus in *Prædicatione;* imo propheta : *De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem* [b].

NH'. *Ὁ νόμος τοῦ Θεοῦ ἄμωμος* (83), *ἐπιστρέφων ψυχάς. Νόμος* καὶ Λόγος, αὐτὸς ὁ Σωτὴρ λέγεται, ὡς Πέτρος ἐν *Κηρύγματι*· καὶ ὁ προφήτης· *Ἐκ γὰρ Σιὼν ἐξελεύσεται νόμος, καὶ Λόγος Κυρίου ἐξ Ἰερουσαλήμ.*

LIX. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.* Testamentum Domini verum, *sapientiam præstans parvulis;* his nimirum qui ab B omni malitia sunt immunes; tum apostolis, dein et nobis. Insuper et ipsum Domini testimonium, quo post passionem a mortuis resurrexit, illud ipsum, revera verum cum esset, ad firmitatem fidei Ecclesiam adduxit.

NΘ'. *Ἡ μαρτυρία Κυρίου πιστὴ, σοφίζουσα νήπια*· ἡ Διαθήκη Κυρίου ἀληθὴς, σοφίζουσα νηπίους, τοὺς ἀκάκους, τούς τε ἀποστόλους, ἔπειτα καὶ ἡμᾶς. Ἀλλὰ καὶ ἡ αὐτοῦ τοῦ Κυρίου μαρτυρία καθ' ἣν παθὼν ἀνέστη, ἀληθὴς γενομένη κατὰ τὸ ἔργον αὐτὸ, εἰς βεβαίωσιν πίστεως ἤγαγε τὴν Ἐκκλησίαν.

LX. *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi.* Illos qui a timore ad fidem conversi sunt ac justitiam, in sæculum permanere asserit. *Judicia Domini vera*, firma, immobiliaque, quæ mercedem justam concedunt, et quæ in unitatem fidei justos constituunt. Quippe hoc indicat, quod dicitur : *Justificata in semetipsa* [c]. *Super aurum ac lapidem pretiosum* hujusmodi sunt desideria [d].

Ξ'. *Ὁ φόβος Κυρίου ἁγνὸς, διαμένων εἰς αἰῶνα αἰῶνος.* Τοὺς ἐκ φόβου εἰς πίστιν ἐπιστραφέντας καὶ δικαιοσύνην, εἰς αἰῶνα παραμένειν λέγει. *Τὰ κρίματα Κυρίου ἀληθινὰ*, βέβαια καὶ ἀμετακίνητα, κατ' ἀξίαν ἀπονεμητικά, καὶ εἰς τὴν ἑνότητα τῆς πίστεως ἀποκαθιστάντα τοὺς δικαίους· τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ, *Δεδικαιωμένα* (84) *ἐπὶ τὸ αὐτό.* Αἱ τοιαῦται ἐπιθυμίαι *ὑπὲρ χρυσίον καὶ λίθον τίμιον.*

LXI. *Etenim servus tuus custodit ea* [e]. Nempe C haud quia servus sicuti David : sed populus omnis qui tandem salutis particeps futurus sit, ex obedientia mandatis præstita, Dei servus vocatus est.

ΞΑ'. *Καὶ γὰρ ὁ δοῦλός σου φυλάσσει αὐτά*· οὐχ ὅτι δοῦλος οἷον Δαβὶδ (85), ἀλλὰ πᾶς ὁ λαὸς ὁ σωζόμενος δοῦλος Θεοῦ, δι' ὑπακοὴν ἐντολῆς κεκλημένος.

LXII. *Ab occultis meis munda me* [f]. Nempe a cogitationibus extra rationem rectam, ac defectibus. Quippe hæc a justo prorsus aliena esse affirmat.

ΞΒ'. *Ἐκ τῶν κρυφίων μου καθάρισόν με*· τῶν ἐννοιῶν τῶν παρὰ τὸν ὀρθὸν λόγον, τῶν ἐγκαταλειμμάτων. Ταῦτα γὰρ ἀλλότρια λέγει δικαίου.

LXIII. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* [g]. Perinde quasi dixisset ille, Si mei non dominati fuerint, qui me persequuntur sicuti Dominum, non ero immaculatus. Haud enim in martyrum album defertur quis, ni persecutionem passus fuerit : neque justus apparet quis, ni injuriam passus, injuriam ipse parem haud retulerit : nec demum tolerans malorum. . . . . .

ΞΓ'. *Ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, τότε ἄμωμος ἔσομαι*· ἐπίσης τῷ, Ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσιν οἱ διώκοντές με ὥσπερ τὸν Κύριον, οὐκ ἔσομαι ἄμωμος· οὐ γὰρ μάρτυς γίνεταί τις, ἐὰν μὴ διωχθῇ· οὐδὲ δίκαιος φαίνεται, ἐὰν, μὴ ἀδικηθεὶς, μὴ ἀνταδικήσῃ· οὐδὲ μὴν ἀνεξίκακος (86). . . . . .

1005

✠ P. ~~995~~ ED. POTTER. [a] Psal. xviii, 8. [b] Joan. ii, 3. [c] Psal. xviii, 10. [d] Ibid. 12. [e] Psal. cxiii, 16. [f] Psal. xviii, 13. [g] Ibid. 14.

(83) *Ὁ νόμος τοῦ Θεοῦ ἄμωμος.* Vulg. Bibl. psalmo xviii : Ὁ νόμος Κυρίου ἄμωμος. SYLBURG.

(84) *Τοῦτο... Δεδικαιωμένα.* Hæc parenthesi includenda sunt.

(85) *Δοῦλος οἷον Δαβίδ.* Forte δοῦλος ἦν ὁ Δαβίδ, *servus erat David.* Qui mox sequitur locus e Petri concione, citatus etiam supra, p. 168 et 154. SYLBURG.

(86) *Ἀνεξίκακος.* In excerptis Augustanis itidem manca est hujus xviii psalmi enarratio. Sequitur in eisdem excerptis fragmentum psalmi xix, hoc videlicet, ut H. notavit; Κύριε, σῶσον τὸν βασιλέα, τουτέστι τὸν εἰς βασιλέα κεχρισμένον λαόν. Οὐ γὰρ μόνον τὸν Δαβίδ. Διὸ καὶ ἐπάγει· Καὶ ἐπάκουσον ἡμῶν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπικαλεσώμεθά σε. Τὸ ἀναβῆναι ἐπὶ τὴν καρδίαν τὸ καλὸν ὑπὸ τῆς Γραφῆς λέγεται, καὶ τὸ νικῆσαι τὴν καλὴν βουλήν. Quæ an digna sint Clemente penes acutiores esto judicium. SYLBURG.

Note of Sylburg here omitted, in reference to the heresies of Clement.

Digitized by Google

CLEMENTIS ALEXANDRINI FRAGMENTA.

I.

✠ ADUMBRATIONES IN PRIOREM D. PETRI EPISTOLAM.

Hæc Commentariola in priorem Epistolam canonicam S. Petri, Epistolam S. Judæ, et duas Epistolas S. Joannis, Cassiodorus transtulisse videtur; illorum quidem meminit, lib. *Divinarum lectionum*, ubi ait : *Clementem Alexandrinum Epistolam S. Petri primam, S. Joannis primam et secundam, et Jacobi* (rectius *Judæ*), *Attico sermone declarasse.* Addit porro, quod si quidem Clemens ibi *multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus est, se ita transferri fecisse in Latinum, ut, exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina ejus securior possit hauriri.* Nimirum se profitetur, non tam interpretis quam censoris jure usum; et pessimo, utinam et singulari, exemplo, cum errores libello eximendos satageret, auctoritatem penitus labefactasse. Opus hoc in Bibliothecis Patrum, sub *Adumbrationum* nomine comparet, quo titulo laudatur a Fabro Stapulensi, in *Commentariis in Epistolas catholicas*, quem etiam titulum sortitur in codice ms. vetutissimo cœnobii S. Mariæ Montis Dei, referente Philippo Labbeo in *Dissert. hist. de script. eccles.* Hosce commentarios partem fuisse Ὑποτυπώσεων Clementinarum, et par est credere Cassiodorum, qui στρωματέα *contextorem* vertit, ὑποτυπώσεις *adumbrationes* reddidisse. Ex iisdem *Hypotyposeon* fontibus accipimus fragmentum illud non contemnendum, quod Nicetæ Catena Græc. Patr. in Job, ex Bodleiana nostra bibliotheca ante aliquot annos per Patricium Junium edita, nobis conservavit : cui et illa succedunt quæ habentur in Catena in Lucam, quam Corderius Latine edidit. FELL.

368 ✠ Cap. I, vers. 3.—*Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui per magnam misericordiam suam regeneravit nos.* Si etenim Deus nos genuit ex materia, postea vero secundum profectum vitæ regeneravit. *Pater Domini nostri per resurrectionem Jesu Christi;* secundum fidem vestram resurgentis in nobis. Sicut e contrario moritur in nobis, id nostra infidelitate faciente. Dicebat autem iterum, nunquam reverti secundo ad corpus animam in hac vita; neque injustam fieri quæ angelica facta est, neque malignam, ne iterum occasionem peccandi per susceptionem carnis accipiat : in resurrectione autem, utramque in corpus reverti, conjunguntur sibimet invicem juxta genus proprium, secundum compositionem alterius se quadam congruentia coaptantes sicut sagena, vel ædificatio lapidum. Propterea Petrus inquit (cap. II, v. 5) : *Et vos ipsi sicut lapides vivi ædificamini domus spiritalis;* custoditum scilicet in cœli locum significans sedis angelicæ. *In vos*, inquit (cap. I, v. 5, 9), *qui virtute Dei conservamini fide ac speculatione, percepturi finem fidei vestræ animarum salutem.* Hinc apparet quoniam non est naturaliter anima incorruptibilis, sed gratia Dei, per fidem et justitiam, et per intellectum perficitur incorruptibilis. *De qua salute*, inquit (v. 10), *exquisierunt et scrutati sunt prophetæ*, et cætera quæ sequuntur. Declaratur per hoc, cum sapientia locutos esse prophetas, et spiritum in eis Christi fuisse secundum possessionem et subjectionem Christi, per archangelos enim et propinquos angelos qui Christi vocantur spiritus, operatur Dominus. *Quæ nunc*, inquit (v. 12), *annuntiata sunt vobis per eos qui vobis evangelizaverunt.* Vetera, inquit, quæ per prophetas facta sunt et plurimos latent, nunc vobis revelata sunt per evangelistas. *Vobis enim*, inquit (ibid.), *manifesta sunt per Spiritum sanctum qui missus est :* hoc est Paracletum, de quo Dominus dixit : *Nisi ego abiero, ille non veniet* [a]. *In quem concupiscunt*, inquit (ibid.), *angeli prospicere;* non angeli apostatæ, sicut plurimi suspicantur; sed quod verum est ac divinum, angeli qui desiderant profectum perfectionis illius adipisci. *Sanguine*, inquit (v. 19), *pretioso, sicut agni incontaminati et immaculati.* Hic tangit Leviticas et sacerdotales antiquas celebrationes : significat autem animam mundam per justitiam, quæ offertur Deo. *Præcogniti quidem*, inquit (v. 20), *ante constitutionem mundi.* Primo quippe præcognitus ante omnem creaturam quod erat Christus. *Manifestati autem in novissimis*, per generatum corpus. *Regenerati non ex semine corruptibili* (v. 23). Corruptibilis igitur est anima quæ cum corpore simul profunditur, ut quidam putant. *Verbum autem Domini*, inquit (v. 25), *permanet in æternum;* tam prophetia quam divina doctrina. (Cap. II, v. 9) : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Quoniam vero electum genus sumus Dei electione, abunde clarum est. Regale autem dixit, ✠ quoniam ad regnum vocati sumus, et sumus Christi. Sacerdotium autem propter oblationem quæ fit orationibus et doctrinis, quibus acquiruntur animæ quæ offeruntur Deo. *Qui cum*

✠ P. 996 (1006) ED. POTTER. [a] Joan. XVI, 7. ✠ P. 997 (1007) ED. POTTER.

Digitized by Google

malediceretur, inquit (v. 23), *non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur.* Dominus hoc utique per bonitatem atque patientiam. *Tradebat autem judicanti se injuste* (ibid.), sive semetipsum, ut sit hyperbaton hoc modo se habens : tradebat autem semetipsum secundum injustam legem judicantibus; quia inutilis illis erat, utpote justus exsistens : vel tradebat Deo injuste judicantes, id est eos qui eum nequissime condemnabant, et gratis neci ejus instabant, ut supplicia perpetientes, erudiantur. *Qui enim vult vitam*, inquit (cap. III, v. 10), *diligere, et videre dies bonos;* hoc est qui vult æternus et incorruptibilis fieri. Vitam vero, Dominum dicit; dies autem bonos, hoc est sanctos. *Quia oculi*, inquit (v. 11), *Domini super justos, et aures ejus in preces eorum.* Multiformem Spiritus sancti speculationem significat : *Vultus autem Domini super facientes mala* (v. 12), hoc est sive judicium, sive ultio, sive manifestatio. *Dominum vero Christum*, inquit (v. 15), *sanctificate in cordibus vestris.* Sic habes etiam in oratione Dominica : *Sanctificetur nomen*, inquit, *tuum* [a]. *Christus enim*, inquit (v. 18), *semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu.* Hæc ad fidem eorum redigens dicit. Hoc est : in nostris vivificatus est spiritibus. *Adveniens*, inquit (v. 20), *prædicavit eis qui quondam erant increduli;* speciem quidem ejus non viderunt, sonum vero vocis audierunt. *Cum sustinet*, inquit (ibid.), *Dei longanimitas.* Ita est bonus Deus, ut etiam per eruditionem salutis operetur effectum. *Per resurrectionem*, inquit (v. 21), *Jesu Christi;* scilicet quæ per fidem in nobis effecta est. *Subjectis sibi angelis* (v. 22), qui sunt primus ordo : et subditis *potestatibus*, qui sunt secundi ordinis : subditis quoque *virtutibus*, quæ ad tertium ordinem pertinere declarantur. *Qui reddent*, inquit (cap. IV, v. 5), *rationem ei qui paratus est judicare vivos et mortuos.* Hi secundum præcedentia judicia erudiuntur. Ob hoc etiam subjungit (v. 6) : *Propter hoc enim et mortuis evangelizatus est*, nobis qui quondam videlicet exstabamus infideles. *Ut judicentur quidem secundum hominem*, inquit (ibid.), *in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu.* Qui a fide videlicet exciderunt; dum adhuc in carne sunt, judicantur secundum judicia præcedentia ut pœniteant. Idcirco et subnectit, dicens : *Vivant in spiritu secundum Deum.* Sic Paulus quoque; nam et ipse tale aliquid dicit quem *tradidi* (inquiens *Satanæ, ut vivat spiritu* [b]. (Cap. IV, v. 10) : *Sicut boni*, videlicet *dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Similiter et Paulus : *Multifarie*, inquit, *et multis modis Deus olim locutus est patribus nostris* [c]. *Gaudete*, inquit (v. 13), *communicantes passionibus Christi :* hoc est si justi estis, propter justitiam patimini, sicut Christus pro justitia passus est. *Beati*, inquit (v. 14), *quoniam qui est ejus honoris, et virtutis Dei Spiritus, super vos requiescit.* Hoc possessivum, *ejus*, et angelicum spiritum significat : gloria quippe Dei, illi sunt per quos secundum fidem et justitiam glorificatur ad gloriam honorabilem, secundum profectum introductorum fidelium. Potest etiam sic intelligi *Spiritus Dei super nos;* hoc est, qui secundum fidem animæ supervenit, veluti venustas quædam mentis et animi pulchritudo. *Quoniam*, inquit (v. 17), *tempus judicii inchoandi a domo Domini.* His enim, in persecutionibus constitutis, judicium consequetur. *Deus autem*, inquit (cap. V, v. 10), *totius gratiæ.* Totius gratiæ dixit, quoniam bonus est, et omnium bonorum dator est ipse. *Salutat vos Marcus filius meus* (v. 14). Marcus Petri sectator, palam prædicante Petro Evangelium Romæ coram quibusdam Cæsareanis equitibus, et multa Christi testimonia proferente; penitus ab eis ut possent quæ dicebantur memoriæ commendare, scripsit ex his quæ Petro dicta sunt, Evangelium quod secundum Marcum vocitatur. Sicut Lucas quoque, et Actus apostolorum stylo exsecutus agnosceret, et Pauli ad Hebræos interpretatus Epistolam.

II.

EJUSDEM ADUMBRATIONES IN EPISTOLAM JUDÆ.

369 Judas, qui catholicam scripsit Epistolam, frater filiorum Joseph exstans, valde religiosus; cum sciret propinquitatem Domini, non tamen dixit se ipsum fratrem ejus esse; sed quid dixit (cap. I, v. 1) *Judas servus Jesu Christi*, utpote Domini; *frater autem Jacobi.* Hoc enim verum est; frater erat ejus, Joseph. *Subintroierunt enim quidam*, inquit (v. 4), *homines impii qui olim præscripti et prædestinati erant in judicium Dei nostri*, non ut fiant impii, sed exsistentes jam impii, in judicium præscripti sunt. *Quoniam Dominus Deus semel populum*, inquit (v. 5), *de terra Ægypti liberans, deinceps eos* ✠ *qui non crediderunt, perdidit;* ut eos videlicet per supplicium erudiret. In præsenti quippe tempore puniti sunt et perierunt propter eos qui salvantur, donec convertantur ad Dominum. *Angelos vero*, inquit (v. 6) *qui non servaverunt proprium principatum*, scilicet quem acceperunt secundum profectum, *sed dereliquerunt*, inquit (ibid.), *suum habitaculum*, cœlum videlicet ac stellas significans, apostatæ facti sunt et

[a] Matth. VI, 9. [b] I Cor. V, 5. [c] Heb. I, 1. ✠ P. ~~998~~ 1008 ED. POTTER.

Digitized by Google

vocati. *In judicium*, inquit (ibid.), *magnæ diei vinculis perpetuis sub caligine reservavit.* Vicinum terris locum, hoc est caliginosum aerem significat. Vincula vero dixit amissionem honoris in quo constiterant, et cupiditatem infirmarum rerum; cupiditate quippe devincti propria, converti non queunt. *Sicut Sodoma*, inquit (v. 7), *et Gomorrha.* Quibus significat Dominus remissius esse, et eruditos pœnituisse. *Similiter iisdem*, inquit (v. 8), *et hi somniantes*, hoc est qui somniant imaginatione sua libidines et reprobas cupiditates, bonum esse putantes, non illud quod vere bonum est, et omni bono superius. *Carnem quidem*, inquit (ibid.), *maculant, dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant;* hoc est solum Dominum qui vere Dominus noster est, Jesus Christus, et solus laudabilis. *Majestatem*, inquit, *blasphemant*, hoc est angelos. (V. 9) : *Quando Michael archangelus cum diabolo disputans, altercabatur de corpore Moysis :* hic confirmat assumptionem Moysis. Michael autem hic dicitur qui per propinquum nobis angelum altercabatur cum diabolo. *Hi autem*, inquit (v. 10), *quæcunque quidem ignorant, blasphemant. Quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia noverunt, in his corrumpuntur.* Significat eos comedere ac bibere, et rebus venereis indulgere, et alia eos perpetrare dicit quæ sunt communia cum animalibus ratione carentibus. *Væ illis*, inquit (v. 11), *quia in via Cain abierunt.* Sic etiam peccato Adæ subjacemus secundum peccati similitudinem. *Nubes*, inquit (v. 12), *sine aqua;* hoc est, qui verbum divinum et fecundum in se non possident. *Ob hoc*, inquit (ibid.), *et a ventis, et spiritibus violentis, hujusmodi circumferuntur homines. Arbores*, inquit (ibid.), *autumnales infructuosæ*, et infideles videlicet, qui nullum fructum fidelitatis apportant. *Bis*, inquit (ibid.), *mortuæ;* semel scilicet quando delinquendo peccarunt; secundo vero, quando suppliciis contradentur secundum prædestinata Dei judicia : mors quippe reputanda est, etiam quando quisque hæreditatem non continuo promereretur. *Fluctus*, inquit (v. 13), *ferocis maris.* His verbis vitam gentilem significat, quorum ambitionis abominabilis est finis. *Sidera errantia*, hoc est errantes et apostatas significat, ex hujusmodi stellis sunt, qui angelorum cecidere de sedibus, *quibus*, propter apostasiam, *caligo tenebrarum reservatur in sempiternum. Prophetavit autem de his septimus*, inquit (v. 14), *ab Adam Enoch.* His verbis prophetiam comprobat. *Isti*, inquit (v. 19), *segregantes*, fideles ab infidelibus, secundum propriam infidelitatem redarguti. Et iterum discernentes a carnibus. *Animales*, inquit (ibid.), *Spiritum non habentes :* Spiritum scilicet qui est per fidem secundum usum justitiæ superveniens. *Vos autem*, inquit (v. 20), *charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissima vestra fide in Spiritu sancto. Quosdam autem*, inquit (v. 21), *salvate de igne rapientes* (v. 22), *quibusdam vero miseremini in timore*, id est eos qui in ignem cadunt, doceatis ut semetipsos liberent. *Odientes*, inquit (v. 23), *eam quæ carnalis est maculatam tunicam;* animæ videlicet tunica macula est, spiritus concupiscentiis pollutus carnalibus. *Ei autem*, inquit (v. 24), *qui potens est conservare vos sine offensione, et constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in lætitia.* In conspectu gloriæ suæ dicit, coram angelis. Immaculatos autem constituendos, angelos factos, cum dicit Daniel de populo, et venit in conspectu Domini, non hoc dicit quoniam vidit Deum; hoc enim impossibile est ut quisque non mundo corde videat Deum : sed hoc dicit, quia cuncta quæcunque faciebat populus, in conspectu erant Dei, et manifesta illi constabant; hoc est quoniam nihil absconditum est a Domino. In Evangelio vero secundum Marcum interrogatus Dominus a principe sacerdotum *si ipse esset Christus Filius Dei benedicti; respondens dixit : Ego sum, et videbitis Filium hominis a dextris sedentem virtutis* [a]. *Virtutes* autem significant sanctos angelos. Proinde etiam cum dicit *a dextris Dei*, eosdem ipsos dicit propter æqualitatem et similitudinem angelicarum sanctarumque virtutum qui nominantur nomine Dei. Eum ergo *sedere in dextra* dicit, hoc est in eminenti honore requiescere. In aliis autem Evangeliis dicitur principi sacerdotum interroganti si ipse esset Filius Dei, non e contra respondisse. Sed quid dixit? *Vos dicitis* [b]. Satis bene respondens. Si enim diceret, sicut vos intelligitis, mentiretur utique non se confitens Filium Dei, illi non ita de illo sentiebant; dicens autem, *vos dicitis*, vere locutus est. Quod enim non sapiebant, verbis dicebant, hoc ille verum esse confessus est.

III.

EJUSDEM ADUMBRATIONES IN EPISTOLAM I JOANNIS.

370 ✠ Cap. I, v. 1 — *Quod erat ab initio, quod vidimus oculis nostris, quod audivimus.* Consequens Evangelium secundum Joannem, et conveniens etiam hæc Epistola principium spiritale continet. Quod ergo dicit *ab initio*, hoc modo presbyter exponebat, quod principium generationis separatum ab opificis principio non est. Cum enim dicit *quod erat ab initio*, generationem tangit sine principio Filii cum Patre simul exstantis : erat ergo Verbum æternitatis significativum non habentis initium, sicut etiam Ver-

[a] Marc. XIV, 61-62. [b] Matth. XXVI, 64. ✠ P. ~~999~~ 1009 ED. POTTER.

Digitized by Google

bum ipsum, hoc est Filius Dei secundum æqualitatem substantiæ unum cum Patre consistit, sempiternum est et infectum : quod semper erat Verbum, significatur dicendo, *in principio erat Verbum* [a]. Quod vero dixit, *quod vidimus oculis nostris*, Domini significat in carne præsentiam, *et manus*, inquit (ibid.), *nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Non solum carnem ejus, sed etiam virtutes ejusdem Filii significat, sicut radius solis usque ad hæc infima loca pertransiens, qui radius in carne veniens palpabilis factus est discipulis. Fertur ergo in traditionibus, quoniam Joannes ipsum corpus quod erat extrinsecus tangens, manum suam in profunda misisse, et ei duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli. Propter quod et infert : *Et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ* : contrectabilis utique factus est qui venit in carne, sicut *et vita quæ manifestata est* (v. 2). Nam et in Evangelio sic dicit : *Et quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum* [b]. *Et nuntiamus*, inquit (ibid.), *vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem, et palam facta vobis*. Patris appellatione significat, quoniam et Filius semper erat sine initio. *Quia Deus*, inquit (v. 5), *lumen est* ; non essentiam divinam exprimit, sed declarare volens majestatem Dei, quod melius est et excellentius apud homines proprie divinitati coaptavit. Sic et Paulus *lumen* vocans *inaccessibile* [c]. Sed et ipse Joannes in eadem ipsa Epistola, *Charitas*, inquit, *Deus est* [d] ; virtutes significans Dei, quoniam clemens est et misericors, et quia lumen, hoc est justos secundum profectum animi per charitatem constituit. Lumen ergo Deus qui est inenarrabilis secundum rationem substantiæ : *Et tenebræ*, inquit (ibid.), *in eo sunt nullæ*, hoc est nulla iracundia, nulla passio, nulla circa quemquam mali retentio nullum perdens, sed cunctis salutem tribuens. Lumen autem significat, vel præcepta legis, vel fidem, vel doctrinam. Tenebræ vero horum contraria, non veluti altera via sit. Una quippe via est secundum præcepta divina. Monas namque Dei opus est, dyas autem et quidquid præter monadem constat, ex vitæ perversitate contingit. *Et sanguis Filii ejus*, inquit (v. 7), *mundat nos*. **371** Doctrina quippe Domini quæ valde fortis est, sanguis ejus appellata est. *Quod si dixerimus quod non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis* (v. 9). Doctrina ejus, videlicet sive verbum, veritas est. *Et si quis*, inquit (cap. II, v. 1), *peccaverit, consolatorem habemus ad Patrem Jesum Christum*. Sicut enim apud Patrem consolator est pro nobis Dominus ; sic etiam consolator est quem post assumptionem suam dignatus est mittere. Hæ namque primitivæ virtutes ac primo creatæ, immobiles exsistentes secundum substantiam et cum subjectis angelis et archangelis, cum quibus vocantur æquivoce, diversas operationes efficiunt. Sic etiam et Moyses Michael angeli virtutem per vicinum sibi et infimum angelum vocat. Similiter quoque in prophetis sanctis invenimus, sed Moysi quidem propinquus ac vicinus angelus apparuit. Exaudivit eum, et locutus ei Moyses, manifeste facie ad faciem. Aliis autem prophetis secundum operationem angelorum motus quidam fiebat, veluti audientium ac videntium. Idcirco et soli audiebant, solique cernebant, sicut et in Samuele manifestatur [e] ; Elisæus etiam solus audiebat vocem, qua vocatus est [f]. Si autem esset manifesta et communis vox, ab omnibus præsentibus audiretur ; nunc autem a solo in quo operabatur motus qui ab angelo fiebat, audita est. *Non solum autem*, inquit (v. 2), *pro nostris peccatis* Dominus propitiator est, hoc est fidelium, *sed etiam pro toto mundo* ; proinde universos quidem salvat, sed alios per supplicia convertens, alios autem spontanea assequentes voluntate, et cum honoris dignitate, *ut omne genu flectatur ei, cœlestium, terrestrium et infernorum* [g] ; hoc est angeli, homines et animæ quæ ante adventum ejus de hac vita migravere temporali. *Et in hoc cognoscimus quoniam novimus eum, si mandata ejus custodiamus* (v. 3) ; qui enim *intellector* est, utique et opera perficit quæ pertinent ad virtutis officium. Qui vero opera perficit, ✠ non continuo etiam *intellector* (87) est. Potest enim esse rectarum operationum, non tamen intelligibilium sacramentorum cognitor ; demum sciens quædam opera perfici timore supplicii, quædam vero propter repromissionem remunerationis, docet, perfectionem intellectualis hominis per charitatem opera complentis : proinde subjungit ac dicit (v. 5) : *Qui vero custodit verbum ejus vere ; in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc enim cognoscimus, quoniam in ipso sumus* secundum fidem et secundum charitatem. *Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habuistis a principio* (v. 7), per legem scilicet et prophetas. Ubi dicitur *unus est Deus*. Idcirco et infert (ibid.) : *Quoniam mandatum vetus est verbum quod audistis*. Iterum autem dicit (v. 8) : *Mandatum autem hoc est quod tenebræ transierunt*, perversionis scilicet, *et lumen verum ecce jam claruit* ; secundum fidem scilicet, secundum intellectum, secundum testamentum, secundum præparata judicia in hominibus operans. *Qui dicit se*, inquit (v. 9), *in lumine esse*, in lumine dicit in veritate. *Et fratrem suum*, inquit (ibid.), *odit*. Fratrem videlicet dicit non solum proximum, sed et Dominum. Oderunt enim eum infideles, et non custodientes mandata ejus. Propter quod etiam infert (v. 10) : *Qui diligit fratrem suum, in lumine permanet, et scandalum in eo non est*. Deinde profectus et pro-

✠ P. 1000. ED. POTTER. [a] Joan. I, 1 [b] Ibid. 3, 4. [c] I Tim. VI, 16. [d] I Joan. IV, 16. [e] I Reg. III, 3 seqq. [f] I.I Reg. XIX. [g] Phil. II, 10.

(87) Gnosticus, ex Clementis dialecto.

Digitized by Google

vectiones significat animarum adhuc in carne positarum, et *filiolos* quidem vocare eos quibus sunt remissa peccata propter nomen Domini; nam multi solo credunt nomine. *Patres* autem perfectos appellat, eos qui *intellexerunt quod erat ab initio, et intelligibiliter perceperunt* (v. 13). Filium videlicet de quo supra dixit, *quod erat ab initio. Scribo*, inquit (ibid.), *vobis, juvenes, quia vicistis malignum.* Fortes juvenes contemnentes voluptates; *malignum* diaboli extollentiam significat. Filii autem cognoscunt Patrem, utpote qui ab idolis confugerunt, et ad unum Deum convocati sunt. *Quoniam mundus*, inquit (v. 15), *in maligno est.* Nonne mundus et omnia quæ in mundo sunt, creatura Dei dicuntur, et hæc valde bona? *Sed concupiscentia carnis et oculorum, et ambitio sæculi* (v. 16), quæ ex vitæ perversione contingunt, *non ex Patre, sed ex mundo est*, et ex vobis. *Idcirco et mundus pertransiet et concupiscentia ejus* (v. 17): *qui vero fecerit voluntatem Dei* et mandata ejus, *permanet in æternum. Ex nobis*, inquit (v. 19), *exierunt, sed non erant ex nobis;* neque angeli apostatæ, neque homines cadentes, *sed ut manifestentur quoniam non sunt ex nobis* (88). Clare satis discernit genus electorum et perditorum, et illud quidem quod in fide permanens, unctionem habet a sancto, quæ fit secundum fidem. Qui vero non permanet in fide, mendax est, et antichristus. *Qui dicit*, inquit (v. 22), *quia Jesus non est Christus.* Jesus enim Salvator et liberator et Christus rex: *qui negat Filium* (v. 23), ignorando eum, *nec Patrem habet*, neque cognoscit eum. Qui vero cognoscit Filium et Patrem secundum scientiam novit; cum manifestatus fuerit Dominus, in secundo adventu, fiduciam habebit, et non confundetur. Quæ confusio est grande supplicium. *Omnis*, inquit (v. 29), *qui facit justitiam, ex Deo natus est*, secundum fidem scilicet renatus. (Cap. III, v. 1): *Propterea mundus non cognoscit nos, quoniam nec eum cognovit.* Mundum dicit sæculariter in deliciis viventes. *Dilectissimi*, inquit (v. 2), *nunc filii Dei sumus*, non naturali dilectione: sed quia patrem Deum habemus. Major quippe est charitas, ut cum nullam cognationem habeamus ad Deum, diligit nos tamen, et filios suos vocat. (Ibid.): *Et necdum claruit quod erimus:* hoc est ad qualem perventuri sumus gloriam: *Si enim manifestatus fuerit*, hoc est, si perfecti fuerimus, *similes ei erimus*, veluti requiescentes et justificati mundi in virtute, *ut ipsum* vultum ejus *videamus sicuti est*, comprehensibiliter. (V. 8): *Qui vero facit injustitiam, ex diabolo est*, hoc est ex *patre diabolo:* eamdemque consectans et eligens. *Ab initio*, inquit (ibid.), *diabolus peccat.* Ab initio scilicet a quo peccare cœpit inconvertibiliter in peccando perseverans. *Omnis*, inquit (v. 9), *qui natus ex Deo est, non peccat, quia semen ejus in eo manet.* Verbum ejus videlicet in eo qui secundum fidem renatus est. (V. 10): *Sic filios Dei intelligimus sicut et filios diaboli*, similia diabolo eligentes; sic etiam ex maligno esse dicitur. (V. 15): *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* In hoc enim secundum infidelitatem Christus moritur: recte itaque subjungit dicens (ibid.): *Et scitis quia omnis homicida et infidelis non habet vitam æternam in seipso manentem.* In mente quippe fideli vivens Christi permanet, *ipse enim pro nobis* (v. 16), hoc est pro credentibus, *animam suam posuit;* hoc est pro apostolis. Si ergo pro apostolis animam suam posuit, apostolos autem ejus dicit *semetipsos*, tanquam si diceret, *nos*, inquam, apostoli, propter quos animam suam posuit, *debemus pro fratribus animas ponere* (ib.), salus quippe proximorum, apostolorum erat gloria, *quia major est*, inquit (v. 20), *Deus corde nostro*, hoc est virtus Dei conscientia quæ subsequetur animam, propter quod subjungit et dicit (ibid.): *Quoniam cognoscit omnia.* (V. 21): *Charissimi, si cor nostrum non redarguat nos, fiduciam habebit apud Deum.* (Cap. IV, v. 2): *In hoc cognoscimus quia manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis* secundum episcopatum, scilicet et providentiam futurorum. *Perfecta*, inquit (v. 18), *charitas* ✠ *foras mittit timorem.* Perfectio namque fidelis hominis charitas est. *Iste est*, inquit (cap. V, v. 6), *qui venit per aquam et sanguinem;* et iterum (v. 7), *quia tres sunt qui testificantur, spiritus*, quod est vita, *et aqua*, quod est regeneratio ac fides, *et sanguis*, quod est cognitio, *et hi tres unum sunt.* In Salvatore quippe, istæ sunt virtutes salutiferæ, et vita ipsa in ipso Filio ejus exsistit. (V. 14): *Et hæc est confidentia quam habemus ad eum, quia si quid petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos.* Non absolute dixit quod petierimus, sed quod oportet petere. (V. 19): *Et mundus omnis in maligno constitutus est;* non creatura, sed sæculares homines, et secundum concupiscentias viventes. (V. 20): *Et Filius Dei venit, et dedit nobis intellectum*, secundum fidem scilicet advenientem in nos, qui etiam Spiritus sanctus appellatur.

IV.

EJUSDEM ADUMBRATIONES IN EPISTOLAM II JOANNIS.

Secunda Joannis Epistola, quæ ad virgines scripta est, simplicissima est. Scripta vero est ad quamdam Babyloniam *Electam* nomine, significat autem electionem Ecclesiæ sanctæ. Astruit in hac Epistola persecutionem fidei extra charitatem non esse, et ut nemo dividat Jesum Christum; sed unum cre-

✠ P. ~~1001~~ 1011 ED. POTTER.

(88) Lapsi et apostatæ.

Digitized by Google

dere Jesum Christum venisse in carne. Nam qui habet Filium in intellectu perceptibiliter, et Patrem quoque cognoscit et magnitudinem virtutis ejus sine initio temporis operantem intelligibiliter mente continet. *Si quis venit ad vos*, inquit (v. 10), *et hanc doctrinam non portat, non suscipiatis eum in domum, et Ave ne dixeritis ei; qui enim dixerit Ave, communicat operibus ejus malignis.* Tales salutare prohibet et in hospitium suscipere. Hoc enim in hujusmodi non est inhumanum, sed nec conquirere vel condisputare cum talibus admonet qui non valent intelligibiliter divina tractare, ne per eos traducantur a doctrina veritatis, verisimilibus inducti rationibus. Arbitror autem, quia et orare cum talibus non oportet, quoniam in oratione quæ fit in domo, postquam ob orando surgitur, salutatio gaudii est et pacis indicium.

V.

ΕΚ ΝΙΚΗΤΟΥ (89) *ΗΡΑΚΛΕΙΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΟΥ ΕΙΣ ΙΩΒ ΕΞΗΓΗΣΕΩΣ.*

EX NICETÆ CATENA IN JOB.

(Cap. 1, vers 21.)

372 Jobi autem verba sic elegantius intelligi possunt: *nudus* a vitio et peccato, quasi *ex utero matris* e terra in initio *formatus sum, nudus in eamdem revertar*; non autem a possessionibus, hoc enim parvum et vulgare esset, sed a vitio et peccato, et a tenebricoso idolo, quod eos excipit qui injuste vixerunt. Juxta vero illud, quod omnibus in promptu ac familiare est, cuncti nascimur nudi, itemque nudi efferimur, fasciis solis, quæ humanis mortuorum corporibus adhibentur, devincti. Etenim vitam Deus nobis aliam præparavit, et præsentem pro curriculi via ad eam instruxit; eas demum pro viatico possessiones constituens, quæ necessitati inservirent: cum hanc vero viam semel emensi fuerimus, facultatum et divitiarum ✠ omnis comitatus nos deserit. Eorum enim, quæ in vita habuimus, nihil nostrum dici potest, una excepta pietate, cujus est nostra certa possessio; hanc mors ingruens nobis non eripiet, rebus autem omnibus aliis quamvis invitos, nos exuet. Opes quidem ad hanc vitam sustinendam accepimus, atque harum solo fructu decerpto, demigrat unusquisque exiguum vitæ monumentum relinquens; hoc demum est felicitatis omnis extremum, hic cunctorum bonorum quæ sunt in vita exitus. Recte igitur infans, ut matris utero caput extulit, non e risu, sed a lamentis statim incipit; flebili enim voce, vitæ propemodum indignatur, quæ exitiosa ac letalia munera, a primo exordio degustanda ei proponit. Simulatque enim editus in lucem et susceptus est, manus pedesque ejus fasciis constringuntur et vinculis impeditus uberibus potitur. O vitæ primordium, mortis prodromum! Nuper est infans ad vitam ingressus, nec interposita

Ἀλλὰ τὰ τοῦ Ἰὼβ κομψότερον μὲν οὕτω νοητέον γυμνὸς κακίας καὶ ἁμαρτίας, ὡς *ἐκ κοιλίας μητρὸς, ἐκ τῆς γῆς κατ' ἀρχὰς διεπλάσθην, γυμνὸς εἰς τὴν γῆν καὶ ἀπελεύσομαι*· γυμνὸς οὐ κτημάτων, τοῦτο γὰρ μικρόν τε καὶ κοινὸν, ἀλλὰ κακίας καὶ πονηρίας, καὶ τοῦ ἐπομένου τοῖς ἀδίκως βιώσασιν ἀειδοῦς εἰδώλου· κατὰ δὲ τὸ πρόχειρον, πάντες ἄνθρωποι καὶ γυμνοὶ γεννώμεθα, καὶ γυμνοὶ πάλιν ἐκφερόμεθα, τοῖς ἐνταφίοις μόνοις σπαργάνοις δεσμούμενοι. Ἄλλον γὰρ ἡμῖν ὁ Θεὸς προηυτρέπισε βίον, καὶ τοῦ πρὸς ἐκεῖνον δρόμου τὴν παροῦσαν ζωὴν ὁδὸν κατεσκεύασε, τὰς παρὰ τῆς κτήσεως χρείας εἰς ἐφόδια μόνον τῆς ὁδοῦ κατατάξας· ταύτην δὲ ἡμῖν τὴν ὁδὸν ἐξελθοῦσιν ὁ τῶν κτηθέντων ἀσυνόδευτος πλοῦτος. Οὐδὲν γὰρ ὧν ἐσχήκαμεν, ἔχομεν ἴδιον, ἐκ κτήματος μόνον τῆς εὐσεβείας ἐσμὲν ἰδιοκτήτορες· ταύτην ἡμᾶς θάνατος ἐπελθὼν οὐ συλήσει, τῶν ἄλλων δὲ ἁπάντων ἐκβαλεῖ καὶ μὴ θέλοντας· εἰς ὑποκατάστασιν γὰρ τὴν βιωτικὴν πάντες παρελάβομεν κτῆσιν, καὶ μόνον ταύτης τὴν χρῆσιν ἕκαστος καρπωσάμενος ἄπεισι, βραχὺ παρὰ τοῦ βίου κομιζόμενος μνῆμα· τοῦτο γὰρ πάσης εὐημερίας τὸ τέλος, τοῦτο τῶν βιωτικῶν ἀγαθῶν τὸ συμπέρασμα. Καλῶς ἄρα τὸ βρέφος, τῆς γαστρὸς παρακύψαν, θρήνων εὐθέως οὐ γέλωτος ἄρχεται· κλαίει γὰρ ὥσπερ τοῦ βίου καταβοῶν, παρ' οὗ θνησιμαίων ἐκ προοιμίων ἀπογεύεται δώρων· τεχθὲν γὰρ χεῖρας εὐθέως σπαργανοῦται, καὶ πόδας, καὶ δεσμοῖς ἐνειλημένον ἀπολαύει τῆς θηλῆς. Ὦ προοιμίου ζωῆς, προδρόμου νεκρώσεως! Ἄρτι τὸ βρέφος εἰς ζωὴν παρελήλυθε, καὶ νεκρῶν εὐθέως αὐτῷ στολισμὸς προσηνέχθη· ὑπομιμήσκει γὰρ τοῦ τέλους τοὺς τεχθέντας ἡ φύσις. Διὸ καὶ τὸ παιδίον γεννηθὲν ἀποδύρεται, καθάπερ τῇ μητρὶ διὰ τοῦ θρήνου βοῶν· Τί με πρὸς ταύτην, ὦ μῆ-

✠ P. 1092 ED. POTTER.

(89) *Ἐκ Νικητοῦ*. Prima fragmenti hujusce sententia occurrit superius in *Strom.* IV, pag. 636: Ἰὼβ δὲ ὁ δίκαιος, Αὐτὸς, φησὶ, γυμνὸς ἐξῆλθον ἐκ κοιλίας μητρός μου, γυμνὸς καὶ ἀπελεύσομαι ἐκεῖ· οὐ κτημάτων γυμνὸς, (τοῦτο μὲν γὰρ μικρόν τε καὶ κοινόν·) ἀλλ' ὡς δίκαιος, γυμνὸς ἄπεισι κακίας τε καὶ ἁμαρτίας. καὶ τοῦ ἐπομένου τοῖς ἀδίκως βιώσασιν ἀειδοῦς εἰδώλου. Quæ sequuntur, non tam ipsius Clementis esse videntur, quam alterius cujuspiam auctoris, cujus nomen e Nicetæ Catena excidit quod in hujusmodi operibus sæpe alias fit.

Digitized by Google

τερ, τὴν ζωὴν ἀπεκύησας, ἐν ᾗ τοῦ ζῆν ἡ προσθήκη προκοπὴ πρὸς τὸν θάνατον; Τί με πρὸς πολυτάραχον αἰῶνα παρήγαγες, ἐν ᾧ τεχθέντι μοι τὰ προοίμια τὰ σπάργανα; Τί με τοιούτῳ παραδέδωκας βίῳ, ἐν ᾧ καὶ νεότης ἐλεεινὴ τρυχομένη πρὸ γήρως, καὶ γῆρας φευκτὸν, ὡς ἐπιθανάτιον; Δεινὸν, ὦ μῆτερ, τοῦ βίου τὸ στάδιον, θάνατον ἔχον τῶν τρεχόντων καμπτῆρα. Πικρὰν τὴν βιωτικὴν ὁδοιποροῦμεν ὁδὸν, τάφον ἔχουσαν τῶν ὁδευόντων κατάλυμα· χαλεπὸν τὸ τῆς ζωῆς διαπλέομεν πέλαγος, ᾅδην γὰρ ἔχει πειρατὴν ἐφεστῶτα. Μόνος ἐν ἅπασι γυμνὸς γεννᾶται ὁ ἄνθρωπος, οὐχ ὅπλον, οὐκ ἔνδυμα συγγεννώμενον σχών· οὐχ ὡς τῶν ἄλλων ζώων ἐλάττων, ἀλλ' ὅπως ἡ μὲν γύμνωσις, καὶ τὸ μηδὲν συνεπάγεσθαι, κατασκευάζῃ σοι μέριμναν· ἡ μέριμνα δὲ τὸ σοφὸν ἐκπομπεύσῃ, τὴν ἀργίαν ἐκβάλῃ, εἰσαγάγῃ τὰς τέχνας δι' ἔνδειαν, γεννήσῃ μηχανῶν ποικιλίας. Ὁ γὰρ γυμνὸς πολυμήχανος, ὥσπερ κέντρῳ τῇ χρείᾳ νυσσόμενος, πῶς ὑετοὺς ἀποφύγῃ, πῶς σοφίσηται κρύος, πῶς πληγὰς ἀντιφράξηται, πῶς γεωργήσῃ τὴν γῆν, πῶς φοβήσῃ θηρία, πῶς δαμάσῃ τὰ δυνατώτερα. Βρεχόμενος, ὀροφὴν ἐτεχνήσατο· ῥιγώσας, ἐπενόησεν ἔνδυμα· πληττόμενος μεμηχάνηται θώρακα· ἀκάνθαις τὰς χεῖρας γυμνὰς ἐν γεωργίαις αἱμάσσων, ἐμελέτησεν ὀργάνων βοήθειαν· γεγυμνωμένος θηρίοις ἑλεῖς βρῶμα, εὗρεν ἐκ φόβου τέχνην, τὰ φοβοῦντα φοβοῦσαν. Ἄλλην ἐξ ἄλλης ἐγέννησεν ἡ γύμνωσις σύνεσιν, ὡς εἶναι καὶ τὴν γύμνωσιν δῶρον καὶ χάριν δεσποτικήν. Γυμνὸς οὖν καὶ ὁ Ἰὼβ καταστὰς χρημάτων, κτημάτων, εὐτεκνίας, πολυτεκνίας, καὶ πάντα ἐν βραχεῖ ἀποβαλὼν, τὴν εὐχάριστον ταύτην φωνὴν ἐξεβόησεν· *Γυμνὸς ἐξῆλθον ἐκ νηδύος, γυμνὸς καὶ ἀπελεύσομαι ἐκεῖ*, πρὸς Θεὸν δηλαδὴ καὶ τὴν μακαρίαν λῆξιν ἐκείνην καὶ ἀνάπαυσιν.

A **mora mortuorum** pannis amicitur : natura enim finis memoriam revocat iis qui nascuntur. Huc pertinet editi infantis ejulatus, flebili quasi voce, apud matrem lamentantis : Cur me in hanc vitam, mater, enixa es, in qua vitæ prorogatio ad mortem est progressio? Cur me in multarum turbarum sæculum introduxisti, in quo mihi nato fasciæ sunt exordia? Cur hujusmodi me vitæ addixisti, in qua et juventus miseranda, ante senium malis attrita et confecta, et senectus, ut exitiosa, fugienda? Formidabile, o mater, et grave est hujus vitæ stadium, cujus meta est currentium interitus. Calamitosam vitæ viam ambulamus, quæ sepulturam habet pro diversorio; difficile atque infestum vitæ pelagus navigamus, cui infernus tanquam pirata, imminet. B Solus ex omnibus homo nudus gignitur, nullo vel armorum vel indumentorum connato genere protectus; non ideo, quod sit cæteris animantibus inferior, sed ut nuditatis nostræ consideratio, et quod nihil in mundum invexerimus, studium in nobis procreet; studium vero et sollicitudo prudentiam pandat, socordiam procul ableget, artes ad vitandam egestatem introducat et artificiorum diversitates progignat. Qui enim nudus est, indigentia tanquam stimulo impulsus, multa invenit et fabricatur, quomodo pluviæ declinandæ, quomodo frigus prudenter arcendum, quomodo ad repellendos ictus muniri oportet, quomodo terra colenda, quomodo feris metus incutiendus, et quomodo robustiora animalia domanda sint. Quamobrem pluvia perfusus tecta fabricavit; frigore vehementiore C afflictus, indumenta excogitavit; ictus ac vulneratus, thoracem invenit; cum manus in agricolatione occupatæ spinis cruentarentur, rusticorum instrumentorum adminiculum excogitavit; nudus ✠ exsistens et esca belluis, artem commentus est, quæ formidabilibus formidinem incuteret. Aliam ex alia solertiam nuditas genuit, ut jam nuditas donum sit Domini, et gratia ab illo concessa. Nudatus igitur Job opibus suis, possessionibus, præclara et numerosa sobole, et brevi spatio his omnibus spoliatus, hac plena grati animi voce exclamavit : *Nudus egressus sum ex utero, nudus etiam revertar illuc*, nimirum ad Deum et beatorum sortem et requiem.

VI.

EX NICETÆ CATENA IN JOB (90).

(Cap. xxiv, v. 7.)

Χρῆμα τῶν ἄλλων ἁπάντων ὅτι μάλιστα τιμαλφέστατον ἡ ἀταραξία· τοιοῦτον ἡμῖν ὁ λόγος ὑπογράφει τὸν μακάριον Ἰώβ. Εἴρηται γὰρ περὶ αὐτοῦ· *Τίς ἀνὴρ ὥσπερ Ἰώβ, πίνων μυκτηρισμὸν ὡς ὕδωρ;* Ἀξιοζήλωτος γὰρ ἀληθῶς, καὶ παντὸς, οἶμαι, θαύματος ἄξιος, εἰ πρὸς τοῦτό τις ἥκει μακροθυμίας, ὡς εὐκόλως δύνασθαι διαθλεῖν τὴν ἐκ τοῦ πλεονεκτεῖσθαι ὀριμεῖαν ἀληθῶς, καὶ οὐ τοῖς τυχοῦσιν εὐκαταγώνιστον λύπην.

D **373** Animi tranquillitas rerum omnium longe pretiosissima est : talem nobis hic tractatus Jobum pro exemplari proponit; dictum enim est de eo : *Quis vir ut Job, bibens subsannationem sicut aquam?* Vere etiam æmulatione et omni admiratione dignus censendus est, si eo tolerantiæ quis pervenerit, ut cum mœrore, ex injuria illata reipsa acerbo, et qui obviis quibusque rebus expugnari non potest, facile certare valeat.

✠ P. 1093 ED. POTTER.

(90) Alia hujus et præcedentis fragmenti versio exstat in Pauli Comitoli Catena in Jobum, ubi de posteriori p. 451 observat, interpretationem hanc Clementis totidem verbis usurpatam esse a Cyrillo Alex., sub cujus nomine exstat in Catena Niceæ.

Digitized by Google

VII.

EX NICETÆ CATENA IN MATTHÆUM.

(Cap. v, v. 42.)

Eleemosynæ faciendæ, at cum judicio, et iis qui digni sunt, ut retributionem inveniamus Altissimi. Væ autem habentibus, et hypocrisi accipientibus, aut sese ipsos juvare valentibus, et ab aliis auxilium emendicare volentibus. Qui enim habuerit, ac per hypocrisim aut desidiam acceperit, condemnabitur.

Ποιητέον ἐλεημοσύνας, ἀλλὰ μετὰ κρίσεως, καὶ τοῖς ἀξίοις, ἵνα εὕρωμεν ἀνταπόδομα παρὰ τοῦ Ὑψίστου. Οὐαὶ δὲ τοῖς ἔχουσι, καὶ ἐν ὑποκρίσει λαμβάνουσιν, ἢ δυναμένοις βοηθεῖν ἑαυτοῖς, καὶ λαμβάνειν παρ' ἑτέρων βουλομένοις! ὁ γὰρ ἔχων καὶ δι' ὑπόκρισιν ἢ ἀργίαν λαμβάνων κατακριθήσεται.

✠ *Ex eadem in cap.* XIII, v. 31,32.

Annuntiativus regni cœlorum sermo acer quidem ac mordax, quemadmodum sinapi, ac choleram digerens, id est iracundiam; et phlegma incidens, id est superbiam, ex quo sermone vera animæ sanitas, ac perpetuum temperamentum oritur. Ad tantum autem incrementum germen sermonis pervenit, ut nata ex eo arbor sit : quæ utique esse possit ubique terrarum stabilita Christi Ecclesia, ut omnia impleat sic, ut in ramis ejus inhabitent volucres cœli, angeli videlicet Dei ac sublimes animæ.

Ὁ τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας καταγγελτικὸς λόγος δριμὺς μὲν ἔστι καὶ δηκτικὸς, καθάπερ τὸ σίναπι, καὶ τῆς χολῆς βιωτικὸς, τουτέστι τοῦ θυμοῦ, καὶ τοῦ φλέγματος διακοπτικὸς, τουτέστι τοῦ τύφου, ἐξ οὗ λόγου ἡ ἀληθὴς τῆς ψυχῆς ὑγίεια, καὶ ἡ ἀΐδιος εὐκρασία περιγίνεται. Εἰς τοσαύτην δὲ αὔξην ἡ φυὴ τοῦ λόγου προῆλθεν, ὡς τὸ ἐξ αὐτοῦ φύον δένδρον (τοῦτο δ' ἂν εἴη ἡ πανταχοῦ γῆς ἱδρυμένη τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησία) τὰ πάντα πληρῶσαι, ὥστε ἐν ταῖς κλάδοις αὐτῆς κατασκηνῶσαι τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ἀγγέλους δηλαδὴ θείους καὶ μετεώρους ψυχάς (91)

Ex eadem in cap. XII, v. 46.

Margarita est etiam pellucida et mundissima Jesus, quem ex divino fulgore Virgo concepit : quemadmodum enim margarita in carne et concha, ac liquore exsistens corpus videtur esse lucidum ac liquicum, lucis ac spiritus plenum, ita et incarnatum Deus verbum lux est spiritualis per lucidum ac liquidum corpus fulgens.

Ἔστι μαργαρίτης καὶ ὁ διαυγὴς καὶ καθαρώτατος Ἰησοῦς, ὃν ἐξ ἀστραπῆς τῆς θείας ἡ Παρθένος ἐγέννησεν. Ὥσπερ γὰρ ὁ μαργαρίτης, ἐν σαρκὶ καὶ ὀστρείῳ καὶ ἐν ὑγροῖς γενόμενος, σῶμα ἔοικεν εἶναι ὑγρὸν καὶ διειδὲς, φωτὸς καὶ πνεύματος γέμον, οὕτω καὶ ὁ σαρκωθεὶς Θεὸς λόγος, φῶς ἐστι νοερὸν, ὢν φωτὸς καὶ ὑγροῦ ἐκλάμψας σώματος (92).

VIII.

EX CATENA IN S. LUCAM A CORDERIO EDITA.

P. 1013, ed. Potter.

Cap. III, v. 22. Non hic hominis, sed *columbæ similitudinem* Deus assumpsit; quia volebat nova quadam apparitione Spiritus per columbæ similitudinem, simplicitatem ac mansuetudinem declarare.

Cap. XVI, v. 17. Forte autem per *iota* et per *apicem* justitia ejus clamat, si *recti ad me veneritis, et ego recta ad vos veniam ; sin obliqui, et ego oblique, dicit Dominus virtutum* [a]; insinuans implicatas et obliquas peccatorum esse vias. Nam recta naturæque consentanea via quæ per iota *Iesu* insinuatur, est ipsa ejus bonitas, quæ fideles ex auditu, sine cespitatione constanter dirigit. *Non itaque præteribit a lege iota unum aut unus apex*, hoc est, neque a rectis et probis mutuæ repromissiones : neque ab obliquis et injustis, quæ illis interminata est pœna. *Benefacit enim Dominus bonis, declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem* [b].

IX.

FRAGMENTA
EX CLEMENTIS ALEXANDRINI LIBRIS *ΥΠΟΤΥΠΩΣΕΩΝ*.

Ex lib. III. — *Ap. Œcum. in I ad Cor.*, XI, 10.

Propter angelos. Angelos dicit justos ac probos viros. Operiatur ergo, ne ad stuprum eis offendi-

Διὰ τοὺς ἀγγέλους. Ἀγγέλους φησὶ τοὺς δικαίους καὶ ἐναρέτους. Κατακαλυπτέσθω οὖν, ἵνα μὴ εἰς πορ-

✠ P. 1013 ED. POTTER. [a] Psal. XVII, 27. [b] Psal. CXXIV, 5.

(91) His quodammodo respondent, quæ in Clementis nostri *Pædag.* lib. I, cap. 11, leguntur.

(92) Simile quid in eodem Clementis *Pædag.* lib. II, cap. 12, reperias

Digitized by Google

νείαν αὐτοὺς σκανδαλίσῃ· οἱ γὰρ ὄντως καὶ ἐν οὐρανοῖς ἄγγελοι καὶ κατακεκαλυμμένην αὐτὴν βλέπουσιν. A culo : nam et qui vere in cœlis sunt angeli, ipsam licet tectam intuentur.

Ex lib. IV. — *Ap. eumdem in II ad Cor.* v. 16.

Εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν. Ὥσπερ ἡμῶν τὸ κατὰ σάρκα ἐστὶ τὸ ἐν ἁμαρτίαις, καὶ τὸ ἔξω τούτων οὐ κατὰ σάρκα· οὕτω καὶ τοῦ Χριστοῦ τὸ κατὰ σάρκα τὸ εἶχειν τοῖς φυσικοῖς πάθεσι, τὸ μὴ εἶχειν δὲ οὐ κατὰ σάρκα· ἀλλ' ὥσπερ, φησὶν, ἐκεῖνος ἀπηλλάγη, οὕτω καὶ ἡμεῖς.

Porro etiam si cognovimus Christum secundum carnem. Quemadmodum apud nos secundum carnem esse, dicitur esse in peccatis; et sine his esse, dicitur esse non secundum carnem : ita quoque apud Christum secundum carnem esse dicitur, naturalibus subjici affectionibus; non subjici vero, esse non secundum carnem. Sed quemadmodum ille, inquit, liberatus est, sic et nos.

Ex lib. IV. — *Ap. eumdem in II ad Cor.* VI, 11.

Ἡ καρδία ἡμῶν πεπλάτυνται. Εἰς τὸ πάντα διδάξαι ὑμᾶς. Ὑμεῖς δὲ στενοχωρεῖσθε ἐν τοῖς σπλάγχνοις ὑμῶν, τουτέστιν, ἐν τῇ πρὸς Θεὸν ἀγάπῃ, ᾗ ἀγαπᾷν με ὀφείλετε. B *Cor nostrum dilatatum est.* Ut vos omnia doceremus; sed vos angusti estis in visceribus vestris, hoc est, in dilectione erga Deum, qua me diligere debetis.

✠ *Ex lib.* V. — *Ap. eumdem in Ep. ad Galatas*, v, 24.

Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ τὴν σάρκα. Καὶ τί λέγω, φησὶν, ἓν καθ' ἓν ἀρετῆς εἶδος; εἰσὶ γάρ τινες οἱ καὶ ἐσταύρωσαν ἑαυτοὺς, ὅσον πρὸς τὰ πάθη, καὶ τὰ πάθη ὅσον πρὸς ἑαυτούς. Κατὰ ταύτην τὴν ἑρμηνείαν οὐ παρέλκεται τὸ *δέ*. *Οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ*, τουτέστι, τείνοντες, τὴν ἑαυτῶν σάρκα ἐσταύρωσαν.

Hi autem Christi carnem. Et quid singulatim, inquit, virtutum species recenseo? Sunt enim quidam qui seipsos crucifixerunt quoad affectus, et affectus quoad seipsos. Juxta hanc interpretationem δέ non est parelcon, sed sensus est : οἱ δὲ τοῦ Χριστοῦ, id est qui vero tendunt ad Christum, suam carnem crucifixerunt.

Ex libro V. — *Ap. Moschum* Prati spiritualis *cap.* 176. *Ap. Potter. p. 1016.*

Ναὶ ἀληθῶς ἐβαπτίσθησαν (οἱ ἀπόστολοι), καθὼς C Κλήμης ὁ Στρωματεὺς ἐν τῷ πέμπτῳ τόμῳ τῶν *Ὑποτυπώσεων* μέμνηται. Φησὶ γάρ, τὸ ἀποστολικὸν ῥητὸν ἐξηγούμενος τὸ λέγον, *Εὐχαριστῶ, ὅτι μηδένα ὑμῶν ἐβάπτισα*· « Χριστὸς λέγεται Πέτρον μόνον βεβαπτικέναι, Πέτρος δὲ Ἀνδρέαν, Ἀνδρέας Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, ἐκεῖνοι δὲ τοὺς λοιπούς. »

Sane illi (apostoli) baptizati sunt, sicut et Clemens Stromateus meminit in quinto *Hypotyposeon*. Apostolicum enim illud dictum exponens quo dicitur : *Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi*, « Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Andreas Jacobum et Joannem, illi autem reliquos. »

Ex lib. VI.— *Ap. Euseb. Hist. eccl.*, II, 1. *Ap. Potter. p. 1023.*

Κλήμης δὲ ἐν ἕκτῳ τῶν *Ὑποτυπώσεων* γράφων ὧδε παρίστησι. Πέτρον γάρ φησι καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος, ὡς ἂν καὶ ὑπὸ τοῦ Κυρίου προτετιμημένους, μὴ ἐπιδικάζεσθαι δόξης, ἀλλ' Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἐλέσθαι.

Clemens certe in sexto *Institutionum* libro ita tradit. Ait enim, post Servatoris ascensum, Petrum, Jacobum et Joannem, quamvis Dominus cæteris ipsos prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Jerosolymorum episcopum elegisse.

374 *Ex eodem libro* VI. — *Ap. Euseb., ibid. c.* 15. *Ap. Potter. p. 1023.*

Οὕτω δὴ οὖν ἐπιδημήσαντος αὐτοῖς τοῦ θείου λόγου, ἡ μὲν τοῦ Σίμωνος ἀπέσβη καὶ παραχρῆμα καὶ τῷ ἀνδρὶ καταλέλυτο δύναμις· τοσοῦτο δ' ἐπέλαμψε ταῖς τῶν ἀκροατῶν τοῦ Πέτρου διανοίαις εὐσεβείας φέγγος, ὡς μὴ τῇ εἰσάπαξ ἱκανῶς ἔχειν ἀρκεῖσθαι ἀκοῇ, μηδὲ τῇ ἀγράφῳ τοῦ θείου κηρύγματος διδασκαλίᾳ· παρακλήσεσι δὲ παντοίαις Μάρκον, οὗ τὸ Εὐαγγέλιον φέρεται, ἀκόλουθον ὄντα Πέτρου, λιπαρῆσαι, ὡς ἂν καὶ διὰ γραφῆς ὑπόμνημα τῆς διὰ λόγου παραδοθείσης αὐτοῖς καταλεῖψαι διδασκαλίας· μὴ πρότερόν τε ἀνιέναι ἢ κατεργάσασθαι τὸν ἄνδρα, καὶ ταύτῃ αἰτίους γενέσθαι τῆς τοῦ λεγομένου κατὰ Μάρκον Εὐαγγελίου γραφῆς. Γνόντα δὲ τὸ πραχθὲν, φασὶ D Igitur cum Dei doctrina Romanos adventu suo illustrasset, Simonis quidem vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi exstincta atque deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam viva voce, nullis traditam scriptis accepisse : sed Marcum Petri sectatorem cujus hodie exstat Evangelium, enixe orarent ut doctrinæ illius, quam auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius quod secundum Marcum dicitur, Evan-

✠ P. 1005 ED. POTTER.

Digitized by Google

gelii exstitissent. Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto *Institutionum* libro.

A τὸν Ἀπόστολον, ἀποκαλύψαντος αὐτῷ τοῦ Πνεύματος, ἡσθῆναι τῇ τῶν ἀνδρῶν προθυμίᾳ, κυρῶσαί τε τὴν γραφὴν εἰς ἔντευξιν ταῖς Ἐκκλησίαις. Κλήμης ἐν ἕκτῳ τῶν *Ὑποτυπώσεων* παρατέθειται τὴν ἱστορίαν.

Ex eodem libro. — *Ap. Euseb. ibid.* Apud Potter. p. 1024.

✠ Tunc etiam, ut divina tradit Scriptura, Herodes cum Jacobi cædem gratissimam esse Judæis videret, Petrum quoque adortus est. Quem in vincula conjectum capitali supplicio jam addicturus erat, nisi Petrus divina virtute, angeli scilicet noctu apparentis auxilio, præter omnium spem vinculis liberatus, ad prædicationis ministerium dimissus fuisset.

Τοτηνικαῦτα δὲ, ὥς φησιν ἡ θεία Γραφὴ, ἰδὼν Ἡρώδης ἐπὶ τῇ τοῦ Ἰακώβου ἀναιρέσει ὅτι δὴ πρὸς ἡδονῆς εἴη τὸ πραχθὲν τοῖς Ἰουδαίοις, ἐπιτίθεται καὶ Πέτρῳ. Δεσμοῖς τε αὐτὸν παραδοὺς, ὅσον οὔπω καὶ τὸν κατ' αὐτοῦ φόνον ἐνήργησεν ἄν, εἰ μὴ διὰ θείας ἐπιφανείας ἐπιστάντος αὐτῷ νύκτωρ ἀγγέλου, παραδόξως τῶν εἱργμῶν ἀπαλλαγεὶς, ἐπὶ τὴν τοῦ κηρύγματος ἀφεῖται διακονίαν. B

Vide supra, col. 34–38. *Ex eodem libro.* — *Ap. Euseb. Hist. eccl.* VI, 14. Ap. Potter. p. 1024.

Idem (Clemens) in libris *Ὑποτυπώσεων*, omnium, ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem, ne illis quidem prætermissis Scripturis, de quibus inter multos ambigitur. Judæ Epistolam et Barnabæ, ac reliquas catholicas Epistolas intelligo, et Revelationem quæ dicitur Petri. Epistolam autem ad Hebræos Pauli quidem esse affirmat, sed Hebraico sermone, utpote ad Hebræos, primum scriptam fuisse; Lucam vero eamdem Græco sermone studiose interpretatum, Græcis hominibus edidisse. Quare in ea epistola et in Actibus apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem *Paulus apostolus*, recte atque ordine omissam fuisse observat.

Ἐν δὲ ταῖς *Ὑποτυπώσεσι*, ξυνελόντα εἰπεῖν, πάσης τῆς ἐνδιαθήκου Γραφῆς ἐπιτετμημένας πεποίηται διηγήσεις, μηδὲ τὰς ἀντιλεγομένας παρελθών· τὴν Ἰούδα λέγω καὶ τὰς λοιπὰς καθολικὰς Ἐπιστολὰς· τήν τε Βαρνάβα καὶ τὴν Πέτρου λεγομένην ἀποκάλυψιν. Καὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους δὲ Ἐπιστολὴν Παύλου μὲν εἶναί φησι, γεγράφθαι δὲ Ἑβραίοις Ἑβραΐδι φωνῇ· Λουκᾶν δὲ, φιλοτίμως αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα, ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησιν. Ὅθεν τὸν αὐτὸν χρῶτα εὑρίσκεσθαι, κατὰ τὴν ἑρμηνείαν, ταύτης τε τῆς Ἐπιστολῆς καὶ τῶν *Πράξεων*· μὴ προγεγράφθαι δὲ τὸ *Παῦλος ἀπόστολος*, εἰκότως. C

Oecumenii Comment.

Ex lib. VII. — *Ap. eumdem, in I ad Tim.* II, 6. Ap. Potter. p. 1015.

Temporibus suis. Hoc est quando recte se habebant homines ad fidem.

Καιροῖς ἰδίοις. Τουτέστιν, ὅτε ἐπιτηδείως εἶχον πρὸς τὴν πίστιν οἱ ἄνθρωποι.

Cap. III, *v.* 16. Potter. p. 1015.

Visus est ab angelis. (O mysterium! Nobiscum viderunt angeli Christum, cum prius non vidissent.) Non sicut ab hominibus.

Ὤφθη ἀγγέλοις. (Ὦ μυστήριον! Μεθ' ἡμῶν εἶδον οἱ ἄγγελοι τὸν Χριστὸν, πρότερον οὐχ ὁρῶντες.) Οὐχ ὡς τοῖς ἀνθρώποις.

Cap. V, *v.* 8. Potter. p. 1015.

Et maxime domesticis. Suis et domesticis providet, qui non solum curam habet eorum, quæ aliquo modo contingunt, sed et sui ipsius, proprios amputando affectus. D

Καὶ μάλιστα τῶν οἰκείων. Τῶν ἰδίων καὶ τῶν οἰκείων προνοεῖ, ὁ μὴ μόνον τῶν προσηκόντων προνοῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ, διὰ τοῦ ἐκκόπτειν τὰ πάθη.

Cap. V, *v.* 10. Potter. p. 1015.

Si sanctorum pedes lavit. Hoc est si extrema ministeria sanctis absque rubore exhibuit.

Εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψε. Τουτέστιν εἰ τὰς ἐσχάτας ὑπηρεσίας τοῖς ἁγίοις ἀνεπαισχύντως ἐξετέλεσεν.

Cap. V, *v.* 21. Potter. p. 1015.

Sine præcipitatione judicii. Hoc est cavens ne ad aliquid impingendo, subjiciaris judicio et ultioni inobedientiæ.

Χωρὶς προκρίματος. Τουτέστιν ἄνευ τοῦ εἴς τι πταίσαντα ὑποπεσεῖν τῇ κρίσει καὶ τῇ τῆς παρακοῆς κολάσει.

Cap. VI, *v.* 13. Potter. p. 1015.

Qui testatus est sub Pontio Pilato. Testatus est per ea quæ fecit, quod ipse esset Christus Filius Dei.

Τοῦ μαρτυρήσαντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου. Ἐμαρτύρησε γὰρ δι' ὧν ἔπραττεν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

Digitized by Google

Apud eundem Idem in II *ad Tim.* II, 2. Potter. p. 1015.

Διὰ πολλῶν μαρτύρων. Τουτέστι νόμου καὶ προφητῶν. Τούτους γὰρ Ἀπόστολος ἐποιεῖτο μάρτυρας τοῦ ἰδίου κηρύγματος.

A *Per multos testes.* Hoc est legem ac prophetas. Nam hos in testes proferebat Apostolus suæ prædicationis.

Ex eodem libro VII. — *Ap. Eusebium Hist. eccl. l.* II, *c.* 1. Potter, p. 1015.

Ἰακώβῳ τῷ Δικαίῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ κατὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος. Οὗτοι τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις παρέδωκαν· οἱ δὲ λοιποὶ ἀπόστολοι τοῖς ἑβδομήκοντα, ὧν εἷς ἦν καὶ Βαρνάβας.

Jacobo Justo, et Joanni, et Petro Dominus post resurrectionem scientiæ donum impertiit. Quod illi cæteris apostolis, hi vero septuaginta discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt.

Ex eodem libro. — Ap. eumdem ibid., c. 9.

Περὶ τούτου δὲ ὁ Κλήμης τοῦ Ἰακώβου καὶ ἱστορίαν μνήμης ἀξίαν ἐν τῇ τῶν Ὑποτυπώσεων ἑβδόμῃ παρατίθεται, ὡς ἐκ παραδόσεως τῶν πρὸ αὐτοῦ φάσκων, ὅτι δὴ ὁ εἰσαγαγὼν αὐτὸν εἰς δικαστήριον, μαρτυρήσαντα αὐτὸν ἰδὼν, κινηθεὶς ὡμολόγησεν εἶναι καὶ αὐτὸς ἑαυτὸν Χριστιανόν. Συναπῆχθησαν οὖν B ἄμφω, φησὶ, καὶ κατὰ τὴν ὁδὸν ἠξίωσεν ἀφεθῆναι αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Ἰακώβου. Ὁ δὲ, ὀλίγον σκεψάμενος, Εἰρήνη σοι, εἶπε, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Καὶ οὕτως ἀμφότεροι ὁμοῦ ἐκαρατομήθησαν.

De hoc Jacobo rem prorsus memoria dignam refert Clemens in septimo *Institutionum* libro, prout eam a majoribus acceperat. Ait enim eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cum illum vidisset Christi ✠ fidem libere confitentem, commotum viri constantia se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur, inquit, simul ad supplicium ducti sunt. Cumque inter eundum rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret : paulisper moratus Jacobus, Pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est. Ita simul ambo capite truncati interiere.

Ex eodem libro. — Apud eumdem Hist. Eccl. VI, c. 14.

Ἤδη δὲ, ὡς ὁ μακάριος ἔλεγε πρεσβύτερος, ἐπεὶ ὁ Κύριος ἀπόστολος ὢν τοῦ Παντοκράτορος, ἀπεστάλη πρὸς Ἑβραίους, διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος, ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος, οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Ἑβραίων ἀπόστολον, διά τε τὴν πρὸς τὸν Κύριον τιμὴν, διά τε τὸ ἐκ περιουσίας καὶ τοῖς Ἑβραίοις ἐπιστέλλειν, ἐθνῶν κήρυκα ὄντα καὶ ἀπόστολον.

Jam vero, sicut beatus dicebat presbyter, quandoquidem Dominus omnipotentis Dei apostolus ad Hebræos missus fuerat, præ modestia Paulus, utpote qui ad gentes erat directus, Hebræorum apostolum sè minime inscribit : tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipse gentium præco et apostolus scriberet.

Ex eodem libro. — Ibidem paulo post.

P. 188. *Θηρίκλειοι*· Θηρίκλειοι ἀπὸ Θηρικλέους τοῦ τοῦτο ἐφευρόντος, Ἀντιγονίδες ὁμοίως, κάνθαροι ἀπὸ τοῦ σχήματος, λαβρώνιοι ἀπὸ τοῦ σχήματος, λεπασταὶ ἀπὸ τοῦ σχήματος, ψυκτῆρες ἀπὸ τοῦ σχήματος· ἐκπωμάτων εἴδη· Θηρίκλειον, τὸ σφαιρικῷ τῷ πυθμένι τὸ ἐπικείμενον ἔχον κωνοειδὲς, ἀφ' οὗ πιεῖν ἐστιν εὐπετές· Ἀντιγόνιος, ἡ ἄνευ τοῦ σφαιροειδοῦς πυθμένος εἰς ὀξὺ ἀπολήγουσα· κάνθαρος, τὸ λεκανοειδὲς μὲν, ἄνωθεν δὲ ὁμοίῳ πώματι ἐπεσκεπασμένον, στομίῳ συμμέτρῳ κατὰ μέσον ἀνερῥωγὸς, καὶ πρὸς ἄκρῳ τῆς περιφερείας προχοΐδι, ἀφ' ἧς πιεῖν ἔστι, διοιγόμενον· λαβρώνιος, ἀσπιδοειδὲς ἔκπωμα, ἀφ' οὗ ἔστι λάβρως ἐμφορηθῆναι τὸν πίνοντα· λεπαστὴ, χυτροειδὲς ἔκπωμα ἐπωτίδι μιᾷ, τὸ εἰλῆφθαι παρεχομένη (30)· ψυκτὴρ, κυλινδρικοῦ σχήματος ἀποτομὴ, κάτωθεν κιονίδι ἐπὶ πρίσματι κυλινδρικῷ ἑδραζομένη, ἀφ' οὗ καὶ ἑστάναι καὶ μεταχειρισθῆναί ἐστιν αὐτῇ πρόχειρον· προχοῖς, ἡ καὶ οἰνοχόη, σφαιρικόν τι σκεῦος, ἐπωτίδι μιᾷ καὶ αὐλίσκῳ ἐνεσκευασμένη, ἀφ' ὧν τῇ μὲν ἐπωτίδι λαμβάνονται, τῷ δὲ αὐλίσκῳ τὸ τεθησαυρισμένον ὑγρὸν ἀποκρίνειν ὑπέρπεπται.

αἰσχύν. καὶ λέγειν· αἰσχύνομαι καὶ λέγειν, τὰς λεγομένας ἀμίδας φησὶν, αἵτινες οὖρου καὶ ἀφόδου εἰσὶ δοχεῖα.

P. 190. *ἐπώψατο*· ἀντὶ τοῦ εἰς ὄψον ἐχρήσατο.

P. 192. *ἀπέστω*· ἀντὶ ἐξιστάσθω, ἀναχωρείτω.

ἀλύοι· ἀντὶ τοῦ ἐνευκαιρεῖ, ἐμμέριμνός ἐστιν, διὰ φροντίδος ἔχει, ἐνασχολεῖται.

(26) Fortasse τινα. SCHINAS.

(27) δαγύδας?

(28) In Cod. Ἄβδειρα, Ἀβδειρίτης. SCHINAS.

(29) Hic quoque exstant nonnulla quorum mentionem fecisse satis habuimus. Dicitur enim in schedula quadam codici nostro præfixa, etiam hæc jamdudum nescio a quo publici juris esse facta. Ac primum quidem leguntur in margine fol. 69 et 70 S. Maximi capita quindecim theologica; inde a fol. 8, *verso*: Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μαξίμου τοῦ ὁμολογητοῦ πρόλογος πρὸς Ἐλπίδιον τῶν περὶ ἀγάπης κεφαλαίων· fol. 81 *recto* usque ad fol. 106: Τοῦ αὐτοῦ πρὸς Ἐλπίδιον πρεσβύτερον κεφάλαια περὶ ἀγάπης, et a fol. 106 *verso* usque ad fol. 110: Τίς ὁ νοητὸς παράδεισος καὶ τίνα τὰ ἐν αὐτῷ φυτὰ καὶ οἱ τούτων θεῖοι καρποί, σοφωτάτη καὶ ὑψηλὴ καὶ τοπικὴ θεωρία.

(30) Aut παρεχομένη. SCHINAS.

Digitized by Google

Ἱππόθορον· εἶδος αὐλήματος παροξυντικὸν ἵπποις εἰς ὀχείαν.

P. 193. *ἐν κυμβάλοις* κ. τ. λ. Ἀρέθα· ἀλαλαγμὸς ἡ ἐπινίκιος εἰρηται βοή· τοῖς οὖν καθυπερτερήσασι τῶν σαρκικῶν ἀκαθαρσιῶν ἀκολούθως ὁ ἀλαλαγμὸς ἐπακολουθεῖ.

P. 196. *κιχλ.* Κιχλίζουσι μὲν γυναῖκες, καχλάζουσι δὲ ἄνδρες.

P. 199. *ἐν τοῖς ὀρόμ.* κ. τ. λ. Ὧν γάρ τις οὐκ αἰσχύνεται τοὺς λόγους, τούτων πολλῷ δήπουθεν οὐδὲ τὰ ἔργα.

ὡς ἅρα οὔτε κ. τ. λ. Τοιοῦτό τι διὰ τούτων δηλοῦν βούλεται· ὡς οὐκ ἐν τοῖς ὀνόμασι τῶν μελῶν ἡ αἰσχρότης ἐνθεωρεῖται, οὐδὲ γὰρ ὁ μηρὸς, φέρε, οὐχ ἡ κνήμη αἰσχρόν τι παρεμφαίνει διὰ τοῦ ὀνόματος, ὡς οὐδὲ τὸ στόμα, οὐχ ἡ γλῶσσα, οὕτως οὖν οὐδὲ τὸ αἰδοῖον, ἀλλ' εἰ σκοπεῖν ἀκριβῶς χρὴ, καὶ σεμνότης τῷ ὀνόματι ἐπακολουθεῖ, αἰδοῦς ἄξιον ἀποφαίνουσα τὸ καθ' οὗ τοῦτο τέθειται· οὕτω γὰρ καὶ τὸν πατέρα καὶ τὸν ἄλλῳ τινὶ κρείττονα, ἀφ' οὗ καὶ ἡ παρ' Ὁμήρῳ Ἑλένη τὸ,

αἰδοῖός τέ μοί ἐσσι, φίλε ἑκυρέ....

ἀναβοᾷ· οὔκουν ἐν τοῖς ὀνόμασι τὸ αἰσχρὸν, ἀλλ' ἐν τῇ παραλόγῳ χρήσει ἐνθεωρεῖται ὡς κἂν τῷ στόματι κἂν τῇ γλώσσῃ τὰ σαπρὰ ἀναμάττουσι καὶ δυσώδη.

P. 202. *μὴ οὐράγει*· ἀντὶ τοῦ μὴ ἔσχατος ἀνίστασο· οὐραγία γὰρ ἡ ἐφυστερίζουσα τάξις.

P. 203. *σιγὴ μὲν γάρ* κ. τ. λ. Γύναι, γυναιξὶν κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

γεγωνόν· οἱονεὶ τὸ μεγαλόφωνον, ἀφ' οὗ καὶ γεγωνίσκειν τὸ μεγαλοφωνεῖν.

P. 204. *μὴ δευτερώσῃς* κ. τ. λ. Καὶ πῶς ἡ τοῦ Σαμουὴλ Ἄννα πολλάκις τὰ αὐτὰ τῆς εὐχῆς ἐπαναλαμβάνει, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς πολλάκις τὸ, Κύριε, ἐλέησον, λέγοντες οὐκ ἀδόκιμοι κρινόμεθα· ἀλλ' οἶμαι μὴ τοῦτο παραγγέλλειν τὸ Λόγιον, ἴσως δὲ ταῦτα· Ὧν ὑπεσχόμεθα Θεῷ εὐθέως ἐκ προσευχῆς αὐτῆς ἐκτελεῖν, καὶ μὴ ἀναμένειν ἐκ δευτέρου τὴν αὐτὴν ὑπόσχεσιν ποιεῖσθαι, ὡσπερεὶ μέγα οἰομένους τὸ ἐν λόγοις τὴν χαρὰν ἀποπληροῦν, καὶ τῇ παρολκῇ τοῦ ἐπιτελεῖν τὸ γαῦρον ἐπιφαίνειν τοῦ ἀνυπάρκτου ἤθους.

P. 207. *βρένθιον* κ. τ. λ. Βρένθιον ἀπό τινος ἄνθους ἡδέος· μετάλλιον ἀπό τινος Μετάλλου, οὕτω καλουμένου, ὃς καὶ εὗρεν· πλαγγώνιον ἀπὸ Πλαγγῶνος τῆς ἐφευρηκυίας.

βάκκαρι (in cod. βάκκαριν)· εἶδος μύρου βαρβαρικοῦ.

P. 209. *πολλοῦ τοίνυν* κ. τ. λ. Πῶς ἐχρήσατο τῷ πολλοῦ δεῖ; Ἀντὶ γὰρ τοῦ μάλιστα, οἱονεὶ μάλιστα γὰρ δεῖ.

P. 213. *στέφ. μὲν γυν.* Ἀλλὰ καὶ ἀνδρὸς τὴν γυναῖκα· γυνὴ γὰρ ἀνδρεία, στέφανος τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, ἡ Γραφὴ λέγει.

ἀμεριμν. ὁ στέφ. Οἶμαι καὶ τοῖς γαμοῦσι καὶ τοῖς ἀθλοῦσι ἀμεριμνίας δίδοσθαι τὸν στέφανον σύμβολον, τοῖς μὲν ἀφροδισίου φροντίδος, τοῖς δὲ καμάτων καὶ πόνων γυμναστικῶν.

P. 216. *γυννάκας* (sic)· εἶδος παχέος ὑποστρώματος, ὅ τινες καὶ καυνάκας φασὶν, ἐγκειμένου τοῦ νάκους τῷ ὀνόματι, ἵν' ᾖ γηνάκας, τὸ ὑπὸ γῆ διὰ παχύτητα ἐπιστρωννύμενον· τὴν τύλην λέγει.

P. 219. *παλιγγενεσίου οἰκονομίας* κ. τ. λ. Οἱονεὶ τὸ νομίζειν οὐ διὰ ἀσέλγειαν τὰς θυγατέρας τῷ πατρὶ ἐπιμανῆναι, ἀλλὰ διὰ ἀπόγνωσιν ἀνδρὸς ἑτέρου, ἐπεὶ ἐωράκεισαν πυρποληθεῖσαν τὴν πόλιν, καὶ ὡς οὐκ ἐνὸν ἔτι ἀνδρὶ χρήσασθαι πρὸς τεκνογονίαν, πάντων ἄρδην ἀποτεφρωθέντων, εἰ μὴ τῷ πατρὶ, δι' οὗ ἡ τοῦ γένους τοῦ ἀνθρωπίνου διαδοχὴ διατηρηθείη· οὐκ ἀσελγείας οὖν ἕνεκεν ἡ πρὸς τὸν πατέρα διὰ τοῦ οἴνου τῆς ἀταμιεύτου ἐπιδόσεως πρὸς συνουσίας ἐπίρρωσις ὄρεξιν, ἀλλὰ τεκνογονίας ἔφεσις.

ἅλυες δὲ κ. τ. λ. Ἅλυες οἱονεὶ ἑκλύσεις καὶ πρὸς τὸ δέον ἀπροσεξίαι.

P. 221. *ἀφόβευσιν*· τὸ τὴν κόπρον ἀποχετεῦον μέρος.

παιδεραστίας κ. τ. λ. ἐπιτευκτικώτερον οἶμαι συμβολικῆς ἐμφανείας τὸ διὰ τὴν δειλίαν ἀπαγορεῦσαι τὴν τοῦ λαγὼ ἐδωδὴν, ἐπεὶ κατάφοβον τὸ ζῶον· μὴ χρῆναι τὸν εἰς Θεοῦ καταλεγέντα παράταξιν εὐπτόητον εἶναι, καὶ τοῖς τυχοῦσι τῶν ἐπερχομένων ἐκδειματούμενον.

παταγητικός· οἱονεὶ καταπεπτωκὼς τὴν λιγυφωνίαν.

P. 222. *αἵ τε γὰρ θηλ.* οὐκ ἀλλήλας βαίνουσαι δηλαδὴ, ἀλλὰ τοῖς ἀνδράσιν οὕτω παρέχουσαι ἑαυτάς· οὕτως Ἀναστάσιος ἐν τῷ εἰς τὴν πρὸς Κορινθίους Ἐξηγητικῷ.

P. 223. *πειρᾶν*· οὐ πειρᾶν, ἀλλὰ περᾶν, ἀφ' οὗ καὶ τὸ περαίνειν· ἐμφαντικώτερον γὰρ τὸ περᾶν τοῦ πειρᾶν πρὸς τὸ τῆς λαγνείας αἰσχρόν.

P. 225. *μεμυκ. τῷ στόματι*· εἰς ἀπόδειξιν σωφροσύνης τοῦτο ταῖς κυούσαις.

περὶ τὴν παιδοπ. κ. τ. λ. ταύτῃ φασὶ καὶ τὰς τῶν γυναικῶν ἀνδρομανεῖς τῷ συνεχεῖ τῆς παιδοποιίας σωφρονέστερον διατίθεσθαι, ἀμβλυνομένης τῆς ἐπιθυμίας τῷ κατακόπῳ τῆς φύσεως, ὅσον ἐκ τῶν τοκετῶν πέφυκε γίγνεσθαι.

P. 226. *ἐπίτασιν τῆς ὁμιλίας*· οὐ περὶ τοῦ νομίμου γάμου λέγει, ἀλλὰ περὶ τῆς ἀφέτου καὶ πορνικῆς ὁμιλίας· ὃ γὰρ νόμιμον θραύει τῷ συνοικεῖν τῆς ἐπιθυμίας τὸν οἶστρον, καὶ ταύτῃ σωφρονεῖν κατεπείγει· τὸ γὰρ εἰς ἐξουσίαν προκείμενον ἀργὴν δείκνυσι τὴν ἐπιθυμίαν καὶ νωθεστέραν τὴν μεταχείρισιν εἰς ἀπόλαυσιν.

P. 227. *ἀστεῖος οὖν μάλα* κ. τ. λ. Πλάτωνος ἐκ τοῦ πρώτου τῆς Πολιτείας.

P. 228. *εὖ γοῦν τις εἴρ.* Ἐπίκουρος οὗτος ἐν τῷ ἐπιγεγραμμένῳ Κύριε (sic) δόξαι, ἤτοι Ἐπικούρου φωναὶ ταῦτα καὶ ἕτερα λέγει τοιαῦτα.

P. 229. *γυνὴ μισθῷ ἴσῃ σιάλῳ*· καὶ Σολομῶν· Τιμὴ πόρνης, ὅση (31) καὶ ἑνὸς ἄρτου.

ὁ ἑταιριζόμενος αὐτόν· ὁ κατακόρως χρώμενος τῇ ἑαυτοῦ γαμετῇ· εἰ οὖν τὸ κατακόρως χρᾶσθαι μοιχεύειν ἐστὶν, τί ἂν εἴη τὸ πρὸς πολλὰς καὶ κατὰ ταυτὸν τὸ ἀσελγὲς ἐπιδείκνυσθαι; οὐκ οἶμαι τυγχάνειν ὀνόματα κακίας. Διά τοι τοῦτο οὐ τῶν πάνυ κατεγνωσμένων τῷ μὴ τέλεον σωφρονοῦντι, νομίμῳ χρῆσθαι γυναικὶ, ἐνὶ περιείργοντι προσώπῳ τὸ τῆς ἐπιθυμίας ἀνύποιστον.

P. 230. *μὴ δὴ ἅμα* κ. τ. λ. Ἡροδότου τοῦτο· Ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυομένῳ ἀποδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή.

P. 231. *ἐπιτέτραπται τῷ γήμ.* συμφώνως τοῦτο τῷ τοῦ θείου Παύλου· Βούλομαι νέας χήρας γαμεῖν, οἰκοδεσποτεῖν.

P. 233. *κρώβυλον*· τούτου μέμνηται τοῦ κρωβύλου καὶ Θουκυδίδης ἐν προοιμίοις τοῦ α' Πελοποννησιακῶν· ἐμπλοκῆς δὲ εἶδος ὁ κρώβυλος ἀπ' ἄκρων τριχῶν τοὺς πλοκάμους πρὸς κορυφὴν ἀνατείνων· εἶτα εἰς ὀξὺ ταύτας συνάγων χρυσῷ τέττιγι τετρημένῳ τὰς τρίχας ἐσφηκοῦτο, πρὸς τὸ συνεχομένας μὴ πάλιν διαῤῥεῖν πρὸς τὸ κάτω.

P. 234. *ὅρα μὴ οὐκ ἄλλη* κ. τ. λ. παρὸ εἴρηται τό·

Ἄλλος γυναικὸς κόσμος, ἄλλος ἀῤῥένων.

κρύπτειν ὄμματα· τοῦτο μεταπεποίηται ἀπὸ τοῦ τραγικοῦ· ἐκεῖ γὰρ οὕτως εἴρηται· ἡ δὲ καὶ πεσοῦσα πολλὴν πρόνοιαν παρέσχεν κοσμίως πεσεῖν,

Κρύπτουσ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀῤῥένων χρεών.

P. 235. *ἡ Ἀποκαλ.* ἡ Ἰωάννου Ἀποκάλυψις τοῦ θεολόγου.

Σαρδηνιακόν· τὸ Βένετον λεγόμενον.

μυροβ. μυροβαφῆ τοῦτον λέγει διὰ τὸ ἐκ κρόκου μολύνεσθαι· ἔστι δὲ ὕφασμα λεπτόν τε καὶ ἀραιόστημον.

P. 236. *ἱματισμῷ διαχρ.* Ἀρέθα· οὐ περὶ ἱματισμοῦ κόσμου βούλεται λέγεσθαι ταῦτα, ἀλλὰ περὶ τοῦ τῇ ψυχῇ περιπεφυκότος ἐξ ἀρετῶν κόσμου· καὶ ὅτι τοῦτο, δῆλον ἀφ' ὧν φησὶ· Πᾶσα ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως ἔσωθεν· καίτοι τοῦ ἔξωθεν καὶ ὁρωμένου ἱματισμοῦ τὴν δόξαν ἐπισυρομένου, οὐ τοῦ ἐντός τε καὶ τῇ τῶν ἔξω ἐπιβολῇ ἀδηλουμένου· ἐντεῦθεν καὶ

(31) Schinas legit ἴσῃ.

Digitized by Google

τοῖς χρυσοῖς κρσσωτοῖς φησι τοῦτον διάδηλον γίνεσθαι, τί τοῦτο λέγων, εἰ μὴ τὴν ἔκφανσιν τούτων, ὅτε δὴ καὶ γένοιτο, τιμαλφέστατον ἂτε χρυσὸν χρηματίζειν, τὴν ἔκφανσιν διὰ τοῦ κροσσοῦ παριστῶν· ἀκροτελεύτιον γὰρ ὁ κροσσός.

P. 237. *ἐξανθιστέον*· ἀλλ' οὐ τὸ μόνιμον μεταδιώκουσαι τοῦτο δρῶσιν, ἀλλὰ τὸ λαμπρὸν καὶ ἐπαγωγὸν καὶ πρὸς ἀλαζονείαν ἀποκλῖνον καὶ τέρψιν.

ξυστίδας καὶ τὰς ἐφαπτ. ἡ μὲν ξυστὶς ἱμάτιον λαμπρὸν, λεπτὸν πάνυ, παρὸ καὶ ξυστὶς εἴρηται παρὰ τὸ οἱονεὶ ἐξέσθαι τῇ λεπτότητι· ἡ δὲ ἐφαπτὶς ταὐτὸ μὲν τῇ χλαίνῃ (περιβλήματα γὰρ ἄμφω μανδυώδη ἐπὶ τοῖς ἱματίοις ἀναβαλλόμενα), πολυτελεστέρα μέντοι ἡ ἐφαπτὶς τῆς χλαίνης.

παρεμέτρει· ἀντὶ παρεῖχεν· οἱονεὶ σύμμετρον τὴν χρείαν παρέχουσαν.

P. 238. *σύρειν τὰς ἐσθῆτας* κ. τ. λ. ὡς οἱ μεμνότες νῦν Νικολαΐται, αὐτὸν τὸν κακοδαίμονα καθηγεμόνα μιμούμενοι.

κἂν τὸν ποδήρη τις κ. τ. λ. τὸν ἱερατικόν φησι τὸν τοῦ νόμου· ἀλλ' ὁ μὲν σύμβολον ἦν μυστικόν· ἐδήλου γάρ, σἶμαι, μηδὲν συμφανὲς εἶναι τοῖς βεβήλοις τῶν τῷ Θεῷ ὑπ' αὐτῶν ὀργιαζομένων χρεών, εἴ γε οἱ πόδες διέξοδον αἰνίττονται πράξεως· καθὸ καὶ Δαυὶδ ἐπιτηρεῖσθαι ἤτοι φυλάττεσθαι τὴν πτέρναν ὑπὸ τῶν πονηρῶν παροίκων φησὶν, Αὐτοί, φάσκων, τὴν πτέρναν μου φυλάξουσι καὶ ἀλλαχοῦ τὴν ἀνομίαν πεφοβῆσθαι τῆς πτέρνης ἐν τῇ πονηρᾷ ἡμέρᾳ ὁ αὐτὸς ἐποικτιζόμενος.

τὰς Λακαίνας φασὶ κ. τ. λ. ἃς καὶ φανομηρίδας ἔλεγον παρὰ τὸ φαίνειν τοὺς μηρούς· ἕτεροι δέ φασι, μὴ ἐπιγουνίδας ἔχειν ταύτας στολὰς, ἀλλὰ ποδήρεις μεν, ἀῤῥάφους δὲ τὰ παρ' ἑκάτερα, ὡς βαδιζουσῶν διαστέλλεσθαι τὸ ἱμάτιον κατὰ τοὺς μηροὺς καὶ φαίνεσθαι παρέχειν αὐτούς.

οὐ δημόσιος· εἶπε γάρ τις τοῦτο τὸν πῆχυν θεασάμενος Λακεδαιμονίας γυναικὸς καὶ ἀντήκουσε τὸ, Ἀλλ' οὐ δημόσιος· ἐπεὶ καὶ ἀχειριδώτους ἐφόρουν χιτῶνας, ὥστε φαίνεσθαι ἄνωθεν ἀπὸ τῶν ὤμων βραχίονα καὶ καρπὸν, καὶ τοῦτο δῆλον ἀπὸ τῶν παλαιοτέρων ἀγαλμάτων καὶ τῶν εἰκόνων τῶν γυναικείων· ἐλέγοντο δὲ αἱ ταύτῃ χρώμεναι τῇ στολῇ τῇ ἀχειριδώτῳ ζωρίζειν, ἐπεὶ καὶ Δωριεῖς οἱ Λάκωνες· ὥσπερ ἀπ' ἐναντίας αἱ χειριδωτοῖς χρώμεναι ἰωνίζειν· ἦσαν δὲ αὗται αἱ Ἀθηναίων γυναῖκες· Ἴωνες γὰρ Ἀθηναῖοι πρὸ τοῦ τὴν Ἰωνίαν ἀποικίσαι ἐκαλοῦντο· ἐποίουν δὲ τοῦτο, Λακεδαιμόνιοι μὲν, καὶ τὰς γυναῖκας ἀνδρίζοντες, Ἀθηναῖοι δὲ, ἐκθηλύνοντες.

ἐπεσκ. ἐπεσκιάσθαι καλῶς εἶπεν· κεχαλασμένῳ γὰρ τῷ κεκρυφάλῳ ἐπισκιάζουσι τὸ πρόσωπον, ὡς μὴ προχείρως ὁρᾶσθαι καὶ ἀνεμποδίστως βαδίζειν ἢ ὅτιοῦν ἄλλο πράττειν, ἃ κατακεκαλυμμένου (32) τοῦ προσώπου οὐκ ἔστι ποιεῖν.

ἐπὶ τὸ πρόσ. ἀπὸ τραχήλου γὰρ μέχρι ποδῶν αἱ παλαιαὶ γυναῖκες τὴν πορφύραν τοῖς ἐμπροσθίοις μέρεσι τῶν ἱματίων ἐνύφαινον ἂτε τενίαν (ὃ νῦν ἔστιν ἰδεῖν ἐπὶ τῶν λεγομένων καμισίων τῶν κουβικουλαρίων), ὥστε ὁ τὴν πορφύραν σπεύδων ἰδεῖν τοῦ γυναικείου ἱματίου, ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῆς φορούσης τὰς ὄψεις ἀπήρειδεν.

P. 240. *ἀλειπτῷ*· τῷ βεβαμμένῳ· ἀλείφεται γὰρ τὰ βαπτόμενα τῶν ὑποδημάτων.

βλαύταις· ξύλινα ὑποδήματα σανδαλοειδῆ.

P. 241. *πελίους*· πελιδν (33) χρῶμα λέγεται τὸ μὴ ἄγαν λευκόν· τοιοῦτοι δὲ οἱ σαρδόνυχοι καλούμενοι λίθοι, οἵ γε φυσικοί· οὐ γὰρ ἄγαν ἔχουσι λαμπρὸν τὸ λευκὸν, εἰ μή που οἱ τεχνητοί, εἰ βούλει δὲ καὶ οἱ σαῤῥιφειροι· καὶ γὰρ κἀκεῖνοι πρὸς τῷ λευκῷ μετὰ τοῦ φαιοῦ εἰσι· χλωροὶ δὲ λίθοι πολλοὶ, οἵ τε ἰάσπιδες καὶ οἱ σμάραγδοι καὶ ἄλλοι πολλοί· τῆς δ' ἀπεξενωμένης θαλάττης ἐκβράσματα οἱ λεγόμενοι μάργαροι· ἐκ γὰρ τοῦ Περσικοῦ κόλπου τῶν ὀστρείων (34) εἰσίν· ἐκ ψυγμάτων δὲ γῆς πάντες οἱ λίθοι οἱ τίμιοι, οἵ τε γὰρ λυχνῖται τοιοῦτοι καὶ οἱ ἄνθρακες καὶ οἱ ἀμέθυσοι· πρὸς τούτοις καὶ οἱ βυρίλλιοί τε καὶ σμάραγδοι καὶ ὑάκινθοι καὶ πάντες σχεδόν· οἵ γε μὴν τόπαζοι, εἴ τι χρὴ πείθεσθαι Ἀγαθαρχίδῃ τῷ τὰ περὶ τῆς Ἐρυθρᾶς ἱστορήσαντι θαλάσσης, μέσον ἀνευρίσκονται τῶν παραλίων ταύτῃ πετρῶν.

περιστ. περιστέγει ἀντὶ τοῦ περικαλύπτει, περιέχει.

P. 242. *ἐκδεχόμεθα*· οἱονεὶ ὑπολαμβάνομεν, νοοῦμεν.

αἱ δέ· τοῦτο τῷ ἄνω ἀποδοτέον τῷ οὐκ αἰσχύνονται, ἵν' ᾖ· καὶ οὐκ αἰσχύνονται μὴ συνιεῖσαι πνευματικῶς ἤτουν συμβολικῶς εἰρημένα· τὴν κτίσιν, τὰς πύλας, τοὺς λίθους, τὰς χροὰς τῶν λίθων.

προφερόμεναι· ὡς ταῦτα δῆθεν τῶν γυναικῶν προφερουσῶν. — Τὸ ἑξῆς οὕτως· ὅλαι περιεχήκασι τὸν θαυμάσιον λογισμὸν προφερόμεναι· ὃν φησι καὶ ὁ Θεὸς ἔδειξε τίμιον τῆς κτιζομένης πόλεως κόσμον, ὃς καὶ πάρεστί μοι· διὰ τί μὴ τρυφήσω;

P. 258. *Ναρκίσσῳ*· φασὶ Νάρκισσον τοῦτον παῖδα γενέσθαι διαφέροντα κάλλει τῶν ἡλικιωτῶν· τοῦτον αἰσθόμενον τοῦ ἑαυτοῦ κάλλους ἔρωτι ἁλῶναι αὐτὸν ἑαυτοῦ· ἵνα δή τι τὸν πόθον ἀναπληροῖ, πηγαῖς ἑαυτὸν καὶ φρέασιν ἐφεδράζειν, ὡς ἂν ἔχοι ἀπορρέον τοῖς ὕδασιν εἴδωλον ἑαυτοῦ καθορῶν, τὸν πράλογον ἔρωτα θεραπεύειν· ὁ δὲ τοῖς τοιούτοις θεάμασι προσκείμενος λιπαρώτερον λανθάνει γε πρὸς φρέατι ὀλισθήσας ὕδατος πλήρει, καὶ οὕτω τυχὼν ὧν ἠπείγετο λαβεῖν ἀπώλεσε τὴν ζωήν.

P. 259. *σαφέστατα* κ. τ. λ. προσφόρως ἐξελάβετο τοῦτο, κἂν οὐχ οὕτως ἔχῃ τὸ ἀκριβές.

P. 261. *μαστ. τρ.* μαστίχην τρώγοντες, μασώμενοι μαστίχην, δῆθεν τοῦ ἀποκαθαίρειν τὸν ῥύπον τῶν ὀδόντων.

μετωποσκόπους· τοὺς φυσιογνώμονας λέγει.

P. 262. *οὐ γὰρ δεινὸν* κ. τ. λ. τῷ διπλασιασμῷ τὴν ἀγανάκτησιν ἐπιστώσατο ὅσης τοιοῦτό τι παριστῶν οὐ δεινὸν, οὐ δεινὸν ἄνδρα γέροντα ὄντα, τὸ εἶναι βούλεσθαι ἐπὶ δόκησιν ἐκφέρειν.

P. 263. *κάλλεσιν* (in cod. κόλλεσιν)· κόλλεσιν γὰρ τὸ ὑπὲρ κεφαλῆς κτενοειδὲς ἐρυθρὸν σαρκίον τῶν ἀλεκτρυόνων.

ἐκτιλτέον· τί τοῦτο φῄς, μακάριε Κλήμης, μὴ κείρεσθαι μηδὲ ξυρεῖσθαι τοὺς ἄνδρας; καὶ μὴν ὁ Παῦλος γυναιξὶ μὲν αἰσχρὸν τοῦτο προσεῖπεν, ἀνδράσι δὲ οὔ· εἰ δὲ οὐκ αἰσχρὸν, οὐδὲ κωλυτέον. Τίς οὖν ἡ ἄκαιρος αὕτη καὶ πολυπράγμων ἐθελακρίβεια, ἥτις καλὴ μὲν, ἀλλὰ τοῖς πάνυ τὸν βίον ἐκδεδρακόσιν, οὐ μέντοι καὶ τοῖς πολιτεύειν ἐπαγγελλομένοις Χριστιανοῖς; σὺ δὲ μηδὲν τούτων διαστειλάμενος ἁπαξάπαντας τούτοις ὑπάγεις Χριστιανούς· ἀδικοδοξοῦντος ὁ τρόπος.

P. 264. *λορδουμένους*· οἱονεὶ τὰ ὀπίσθια τῶν ψυῶν συνιζάνοντας, τὰ στήθη προεξανιστᾶν προπετῶς· τοιοῦτο γὰρ ὁ λορδὸς σημαίνειν βούλεται, ἀντίθετος ὢν τῷ κυρτῷ, ὃν ἡ συνήθεια στηθόκυρτον οἶδε καλεῖν.

εἰς ὕβριν ἠδ. ἔοικεν ὁ σοφὸς οὗτος διδάσκαλος διὰ τὴν τοσαύτην τῆς ὕβρεως ὑπερβολὴν, ἐπὶ τὸ πάντη σκληρότατον τὴν διδασκαλίαν προενεγκεῖν, ἀπ' ἐναντίας χωρῶν τῶν ἐκδεδιητημένων τούτων ἐθῶν τε καὶ παμμιάρων, ὡς ἂν τῶν πληκτικῶς ταῖς ἑαυτῶν ἀκοαῖς ὑποβαλόντων τοὺς λόγους βουλομένων πείθεσθαι τῷ διδασκάλῳ· εἶτα τοῦ ἄκρου ἀποστοχούντων, ἡ πρὸς τὸ μέσον αὐτοῖς συνενέγκοι κατευστοχία.

ἀνδρίζονται κ. τ. λ. τὰς μιαρὰς τριβάδας λέγει, ἃς καὶ ἑταιριστρείας (35) καὶ Λεσβίας καλοῦσι.

P. 266. *Οὐ γὰρ θέμις ἐκτῖλαι*· καὶ μὴν ἀρτίως οἱ Ῥωμαίων ἱερεῖς, ὥς τι τῶν ἐξαιρέτων ἀποξυροῦνται τὸ γένειον.

P. 269. *Ἀγύρταις καὶ μητραγ.* ἀγύρται μὲν οἱ ἔργον ποιούμενοι τὸ τὰς ἀγυιὰς περινοστεῖν φλυαρίας τε συνείρειν· μητραγύρται δὲ οἱ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, τῇ Ῥέᾳ, ἀνακείμενοι· γοητειῶν εἰσηγηταὶ καὶ

(32) Fortasse ἐκκαλυμ. vel ἀποκεκ. SCHINAS

(33) Cod. πέλιον. Scribendum est πελίον vel πελιόν. IDEM.

(34) Cod. ὀστρίων.

(35) Lege ἑταιριστρίας. SCHINAS

Digitized by Google

φίλτρων δῆθεν συσκευασταὶ, οὓς καὶ Γάλλους καλοῦσιν, ἀποκόπους ὄντας τῶν γεννητικῶν μορίων καὶ πρὸς τὰ αἰσχήμονα πάθη ἑτοιμοτάτους.

P. 270. *Τὴν δὲ ἀγνείαν·* δοκῶ μοι τοῦτο ὑπερβολὴν ἐμφαίνειν αἰσχρότητος, ἣν καὶ ὁ μακάριος ἀπόστολος Παῦλος ὑπέφηνεν διὰ τοῦ εἰρηκέναι· Αἵ τε θήλειαι αὐτῶν μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν, προφάσει τοῦ ἀνέπαφοι εἶναι ἀνδρείων μορίων κατὰ τὴν τοῦ θήλεος χρῆσιν, ἀγνείας δήπουθεν χάριν.

P. 271. *Μελιταίου·* Μελιταῖον κυνίδιον, μικρὸν, ὃ ναννούδιον (36) καλοῦσι κατὰ στέρησιν τοῦ ἄνω ἰέναι· (ἔστι γὰρ ὑποκοριστικὸν τοῦ νάννος)· νάννον δὲ τὸν μικρόν φασιν ἄνθρωπον· Μελιταῖον δὲ λέγεται, ὅτι ἀπὸ Μελίτης ἐστὶ τῆς νήσου, ἥ ἐστιν ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει.

P. 272. *Ἐσχαρίδες·* ἃς νῦν ἀρούλας καλοῦσιν· ἐπιτευκτικώτερον δὲ, τὰ κατζία οὕτω νῦν καλούμενα λέγειν.

P. 273. *Ἀποδυσάμεναι* κ. τ. λ Ἡροδότου τοῦτο ἐπὶ τῆς Κανδαύλου γυναικός.

P. 274. *Κινύρα·* Κυπρίων βασιλεὺς ὑπερβάλλων πλούτῳ· οὗτος ἱστορεῖται κατὰ χόλον Ἀφροδίτης βιασθῆναι τῆς αὐτοῦ θυγατρὸς Μύῤῥας, ἐξ ἧς Ἄδωνις.

ἀπειροκαλίας· τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ ἀπείρως ἔχοντος τοῦ ἀγαθοῦ εἴρηται καὶ ἐπὶ τοῦ ὑπερβάλλοντος τῷ καλῷ· πλεονάζει δὲ ἡ τοῦ προτέρου χρῆσις.

P. 272. *Ὑπὸ τὴν ῥάμνον·* ἄρκευθον ἡ Γραφὴ λέγει, καὶ ὀλυρίτην ἄρτον· ὄλυρα δέ ἐστιν ὃ οἱ πολλοὶ β.μιον (37) καλοῦσιν.

ἐγκρυφίας· ὁ ὑπὸ τῇ σποδῷ ὀπτώμενος ἄρτος ἐγκρυφίας εἴρηται παρὰ τὸ τῇ σποδῷ κρυπτόμενος ὀπτᾶσθαι.

P. 277. *ὁμολογεῖ γὰρ ἡ Γραφὴ* κ. τ. λ. καὶ πῶς ἀλλαχοῦ οὐκ ὠφελήσει, φησὶν, ὑπάρχοντα ἐν ἡμέρᾳ κακῇ;

A *βδαλλομένους·* βδάλλειν τὸ ἀμέλγειν παρὰ τὸ βίᾳ ἐκθλιβόμενον ἀλδίσκειν (38) τὸ γάλα.

ἀναγνώτω· ἀναγνώτω καὶ τό· Οὐ λιμοκτονήσει Κύριος ψυχὴν δικαίου, καὶ γνώτω ὡς οὐ περὶ αἰσθητῶν ἄρτων ὁ λόγος οὗτος.

P. 278. *κεῖνος μὲν παράρ.* εὐφυέστατα τὸ Ἡσιόδειον παρῴδησεν.

P. 283. *φαινίνδα* (39) *παιδιάν·* παιδιὰ ἡ φαινίνδα τοιαύτη· σφαῖραν κρατῶν τις τῶν παιζόντων παίδων, εἶτα ἑτέρῳ προδεικνὺς ταύτην, ἑτέρῳ αὐτὴν ἐπέπεμπεν. Ὠνόμασται δὲ ἢ ἀπὸ Φαινίνδου τοῦ πρώτου εἰπόντος ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, ὅ ἐστιν ἀπατᾷν, καὶ γὰρ ἠπάτα ὁ ἑτέρῳ μὲν δείξας, ἑτέρῳ δὲ ἐπιδούς.

ἀγρόνδε· ἀντὶ τοῦ εἰς ἀγρόν.

P. 284. *τὸ γεγωνόν·* τὸ μεγαλοφώνως καὶ τορῶς· γεγωνὸν γὰρ λέγεται τὸ μέγα φθέγμα.

P. 289. *γεγυμνωμένους·* in marg. ἐγγεγλυμμένους.

B *τῇ παλινῳδίᾳ·* οὐ πάνυ κυρίως τὸ τῆς παλινῳδίας ἐπὶ τοῦ σχήματος τῆς ἀναδιπλώσεως ἔταξεν.

P. 293. *κλαδαρόν·* κεκλασμένον καὶ ἔκλυτον καὶ τὸ ἐπαγωγὸν σοφιζόμενον.—Κλαδαρὸν ἀντὶ τοῦ διακύπτουσαι δῆθεν τοῦ μὴ βλέπειν ὑποπτευθῆναι, κλέπτουσαι δὲ τὸ ὁρᾷν τῇ προσποιήτῳ ταύτῃ γνώμῃ.

P. 296. *οἷα γὰρ δέσποινα* κ. τ. λ. in marg. οἷαπερ ἡ δέσποινα, τοία χὴ κύων.

P. 297. *δεισαλέαις·* δεῖσα καὶ τὴν ὑγρασίαν καὶ τὴν ῥυπώδη σύστασιν ὑγρὰν σημαίνει.

P. 308. *τὸ Πνεῦμα μὴ* κ. τ. λ. ἤτοι τὴν πρὸς τὰ σπουδαῖα θερμότητα μὴ διὰ ῥαθυμίας ἀποσπεύδειν ἢ τὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ δοθεῖσαν ἡμῖν χάριν τοῦ ἁγίου Πνεύματος μὴ διὰ μοχθηρίας βίου διώκειν, ἤτοι συμπνίγειν καὶ ἐναποσβεννύειν, ταῖς μιαραῖς ἀντιπνοίαις τῶν ἔργων ἡμῶν τὴν φωτιστικὴν αὐτοῦ φλόγα κατασοβοῦντας.

(36) Cod. νανούδιον et νάνος.
(37) Fortasse βάμιον

(38) Melius ἀλδήσκειν.
(39) Cod. φενίνδα.

Digitized by Google

DOMNI

NICOLAI LE NOURRY

PRESBYTERI

ET MONACHI ORDINIS S. BENEDICTI E CONGREGATIONE S. MAURI

DISSERTATIONES

DE

OMNIBUS CLEMENTIS ALEXANDRINI OPERIBUS

(*Apparatus ad Bibliothecam maximam Patrum*, t. I, lib. III.)

—

ADMONITIO.

—

1 *Quamvis inter editas tertio Ecclesiæ sæculo veterum Patrum lucubrationes primus in Bibliotheca Lugdunensi locus omnibus Clementis Alexandrini libris datus fuerit; nos tamen quibusdam non minimi certe ponderis rationibus adducti, de iis post alias eorumdem Patrum commentationes, secundo sæculo divulgatas, disputandum esse censuimus. Persuasum siquidem omnino habemus omnia, quæ ad nos pervenerunt, præcipua Clementis opera,* Admonitionem ad Græcos, *tres* Pædagogi, *et septem* Stromatum *libros, ab eo, uti postea demonstrabitur, sub finem hujusce secundi Ecclesiæ sæculi scripta, et publicam emissa fuisse in lucem. Quapropter cum Lugdunensi Patrum Bibliothecæ præfecti illos loco suo præponere moverint, æquum idcirco non duximus eorum vestigiis, quibus aliqui in errorem induci possent, nobis esse insistendum.*

Deinde vero nullus est qui nesciat quam varia et multiplici cum sacra tum profana eruditione et doctrina referti sint hi, atque in primis Stromatum *libri, quanta in eis ubique occurrant difficultatum repagula, quam frequentes salebræ, quot loca explicatu difficillima, a doctissimis compluribus viris tentata, nulli hactenus pervia, et a nemine complanata, quam sæpe etiam Hervetus, tametsi varia eruditione satis instructus, in longissimis horumce Operum commentariis plura sibi penitus incomperta, atque in iis quantalibet cura et diligentia investigandis oleum et operam prorsus perdidisse fatealur. Ut igitur ea pro virili parte nostra explicare, ut offusam plerumque de industria textui Græco obscuritatem removere, ut reconditos, et quos paganis ipsemet auctor occultare voluit, illius sensus patefacere, ut sacra et profana ejus documenta clarius exponere, aut aliorum auctoritate et testimoniis confirmare tentaremus, plurimis sane verbis opus fuit. Nobis itaque etiam invitis et reluctantibus, crevit voluminis hujus, et tertii dissertationum nostrarum libri moles, nec ei amplius alias adjicere potuimus, quas in tertii Ecclesiæ sæculi Patrum scripta publici juris propediem, Deo dante facturi sumus.*

Necesse porro non est has erudito benignoque lectori excusare, cæteris paulo prolixiores, nostras dissertationes. In iis enimvero ut more solito longiores essemus, duæ potissimum rationes coegerunt. Et primo quidem maximæ et summæ, quæ in his Clementis nostri libris passim, uti diximus, occurrunt difficultates a nobis explicandæ. Ad hæc vero iisdem hisce ex libris cum plurima alii postmodum scriptores hauserint, nullus procul dubio negabit harumce difficultatum enodatione præviam obscuris ac tenebricosis illorum locis facem præferri. Quamobrem nostra hæc, quæ non omnibus forsitan longior videbitur, oratio nos sicut in dissertationibus istis clariores, ita in subsequentibus breviores efficiet.

Nemo tamen eo nos temeritatis devenisse arbitretur, ut salebrosa quæque Clementis nostri loca complanasse, aut ubique et in omnibus scopum revera attigisse credamus. Nostræ siquidem infirmitatis magis conscii sumus, quam ut in mentem nobis unquam venire potuerit nos id fuisse assecutos, quod eruditissimi quidam homines ab ullo, nisi post diuturnum longioris vitæ tempus, in evolvendis veterum quorumlibet scriptorum lucubrationibus diligenter exactum, vix unquam fieri posse confitentur.

Non aliud itaque in his dissertationibus scribendis consilium propositumque nobis fuit, quam ut obscura Clementis scripta, ac potissimum Admonitio ad Græcos, *et* Stromatum *libri minori cum tædio, majorique cum fructu legi possint, atque iis viam muniamus, qui vel in perfecta illorum explicatione, vel ab omnibus jam diu desiderata nova eorumdem editione adornanda laborem impendere voluerint.*

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA.

DE COHORTATIONE AD GENTES ET DE TRIBUS PÆDAGOGI LIBRIS (1)

CAPUT PRIMUM

De Protreptico seu Cohortatione ad gentes.

—

2 ARTICULUS PRIMUS.

Analysis hujus libri.

Librum hunc ab iis Clemens orditur fabulis [1], quibus pagani fallacissime prædicabant Amphionem, Arionem et Orpheum suo cantu arbores et saxa loco movisse, feras delinivisse, atque Eunomum citharæ suæ chordam, quæ defecerat, ad cicadæ vocem miro plane modo perfectissime accommodasse. Hæc autem delirantium poetarum commenta, quemadmodum absurda Bacchi mysteria, in ipsis Helicone Citheroneque, jamjam obsoletis montibus, ita includenda esse docet, ut divinus cantor, solus Dei Filius, æternum Patris Verbum, ab omnibus deinceps audiatur. Non enim ille, cum homo factus est, Terpandri Capitonisve, aut aliorum, quibus homines primum in idololatriam aliaque crimina traducti sunt, molles effeminatosque musicorum modos cecinit; sed canticum novum, quo ferina saxeaque hominum corda [2] cœlesti suo cantu mollita, a servitute ad libertatem, ab impietate ad pietatem, a morte reduxit ad vitam. Divinum autem illud idem Verbum, ipso Lucifero antiquius, supremoque suo Patri coæternum, antequam ex Davide, qui spiritalibus canticis ab idolorum cultu avocabat homines, dæmonesque fugabat, humanam carnem assumpsisset, eadem cœlesti harmonia mundum condidit [3], ipsumque hominem ad Dei imaginem fabricatus est. Quamobrem etiamsi vetus paganorum error, novaque videretur Christianorum veritas, hos tamen, utpote qui in Verbo semper fuerint, illis omnibus, atque iis etiam Phrygibus et Arcadibus, qui falsam antiquitatem suam venditabant, longe vetustiores esse scriptor noster luculentissime demonstrat. At postquam diabolus [4], inquit ille, serpentis astutia Adamum, aliosque deinde homines a summa integritate et sanctimonia in idololatriam sceleraque omnia præcipitasset; idem Filius Dei, eorum semper misertus, illos primum per prophetas, ac postea ipse homo factus, per semetipsum ad verum Dei cultum, veramque religionem revocare non destitit, docuitque « quanam ratione homo efficiatur Deus. » Ex quibus Clemens concludit rejiciendas esse omnes paganorum consuetudines, solum Christum audiendum, ipsique morem, nulla plane interposita mora, ab omnibus gerendum.

Quod quidem ut paganis efficacius persuadeat, quam absurdi nefandique sint eorum cultus, demonstrandum aggreditur [5]. Primum autem quæ apud eos majore in pretio erant, vana petit, concutitque falsorum deorum oracula. Hæc vero quæ præstigiis plena, jam tum pleraque desierant, nimirum lebetem Thesprotæum, tripodem Cirrhæum, æs Dodoneum, Gerandryon, fontem Castalium, et Colophoneum; imo et Apollinem Clarium, A Pythium, Didymæum et Amphiaraum, atque Amphilochum, et cætera divinationum divinantiumque genera, augures, aruspices, aleuromantes, crithomantes, ventriloquos, adyta Ægyptiorum, Etruscorum necromantiam, necnon capras ac cervos, aliaque insana infidelium hominum portenta proscribenda, æternaque oblivione delenda esse docet.

Deinde [6] ad turpia, obscena, crudeliaque Bacchi et Cereris, aliorumque deorum mysteria et fabulas transit, atque ea sic enarrat ut illorum descriptione pagani, si quid sanæ mentis ipsis superesset, salutari pudore suffusi, ad saniora redirent. Hinc [7] certe viro illi, qui civem suum sacra matris deorum imitantem, telis confoderat, bene precatur. Addit vero mirum sibi prorsus videri, cur gentiles Evemerum, Nicanorem, Diagoram, Hipponem, Theodorum, aliosque quosdam, ideo tanquam atheos fuerint insectati, quod moderate continenterque 3 viventes, has de diis vanas opiniones su- B spectas exosasque habuerint. Denique palam ille omnibus facit insitam esse hominibus veri Dei agnoscendi facultatem : sed eos perversis opinionibus obscuratos, in idololatriæ scelus ruisse præcipites.

Septem porro modis illos in idololatriam fuisse adductos ostendit. Quidam enim, motus astrorum admirati, solem, lunam, aliaque astra deos esse censuerunt. Alii fructus terræ metentes [8], frumento ac vino Cereris et Bacchi imposuere nomen. Nonnulli ad vitii pœnas et calamitates animum cum advertissent, eas in deorum numero sic posuere, ut inde furiarum, seu Eumenidum, hinc cacodæmonum malorumque spirituum origo manaverit. Poetæ autem, ac deinde ex philosophis aliqui humanarum affectionum, metus et amoris, gaudii et spei tanquam deorum figuras et simulacra fingere ausi sunt. Imo vero quidam contumeliæ et impudentiæ erexerunt altaria. Ab aliis autem homines in deo- C rum ordinem evecti humana posthæc repræsentati sunt figura; atque inde Justitia, Clotho, Lachesis, Atropos, Parcæ, Auxo, Thallo, Atticæ. Duodecim quoque nonnulli introduxere deos, quorum theogonia ab Hesiodo et Homero decantata est. Alii tandem ex beneficiis divinitus, uti putabant, acceptis quosdam servatores Castorem et Pollucem, Herculem et Æsculapium, aliosque ejusmodi deos constituerunt. His itaque absurdis ingenii humani erroribus Clemens plerosque omnes a cœlo in baratrum detrusos esse haud dubitanter affirmat [9].

Paganos igitur ut ab hac impietate qua Christiani omnes soluti erant, facilius deterreat, ad ipsosmet deos ad vivum planius exprimendos, postea accedit. Quapropter manifestum primo facit varias omnino fuisse eorum de iisdem diis opiniones.

[1] pag. 1 et 2. [2] pag. 3 et 4. [3] pag. 5. [4] pag. 6, 7 et seq. [5] pag. 9. [6] pag. 10 et seqq. [7] pag. 15. [8] pag. 16. [9] pag. 17.

(1) Paginæ indicantur editionis Parisiensis quæ hoc signo ✠ textui inserto in nostra editione notantur. Ed. Patr.

Digitized by Google

Tres enimvero finxerunt Joves, quinque Minervas, sex, imo innumeros Apollines, plures Æsculapios, multosque Mercurios et Vulcanos. At hos et alios quoscunque nihil nisi homines fuisse ex eorum origine, patria, arte, vivendi genere, vinculis, servitute, vulneribus, morte, sepulcris invictissime demonstrat [10]. Quid plura? id certe ex eorumdem deorum ac dearum vitiis ac flagitiis, lascivia, stupris, adulteriis, et aliis quæ quidem ut majorem eorum omnibus incutiat horrorem, recensere non veretur, infandis sceleribus adhuc luculentius asserit [11]. Quapropter nefarios illos falsorum sceleratorumque numinum cultores, Ægyptiis, aliisque qui bruta animantia, feras et pisces venerantur, convincit esse deteriores.

Neque vult sibi a paganis responderi non primi quidem, sed secundi ordinis hos esse deos, quibus idcirco solum dederunt dæmonum cognomen. Docet enim hos [12], utpote helluones ac scelere perditos, sibi minime debitos honores ab hominibus præpostere prorsus extorsisse. Quocirca Hesiodum, qui decies ter millia immortalium dæmonum, humanæ custodiæ præposita absurde cecinerat, pulchre irridet [13]. Subjungit deinde hos dæmones, seu deos aut semideos, tantæ esse crudelitatis, ut illi, sicut Jupiter, Bacchus, Diana Taurica, et alii sibi homines immolari voluerint. Crudelibus igitur infestisque illis hominum inimicis Cyrum et Solonem longe præstare demonstrat. Hujus enimvero invocatione, et illius imperio, Crœsus Apollinis oraculo in rogum ubi cremaretur deductus, ab igne liberatus est. Itaque miratur quomodo in hominum mentem venerit ut dæmones illos lege lata coli adhuc juberent.

Nec minus mirum ipsi videtur cur templa diis poni, et sacrificia fieri, primum a Phoroneo seu Merope, aut a quolibet alio præceptum fuisse perperam jactitarent. Tantæ siquidem hæc non esse antiquitatis eo probat, quod amorem seu cupidinem, qui ab illis antiquissimos inter deos collocatur, nemo ante Charmum coluerit. Neque Athenienses quis Pan esset prius noverant, quam id a Philippide didicissent. Qui quidem mos perversus cum paulatim invaluisset [14], tunc exstructa sunt templa ac cuncta deinde simulacra. Hæc autem templa nihil aliud quam deorum sepulcra fuisse, postquam brevi certaque inductione ipso sole meridiano clarius patefecit, inde merito gentiles castigat, quod eos tanquam deos adorare non erubescerent, quos mortuos esse credebant.

Postea vero majorem in absurdo simulacrorum cultu fuisse eorumdem paganorum errorem scite arguit. Plane siquidem et perspicue ostendit illa primitus ligna fuisse, saxaque inelaborata, truncos excisos, simplicesque columnas, vel tabulas, vel hastas, gladiosve aut acinaces. At postquam homines in imaginibus et statuis humanam didicissent exprimere effigiem [15], tunc impium eorum cultum, per omnem orbis terræ partes pervagatum longa statuarum Jovis Olympii, Junonis Samiæ et Tirynthiæ, Apollinis, Neptuni, Dionysi, Minervæ, aliarumque a peritissimis artificibus effictarum recensione certissime conficit. Facta autem ibi Serapidis cum simulacri, tum sepulturæ mentione [16], rursus in deorum templa, ac illius præsertim quod turpi Antinoo imperator posuerat, acrius invehitur; eaque sicut et pyramides, mausolea, et labyrinthos probat esse deorum sepulcra, ac prænuntiatam a Sibylla fuisse templorum Dianæ Ephesinæ ac Serapidis destructionem.

Ad simulacra inde reversus [17], quanta sit in iis adorandis impietas, hinc auctor noster liquido convincit, tum quia illa non solum ab ipsismet sæpe paganis contumeliose tractata, cuilibet vilissimo animali postponenda sint; tum etiam quia ex iis plurima vel a quibusdam hominibus spoliata, vel inquinata ab avibus, aut direpta a prædonibus, aut terræ motibus eversa, aut tandem sicut celeberrima quædam, quæ ille ibidem designat [18], deorum templa, ignibus et incendio consumpta, penitus exciderunt.

Nec ictu sane leviore hæc eadem simulacra concutit, cum invictissime ibi probat artifices peritissimos quibusdam statuis earum, quas deperiebant, meretricum expressisse imagines. Eadem vero petulanti et inulta improborum statuariorum audacia factum esse putat, ut quidam non modo reges, sed privati etiam homines, quos omnes nominibus suis singillatim appellat [19], crediderint datam sibi fuisse deos sese renuntiandi potestatem. Ad hæc vero, et hinc quoque factum esse ait, ut et urbes et gentes integræ quosdam, ac eos quandoque ipsos, quos dum essent in vivis plane despexerant, impia adulatione in deorum album extulerint. Horum ergo aliorumve deorum simulacra, cœlo veroque Deo derelicto, minime adoranda esse concludit. Nihil enim sunt aliud nisi terra [20], cui artificis ope figura aliqua adjecta est. Illud autem inde confirmat, quod eæ statuæ tanta arte effictæ, turpes adeo sint et obscenæ, ut quidam meretricio nefarioque earum amore arserint. Sed majoris, inquit, quam hi artifices, criminis ii sane rei sunt, qui eas colunt et adorant. Imo vero hos illis bestiis affirmat esse deteriores, quas quidem, si simias tamen excipiens, maxima earumdem statuarum cum archetypo similitudo nonnunquam decepit.

Non minorem porro asserit esse impietatem illam, qua tot tamque perniciosi statuarum artifices, atque etiam pictores et poetæ [21] omnino ridiculam inducebant deorum turbam, puta satyros, nymphas, naiades et nereides; qua etiam magi dæmones sibi servos fecisse gloriabantur; qua demum poetæ impune deorum suorum nuptias, adulteria, puerperia, convivia canebant. At Christianis qui, uti ipse subjungit [22], Deo dicati sunt, fas non est ullis plane stupris aut fornicationibus vel ipsas quidem aures suas inquinare. Contra vero pagani obscenissimas, quas ille ibidem acerrime exagitat, deorum imagines, et annulos turpissimos domi, omniumque aspectui nunquam non expositos, servare non verebantur. Quapropter ea omnia respuenda esse docet, et soli qui cuncta creavit, Deo serviendum.

Ad refellendas dehinc philosophorum falsas de Deo opiniones non prorsus inepta transitione Clemens noster delabitur [23]. Ac primo quidem hos obiter perstringit, qui ea quæ in cœlo sunt adoranda censebant. Tum continuo alios redarguit, qui quatuor elementa, aut unum ex iis, aut præter illa contentionem et amicitiam prima principia et deos esse opinabantur. Non minus quippe stultos et impios illos esse probat quam plebeios quosque homines, qui ligna, lapides et terram, qui Neptunum et Vulcanum, qui denique simpliciter aquam vel ignem adorarunt. Præterea vero cum Persæ vel Sarmatæ antequam prima ad hominum instar statua Veneris Tanaidis facta sit, ignem coluerint, inde ille colligit [24] philosophos ex iis suam de primis principiis desumpsisse opinionem. Anaximandri deinde, qui infinitum, atque Anaxagoræ et Archelai, qui cum infinito mentem primum principium esse existimabant, convellit sententias. Neque minori sane evidentia assertum a Leucippo et Metrodoro plenum et inane, atque adjecta utrique a Democrito et Heraclide εἴδωλα, seu species et imagines ipse penitus repudiat. Eadem facilitate errores evertit [25], cum Alcmæonis, qui astra deos esse garriebat, tum etiam

[10] pag. 18 et seqq. [11] pag. 25. [12] pag. 26. [13] pag. 27 et 28. [14] pag. 29. [15] pag. 30 et 31. [16] pag. 32. [17] pag. 33 et 34. [18] pag. 35. [19] pag. 36 et 37. [20] pag. 38. [21] pag. 39. [22] pag. 40, 41. [23] pag. 42. [24] pag. 43. [25] pag. 44.

Digitized by Google

Xenocratis septem non solum planetas, sed octavum quemdam, scilicet mundum, cujus tamen nomen reticebat, in deorum ordinem referentis. Posthæc vero Stoicos, Deum omnia omnino, etiam vilissima quæque pervadere arbitrantes exsibilat et explodit. Aristotelem porro parum sibi constare probat; quippe qui hujusce mundi animam, Deum ipsum ita esse contenderet, ut intra lunaris orbis terminos providentia illius circumscriberetur. Neque veriorem Theophrasti, ipsiusmet Aristotelis familiaris, Deum alicubi cœlum, alibi vero spiritum asserentis, censet opinionem. Postremo ille irridet et refellit Epicurum, qui Deum res humanas curæ ullo modo habere præfracte inficiabatur.

Explosis itaque his omnibus falsis futilibusque philosophorum sententiis, ad alios transit, qui veriora de Deo senserunt, tradideruntque. Primus autem ex iis Clementi nostro sese obtulit Plato [26], a quo quidem quamvis haud obscure dicatur naturam divinam non posse ab hominibus explicari, negat tamen idem Clemens ipsis ab illius inquisitione et investigatione idcirco esse desistendum. Cunctis enimvero, ac iis potissimum, qui in doctrina et litteris versantur, adeo insitum est quoddam Divinitatis effluvium, ut omnes Deum unum esse ingenitum et immortalem, velint nolint, fateantur necesse sit. At illud profecto auctor noster maxime approbat, quod ab eodem Platone traditum legitur, Deum omnium rerum esse regem, causam et mensuram; sed hunc philosophorum facile principem a barbaris scientias humanas quemadmodum veras leges, veramque de Deo cognitionem ab Hebræis accepisse nullum ille putat esse dubitandi locum [27]. Neque ex alio fonte, nisi ex isto, aut ex divino instinctu haustum id censet, quod vel Antisthenes docuit Deum nulli similem ex imagine agnosci non posse; vel quod Xenophon scripsit Deum, a quo omnia moventur vel consistunt, magnum et potentem esse, sed qua forma sit, nulli cognitum; vel quod Cleanthes Stoicus [28] paucis carminibus veram Dei naturam luculenter expressit; vel quod Pythagoræ sectatores palam tradiderunt, Deum ita unum et semper esse, ut totus sit in toto mundo, omnium creator, pater, mens, animatio, et motus.

Quid vero quod non modo philosophos, sed ipsos etiam poetas, etsi in fabulis falsisque narrationibus cantandis fere semper occupatos, aliquando tamen vera de Deo cecinisse perspicue demonstrat? Testes etenim Aratum Hesiodumque citat [29], qui Deum imperio suo omnia continere affirmant. Deinde vero rursum Hesiodi atque etiam Sophoclis et Orphei refert carmina [30], quibus unum duntaxat Deum, solumque immortalem, ac rerum omnium conditorem aperte pronuntiarunt. Huc etiam vocat Menandrum, Euripidem et Homerum [31], qui versibus suis deos irridere, nec sine probris et maledictis exsibilare et proscribere minime veriti sunt.

Posthæc autem contra paganos divina Veteris ac Novi etiam Testamenti auctoritate pugnat, manifestumque facit sacros illius auctores, sancto Spiritu afflatos, ullo absque verborum fuco, apparatu et ornamento veræ non modo religionis jecisse fundamenta, sed homines etiam a vitiis et idololatria avocasse, eosque sanctis imbuisse vitæ morumque præceptis et institutis. Quod quidem ab eo variis Sibyllæ, Jeremiæ, Isaiæ, Moysis, Amos, Salomonis, Davidis, atque etiam Apostoli testimoniis mirum in modum probatur [32]. Addit se adhuc posse alios innumeros conjicere earumdem Scripturarum locos, quibus Deus homines ad impios deorum idolorumque cultus rejiciendos et veram religionem amplectendam mirabili benignitate admonet, obsecrat, instat, urget, obtestatur. Tum deinde auctor noster A paganos merito arguit, quod amantissimum illum patrem, qui summa prorsus et incredibili bonitate eos æterna felicitate gratis et cito beare volebat, audire detrectantes, sese sponte sua in infernum præcipites dabant.

Vanam subinde [33] et frivolam eorum evertit responsionem, qui traditam a patribus suis consuetudinem labefactandam esse negabant. Quantæ enim, Deus bone, in diversis, inquit, vitæ humanæ ætatibus fiunt immutationes! Cur ergo, pergit ille, impii homines a vitiis ad pietatem, a nefario idolorum cultu ad veram religionem, sine qua nullus æternam salutem consequi poterit, accedere recusabunt? Et id quidem ut paganis facilius suadeat, ostendit eorum presbyteros, 5 sordida veste diis sacrificantes, videri deos potius lugere, quam colere; et illorum sepulcra potius indicare quam templa venerari. Quapropter eosdem gentiles ut priora delicta pœnitendo corrigant [34], et ad Dei confugiant misericordiam, non sine quibusdam eloquentiæ flosculis iterum provocat, Deumque ipsum eos alloquentem, hortantem, et æternæ felicitatis bona eis pollicentem [35], haud ineleganter inducit. Auctor itaque et suasor eis est, ut nulla interposita inconsideratæ consultationis procrastinatione, morem illi gerant; nec audiant amplius factores simulacrorum, et lapidum adoratores, qui Alexandrum Magnum, aliosque homines in deorum numerum referre ausi sunt. Hos enim artifices et cultores simulacrorum iniquissimos, et dæmone ipso infeliciores esse ostendit. Nulla enimvero perversitas potest esse major, quam eorum qui colunt idola, quando quidem nullus artifex [36], neque Phidias, neque Apelles, neque ullus alius spirantem unquam imaginem vel statuam fecerit. At cum solum Verbum divinum, Filius Dei, et vera Dei Patris imago, vivam sui in homine imaginem expresserit, hinc arguit eum solum adorandum, pravamque idola colendi et adorandi consuetudinem sacris baptismi undis esse sepeliendam. Et id quidem pagani nisi cito perficiant [37], ac sicut Ninivitæ anteactæ vitæ pœniteant, eo minus venia digni erunt, quo facilius potuerunt et Deum cognoscere, et veram religionem amplexari. Quocirca eos sedulo monet, ut, ad saniora redeuntes, in idola quæ nihil aliud quam lapides sunt, excolenda et adoranda facultates, vitamque suam non amplius insumant.

Nulla quippe deorum simulacra et effigies, neque etiam area, iris, dies, mensis, annus, et tempus, ac proinde nec ea quibus eorum mensura definitur [38], nimirum sol et luna dii ullo penitus modo dici possunt. Ex quibus ille recte colligit longe absurdiorem esse eorum opinionem, qui Pœnam et Supplicium, Justitiam et Nemesin, Furias, Parcas, Fatum, Rempublicam, Gloriam, Plutum seu divitias, Verecundiam, Amorem, Venerem, Somnum, Mortem, Enyonem seu Bellonam, Martem, Cometas et Fortunam deos esse frustra existimabant. Atqui si nullum ex eis, inquit Clemens, neque ulla imago et statua sit Deus, et quædam tamen in nos divina potentia cernatur, quid aliud superest, nisi ut unum verum et solum esse Deum confiteamur? Orat ergo ut pagani, a somno tandem excitati, hunc Deum, idolis aliisque fictis numinibus repudiatis, aliquando cognoscant.

Hunc porro Deum, minime autem tot dæmonum in terra habitantium myriades, totius terrarum orbis dominum esse demonstrat. Homines itaque a Deo creati [39], cum terræ fructibus continuo alantur, tot certe tantisque ejus beneficiis affecti, debent eorum agnoscere auctorem. Sed pagani, illorum prorsus immemores, et sicut Niobe Lothique uxor, omnis sensus expertes, impio non solum cultu fe-

[26] pag. 45. [27] pag. 46. [28] pag. 47. [29] pag. 48. [30] pag. 49. [31] pag. 50. [32] pag. 51 et seqq. [33] pag. 57. [34] pag. 58 et seq. [35] pag. 61. [36] pag. 62. [37] pag. 63. [38] pag. 64. [39] pag. 65.

Digitized by Google

ras, ligna et lapides adorant, sed graculum etiam et corvum Dei nuntios esse sibi adeo stulte persuaserunt, ut homines, qui illos ad justitiam et pietatem vocant, crudelissime persequantur. Quocirca spiritalem eorum cum cæcitatem, tum surditatem, quod quidem malorum omnium maximum est, eo magis deplorat [50], quo ipsis facilius, promptiusque sit ad Dei pervenire cognitionem. Verum non secus ac serpentes incantationibus, ita illi obvio lumini oculos, auresque divinæ voci, nunquam non personanti, semper occludunt. Monet ergo ut Verbum divinum audire non amplius recusent, sed, pristini erroris pœnitentes, Deo credant et Christo, qui, homo factus, et mortuus, solus ex omnibus hominibus Deus est. Qui enim illum vere quærunt [51], ejusque parent legibus, vita æterna ipsis merces erit et pretium.

Divinis porro illius institutis quandoquidem nihil plane æquius est et sanctius; omnes profecto eorum prævaricatores belluis, quæ nihil contra statas naturæ suæ leges agunt, deteriores esse convincuntur. Paganos igitur vehementer adhortatur, ut, antiquis erroribus, in quibus tamdiu versati sunt, tandem depositis, veram profiteantur Christi fidem. Omnes siquidem ejus discipuli leges suas, quas Clemens noster sanctissimas esse probat, non sicut alii populi uni cuidam ex Græciæ sapientibus, sed ipsimet Deo acceptas referebant [52]. Neque ille sibi objici patitur eas esse duriores. Christus quippe summo et divinissimo redemptionis humanæ beneficio dura quæque et aspera complanavit. Unde auctor noster concludit neque Athenas, neque Græciam, neque Ioniam, aut philosophos, sed solum Christum audiendum, eique et ejus discipulis, veritatem annuntiantibus, habendam fidem. Et vero omnibus ethnicorum sapientum legibus, quam longe præstantiora sint Christi præcepta, liquido aperit, ostenditque [53], Christum verum esse justitiæ solem, qui, fugatis errorum tenebris, morteque cruci affixa, divinam nobis hæreditatem ultro impertitur. Pro tantis autem beneficiis nihil ait ab ipsomet eodem Christo postulari aliud, nisi ut veram pietatem, debitumque ipsi cultum exhibeamus. Clemens itaque paganis suadet ut, audita Christi voce, nemo obsurdescat amplius; sed omnes divinis salutaribusque illius mandatis obtemperent, atque ad ejus classicum singuli cœlestia ejus capiant arma, fidem scilicet et justitiam. His enim armis quisque certam a spiritali hoste victoriam reportabit; cum Deo enim conversatus, eumque imitatus, æternam salutem consequetur [54].

Ad ea porro ipsemet Christus, qui in regenerato homine sacrum, in quo Deus habitet, templum ædificat, illos semper hortatur et incitat. At Clemens prudenter monet voluptates, pravamque consuetudinem tanquam immanem Charybdim fugiendam, sacroque crucis ligno inhærendum; quo ad cœlestem portum possimus appellere. Ibi autem non fœdis amplius Bacchi orgiis [55], sed sanctissimis initiati mysteriis, circa eum, qui solus Deus et ingenitus est, choros cum angelis ducemus.

Postquam vero Clemens Christum induxit, paganos omnes ut ad se veniant hortantem [56], pollicentemque fore ut illos similes sibi efficiat, tum continuo eosdem excitat, ut ad illum accurrant, fiant homines pii et religiosi, ad honesta et sancta magno ferantur animo, nec iis unquam idololatriam, dedecus, atque impietatem deinceps anteponant. Cultores siquidem veritatis Deum totis viribus sequi [57], et seipsos totos ei permittere, ac toto corde illum diligere debent. Amicorum quippe communia cum sint omnia, vir religiosus, Dei amicus, omnia cum illo communia habebit. Ex quibus Clemens concludit solum Christianum, qui pius est et religiosus, esse divitem, temperantem, similem Deo, ejusque imaginem. Denique sermonem suum longius forsitan produxisse, si tamen sermo de vita, quæ nullum habet finem, longius produci potest, postquam paucis ille excusavit, nullum prorsus sibi dubitandi locum esse ait, quin gentiles id quod est præstantius, scilicet vitam potius quam mortem eligant et amplectantur.

ARTICULUS II.

De hujus libri auctore, ætate, titulo, argumento, ac totius operis divisione, elegantia, eruditione, et manuscriptis codicibus.

Librum hunc ab eo, cujus nomine inscribitur, nostro scilicet Clemente Alexandrino, fuisse editum nulla sane, ne minima quidem, potest esse controversia. Illi enim non ab omnibus solum antiquis codicibus manuscriptis, sed a cunctis etiam cujuslibet ætatis scriptoribus, Eusebio [58], Hieronymo [59], Cyrillo Alexandrino [60], Photio [61], aliisque postmodum innumeris invictissime asseritur. Quid vero quod et Clemens ipsemet se hujusce libri auctorem aperte prodit et denuntiat? Hæc siquidem sunt illius alia in *Stromatum* libris verba [62]: « Atque hæc de Græcorum quidem falsa religione satis, ut arbitror, ostendimus in libro qui dicitur Προτρεπτικός, abunde adhibitis iis, quæ eo faciebant historiis. » Καὶ περὶ μὲν τῆς Ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας ἱκανῶς, οἶμαι, ἐν τῷ *Προτρεπτικῷ* ἐπιγραφομένῳ ἡμῖν λόγῳ παρεστήσαμεν. κατακόρως, τῇ κατεπειγούσῃ συγκαταχρώμενοι ἱστορίᾳ. Quibus ille verbis hunc librum a se scriptum fuisse non solum testatur, sed titulum illius, et argumentum, quod in eo revera tractatur, haud obscure declarat.

Nemo autem aut nimium morosus, aut male sanæ mentis homo nobis objiciat alium quemdam, quam eum, de quo disputamus, librum ab ipso Clemente, aliisque laudatis auctoribus designari. Nam Eusebius [63], Cyrillus Alexandrinus [64], et Theodoretus [65], prolixa illius fragmenta Græcis, ut fieri assolet, totidem verbis retulerunt. Unde autem, quæso, ea potuissent transcribere, nisi ex vero et genuino hujusce operis exemplari, cujus in fronte haud falso inscriptum Clementis nostri nomen agnoverant?

De hujus itaque operis ætate certo et definite aliquid statuere longe difficilius videbitur. Nulla enim temporis, quo ab auctore suo fuerit editum, in illo vestigia occurrunt. Ex aliis tamen ejus lucubrationibus haud obscure colligimus, illud a Clemente antea fuisse conscriptum, quam suis *Stromatum* libris ultimam manum admoveret. In his quippe, uti paulo supra vidimus, illa « ad gentes Admonitio » disertis verbis ab ipso citatur. Ante annum ergo 194, circa quem peritiores critici, ut infra dicetur, libros *Stromatum* ab eodem Clemente divulgatos esse existimant, hæc ipsa « ad gentes Admonitio » publicam prodierat in lucem.

Utrum vero illa tribus quoque *Pædagogi* libris præiverit, nulla sane esset dubitandi ratio, si prima illorum phrasis, quæ in Herveti legitur editione, ab ipsomet Clemente vere profecta fuisse probaretur. Sed cum ea, ut postea dicemus, in utroque nostro codice Græca manu exarato non occurrat, et in aliis editionibus ut spuria et adulterina merito rejecta sit, nihil inde certi omnino et indubitati erui posse arbitramur. Photius tamen hanc *Admo-*

[50] pag. 66. [51] pag. 67. [52] pag. 68 et seq. [53] pag. 71 et 72. [54] pag. 73. [55] pag. 74. [56] pag. 75. [57] pag. 76. [58] lib. VI Histor., cap. 13, et lib. II Præp. evang., cap. 3 et 6, et lib. IV, cap. 16. [59] lib. de Script. eccles. et ep. 84 ad Magn. [60] lib. XVIII cont. Julian., p. 342. [61] Biblioth., cod. 110. [62] lib. VII Strom., pag. 711. [63] lib. II Præp. evang., cap. 3 et 6; lib. IV, c. 16. [64] loco cit. [65] De Græc. affect. curand., serm. 10, pag. 632.

Digitized by Google

sitionem tribus *Pædagogi* libris a Clemente præmissam asseveranter pronuntiavit [56]. Sic enim ille: Ὁ δὲ *Παιδαγωγὸς*, ἐν τρισὶ τόμοις... ἔχει δὲ τούτων καὶ προηγούμενον, καὶ συνταττόμενον λόγον ἕτερον, ἐν ᾧ τὴν Ἑλλήνων διελέγχει ἀθεότητα. « *Pædagogus* tribus libris..... quibus et alium præmittit adjungitque singularem librum, quo gentium refellit impietatem. » At quo fretus argumento id ita asseruerit, quando quidem ibi minime explicat, quid prohibet quominus ille aut ex aliis Clementis operibus et scriptis, aut ex testibus omni exceptione majoribus certam deduxerit assertionis suæ probationem? Et vero Clemens ipse in ejusdem *Pædagogi* prologo [57] clarissime docet « exhortatorium » sermonem, qui homines a falsa religione deterreat, iis esse præmittendum, quæ in *Pædagogi* libris pertractantur. Hac igitur auctoris nostri ratiocinatione, et ipsa Photii auctoritate fulti, haud dubitanter affirmare possumus hunc, quo de agimus, librum non modo *Stromatum*, sed *Pædagogi* etiam libris esse antiquiorem. Ea porro est horum librorum inter se connexio, quæ illos longo temporis intervallo a se invicem divulsos dici minime patiatur. « Admonitio » itaque « ad gentes » aliquo, sed non ita longo, ante annum 194, circa quem libros *Stromatum* scriptos esse postea ostendemus, in vulgus prodiisse dicenda est.

In hujus autem sententiæ confirmationem illud produci potest, quod ait Eusebius [58] Clementem, haud dubie nostrum Alexandrinum, ex iis unum fuisse, qui ante Romanum Victoris pontificatum supremam Christi divinitatem in suis adversus gentiles aut hæreticos libris constantissime propugnaverunt. At hunc, de quo disputamus, Clementis nostri librum ab Eusebio designari, et ipse quem indicat ejusdem libri titulus, et summa Christi divinitas in eo, ut infra videbimus, clarissime asserta, indicio haud plane incerto evincunt. Porro autem Victor Romano episcopatu anno Christi 192 dicitur esse inauguratus. Aliquo igitur ante hunc annum tempore librum istum a Clemente nostro publici juris factum fuisse haud prorsus inepte colligi potest.

Huc accedit quod iste liber iis videtur confectus esse sermonibus, quos ille, dum catechistæ officio circa annum 189 fungeretur, publicis in concionibus habuerat. Nulli siquidem dubium esse potest quin vir ille doctissimus maximam in eo munere obeundo operam contulerit, qua gentiles ab erroribus suis ad Christianæ fidei professionem adduceret. Quæ autem apud eos aliosque suos auditores peroraverat, hæc postmodum ut aliis omnibus similiter prodesset, scriptis tradita divulgavisse, vero sane est simillimum.

Quem vero titulum huic operi suo ipse præfixerit, si scire aveas, eum te docebit Eusebius [59]. Ab illo siquidem constanter appellatur πρὸς Ἕλληνας λόγος ὁ προτρεπτικός, « Liber ad gentiles exhortatorius. » In fine autem antiquissimi codicis Regii, hic quidem titulus eodem legitur modo: sed recentissima manu in hujus libri, sicut et manuscripti Claromontensis capite post verbum Κλήμεντος, cognomen στρωματέως haud dubie ut eo auctor noster ab aliis ejusdem nominis distingueretur, additum est. Verum hæc nulla sane erat, aut saltem levissima hujusce additamenti causa. Contra autem Hieronymus [60] verbo προτρεπτικός omisso, hanc lucubrationem simpliciter vocat « librum adversus gentes: » sed id procul dubio ab ipso brevitatis causa factum esse nemo non videt. Nam hic liber ab ipsomet Clemente, ut paulo ante dicebamus, Προτρεπτικός appellatur. Quod si et ab ipso ibidem verba « adversus gentes, » prætermissa esse causeris, scias velim illa esse subaudienda, quandoquidem et ibi se in eodem libro adversus falsam Græcorum religionem disputasse asseveranter affirmat. Liquet igitur veram 7 germanamque hujus libri inscriptionem eam esse, quam Eusebius et vetustissimus Regius codex integram repræsentaverunt.

Et vero hæc epigraphe totum prorsus hujusce commentationis argumentum complectitur. Ex illius quippe, quam dedimus, analysi quilibet facile intelligit Clementem operam omnem in eo consumpsisse, nihilque egisse aliud nisi ut gentiles ab impio idolorum falsorumque deorum cultu abductos, ad veram Christi fidem et religionem amplexandam adhortaretur.

Quamvis autem Clemens id continuato sermone, nullaque orationis suæ facta divisione prosecutus sit, si quis tamen hunc librum attentissime examinaverit, is certe perspiciet illum ab ipso Clemente varias in partes, a se invicem satis distinctas, fuisse distributum. Ne cui tamen id laboriosius molestiusque videatur, singulas hujusce libri partes in illius analysi ita separatim exhibendas esse censuimus, ut eæ ab omnibus possint haud ita difficulter deprehendi. Et hæc sane libri hujus in suas partes et capita distributio, ab eorum saltem aliquo fieri debuit, qui ei typis excudendo præfecti fuere. Hac siquidem partitione et ab auctoris mente non longe abfuisset, ac morosis hominibus ivisset obviam, qui majorem sermonis connexionem in Clementis nostri libro jure haud prorsus immerito desiderabunt.

Neque tamen dissimulandum esse putamus quædam passim in hoc libro inveniri loca iis quæ antecedunt et subsequuntur non omnino cohærentia. Neque etiam negabimus ea magno sine labore potuisse meliorem in ordinem ab auctore suo redigi et distribui. Sed hæc eruditissimo scriptori, qui ingenio quandoque indulsit suo, facile condonanda sunt. Nullibi enim, nec in iis etiam quæ notantur locis a scopo aberrat suo, neque extra propositi limites longius vagatur. Toto autem in opere argumentum suum non validis certisque tantummodo probat rationibus: sed varios quoque identidem spargit eloquentiæ flosculos, quibus animos legentium allicit, recreat et demulcet. Neque certe minus grata iis esse debet summa minimeque vulgaris illius eruditio, qua plenus est hic liber, et undique refertissimus. Hanc autem cum styli elegantiam, tum operis eruditionem Photius, utriusque nec iniquus, nec imperitus æstimator, scite adnotavit [61].

Duos porro hujusce operis Græcos codices manuscriptos nacti sumus. Prior est Regiæ bibliothecæ et venerandæ antiquitatis liber, in quo quædam Justini Martyris, Athenagoræ, aliorumque quorumdam Patrum, anno Christi, uti alibi diximus, 914, descripta sunt [62]. Posteriorem vero ex Parisini RR. PP. societatis Jesu collegii bibliotheca R. P. Harduinus pro more suo nobiscum perquam humanissime communicavit. Is porro liber in charta papyracea exaratus, recentioris quidem est manus: sed plures in eo, quemadmodum in superiori, variæ exhibentur lectiones, quas aliquando cum sese occasio dederit, per nos, vel per alios, qui recudendis Clementis nostri commentationibus operam navare voluerint, publici juris faciemus. In utriusque etiam manuscripti codicis marginibus quædam ad obscuriora Clementini textus loca breviter explicanda adjectæ sunt notulæ, ex quibus plurimæ ad calcem operum ejusdem Clementis nostri, a Gentiano Herveto excusorum, editæ sunt. At si

[56] Phot. Bibl. cod. 110. [57] pag. 78. [58] lib. v Histor., cap. 28. [59] lib. vi Histor., cap. 13, et Evang. præp. lib. ii, cap. 2, pag. 61. [60] lib. de Script. eccl., c. 48. [61] Phot. Bibl., cod. 110. [62] sup. lib. ii.

Digitized by Google

quid in illis animadversione dignum fuerit, id suis quibusque locis a nobis infra adnotabitur.

ARTICULUS III.

De hujus libri integritate, et de locis qui corruptionis arguuntur. Ubi de Corybantibus, et tertio eorum fratre occiso; de auriga Phrygis, seu Myrtillo, et Pelopis inferiis; de Jove Olympico, Pisano, et Ἀποτροπαίῳ; de divino honore, quem Thessali ciconiis tribuebant; de Neptuno qui in Teno colebatur, ejusque et Amphitrites statua Teni posita; de triplici Mercurio Andocyde, Amyeto et Typhone; de Minoe Jovis discipulo.

Utrum autem integer et omnino incorruptus ille liber ad nos pervenerit, in dubium haud immerito vocari potest. Depravatos enimvero plures illius locos, nulliusque manuscripti codicis ope hactenus sanabiles notavit Hervetus. At quemadmodum ille quosdam corruptionis perperam arguit, ita nonnullos, sed paucissimos scriptorum amanuensium incuria mancos et mutilos vix ac ne vix quidem a quoquam, nisi aliis manu exaratis codicibus adjuto, posse unquam sanari aperte et ingenue confitemur.

Ne quis tamen id a nobis gratis fictum existimet, operæ pretium esse duximus brevem de illis, antequam ad alia transeamus, instituere disputationem. Primus autem qui nobis occurrit locus ille est ubi Clemens de Corybantibus ait: « Hi cum tertium fratrem (τρίτον ἀδελφόν [62]) occidissent, caput mortui purpura contexerunt, et coronatum sepelierunt, ferentes in clypeo æneo ad radicem montis Olympi. » Hervetus autem etiamsi concedat hanc vocem τρίτον in Clementis exemplari et Eusebii, uti loquitur, « versione, » sed melius exscriptione, revera haberi, « nos tamen, inquit, Arnobium secuti, non tertium, sed « suum » fratrem vertimus, ut Græce legatur non τρίτον, sed ἑαυτῶν. » At ex quo Arnobii loco hanc emendationem ille desumpserit, nobis plane incompertum esse negare non possumus. Ipsius quippe Arnobii hæc sunt verba: « Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interempti ex sanguine natum apium [63]. » Quid autem, amabo te, Hervetus contra communem Clementini textus locutionem colligere inde potuit, nisi aliunde plures, quam duos, probaverit fuisse interemptos fratres?

Nescii quidem non sumus quatuor Cabeiros, qui iidem ac Corybantes esse dicuntur, ab Apollonii scholiaste recenseri. Sed is certe ab Herveto, minime vero Arnobius citandus erat. Cæterum quamvis certa omnino esset ea scholiastis auctoritas, poterat quidem Hervetus eam in suis animadversionibus observare, sed nihil tamen ab eo in Clementis textu idcirco erat immutandum. Pro auctoris enimvero nostri opinione pugnant alii non infimi nominis scriptores. Et primo quidem quid in illius defensionem his Julii Firmici verbis clarius et apertius? « In sacris Corybantum parricidium colitur. Nam unus frater a duobus interemptus est; et ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret, sub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus consecratur [64]. » Verum, inquies, hæc Julius ex corrupto Clementis textu delibavit, atque eo duce in eumdem lapsus est errorem. Sed quo, respondebimus, argumento probabis jam tum depravatum fuisse auctoris nostri textum, et inde a Julio hæc quæ tradit fuisse decerpta? Nobis sane constat illum ex Clemente ea non descripsisse, 8 quæ continuo subjungit: « Hunc eumdem Macedonum colit stulta persuasio, cui Thessalonicenses quondam cruento cruentis manibus supplicabant. »

Quibus ergo ex fontibus et scriptoribus hæc posteriora hausit, ex iisdem etiam et priora, quibus tres tantum dicuntur fuisse Cabeiri fratres, facile potuit haurire.

Deinde vero idem plane narrat Strabo, qui illud non ex Clemente, sed ex Acusilao se accepisse his verbis testatur: « Acusilaus Argivus, Cabeira et Vulcano natum ait Camillum: ex hoc tres Cabeiros, ex his nymphas Cabeiridas [66]. » Ex hoc autem Strabonis loco haud absurde quis colligat, ab Apollonii scholiaste et Mnasea, qui Camillum Cabeirorum quartum esse perhibent, patrem cum filiis confundi.

Nos certe non fugit Corybantes a Cabeiris fuisse a quibusdam distinctos, quandoquidem idem Strabo continuo subjungit: « Pherecydes ex Apolline et Rhytia novem Corybantes, qui habitaverint in Samothrace, e Cabeira Protei filia et Vulcano Cabeiros tres, et tres nymphas Cabeiridas [67]. » Sed quid hæc contra Clementis faciunt propositum, cum ille de Corybantum orgiis, in quibus Cabeiri fratris cædes haud dubie celebrabatur, tantummodo disputet? Denique etiamsi quorumdam scriptorum alia fuisset, quam Clementis ea de re opinio; quia tamen plures non minimi ponderis auctores prævios habuit, in ejus textu, non Eusebii tantum, sed manuscriptorum nostrorum auctoritate firmato, nulla plane mutatio fieri debebat. De Corybantibus et Cabeiris si plura quæsieris, adi Vossium lib. II *De idololat. orig. et progressu*, cap. 53 et 57; Natal. Comit. lib. IX *Mythol.*, cap. 7; Cœl. Rhodigin., etc.

Secundus Clementis locus, quem Hervetus depravatum esse censet, in editis sic legitur: Ἱλίσα δὲ ὑμῖν τάφος ἐστὶν, ὦ Πανέλληνες, ἡνιόχου Φρυγὸς, καὶ τοῦ Πέλοπος τὰς χοὰς, τὰ Ὀλύμπια ὁ Φειδίου σωτερίζεται Ζεύς [68]. « Pisa autem vobis, o Græci, est sepulcrum aurigæ Phrygis, et Pelopis inferias, Olympia sibi vindicat Jupiter Phidiæ. » Legendum enim arbitratur, τοῦ Πέλοπος χοαί, non autem τὰς χοάς. Quamobrem hunc locum ita Latine reddidit: « Pisa autem vobis, o Græci, est sepulcrum aurigæ Phrygis, et Pelopis inferiæ. Olympia sibi vindicat Jupiter Phidiæ. » Sed vana omnino et inutilis est hæc Herveti emendatio, quam non modo Eusebii [69], qui hunc retulit locum, ac manuscriptorum nostrorum fides respuit, sed verus etiam Clementis textus nunquam potest admittere. Cur enim, oro te, in tam longo Hervetus commentario, quid ibi Pelopis inferiæ significarent, nullo plane modo explicavit, nisi quia mentem Clementis non est assecutus?

Quæ autem ea auctoris nostri mens et sensus fuerit, si rogaveris, meminisse debes Olympiam urbem fuisse olim sitam inter Ossam et Olympium montem, non procul a Græciæ civitatibus Elide et Pisa, ubi templum erat Jovis Olympii, et figura illius a Phidia nobilissimo sculptore fabrefacta. Pelops autem Letrinæ, quæ Elidis civitas fuit, sepultus esse perhibetur. Is porro aurigam Phrygem habuit, nomine Myrtillum, qui promissa a Pelope pecunia sic corruptus est, ut illius fraude Œnomaus, Elidis et Pisæ rex, fracto curru dejectus interierit. Postea vero cum idem Myrtillus pactam perfidiæ mercedem a Pelope importunius postularet, ab eo in mare præcipitatus est.

Hic itaque Clementis, qui paucis verbis has paganorum fabulas et superstitiones exagitat, videtur esse sensus: Pisa Myrtilli aurigæ Phrygis, et a Pelope in mare præcipitati sepulcrum, atque etiam Pelopis inferias, quemadmodum Olympia statuam Jovis a Phidia effictam sibi vindicat. Cum autem Pisa non procul, uti diximus, ab Olympio monte

[62] pag. 12. [63] Arnob. lib. III adv. gent., p. 169. [64] De errore prof. relig., p. 151. [66] lib. X Geogr., p. 472. [67] ibid. [68] pag. 21. [69] lib. II Præp. evang., cap. 6, pag. 72.

Digitized by Google

posita esset, hinc eadem Jovis statua ab ipso Clemente Jupiter Pisanus alibi appellatur. « Athleta quidam non ignobilis, inquit, nec pusilli animi..... petens Olympia, cum Pisani Jovis aspexisset statuam : Si omnia, inquit, o Jupiter, mihi recte parata sunt ad certamen, merito mihi redde victoriam [70]. »

Ubi autem varia Jovis cognomina a Clemente recensentur [71], ibi Hervetus pro nomine Προστρόπαιος, quod in editis ac manuscriptis nostris codicibus constanter exhibetur, vult Ἀποτρόπαιος, esse substituendum. Nec sane immerito hanc emendationem prolato Luciani, a quo Jupiter ita cognominatus est, testimonio confirmat. Sed ea procul dubio non solum hujus, sed alterius loci correctio ex ipsiusmet Clementis textu poterat haud minus valide stabiliri. Deos enim tutelares, seu potius malorum depulsores alicubi vocat Προτροπαίους, vel, ut in codicibus manu exaratis legitur, Προστροπαίους; alibi vero Ἀποτροπαίους [72]. Ex hac autem posteriori lectione, quam sanam et genuinam esse nemo negabit, duos priores locos corrigendos quis diffitebitur? Verumtamen cum a Budæo [73] Προστρόπαιος Ζεὺς, is dicatur esse Jupiter, ad quem supplices vel egentes convertuntur; quique dicitur Piacularis, non tam facile e medio tollenda est illa communis editorum manuscriptorumque codicum lectio, quæ forsitan ab aliis peritioribus aliquando admittenda videbitur.

Hiulcum vero et hiantem Hervetus putat hunc esse Clementis locum, in quo ciconias a Thessalis honorari his verbis memorat : « Ex vobis ciconias honore affecerunt Thessali propter consuetudinem : » Θεσσαλοὶ μὲν ὑμῶν τοὺς πελάργους τετιμήκασι διὰ τὴν συνήθειαν [74]. Quid autem in hoc auctoris nostri contextu desit, non indicat quidem Hervetus : sed a vero prorsus alienum esse censet Thessalos, qui ciconias, ut ipse opinatur, pro diis non habebant, eas propter solam consuetudinem aliquo haud vulgari honore affecisse. At ille ad ea satis animum non advertit, quæ a Clemente contra Græcos disputantur. Ostendit enim Clemens eos Ægyptiis, quos propter impium animalium ratione carentium cultum nunquam non irridebant, aut meliores non esse, aut fortasse deteriores. Quod quidem Thessalorum exemplo primum probat, aitque ab illis ciconias coli διὰ τὴν συνήθειαν, vel potius σύνθειαν, id est eo quod eamdem illi ciconiis atque Ægyptii aliis animalibus divinitatem attribuerent. Et vero hanc unius litterulæ amputationem postulare videtur ipsa Clementinæ orationis consecutio et disputationis argumentum. Neque enim eo Thessalorum exemplo probaret eos Ægyptiis non esse meliores, nisi persuasum ipsi fuisset illos ciconiis, sicut Ægyptios aliis animantibus, aliquam tribuisse divinitatem. Verumtamen si ex verbo συνήθεια similem possis elicere sensum, illud cum editis et manuscriptis codicibus retinendum esse ultro fatebimur. Cæterum cultus ciconiis, eo quod serpentes devorarent, a Thessalis exhibiti, præter Plinium [75] ab Herveto citatum plures alii meminere, quos a Bocharto [76] laudatos invenies.

De alia Clementini textus depravatione expostulat Hervetus, ubi de Furiarum, Patareique Jovis, et Apollinis simulacris hæc leguntur [77] : Μὴ οὖν ἀμφιδάλλετε, εἰ τῶν Σεμνῶν Ἀθήνησιν καλουμένων Θεῶν, τὰς μὲν δύο Σκοπᾶς ἐποίησεν, ἐκ τοῦ καλουμένου λυχνέως λίθου. Κάλως δὲ ἦν μέσην αὐταῖν ἱστοροῦνται ἔχουσαι, Πολέμωνα δεικνύναι ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν πρὸς Τίμαιον. Μηδὲ τὰ ἐν Πατάροις τῆς Λυκίας ἀγάλματα Διὸς καὶ Ἀπόλλωνος, ἃ Φειδίας πάλιν ἐκεῖνα τὰ ἀγάλματα, καθάπερ τοὺς λέοντας τοὺς σὺν αὐτοῖς ἀνακειμένους εἴργασται. « Ne ergo dubitetis quin Severarum, quæ Athenis vocantur dearum duas quidem fecerit Scopas ex lapide, qui vocatur λυχνεύς. Calos autem eam, quam narrantur habere mediam, Polemonem in quarto eorum, quæ scripsit ad Timæum, ostendere aiunt : nec quin eas quæ sunt in Pataris Lyciæ, Jovis et Apollinis Phidias rursus sicut et leones, qui cum eis dedicati sunt, fecerit. » Hervetus et alii hujusce operis editores in his verbis Πολέμωνα δεικνύναι aliquid subesse mendi, aut verbum aliquod ipsimet auctori aut amanuensi ejus librario excidisse, haud plane immerito suspicantur. Quamobrem Hervetus illud sic corrigendum esse putat, ὡς Πολέμων δείκνυσιν, « ut ostendit Polemon. » Alii vocem φασί, « aiunt, » restituendam esse asserunt. Sed hæ emendationes nulla firmantur manuscriptorum nostrorum auctoritate. Eadem quippe in eis atque in editis codicibus occurrunt, nisi quod illi pro ἃ Φειδίας constanter ὧ Φειδίας habent. Præterea in codice Regio pro σεμνῶν, legimus ἀσμνῶν, sed ibi omissa est haud dubie littera ε, ἀσεμνῶν. Verum hæc ad præcipuum hujus loci corrigendum errorem nihil conducunt. Quia tamen omnibus obvius et apertus est illius sensus, in vera lectione inquirenda diutius hærere et commorari quid necesse est?

Quæ autem ibidem a Clemente continenter subnectuntur, ea Hervetus a librariis adeo corrupta esse affirmat, ut nullus possit eis amplius mederi. Hæc porro Græce in manuscriptis et editis codicibus sic leguntur [78] : Καὶ μὴν Τελεσίου τοῦ Ἀθηναίου, ὡς φησὶ Φιλόχορος, ἔργον εἰσὶν ἀγάλματα ἐνεαπήχη Ποσειδῶνος καὶ Ἀμφιτρίτης ἐν Τήνῳ προσκυνούμενα· « Quinetiam Telesium Atheniensem, ut ait Philochorus, Neptuni et Amphitrites, quæ adorantur Teni, novem cubitorum statuæ artificem agnoscunt. » In his certe verbis nulla penitus obscuritas, nullaque adulterati textus vel minimæ suspicio. Sed Hervetum vox ἐννεαπήχη, quam quidem duas secavit in partes, et Latine reddidit, « in Neapecha, » induxit in errorem. Quocirca in animadversionibus suis : « Sed nec intelligo, inquit, quid sibi velit Neapecha, de qua nemo est qui vel unum verbum dicat. » Quid mirum si Hervetus id frustra quæsierit, de quo nihil Clementem unquam nec dixisse nec cogitasse certum est? Vera igitur et sincera hujusce vocis restitutione nodus propositæ ab Herveto difficultatis facile solvitur et expeditur.

Ab eodem Herveto deinde monemur Ciceronem Teni oppidi alicubi meminisse [79]; « Sed ubinam situm sit, inquit, non invenio. » Librum ergo Aristotelis [80] *De mirabilibus auscultationibus* ille haud dubie non legerat. Sub illius etenim finem philosophus haud obscure nobis significat illud olim in Thessalia situm fuisse.

Denique ab eodem Clemente nostro [81], quemadmodum ab Arnobio [82] et aliis discimus Neptunum violasse Amphitrites virginitatem. Utriusque porro Neptuni et Amphitrites statuas Teni positas esse cum Philochorus asserat, nullus sane ea de re est dubitandi locus.

Ex hac autem loci illius explicatione lux aliqua alteri afferri potest, ubi istbæc legimus Clementis nostri verba [83] : « Philochorus autem dicit medicum in Teno coli Neptunum. » Quamvis enim Hervetus fateatur id sibi adhuc esse penitus incompertum, quis tamen non videt Clementem de eodem Teno oppido, eodemque Neptuno, de quo supra,

[70] lib. VII Strom., pag. 727. [71] pag. 23. [72] pag. 16 et pag. 27. [73] in Lex. [74] pag. 25. [75] Plin. lib. II, cap. 23, pag. 412. [76] Bochart. lib. II Hist. anim., cap. 29, pag. 328. [77] pag. 30. [78] ibid. [79] orat. pro Flav., pag. 364. [80] tom. II Oper. Aristot., pag. 1167. [81] Clem. pag. 30. [82] Arnob. lib. IV cont. gent., pag. 144. [83] pag. 18.

Digitized by Google

disputare [84], ac eumdem ab eo testem citari Philochorum? De hoc autem Neptuno medico aliquid infra adhuc dicetur.

Negat postea Hervetus sine emendationis Græci alicujus manuscripti auxilio posse medicinam huic desperato Clementis nostri loco adhiberi, ubi de deorum simulacris sic disserit [85] : Τί γὰρ ἠγεῖσθε, ὦ ἄνθρωποι, τὸν Τυφῶνα, καὶ τὸν Ἑρμῆν, καὶ τὸν Ἀνδοκίδην, καὶ τὸν Ἀμύητον; Ἢ παντὶ τῳ δῆλον ὅτι λίθους, ὥσπερ καὶ τὸν Ἑρμῆν; « Quid enim, o homines, existimatis Typhonem et Mercurium et Andocidem, et Amyetum? An non cuilibet manifestum est lapides esse eos, sicut etiam Mercurium? » Eodem plane modo hic locus in duobus nostris Græca manu exaratis codicibus repræsentatur, nisi quod pro Τυφῶνα καὶ τὸν Ἑρμῆν, simplicius habeant Τυφῶνα Ἑρμῆν. Qua quidem ex lectione etsi non facilius quam ex altera verus Clementis sensus explicari posse videatur, ex ea tamen discimus Typhonem, ac proinde Andocidem et Amyetum, tria esse Mercurii cognomina. Tota itaque difficultas in triplici illo nomine exponendo posita est.

At primum de Mercurio Andocide, ut Hervetus recte observat, aliquid in Æschinis contra Timarchum oratione invenitur. Hæc enim sunt Æschinis verba [86] : « Ædes in colono, quæ dæmoniis dicantur, falsum habere cognomen; neque enim esse dæmonis. Deinde Mercurium, qui Andocides vocetur, non esse Andocidis, sed Ægeiæ tribus denarium. » Quidam igitur aliquem Andocidem Mercurium esse crediderunt.

De Amyeto autem addit Hervetus : « Quid intelligat, nescio, sitne ἀμύητος mysteriis non initiatus; an nomen proprium. » Ex ejus procul dubio memoria exciderat, se apud Giraldum [87], quem sæpissime citat, aliquando legisse ἀμύητον, id est non initiatum et profanum, ita Mercurii proprium esse cognomen; ut Athenienses, teste Favorino, statuam ipsi eo nomine in Acropoli statuerint. Præterea Erasmus ubi de hoc adagio Ἑρμῆς ἀμύητος, hoc est Mercurius infans, vel elinguis, aut indoctus, sermonem instituit, nos admonet in vulgatis exemplaribus legi ἀμύητος. Quod quidem ironice et per antiphrasim dictum esse nemo dubitat. Quis enim mysteriorum magis gnarus et sciens, quam Mercurius deorum interpres?

Tertium itaque restat Typhonis nomen, quod certe duobus aliis explicatu longe difficilius est. Scimus quidem hanc Herveti fuisse opinionem Clementem loqui de Typhone gigante, cujus frequens apud poetas aliosque scriptores mentio. Sed quorsum hujus Typhonis, qui nihil ad rem suam facere videbatur, ille meminisset? Rectius itaque ex manuscriptis codicibus nostris discimus Mercurium aliquem hoc Typhonis nomine fuisse vocitatum. Quis autem ille fuerit, et utrum hoc nomen a librariis amanuensibus recte scriptum sit, haud facile dixeris : nihil enim nos de hoc Typhone Mercurio comperti aliquid invenisse ingenue fatemur. At Cicero ubi triplicem Mercurium fuisse memorat, ibi testatum utique facit secundum nomine Triphonii appellari : « Mercurius, inquit ille [88], unus Cœlo patre... Alter Valentis et Phoronidis filius, is qui sub terris habetur, idem Trophonius. Tertius Jove tertio, » etc. Hic autem Latine Triphonius una et altera littera a librariis perverse 10 immutata, idem fortasse erat ac Græce Typhon. Cum varia tamen ac propemodum infinita, ut ipsemet Clemens testatur [89], fuerint hujuscemodi deorum cognomina, de hisce conjecturis, quas aliorum judicio permittimus, nihil audemus certi aliquid constituere.

Neque est quod nobis aliquis objiciat ea si sint Mercurii cognomina, inutilem ibi fore Mercurii repetitionem. Etenim alia huic non plane absimilis prius occurrit, ubi de Apollinis oraculis hunc scribit in modum [90] : « Narra nobis alia quoque divinationis, vel insanæ potius vanitatis oracula, Clarium, Pythium, Didymæum, Amphionem, Apollinem. » Scimus quidem nonnullis visum ex Clementino textu delendam esse hanc ultimam vocem. Sed omnino perperam. Illa enim non solum editorum manuscriptorumque codicum nostrorum, verum etiam Eusebii, qui hunc Clementis nostri locum retulit certa auctoritate confirmatur.

Quamobrem si cui nostra hæc verborum ejusdem auctoris nostri explicatio arriserit, inde sane haud difficiliter colliget sensum illius esse tres Mercurios Typhonem, Andocydem et Amyetum, sicut et ille qui Mercurius simpliciter vocabatur, nihil aliud omnino esse, quam lapides et saxa, quæ omni penitus sensu destituta erant.

Paganos porro ad Christi fidem dum Clemens allicere conatur, sic contra eos disputat [91] : Οὐ γὰρ δὴ μύθῳ μὲν ἐπιστεύετε ποιητικῷ τὸν Μίνω τὸν Κρῆτα τοῦ Διὸς ὡς ἄριστον ἀναγράφοντι. « Non enim poeticæ credidistis fabulæ, quæ Minoem scribit Cretensem usum esse familiari Jovis consuetudine. » At quidam Clementis scholiastes verba illa ὡς ἄριστον, ex Homero corrigenda esse putat [92], ac legendum ὁαριστὴν, id est discipulum aut familiarem, vel collocutorem. Nec male quidem. Nam in manuscriptis nostris, una litterula η in o ab amanuensi librario male immutata, ὁαριστὸν pro ὁαριστὴν legimus. Et id certe subsequentia Clementis verba postulare videntur. Addit enim : « Nobis autem non creditis Dei nos fuisse discipulos. » Minoem vero fuisse Jovis discipulum alibi docet auctor noster : « Et Minoem referant ad Jovis antrum venientem, novem annorum spatio leges a Jove accepisse [93]. » Et rursum libro sequenti : « Et a Græcis celebratur rex Minos, qui novem annis familiariter cum Jove est versatus [94]. »

Si quæ tandem aliæ notentur Clementini textus in hac ejus *Admonitione* depravationes, de illis infra, ubi occasio dabitur, suo loco disputabimus. Sed eas tamen prætermittemus, quæ vel levissimæ sunt, nec auctoris sensum reddunt obscuriorem, vel quæ nulla probabili ratione firmantur.

ARTICULUS IV.

Quis fuerit Clemens hujusce ad Græcos Admonitionis, Pædagogi, Stromatum, *aliarumque lucubrationum auctor, qui ejus præceptores, quodnam illius munus et officium, ubi et quomodo hanc ad Græcos* Admonitionem *composuerit.*

Clementem hujusce ad Græcos *Admonitionis*, aliarumque, quæ deinceps examinandæ sunt, lucubrationum verum et genuinum auctorem esse cum constet, antequam ulterius progrediamur, jam a nobis quis ille fuerit, sedulo investigandum est. Ab ejus autem nomine ut ordiamur, ipsi quemadmodum Eusebius [95] Photiusque [96] testantur : « Titius Flavius Clemens » nomen erat, cognomen vero, si eidem Eusebio credideris [97], « Alexandrinus. » Quo quidem cognomine ideo insignitus dicitur, vel quod Alexandria oriundus, vel potius quod et in hac urbe diu commoratus, et presbyter creatus fuerit. Non enim ita certum est eum ibi revera ortum, quin plures, teste Epiphanio, crediderint patria fuisse Athenienses : Ὃν φασί τινες Ἀλε-

[84] infra cap. 15. [85] pag. 64. [86] apud Demosthen. orat. in Timarch., pag. 817. [87] Girald. Syntag. 9, p. 291. [88] lib. III De natura deor., pag. 248. [89] pag. 16. [90] pag. 9. [91] pag. 69. [92] Odyss. XIX. [93] lib. I Strom., pag. 351. [94] lib. II Strom., pag. 367. [95] Euseb. lib. VI Histor., cap. 13. [96] Phot. Biblioth., cod. 111. [97] Euseb. lib. III Histor., cap. 23.

Digitized by Google

ανδρέα, ἕτεροι δὲ Ἀθηναῖον, « Quem aliqui Alexandrinum, alii Atheniensem dicunt[98]. »

Magis itaque certum exploratumque omnibus est Clementem impiis paganorum superstitionibus et erroribus addictum, iis nuntio, ut ait Eusebius, citissime remisso, Christianam amplexatum fuisse religionem : « Atque horum, » Eusebii verba sunt, « turpitudinem admirabilis ille Clemens ea, quam ad Græcos dirigit, Cohortatione nudam omniumque spectandam oculis proponit; quippe qui cum omnes illorum cæremonias sua ipsius experientia cognoverit, tum celerrime ab infami errore caput extulerit, verbi salutaris, et evangelicæ doctrinæ vi ex tot tantorumque malorum contagione liberatus[99]. »

Ubi primum autem Christianæ fidei nomen dedit, tum ulla absque mora divinis illius præceptis et doctrinis plenius ut imbueretur, nulli pepercit operæ et labori, quo doctissimos adiret, audiretque nostræ religionis magistros et præceptores. De illis enimvero, quos beatos et commemoratione dignissimos appellat, hunc loquitur in modum : « Eorum unus quidem in Græcia Ionicus; alii vero in magna Græcia. Alter eorum erat ex Cœlesyria, alter ex Ægypto, alii autem ex Oriente, et ejus alter quidem Assyrius, alter vero in Palæstina Hebræus, ex alto ducta origine. Cum autem in eum ultimum incidissem, erat autem primus potestate, conquievi in Ægypto, venans ea quæ latuerant. Sicula revera apis, prophetici et apostolici prati flores decerpens, sinceram quamdam et incorruptam cognitionem ingeneravit eorum, qui audiebant, animis[1]. »

Hi vero omnes, qui fuerint, si roges, rem sane perquam difficillimam postulas. Clemens enim cunctorum, haud dubie quia adhuc superstites, et omnibus noti erant, tacuit nomina. Et Eusebius ultimum duntaxat his declarat verbis : « Quin etiam in *Institutionum* libris, a se conscriptis, Pantænum præceptorem suum diserte nominat. Sed et in primo *Stromateων* libro eumdem ipsum mihi designare videtur, ubi præstantissimos quosque apostolicæ doctrinæ successores, a quibus institutus fuerat, recenset[2]. » Non audet quidem Eusebius constanter affirmare citato a nobis *Stromatum* loco Pantænum denotari; sed ex alio ejusdem Clementis libro, ubi diserte nominatur, hoc nec plane immerito colligit.

At de aliorum illius præceptorum et numero et nomine longe major est inter eruditos contentio. Tametsi enim omnes facile concedant posterioribus verbis quasi digito monstrari Pantænum; quidam tamen præter eum quatuor, alii vero tres tantum volunt a Clemente nobis denotari viros, quorum traditus sit in disciplinam. Prioris siquidem sententiæ patroni volunt nomine illius, qui in Græcia natus est, intelligi Dionysium Corinthiorum episcopum, aut Caium; Syri vero nomine, Theophilum Antiochenum; Assyrii, Bardesanem; Palæstini denique, Theophilum Cæsariensem. Verum negant alii Clementis verbis Theophilum Cæsariensem ac Bardesanem ullo plane modo designatos. Nam ille a nemine unquam Judæus aut Hebræus fuisse perhibetur; hunc 11 vero non Assyrium, sed Osdroenum, hoc est Odessa, quæ Osdrenæ caput est, oriundum esse ferunt.

In nostris itaque editionibus corruptum putant Clementis textum ac pro his verbis : Τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος, ὁ Ἰωνικός· οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος, legendum: τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος, ὁ Ἰωνικὸς, ὁ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος. Quo quidem Clementis textu ita emendato, colligere se posse autumant, primum illius præceptorem ex Achaia ortum, ab ipso Ionicum appellari; alterum vero Tatianum, utpote Assyrium; tertium denique ex Palæstina Hebræum non alium esse, quam Theodotum ideo conjiciunt, quia in *Epitome hypotyposeων* Clementis hic titulus, ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ ἀνατολικῆς διδασκαλίας inscribitur.

Verum hæc opinio non minores, quam superior, difficultates habet. Ad primum quippe quod spectat, manuscriptus noster codex textum Clementis eodem penitus, atque editi, modo repræsentat. Deinde vero quis in animum sibi facile inducat Clementem, qui tanto silentio propria præceptorum suorum, atque ipsiusmet, quem præ cæteris omnibus maxime commendat, posterioris nomina prætermisit, priorem tantummodo suo appellasse cognomine?

Ad hæc autem, quoniam, amabo te, argumento Tatianum a Clemente denotatum probant? Nullo sane alio, quam quod genere esset Assyrius. Quasi vero nullus tum temporis præter Tatianum Assyrius Clementis magister esse potuerit. Nec majoris profecto ponderis ea est, quæ pro Theodoto affertur conjectura. Nam Valentinianæ hæreseos assecla fuisse haud immerito videtur. Clemens vero constantissime asseverat suos præceptores orthodoxæ atque apostolicæ doctrinæ fuisse addictissimos.

Fatendum itaque est de Clementis præceptorum nominibus, si Pantænum excipias, nihil a quoquam posse certo definiri. Porro autem cum ipsemet Clemens qui qualesve illi fuerint, apertissime declaret, in nominibus eorum investigandis, cur tanta tamque parum utilis opera posita sit, omnino non videmus. Nobis enimvero manifestissimum ille facit et unde ii orti sint, et ubi eos audierit, quamque sana et catholica fuerit eorum doctrina, ac denique illos fuisse primos apostolorum successores. Et id quidem Eusebius his verbis egregie confirmat : « In quorum (*Stromatum*), primo de seipso loquens, primis apostolorum successoribus proximum se fuisse testatur[3]. »

Quid vero quod ex citato ejusdem Clementis nostri testimonio discimus varias ab illo peragratas orbis terræ partes, Græciam, Italiam, Orientem, Palæstinam atque Ægyptum; ut omnibus Christianæ religionis documentis ab illis eruditissimis præceptoribus imbueretur? His porro perfecte instructus, Alexandriæ constitit, ibique post Pantænum Christianæ scholæ catechumenorumque institutioni præfectus est[4]. Dum autem eo munere fungeretur, et hanc ad Græcos *Admonitionem* ex iis, uti diximus[5], quas apud eosdem catechumenos cæterosque Christianos peroraverat, catechesibus compositam, ac tres, de quibus mox a nobis disputandum est, *Pædagogi* libros divulgavit.

CAPUT II.

De tribus Pædagogi libris.

ARTICULUS PRIMUS.

Analysis libri primi.

Pædagogi nomen et titulus cur his libris præfigatur ab ipso hujus operis exordio Clemens clare explicat[6]. Ait autem eos homines, qui, pristinis erroribus rejectis, veram fidei Christianæ doctrinam, « exhortatorio, » προτρεπτικῷ, sermone eru-

[98] Epiphan. hæres. 32, 9, 6. [99] Euseb. lib. II Præpar. evang., cap. 2. [1] lib. I Strom., pag. 274, et Euseb. lib. V Histor., cap. 21. [2] Euseb. loc. cit. [3] Euseb. lib. VI Histor., cap. 13. [4] Idem Euseb. eod. l. cap. 6. [5] sup. § 2. [6] cap. 1

Digitized by Google

diti perceperunt, mox « incitatorio, » παιδαγωγῷ, quo prioris vitæ peccata et vitia emendare, ac deinceps pie Christianeque vivere doceantur, esse informandos. *Pædagogi* quippe is est finis, ut animæ morbis perturbationibusque medeatur, eamque in posterum virtute, sanctisque actionibus meliorem efficiat.

Qui autem recte eo pædagogi munere fungi possit, nullum alium auctor noster esse docet [7], quam Christum Dominum, qui Patri suo æterno semper similis, et idem cum eo Deus, homo postea factus, sed nulli unquam peccato, nulli reprehensioni, nullis animi perturbationibus obnoxius fuit. Et vero ille non solum his divinæ naturæ et sanctimoniæ, quam nos a peccatis omnibus cum voluntariis, tum involuntariis, quoad fieri potest, cavendo imitari debemus, præditus erat dotibus verum etiam ne in illa peccata prolabamur, summa cum mansuetudine prohibet; ac penes ipsum illa dimittendi, et omnes animæ nostræ morbos et ægritudines perfecte sanandi summa est potestas.

Cum autem ille ipse verus sit Deus [8], quodlibet remittit peccatum, atque illius in hominem, quem ad imaginem suam creavit, tantus est amor, ut ejus causa homo factus, illi opem semper ferat, ac ubique subveniat et opituletur. Neque porro solius viri hunc in modum est pædagogus [9], sed feminæ etiam, cujus communis cum viro vita, salus et gratia, ac bona denique omnia sunt communia.

Quia vero soli pueri in disciplinam traduntur, hinc Clemens quinam a Christo erudiendi sint diligenter investigat [10]. Palam autem facit eos ipsos esse, qui revera Christiani sunt, eoque gloriantur nomine, quo non ætas, sed simplicitas morum vitæque integritas et innocentia significatur. Nec minus clare probat illos eamdem ob causam sacris in Scripturis adolescentulos, agnellos, et vitulos, lactantes, columbas simplices, pullos columbarum et gallinarum infantes filios, filiolos, novum vel nascentem populum appellari. Eodem quoque sensu vocem νήπιος accipi planum subinde facit. Et hæc quidem appellatio, quam aliqui perperam irridebant, Christianis gloriosa plane videbatur; utpote quæ sanctam simplicitatem, æternitatemque omnis senii expertem significet. Eo etenim nomine a veteri Israelitarum populo discreti, et Spiritu sancto in filiorum adoptionem generati, Deo longe erant cæteris omnibus chariores. Quod quidem Clemens mysticis Isaaci, cum uxore sua Rebecca ludentis et ridentis, interpretationibus pulchre confirmat. Huc accedit quod Christus ipse puer, puellus, agnus et infans vocari non erubuit. Ex quibus auctor noster jure merito concludit perfectam Christianorum puerilem disciplinam hac sacra nomenclatione declarari.

Tum vero eos qui propter hoc ipsum nomen eosdem Christianos aspernabantur, egregie refellit [11]. Christiana quippe infantia suum a sacris baptismi undis **12** principium habebat. Atqui in eo nihil plane imperfecti, sed summam esse perfectionem, ex variis ejusdem sacramenti nominibus, et effectu, atque ex ipso Christi baptismate manifestissime ostendit. Et id quidem Apostoli firmat verbis, quibus Christianos vitio infantes, mente perfectos esse jubet. Attamen quoniam nonnulli objiciebant illum eadem scripsisse in Epistola, se Christianis utpote infirmioribus non cibum, sed tanquam infantibus lac dedisse; hinc ille tam Homeri, quam ipsiusmet Apostoli auctoritate probat lac perfectum esse alimentum. Quod quidem ut planius demonstret, plura de lactis in feminarum uberibus procreatione disputat; ac physicis rationibus nobis persuadere conatur illud ex sanguine, album in colorem converso, semper formari. Porro autem inde ille colligit, quemadmodum nihil lacte A est candidius et dulcius, ita nihil esse quo melius homo nutriatur. Atque hanc, inquit, ob causam quidam lac manna appellaverunt, et Christus Dominus in eucharistiæ sacramento suum corpus et sanguinem, qui etiam vinum mystice dicitur, pro lacte et spirituali alimento omnibus et manducandum præbuit et bibendum. Cæterum quoniam utilis salubrisque est lactis cum aqua et melle, atque etiam vino dulci permistio, eam Clemens propterea cum baptismo, Verbo divino, et Christiana fide luculenter componit. Denique quamvis tanta sit Christianorum a suscepto baptismate perfectio, verumtamen cum illa omnium maxima non sit, eorum idcirco retundit superbiam, qui se ipsismet apostolis perfectiores esse stulte venditabant. Summe enimvero perfectus solus est Deus Pater, et Christus Filius ejus, Pædagogus noster, cujus officium est nos pueros suos ad æternam perducere salutem.

B Quid autem et quotuplex sit illius παιδαγωγία, seu institutio, quisve ejus finis, Clemens deinde definit [12]; ac demonstrat Christum aliis pædagogis, Phœnice, Adrasto, Leonide, Nausithoo, Zopiro, Sicinno, et Persarum regis filiorum doctoribus longe esse præstantiorem. Quod certe ut clarius pateſaciat, ante omnium ponit oculos, quo ille modo olim patriarchas, quibus se videndum præbebat, et populum Israeliticum in veteri testamento rexerit, ac Christianos in novo gubernet et moderetur.

Eorum autem objectionem diluit [13], qui eumdem Christum Dominum, utpote qui minas et terrorem intendat, ac virga aliquando cædat, bonum non esse arguebant. Primum enim invicte probat eum esse non modo bonum, sed etiam maximo, quo homines prosequitur, amori nihilum quidem officere ejus justitiam. Tum continuo, propositæ objectioni respondet minas illius, reprehensiones, terrores, animadversiones, castigationes, flagella, non odii esse signa, sed benevolentiæ, et certum salutareque C dicamentum, quo homines a peccato deterret, omnesque sanat animæ nostræ morbos et ægritudines. Negat tamen Clemens ullam, nisi metaphorice loquendo, dici posse Dei iram, vel illum injurias suas ulcisci et persequi. Nec minori sane evidentia planum perspicuumque facit unum eumdemque esse verum illum Deum, qui bonus simul et justus est, eamdemque omnino esse illius et misericordiam et justitiam. Utraque enim, sicuti et increpationibus atque castigationibus, æternam salutem nostram semper procurat.

Omnes porro animadversionum admonitionumque illius modi, longa sane et accurata inductione ab auctore nostro recensentur [14], nimirum admonitio, vituperatio, querela, increpatio, redargutio, castigatio, visitatio, maledictum, accusatio, expostulatio, obtrectatio, indignatio, atque variis Scripturæ sacræ testimoniis earum proferuntur definitiones. Ex iis autem ille Dominum revera bonum esse arD guit. Et hoc quidem ipsum alia Scripturæ sacræ, atque etiam Platonis auctoritate, ac boni principis et medici exemplo rursus confirmat. Tum vero quam bonus sit Pædagogus noster, eo convincit, quod noster sit pastor, qui non solum ducit, curat, et pascit, sed homo etiam, et frater noster factus, pro nobis mortuus est. Quinimo nobis adhuc ille demonstrat non solum imposito nomine Jesu bonitatem ejus significari; sed nullum etiam hominem reprehensione et servili metu, qui a filiali longe discretus est, ad officium suum revocari, nisi qui bonitatem ejus contempserit. In reprehensionibus itaque idem justus et bonus est. Sicut enim speculum, quo deformitas ostenditur, et medicus, quo declaratur febris, non malus, sed bonus est, ita et Deus cum nos arguit, tum revera justus ipse est, qui per seipsum, antequam creator esset, bonus erat, ac

[7] cap. 2. [8] cap. 3. [9] cap. 4. [10] cap. 5. [11] cap. 6. [12] cap. 7. [13] cap. 8. [14] cap. 9.

Digitized by Google

postea Verbum suum, a quo bona ex cœlis justitia primum hominibus annuntiata, hunc misit in mundum.

Quanta autem Pædagogi nostri in suis adhortationibus sit lenitas et mansuetudo, inde Clemens colligit[16], quod ad ea quæ sunt utilia illè homines adhortetur, salutaria det illis consilia, eos certa æternæ salutis spe consoletur, a veritate aberrantes illuminet, et ducat ad pœnitentiam. In hujus porro argumenti confirmationem addit se potuisse quorumdam auctoritatem adducere philosophorum, qui eum solum, qui bonus est, laudabilem, qui vero malus, vituperabilem esse asseverabant. Sed quia ii Dei negabant providentiam, nec id quod bonum est, justum esse falso opinabantur, iis citandis supersedendum arbitratus est. Neque etiam in medium proferenda esse censuit testimonia aliorum, qui solum Deum sapientem et laude dignum crediderunt. Proposito quippe suo satis superque esse putavit, si vituperationem et laudes esse maxime necessaria hominibus medicamenta demonstraret. Quod rursus Pythagoræ Samii allato carmine pulchre confirmat. Subdit alia esse innumera ex quibus nonnulla quædam refert, Scripturæ sacræ de parandis bonis et malis fugiendis, loca, quibus Christianæ vitæ institutio, et conveniens ad comparanda æternæ vitæ præmia ratio luculenter exhibetur. Denique ea sufficere dixit, quæ de hoc Christianos informandi genere hactenus disputaverat. Addit[16] tamen correptiones cum grano sinapis recte a Verbo divino comparari. Et sane divinum illud Verbum per Moysen aliosque prophetas, sed non sine minarum et terroris adminiculo, quo homines ad fidem nostram disponeret, pædagogi officio fungebatur. Jam vero Christianos divina scientia, ac summa benevolentia, et dicendi libertate præceptis suis imbuit et informat. Hæc autem ejus præcepta[17], neque admodum difficilia sunt, neque præ benignitate nimium dissoluta, sed singulis sic attemperata ut ab omnibus facile perfici possint. Non aliam quippe ob causam divinus hic Pædagogus terrenum hominem finxit ex pulvere, aqua regeneravit, auxit spiritu, nisi ut suorum observatione mandatorum illum in supercœlestem hominem transformaret.

A nobis igitur sic audiendus est, ut Patris voluntatem **13** implentes, ei similes efficiamur. Id porro a nobis vere præstabitur, si facilem victum colentes, supervacanea respuentes, de crastino nihil solliciti, et nostra sorte semper contenti, frugalitatem, moderationem, amorem libertatis, benignitatem, honestatis studium, atque assiduam et absque socordia vel negligentia dandam virtuti operam ab eo discamus. Christianorum siquidem hoc peculiare est vivendi genus, ut in incessu, accubitu, alimento, somno omnibusque vitæ actionibus justa et æquabili moderatione sit temperatum. Divini enim pædagogi nostri ea fuit doctrina, quæ peccata sine dissimulatione arguit, malas animi affectiones indicavit, cupiditatum excidit radices, omnia abunde suppeditavit vitiorum remedia, ac quæ a nobis agenda sunt, clare demonstravit. Eam ergo ob causam auctor noster concludit summas illi agendas esse gratias.

Postremo ut id adhuc dilucidius pateat, ibi singulas peccati, cupiditatis, metus, voluptatis affert definitiones. Dehinc hominem, inobedientia sua jumentis fieri similem, et ob peccatum ratione privari ex ipsa virtutis et philosophiæ descriptione colligit. Tum demonstrat quæ et qualis sit Christiani vita, et quæ ejus officia, de quibus singulatim in subsequentibus deinceps libris disputatio ab ipso instituenda est.

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

Qualis omni vitæ suæ tempore debeat esse Christianus, ut Clemens perspicue ante singulorum statuat oculos, a rebus externis, et a recta corporis sui moderandi et gubernandi ratione sumit dicendi initium[18]. Ac primo quidem de alimentis disserit, et iis non propter voluptatem, sed ad nostræ tantum vitæ conservationem utendum esse docet. Quapropter illud simplex esse debere ostendit, et quidem non ad delicias, sed ad vires corporis reficiendas, tuendamque sanitatem aptum et conveniens. Ab omnibus igitur vult rejici nimiam escarum copiam, varia bellariorum et condimentorum artificia, aliaque gulæ irritamenta, quibus homines in omne morborum et ægritudinum genus semper incidisse certum est. Hinc eos acerrime insectatur, qui cibis exquisitissimis, atque ex qualibet remotissima totius terræ parte advectis, puta murenis Siculis, Meandri anguillis, Meli hœdis, Sciathi mugilibus, aliisque hujuscemodi piscibus, avibus, ostreis animalibusque perquam rarissimis suas semper mensas non tam instruebant quam onerabant. Neque iis etiam, qui opipara quædam prandiola, seu potius lautas cœnulas, agapas appellare audebant, parcendum putavit. Nihil enim a charitate, quæ hoc posteriori nomine significatur, et in cujus laudes ibidem haud ineleganter excurrit, magis quam ejusmodi convivia abhorrere demonstrat. Et vero cœna Christinianorum, inquit, tenuis omnino esse debet, aptaque ad vigilias, nec illa variorum ciborum et bellariorum condita multitudine, qua non minus segnis et iners anima, quam languidum corpus et morbosum redditur. Ab his præterea, quemadmodum a cæteris omnibus conviviis, vult triplex hominum genus, adulatores, parasitas, et gladiatores muscis et mustelis plene similes abigi. Atque ibi obiter probat ab idolothytis semper abstinendum. Ea tamen est ejus in homines adhuc infirmiores indulgentia, ut iis non omnem adimat ferculorum apparatum, sed pravum duntaxat sese ingurgitandi, totque obsonia, condimenta, ac delicatiores magnique pretii cibos adhibendi consuetudinem penitus damnet et proscribat. Manifestum deinde facit quid Christianis, si ab aliis etiam infidelibus ad cœnam invitentur, vel si ipsi quospiam invitent, sit agendum, quamque modeste cibos sumere et mensis accumbere debeant. Ibi autem bonam quidem esse declarat vini carnisque abstinentiam; neque tamen eos peccare, qui illis moderate et temperate utuntur. At in cœnis omnibus sectandam frugalitatem, quemadmodum omnes prorsus ab illis abigendas delicias et vitandam ingluviem. Quibus autem cibis instruenda sit Christianorum mensa, breviter exponit, et cibis lautioribus dicit ventri dæmonem præesse. Tum varia et eximia frugalitatis et abstinentiæ, quamvis indifferens sit cunctorum ciborum usus, in Matthæo, Joanne Baptista et apostolo Petro exempla proponit. Probat autem hanc frugalitatem non solum Mosaica lege commendari, sed nimiam quoque alimentorum copiam corporibus ita obesse, ut Plato, a Davide edoctus, fugiendos delicatiores cibos censuerit. Denique helluones ei pisci similes esse ait, cui nomen est asello, et qui in ventre suo cor habere perhibetur.

De potu autem sic statuit[19]. Cum Paulus Timothæo ob languentem tantummodo et ægrotantem stomachum modico vino uti permiserit, hinc colligit aquam sanis hominibus ad sitim exstinguendam sufficere. Neque enim Deus aliud nisi aquam Hebræis in deserto errantibus primum ministravit; neque illis, nisi post exactantos innumeros labores, eum dedit botrum, qui et Christianæ fidei ab ethnicæ superstitionis erroribus liberatæ quietem, et vinum sanctissimo Eucharistiæ in sacramento aqua dilutum, ac in Christi sanguinem deinde conversum mystice significabat. Quocirca eos omnes laudat, qui aqua sola contenti, vinum fugiebant; ac pueris puellisque omni penitus illius interdicit usu. Iis

[16] cap. 10. [17] cap. 11. [17] cap. 12. [18] cap. 1. [19] cap. 2.

Digitized by Google

vero qui in ætatis sunt flore, ad prandium nullo potu, ad cœnam modico vino, senibus paulo uberius, sed nulli unquam sine moderatione uti permittit. Illud enim, sed aqua semper temperatum, sicut sanitati proficuum est, ita immodice potatum plurima, quæ ab eo recensentur, damna atque incommoda affert et importat. Ibi porro ebriosorum et temulentorum hominum gesta paucis ideo describit, ut omnes ab ebrietate, quam sacra Scriptura prohiberi ostendit, facilius dehortetur. Quamobrem subnectit a Christo, tametsi aquam, dum nuptiis interesset, mutaverit in vinum, ea tamen immutatione minime quidem permissam ebrietatem, sed vitam, aqueo veteris legis sensui sanguine illius datam, allegorice declarari. Præscribit deinde quantum vini hieme aut alio tempore bibendum sit, vetatque ne vina ardentia ac fumosa, et ex aliis longe dissitis regionibus advecta, Chium scilicet, Ariusium, Thasium, Lesbium, Creticum, Syracusium, Mendesium, Naxium, Italicum, ab ullo unquam homine requirantur. Omnibus siquidem indigena vina sufficere definit : nisi forte aliqui, non secus ac stulti Parthorum reges, secum velint aquam quoque asportare. Monet subinde quanta bibendo esse debeat, Minervæ etiam exemplo, honestatis et decentiæ cura. Quædam enimvero gentes bellicosæ ebrietati indulgent quidem, sed pacifici Christiani debent ad Christi instar, qui vinum moderatissime adhibuit, moderationi ac sobrietati studere. Invehitur deinde in mulieres quæ 14 alabastrinis vasis indecore bibentes, collum nudabant. Postremo helluones cum acephalo errantem stellam antegrediente, et cum Elpenore comparat, ac Noe exemplo ebrietatem fugiendam esse concludit.

Palam posthæc facit [20] quam vanus et inutilis sit vasorum tam argenteorum quam aureorum et gemmeorum usus : et calices thericleos, antigonides, cantharos, lepistas, psycteres, œnochoas, servatu utpote difficiles, et Christianis vetitos, procul jubet amandari. Nec minori severitate argenteas proscribit sellas, pelves, acetabula, scutellas, catinos et alia aurea argenteaque vasa sive ad consuetos mensæ ac domus, sive ad alios, quos nominare pudet, usus destinata. Omnia quippe hæc, non secus ac superbam nimis, et sumptuosiorem domorum supellectilem, lectulosque molliores, cum sacræ Scripturæ et Platonis auctoritate, tum ipso Christi Domini exemplo, plane penitusque damnata esse demonstrat. Ad hæc vero nulla major quam ex mala divitiarum administratione et cæca congerendæ pecuniæ cupiditate, homini pernicies certiusque exitium affertur.

A Christianis autem conviviis vult Clemens noster omnem penitus exsulare comessationem [21], lasciviam, inanes ineptasque pernoctationes, temulentiam, ebrietatem, tibias, psalteria, saltationes, plausus Ægyptiorum, caricam musicam, omnemque prorsus sive oculorum sive aurium intemperiem. Quapropter ubi rex propheta homines ad Deum sono tubæ, psalterio et cythara, chordis et organo, laudandum invitat, id auctor noster mystice explicandum esse docet. Et quidem si gentes quædam, quas ille nominatim appellat, nonnulla dum belligerantur, adhibent instrumenta ; Christiani sane e contrario semper pacifici uno debent uti instrumento, verbo scilicet divino, quo alios ad Deum laudandum, agendas ei gratias, et honestam cum proximo suo consuetudinem pie sancteque excitent. Verumtamen si quis lyram vel cytharam pulsare et psallere sciverit, id non plane respuendum esse monet, modo ille regem prophetam divinas laudes decantando imitetur. At quemadmodum antequam cibum prægustemus, Deus a nobis laudandus est, ita et in potu, sicut olim Græci ad Hebræorum instar, et ante somnum nostras pro acceptis beneficiis grates ei debemus rependere. Demum auctor noster breviter edisserit quæ Christiano cantica et harmonia permissa sint.

Negat vero etiam in conviviis Christiano absurde ridendi, vel aliis risum movendi datam esse facultatem [22]. Etenim illi urbane tantum ac lepide loqui, ac nunquam nisi convenienti tempore, et modeste, honestaque cum severitate ridere, vel potius subridere concessum est. Hinc risus immodestos, lascivos et procaces a Christiana republica procul arcendos declarat. Neque tamen Christianum idcirco tristem esse vult, sed ea modestia et gravitate præditum ut neque in obscenis, vel cuilibet molestis rebus, neque omni tempore, neque apud quoslibet, nisi forte nonnulli seniores aliquid venuste et festive dixerint, ille subrideat. Facile enim ex immodico risu manat turpitudo, sicut in vino improborum hominum mores agnoscuntur.

Multo igitur magis eidem Christiano, pergit auctor noster [23], vitandi obsceni sermones, turpiaque spectacula aut facta : imo vero stirpitus amputanda ipsa vitiorum radix cupiditas. Neque tamen in ullis humanis corporis membris, etsi pudendis, sed in solo vitio rebusque vitiosis sita est turpitudo.

Nemo insuper a nobis, tametsi ab aliquo offensis, in convivio irrideri unquam debet [24] : et tacere satius est quam ulli contradicere. Verum ab omnibus omnino conviviis propter ætatis imbecillitatem prohibendi sunt adolescentes et adolescentulæ, nec ulli unquam in iis cum aliena uxore accumbendum. Si necessitas tamen id postulet, quomodo id fieri, et præcipue quomodo unusquisque sive vir, sive mulier, sive senior, aut junior, sese in iisdem conviviis gerere, loqui et vocem componere, ac quæ vitare debeat, singulatim et accurate Clemens exponit.

Nec minus clare de coronarum, florum et unguentorum usu disputat [25], ac primo quidem eum minime necessarium esse convincit. Ne quis vero pedes Christi a muliere unctos objiceret, id mystice, quamque ipse excusat, paulo prolixiori explicatione interpretatur. Sed brevius alias diluit objectiones ab antiquorum Hebraici populi regum unctione et Aristippo petitas. Itaque inexplebilem merito exagitat mulierum libidinem, quæ, etiamsi plurima et ab eo nominibus suis appellata unguenta haberent, alia tamen nova in dies excogitabant. Ex his porro concludit unguentarios, civitatibus bene moratis pulsos, debere a Christiana republica ita extrudi, ut nullus plane sive vir, sive mulier unguentum, sed probitatem vitæ et pudicitiæ unctionem redoleat. Neque idcirco tamen, inquit ille, debent omnes omnia, sicut vultures et scarabei, unguenta rejicere; sed his tantum, quæ aliquid possunt afferre utilitatis, ea semper uti lege, ut nullum unquam neque odoratu, neque visu, neque alio ullo modo voluptati dent locum. Cæterum ibi ostendit unguentis et oleo morbos quosdam sanari ; sed mulieres arguit, quæ crines tingunt, atque eas quæ ungunt capillos, citius canescere demonstrat.

Venit deinde ad coronas variis floribus compactas, et earum usum apud paganos in conviviis frequentissimum, dicit Christiano illicitum esse, utpote cui nulla florum delectatione vel odore, sed solo aspectu frui liceat. Christianæ enimvero mulieris corona est vir, et viri matrimonium ; matrimonii autem flores liberi, ac universæ Ecclesiæ corona Christus. Monet tamen varias esse florum virtutes, quarum aliæ utiles, aliæ noxiæ sunt aut periculosæ. Verum ut rem altius et a sua prima origine repetat, ibi primum quomodo, et a quibus cœperit coronarum usus strictim attingit. Quoniam autem falsis diis, qui floribus delectabantur, consecratæ fuerant coronæ, ac pagani mortuos coronabant, iis omnibus Christiano probat esse abstinendum. Et certe cum Christus, ut fuse ibidem ille

[20] cap. 3. [21] cap. 4. [22] cap. 5. [23] cap. 6. [24] cap. 7. [25] cap. 8.

Digitized by Google

explicat, spinis coronatus fuerit, non decet ejus discipulum floribus coronari. Fatetur quidem nonnulla, quæ recenset, homini utilia ex floribus unguenta componi; at quia tamen Christiano ad necessitatem, nunquam vero ad delectationem fas est iis uti, hinc coronarum usum eidem ullo modo licere penitus inficiatur.

Posthæc edisserit [16] quomodo Christianus, cœna peracta, ad somnum prævia oratione se conferre debeat. A lectis autem omnem plane luxum, et mollitiem, et superflua omnia ita præcipit removeri, ut sua tantum simplicitate nos ab æstu ac frigore tueantur. In iis autem somno ita indulgendum, ut ab eo facile excitati, et angelis egregoris similes, ad canendas Deo laudes noctu surgamus. Ad has itaque vigilias ut Christiani promptiores sint et paratiores, eos, ut somnum immodicum fugiant, vehementer adhortatur. 15 Illum quippe, qui morti similis est, et superfluo alimento concitatur, nullius corpori vel animæ esse utilitatis Lot exemplo planum utique facit et perspicuum. Non totam igitur noctem, multo minus interdiu dormiendum. Cum vero dies deficit, tum litteris homines, feminæ lanificio operam dare debent. Denique nos Clemens serio admonet nostrum tantummodo corpus somno indigere, minime vero animam, quippe quæ semper cogitet, ac dum corpus dormit, ita per seipsam operetur, ut vera somnia sint sobriæ animæ cogitationes.

Ex eo somni tempore auctor noster data sibi de Christianorum connubio dicendi occasione [17], manifeste nobis probat scopum illius esse susceptionem liberorum, finem vero piam eorumdem institutionem. Quapropter omnem aliam viri mulierisque conjunctionem illicitam, impiam et nefariam esse concludit. Quod quidem ille ex præcepta a Moyse leporis et hienæ abstinentia, haud inepte confirmat. Plura autem ibi disputat, quæ de utroque illo animali, et aliis quæ vocem mutant et colorem, ab historiæ naturalis scriptoribus referuntur. Subdit omnem plane viri et mulieris, nisi quo post legitimas nuptias liberi procreari possint, concubitum ipsis expressissimis Moysis verbis, et sumpto de Sodomitis supplicio disertissime inhiberi. Inde porro colligit nefas esse viro, cum uxore sua, aut menstruo profluvio laborante, aut adhuc prægnante, vel unquam solius voluptatis causa rem habere. Petulans igitur libido, pluribus, quæ ille refert, vocata nominibus, omnino cohibenda est; quandoquidem ex ea, sicut ex immoderato concubitu multi gravesque, Scriptura sacra atque etiam philosophis attestantibus, morbi ac plurima nec minima mala generantur. Non ideo tamen nuptias, quæ Deo probatæ sunt, damnandas, sed legitimum, ac nocte, et certis duntaxat temporibus, ad gignendos filios debere esse earum usum. Pueris itaque ac senibus, pergit Clemens, uxores ducere fas non est: conjuges vero nihil nisi honestum, castum, et pudicum inter se unquam agere debent. Eos vero scite castigat, qui perperam negabant a ratione naturali alienas voluptates esse vel illicitas, vel Deo cognitas. Monet igitur noctem bonis operibus illustrandam, pudorem cum tunica non exuendum, iniquum rebus Venereis vinci, ac ipsam rectam rationem, moderatumque cibi et vestis usum salubria esse intemperantiæ remedia.

Opportuna porro ibi oblata occasione contra sumptuosas vestes invehitur, easque a Christo prohibitas esse ostendit. Spartanos itaque eo nomine commendat, quod solis meretricibus floridas vestes olim concesserint: atque Athenienses, qui secus faciebant, sibi ait non posse approbari. Vestibus enimvero cum non alia de causa indigeat homo, nisi ut corpus suum contegat, illudque ab aeris seu frigidioris seu calidioris intemperie tueatur, idcirco eas tantum quæ simplices sunt et communes, colligit esse induendas. Feminarum tamen infirmitati ut consulat, concedit eas mollioribus uti vestibus, dummodo ab illis luxus omnis amoveatur. Asseveranter autem pronuntiat vestes longiores, aureas, sericas, vel nimis artificiose elaboratas, divinis legibus penitus proscribi; atque eodem plane interdicto vetitas esse, quas ille ibidem enumerat, vestium tincturas, et solum nativum et candidum colorem retinendum. Inde igitur ac Cei sophistæ testimonio evincit mulierem, quæ nimio ornatus vestisque studio tenetur, tam a Deo quam a pudico conjugio excidisse. Nec ea vult sibi objici, quæ de regiarum filiarum vestitu David, allegorice intelligenda, in Psalmis cecinit. Nam quamvis in infirmioris sexus gratiam de legum severitate Clemens noster aliquid remiserit, præfracte nihilominus negat ulli unquam licitas esse xystides, ephaptides, pepla, pretiosiores lanas, vestesque nimis longas et diffluentes. Aliam vero objectionem, ex talari Christi tunica desumptam, ibidem diluit. Tametsi autem simplex, non tamen sordida debet esse vestis, omnesque corporis muliebris partes suis vestibus, sicut et caput, velo sunt ita tegendæ, ut nulla unquam nuda appareat. Vetat nihilominus ne velum illud sit purpureum, aut quævis mulier purpurea vel nimis pretiosa veste, qua hominum oculos ad se convertere possit, ullibi aliquando utatur.

Dehinc autem ille docet [18] in calceamentis similiter vitandum esse luxum, mollitiem et superbiam. Jubet igitur rejici vana aureorum gemmeorumque sandaliorum, et crepidarum solearumque artificia. Pulchrum autem censet esse viro, nisi militet, nullos habere calceos, atque ei quemadmodum mulieri illos tantum induendos, quibus omnes pedum, ullo sine fastu contectorum, offensiones propulsari tuto queant.

Puerile vero et vanum esse putat [19] gemmas quolibet modo, sive ex maris æstu, sive ex terræ ramentis ortas, vel admirari, vel iis se aut domum suam ornare. Quamobrem summum mulierum ea in re luxum severe castigat. Fatetur quidem supernam Jerusalem pretiosis constructam lapidibus memorari, sed illis florem spiritus, et immortalem creaturam significari contendit. Qui autem gemmas propter hominem, atque a Deo, ut iis fruatur et oblectetur, creatas dixerint, hos renuntiat divinæ voluntatis plane penitusque esse ignaros. Deus enimvero ea omnia quæ hominum usui necessaria sunt, aperte suppeditat; cætera, sicut aurum, quod effodiunt formicæ, gryphes custodiunt, vel terræ visceribus, vel aquæ profundo abscondit. At homines hæc curis supervacuis quærentes, vera et cœlestia bona negligunt. Præterea Apostolus docet non omnia, etiam nobis concessa, semper esse licita. Deus vero, qui omnia omnibus communia creavit, præcipit primo cœlorum inquiri regnum, et ex bonis nostris ea, quæ nobis necessaria non sunt, pauperibus erogari. Contra tamen instabant adhuc aliqui et urgebant: Cujus ergo erunt sumptuosa et magnifica quæque, si omnes nihil nisi vile et commune habeant? Sed his Clemens respondet eorum esse debere, qui absque vehementiori animi affectu et discrimine iis uti possunt. Cæterum ea omnia, quæ ornatus satietatem afferunt, ab omnibus esse rejicienda, quandoquidem in sola virtute consistit omne bonum, pulchrum et honestum. Quocirca milites increpat, qui auro quoque ornabantur. Mulieres vero acrius corripit, quas cernere erat auro non tam ornari quam onerari, ac sicut apud barbaros olim sontes et reos, aureis compedibus vinciri et alligari. Illas porro dicit ab eodem serpente nunc decipi, qui primitus Evam esca fraudulenter circumvenit. Manifestum itaque facit catenas aureas, monilia, annulos, et reliquum omnem muliebris luxus.

[16] cap. 9. [17] cap. 10. [18] cap. 11. [19] cap. 12.

Digitized by Google

ornatum, cum poetarum ac sacræ Scripturæ auctoritate, tum certis ex recta ratione petitis probationibus esse rejiciendum. Denique concludit vera feminæ ornamenta hæc esse : manuum quidem, piam suorum bonorum pauperi largitionem, ac rectam familiæ administrationem; pedum 16 vero, ad bene faciendum alacritatem et progressionem ad justitiam; colli, pudorem et modestiam; aurium, catechesim et veræ fidei doctrinam; oculorum tandem, sanam rerum divinarum contemplationem.

ARTICULUS III.

Analysis libri tertii.

Superioris libri argumentum prosequitur Clemens [30], et ostendit veram hominis pulchritudinem eam esse, qua superior animæ illius pars, scilicet ratio, parti inferiori, seu cupiditati, quæ varias semper, sicut Proteus, in formas se vertit, ita dominatur, ut a Verbo divino, humana carne induto, probe instructa, ipsimet Deo similis fiat. Eamdem quoque hominis pulchritudinem positam esse docet in charitate, quæ quidquid superfluum, fictum, et a se alienum est, respuit, ac ea sola, quæ recta sunt, amplectitur. Et id quidem Christi probat exemplo, qui nec eximia et pulchra facie, nec corpore formosus, solum animæ omnibus divinis virtutibus præditæ splendorem habuit et pulchritudinem.

Nulla itaque [31], inquit ille, corporeæ venustatis cura ulli esse debet, nisi ut corpus suum continentiæ virtute decoretur. Hinc ad muliebrem cultum delapsus, nobis plane et perspicue ostendit feminas, quæ crispandis crinibus, genis ungendis, pingendis oculis, aliisquæ formæ lenociniis continuam navant operam, sepulcris Ægyptiorum, exterius magnificentia incredibili, interius horribili belluinaque deformitate omnium oculos perstringentibus, esse plane similes. Hæ siquidem, dum rejecta domus et familiæ cura, tam turpibus impensis non modo bona facultatesque virorum dilapidant, sed formam quoque suam fuco, variisque mistionibus corrumpunt, plures sibi consciscunt morbos, ac Deum contumelia afficiunt. Subinde auctor noster hanc effrenatam mulierum mollitiem et luxum variis tam ethnicorum poetarum quam divinæ Scripturæ testimoniis acerrime exagitat. Nam illæ, quemadmodum Plutus, oculis captæ, eo impudentiæ devenerunt, ut belluis ipsis deteriores, has non alio consilio adhibeant peregrini ornatus fallacias, quam ut ab hominibus videri iisque placere possint. Tum continuo eas Narcissi exemplo et sacrorum codicum auctoritate coarguit, quæ speculis ad fucatam faciem suam contemplandam utuntur. Neque porro quidquam in earum gratiam fecisse reginam Esther, quæ mystice, regi ut placeret, ornata, pro pulchritudinis pretio populum suum ab hoste liberare meruit. Quanta porro ex immodico formæ cultu et ornatu oriantur mala, postquam patefecit, angelorum et Sichimitarum exemplo colligit malæ cupiditati morem non esse ab ullo unquam gerendum.

Quoniam autem hoc vitium non feminas solum, sed homines etiam invaserat, hinc et in eos insurgit [32], qui meretricio more attonsi, tenuissimis ac perlucidis vestibus induti, comamque sicut feminæ nutrientes, eadem etiam atque illæ unguenta olebant. Civitates porro iis dicit fuisse oppletas, qui hos effeminatos homines, a Diogene haud illepide irrisos, picabant, radebant, vellebant. Nec mirori id aliis vitio vertit, quod canos alio colore pingentes, venerabile, ipsique Deo simile senium exuere se posse frustra arbitrabantur.

Muliebre igitur esse declarat crines vellere, vel eos componere ad speculum, ac suam auro contexere vel totam vestem, vel ejus fimbriam. Deus enimvero cum feminam glabram lævemque, hominem vero pilosum et barbatum creaverit, eum radi et tonderi, vel aliis vellendum se et picandum præbere contra naturæ leges, ipsiusque Dei voluntatem esse convincit. Ad hæc vero etiamsi pix aliquem juvaret, non ideo tamen ille corpus suum injuria afficere debet, sed potius cupiditatis suæ pilos vellere et radicitus amputare. Ibi autem auctor noster, oblatam nactus occasionem, in summam invehitur sui temporis luxuriam, qua pagani suarum permissu legum, in omni etiam magis projectæ et effrenatæ libidinis genere impune volutabantur. Contendit igitur nec pilos tondendos, nec barbam deponendam, et neutrum immodico femineoque cultu nutriendum. Et id quidem probat non solum leonis et apri exemplo, sed etiam Gallorum et Scytharum, qui luxum omnino fugiunt, et summæ sunt frugalitatis. Monet tamen Christianos, etsi hanc barbarorum virtutem imitari debeant, non eis idcirco, sicut et illis, ac nomadibus, fas esse animalium bibere sanguinem.

Sed quia ibi Clemens a proposito paululum digressus fuerat, ad illud statim redit [33], ac inutilem servorum et famularum, ancillarum et pedisequarum multitudinem insectatur. Nec ferendas esse dicit mulieres, quæ domui et pudicitiæ exitiali illorum turba stipatæ, vel Gallorum humeris in lectica sublatæ, per civitatis vicos et plateas, vel ad templa ab hominibus conspiciendæ circumferebantur. Multo autem minus turpissimum earum morem tolerari posse, quæ cum meretriciæ impudicitiæ ministris, et cum cinædis familiaritatem consuetudinemque jungere solebant. Deinde alias, etiamsi meliores, castigat, quæ, cum aves Indicas, pavones Medicos, psittacos, charadrios, et alia etiam monstruosa, sed magni pretii animalia alerent, filios suos exponebant, atque senes, orphanos et viduas, omnibus his animalibus longe præstantiores, summo ducebant despicatui.

Cæterum non iis tantum impiis sumptibus, ac futilibus tincturis, et emptitiis mancipiis, sed balneis quoque, incredibili magnificentia exstruendis, mulieres et viri bona dissipabant sua [34]. Ibi autem ubi communia erant utrisque lavacra, ac innumera seu ad lavandum, seu ad vescendum aurea argenteaque vasa, major sane mulierum quam athletarum impudentia, eo usque processerat, ut coram servis nudari non erubescerent. Quamobrem Clemens eas acriter objurgat, docetque non modo in balneis, sed domi etiam, et omni in loco verecundiam et pudorem ab omnibus semper esse servandum.

Porro autem divitiis, inquit [35], quantum rationi consentaneum est abundare, et eas non sordide et arroganter, sed benigne et liberaliter aliis communicare debemus. Nam, iis exceptis, nullum plane servum inter et dominum, nisi quod hic imbecillior sit, intercedit discrimen. Quid vero? quod vir justus et bonus, etsi pauper et inglorius, dives et beatus est : vir autem injustus et arrogans, quamvis Mida, Cinyra, et eo qui Lazarum despexit, sit ditior, pauper est et miser. Divitiæ enim non secus ac serpens, nisi caute apprehendantur, mordent sane et offendunt. Ex his itaque Clemens concludit veras divitias in anima tantum esse sitas, nimirum in virtute, justitia et recta ratione. Atqui hæ cum a solo viro bono comparari possint, solus autem Christianus sit bonus, inde infert eas ab illo solo possideri, nec auferri posse, quippe qui cum illis Deum et omnia possideat.

Immoderata vero terrenarum opum cupiditas a 17 regno Dei extrudit hominem [36], et illum ad illicitas delicias, turpesque et rationali creatura penitus indignas voluptates, ad luxum et ingluviem, certumque naufragium allicit et impellit. Frugalitatem igitur, pergit auctor noster, Eliæ instar se

[30] cap. 1. [31] cap. 2. [32] cap. 3. [33] cap. 4. [34] cap. 5. [35] cap. 6. [36] cap. 7.

Digitized by Google

ctari debemus, neque superba argenteorum aureorumque vasorum multitudine, vel turba famulorum gloriari, neque divitiarum nostrarum, si iis affluamus, nimia teneri cura et sollicitudine. Illis porro, qui inde vel timendam egestatem, vel justo panem aliquando defuisse sibi opponere poterant, luculentissime respondet.

Nec minus perspicuum facit [37] quam dives sit frugalitas, qua ad laborem omnem, angores, molestias et afflictiones patienter tolerandas bene instructi, terrena bona despicimus. Subdit plura jam a se de conjugum officiis et de Christiana institutione fuisse disputata. Quamobrem Penelopen, quæ post diuturnam viri absentiam nulli unquam nubere voluit, in fidei conjugalis, et Spartanos qui ut adolescentes ab ebrietate deterrerent, ilotas, id est servos suos, inebriari cogebant, in frugalitatis proponit exemplum. Observat autem triplex esse hominum genus, ex quibus nonnulli, sicut Abraham, sponte sua; alii vero ab aliis admoniti, quemadmodum Christi discipuli, virtutem quærunt et amplexantur; alii tandem, velut populus gentilis, nec ultro, nec piis admonitionibus flecti possunt aut erudiri. Quapropter divinus noster pædagogus illos et verbis et exemplis vel a vitiis revocat, vel ad virtutem adhortatur. Ex variis autem ejuscemodi exemplis unum Clemens seligit, nempe Sodomitarum, quorum utique supplicio alii cautiores fieri debent. Ex Judæ siquidem epistola demonstrat eos, qui non in eadem, ac illi, peccata prolapsi sunt, similes pœnas non dedisse. Subnectit autem se plura alia intemperantiæ et luxus proferre posse exempla, sed illis, ne prolixior sit, esse supersedendum.

Ad balneas autem post longam sane, quamque ipse excusat, digressionem revertitur [38]. Quatuor vero dicit illarum esse causas, munditiam, calorem, sanitatem, voluptatem. At quemadmodum mulieribus munditiæ, ac viris sanitatis causa permissæ sunt, ita caloris ergo supervacuæ, ac tandem voluptatis gratia omnibus omnino Christianis interdicuntur. At vero quoniam frequentior earumdem usus corporis vires debilitat et sæpe dissolvit, hinc Clemens arguit non semper lavandum, sed habendam ætatis, corporis et temporis rationem, nec in balneis aliena unquam ope et ministerio utendum. Nos autem ibi admonet longe præstantius esse animæ quam corporis lavacrum, utpote quo illius sordes et peccata penitus eluuntur.

Gymnasium porro seu corporis exercitationem, quæ ad illius sanitatem utilis est, docet Clemens [39] adolescentibus pro balneo sufficere, atque a viris eidem balneo esse anteponendam. Mulieres quoque telæ, et lanæ, aliisque sexui suo congruis operibus exerceri debere ostendit. Nec turpe eis esse putat, si ad pistrinum, ubi Pittacus rex Mitylenorum moluisse fertur, accedant, ac in cibo et potu viris suis conficiendo occupatæ sint. Per eum quoque nonnullis viris quandoque licet aut lucta, aut pheninda, seu parvo globo, aut agricultura, aut saltem deambulatione exerceri. Quid vero, quod eos aquam haurire, ligna scindere et voce alta legere pulchrum existimat? At in his exercitationibus, quemadmodum omnibus in rebus, modum semper adhiberi jubet. Censet denique artem piscatoriam, si otium fuerit, laudabilem quidem esse, sed eam longe laudabiliorem, sicuti Christus docuit, qua non pisces, sed homines capiuntur.

Posthæc ille quæ in hoc et superiore libro fusius disputata sunt, ea in epitomen et compendium redigit [40]. A veste autem incipit, et quamvis ab illa non omne prorsus aurum aut mollitiem arceat, sedulo tamen prohibet ne quid ei addatur, quod ad mollem luxuriosamque vitam quemlibet unquam possit impellere. Christiana itaque vestis, ut ipse A ait, simplex, munda, honesta, frugalis ac unius tantum, albi scilicet coloris et nativi, a fullonum artificio aliena, personæ, ætati, dignitati, sexui apta et conveniens esse debet. Inaures autem Pædagogi legibus vetitas esse ostendit, ac hominem qui auro se ornari credit, seipsum illo probare inferiorem. Aureum tamen annulum mulieri concedit, non ad ornatum quidem, vel ad nobilitatis suæ ostentationem, sed quo ea quæ domi servanda sunt, obsignentur. Nec in alios usus viro cælibi ac publico munere fungenti eum permittit. Hunc autem parvo vult indui digito, nullosque in eo deorum aut idolorum, sed columbæ, piscis, maris, anchoræ, vel ejusdem generis effigies et signa insculpi et exprimi. Ibi porro obiter monet Clemens quemdam pulchriorem vestitum et ornatum uxoribus concedendum, quo solis viris, minime vero aliis, ita placeant, ut illos pedetentim possint ad moderatum temperatumque vivendi genus adducere. At omnem B prorsus luxum et fucum, nec satis modesta et pudica ornamenta proscribit. Porro autem ibidem ille explicat quomodo pili crinesque nutriendi et componendi, atque barba a viris alenda; ac quomodo unusquisque in motu, gressu, incessu, gestibus, figuris, voce, aspectu, atque erga ancillas et servos sese gerere debeat. Tum deinde probat prohibitas esse tonstrinas, cauponas, tesserarum et lucri causa talorum ludum; fugiendam improborum consuetudinem; et spectacula, quidquid nonnulli reclament, esse interdicta. Subhæc planum facit quo habitu et modo viris et mulieribus ad ecclesiam veniendum, atque ab ea recedendum, quid in osculis et salutationibus vitandum, ac vitam Christiani debere ab omni penitus cujuscunque mali suspicione esse liberam et solutam.

Viris porro suasor et auctor est [41], ne uxores coram famulis osculentur, nec ullus bona et justa ethnicorum præcepta respuat, sed eorum vitia declinet, et sanctum se omnibus et incorruptum exC hibeat. Verum cum mala tantum et peccata fugere et emendare non sufficiat, nisi et omnia Dei præcepta impleantur, hinc Clemens quæ ea sint ante omnium ponit oculos. Et primo quidem ostendit illa hoc communi effato: « Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris, » ac duobus etiam charitatis præceptis generatim contineri. Attamen, ut hæc enodatius et distinctius explicentur, omnia sigillatim exponit divini nostri Pædagogi præcepta, atque primum quædam refert in Decalogo constituta, ac deinde ea quæ ab eodem Pædagogo sancita sunt de orationis modo, de jejunio, sacrificiis, patientia, militibus, judicibus et divitibus; de reipublicæ administratione, de jurejurando, de acceptæ injuriæ oblivione, mendacio, superbia, misericordia, ira; de diligendis inimicis, de famulorum usu, de fratribus arguendis, de agenda pœnitentia, ac de eleemosyna hominibus indigentibus impertienda. Hic etiam varia de Christianæ vitæ institutione ex Pauli D Epistolis præcepta congerit. Posthæc vero subnectit se potuisse plura alia quæ ad episcopos, diaconos, viduas aliosque spectant, ex sacris Scripturis **18** proferre, sed de iis aliud fore dicendi tempus. Multa quoque in eisdem Scripturis per ænigmata et parabolas scripta esse profitetur, sed ea non a Pædagogo, cujus instituta jam satis exposuerat, esse enucleanda, sed a solo magistro, Christo, scilicet Domino, qui boni Patris bona voluntas et sapientia germana, nos sancta cognitione imbuit; et in quo, si mandatis ejus fecerimus satis, ac eum fuerimus imitati, semper manebimus. Tum deinde Clemens Christianos alloquendo, plurimum eos adhortatur ut Ecclesiæ personam impleant, ad eam accurrant, et Christum, quem variis divinæ naturæ titulis ibi exornat, dignis semper laudibus prosequantur. Postremo ipsummet divinum Verbum, Pædagogum

[37] cap. 8. [38] cap. 9. [39] cap. 10. [40] cap. 11. [41] cap. 12.

Digitized by Google

nostrum, orat et obsecrat ut Christiani suprema illius ope fulti, ita ejus exprimant similitudinem atque imaginem, ut cœlesti in civitate laudes illius in æternum concinant. Sed quia idem Pædagogus eos interea duxerat in Ecclesiam, idcirco auctor noster hymno, qui in gratiarum actionem ibidem ab omnibus decantandus erat, librum suum absolvit.

ARTICULUS IV.

De horum librorum auctore, argumento, titulo, divisione, eorumque in capita distributione, et eorumdem capitum summariis, ac quo tempore, et utrum ex concionibus publice habitis, aut quo stylo sint compositi.

Constat sane, nec ullum profecto ulli dubium esse potest Clementem Alexandrinum hujusce operis verum et genuinum esse auctorem. Etenim præterquam quod illud communi cunctorum Græcorum codicum testimonio, certa Eusebii [45], Hieronymi [46], Photii [47] aliorumque scriptorum auctoritate, ac unanimi omnium consensu illi adjudicatur; certe Clemens suis ipsemet verbis se illius parentem esse apertissime prodit et declarat. In sexto siquidem *Stromatum* libro hæc scriptis tradidit: « Prius autem *Pædagogus*, qui a nobis dividitur in tribus libris, ostendit educationem, et institutionem, quæ datur a pueritia, hoc est, quæ a catechesi, seu ex eruditione tradita doctrina, fide simul augetur, vitæ informationem, et iis qui in numerum virorum ascribuntur, præparat animam virtute præditam, ad scientiam, quæ cognitionem præbet accipiendam [48]. » Ex his autem Clementis nostri verbis discimus non modo hanc lucubrationem ab eo esse revera profectam, verum etiam quod illius sit argumentum et scopus, quis titulus, et quot in libros fuerit divisa. In hisce enim libris de ea Christiana institutione se disputasse dicit, qua ab ipsa religionis nostræ infantia, seu catechesi, vel tradita in catechesibus doctrina, ita quisque sanctis morum vitæque præceptis informatur, ut ad perfectam cognitionem et scientiam comparandam possit præparari.

Et hoc sane totius operis sui esse argumentum et finem ab illius exordio luculenter Clemens aperit et explicat [49]. Ait enim *Pædagogum* in eo totum versari, ut recta omnium humanorum actuum compositione animam Christiani reddat meliorem. Quocirca omnem ille his in libris, uti satis ex eorum analysi liquido intelligitur, ponit operam, ut Christiano patefaciat quæ vitia fugienda, quæ virtutes consectandæ, ac quæ bona agenda sint, vel, ut brevius cum eo loquamur [50], qualis in toto vitæ suæ decursu debeat esse Christianus.

Nulli itaque, si ad hæc animum advertat, obscurum esse potest, non alium plane, nisi eum quem præfert, *Pædagogi* titulum huic eidem operi a Clemente nostro fuisse inscriptum. Et vero non in hac tantum commentatione id ipse passim asserit, sed alibi etiam illud idem suis, quæ paulo ante retulimus, verbis disertissime pronuntiat. Huc accedit, quod eadem horum librorum inscriptio haud plane incerto omnium manuscriptorum codicum testimonio, atque Eusebii, Hieronymi, Photii [51] aliorumque cum veterum tum recentiorum conspiratione invictissime comprobatur.

Iisdem prorsus argumentis tam aperte convincitur hoc opus in tres libros ab ipsomet pariter doctissimo illius auctore fuisse distributum, ut iis fusius explicandis immorari superfluum penitus sit et inutile.

Majorem itaque in difficultatem incides, si definire velis utrum hujusce operis in capita divisio, eorumdemque capitum argumenta seu summaria ab eodem auctore nostro revera prodierint. In omnibus quandoquidem Græca manu exaratis codicibus, eodem plane modo ac in editis exhibentur, non alium profecto, quam ipsum Clementem nostrum videntur habuisse auctorem. Contra vero, si ea paulo accuratius expendas, haud difficiliter agnosces hanc in capita distributionem adeo ineptam esse et præposteram, ac capitum summariis ea quæ in illis disputantur, ita parum apte repræsentari, ut ista imperiti cujusdam librarii, vel scriptoris factum et opus esse tuum continuo in animum facile inducas. Nam ut plura omnibus passim obvia missa faciamus, quid, amabo te, a recta capitum partitione magis abhorret, quam excusatam in instituta de balneis disputatione digressionem, varia in capita sic confuse distribui [52], ut lectoris animus ab auctoris proposito diu avocatus, vix ac ne vix quidem illud nisi ad ea, quæ prius legerat, sæpe reflectatur, possit percipi? Quid vero, quod e contrario plura a se plane diversa de legitimo videlicet matrimonii usu, et de vestibus, a quolibet seu viro seu muliere induendis, uno eodemque capite continentur [53]? Quid denique, quod quædam capitum initia, inepto prorsus loco posita, orationis filum intersecant, ac penitus interrumpunt [54]?

Plurima porro capitum argumenta, quam parum accurate elucubrata sint, cuivis ea leviter et cursim legenti clarum adeo fit et perspicuum, ut id nulla sane probatione indigeat. In iis enimvero vel illa tantum quæ initio tractantur repræsentata, vel plura prætermissa, vel alia tandem male indicata, sæpe sæpius occurrunt. Tam certum itaque et fixum manere debet hæc, sicut et cætera omnia capitum summaria, Clementi nostro non esse ascribenda, quam omnibus hoc opus, et illius in tres libros divisionem, ab ipso revera manasse planum est et manifestum.

A nobis porro si quis sciscitetur, quo tempore quove modo, ab eodem Clemente in lucem emissum fuerit, observabimus illud prius fuisse compositum, quam libris *Stromatum*, ubi, sicuti vidimus, citatur, ipse manum admoveret [55]. Neque magis obscurum est non longo temporis intervallo, antequam hos *Pædagogi* libros divulgaret, præmissam ab eo fuisse suam ad Græcos *Cohortationem*. Ab ipso quippe eorumdem librorum exordio aperte declarat, postea quam homines, pristinis erroribus ac falsis ethnicæ religionis opinionibus ejuratis ac depositis [56], Christianæ fidei veritatem 19 amplecti et profiteri edocti sunt, tunc a Pædagogo traditis a Christo vitæ morumque sanctioribus præceptis esse continuo imbuendos. Quis autem Clementem huic ordini a se tam accurate præscripto revera inhæsisse in dubium merito revocaverit? Atqui non minima, quemadmodum ex supra citatis ejus verbis intelligitur, intercedit hos inter ac *Stromatum* libros affinitas et connexio. Quid igitur superest, nisi ut inde *Pædagogum* paulo ante eosdem *Stromatum* libros, qui circa annum 294 ab eo editi perhibentur, sed post illius ad Græcos *Cohortationem*, scriptum et publici juris factum esse concludamus? Et hæc quidem opinio pulchre iis argumentis firmari potest, quibus ejusdem *Cohortationis* tempus a nobis supra demonstratum est [57].

Cum Clemens itaque hos libros per ea tempora confecerit, quibus adhuc, sicut antea diximus [58], catechistæ officio Alexandriæ defungeretur, hinc profecto non absurde quis colligat, eos esse his sermonibus compactos, quos ille apud Christianum populum in eadem urbe habuerat. Nulli etenim du-

[45] Euseb. lib. VI Histor., cap. 13. [46] Hieron. De script. eccles., cap. 48. [47] Phot. Biblioth., cod. 110. [48] lib. VI Strom., pag. 616. [49] lib. I, cap. 2. [50] lib. II, cap. 2. [51] loc. cit. [52] lib. III, cap. 5, 6, 7, 8, 9. [53] lib. II, cap. 9. [54] lib. III, cap. 12. [55] lib. VI Strom., pag. 616. [56] lib. I Pædag., cap. 1. [57] sub cap. 1, art. 2. [58] ibid.

Digitized by Google

bium et incertum esse potest, quin vir ille doctissimus commissam sibi plebem his Christianæ vitæ institutis imbuerit, quæ toto hoc in opere tam accurate collecta et explanata legimus. Sed quid conjecturis, quamvis haud plane incertis, opus est? Nonne id ille palam et aperte profitetur, ubi sub operis finem se, auditoresque suos in Ecclesiam a Pædagogo adductos declarat, ac hymnum ibidem ab omnibus concinendum subjunxit? Præstat autem eum loquentem audire: « Quoniam, inquit, Pædagogus nos duxit in Ecclesiam, ipseque sibi ipsi, Verbo inquam, quod docet, et omnia considerat, adjunxit, bene habuerit si nos, cum in hoc loco sumus, justæ gratiarum actionis mercedem, pulchræ pædagogiæ convenientem laudem Domino offeramus [86]. At cujus, amabo te, hæc sunt verba, nisi hominis concionantis, et qui post publicum sermonem, ea sicut et cætera omnia ab eo præmissa scriptis commendavit, et scripta in libros redegit?

In hujus porro opinionis confirmationem aliud afferri potest argumentum, ex ipsiusmet orationis stylo, catechesibus plane conveniente petitum. De eo siquidem optimus sane judex, et æquissimus æstimator Photius sic pronuntiat: « Nihil simile habent hi libri cum *Hypotyposibus*, quando et stolidis illis ac blasphemis opinionibus omnino vacant, et dictio ipsa in his floridior ad temperatam quamdam gravitatem non sine jucunditate assurgit, et varia illa, quæ in iis est rerum cognitio nihil habet minus conveniens [87]. » Quam vera autem sit hæc Photii sententia, nemo sane, qui hos libros haud prorsus indiligenter pervolutarit, non ultro fatebitur.

ARTICULUS V.

De manuscriptis horum librorum codicibus, eorumdemque integritate, utilitate et eruditione; ubi quædam loca difficilia explicantur, et utrum Clemens Hebraice sciverit.

Tribus in codicibus tres *Pædagogi* libros, Græca manu descriptos, legimus. Jam autem monuimus [88] qui, cujusve generis sint duo priores, quibus superior quoque Clementis nostri ad Græcos *Cohortatio* exhibetur; sed in eorum antiquissimo codice Regio totus pene liber primus mutilatus est, ac tria tantum ultima illius capita, dempto tamen undecimi initio, integra remanserunt. Tertius vero codex, quem ex Regia bibliotheca nacti sumus, recentior, in charta tantum papyracea descriptus est, atque hanc auctoris nostri commentationem, sed non plane integram exhibet. Quidam enimvero in eo occurrunt hiatus, et in libro secundo finis septimi capitis et octavi initium ab amanuensi librario prætermissa fuere, atque eo loci albæ quædam pagellæ relictæ sunt. Quod certe manifesto nobis est indicio hunc codicem ex aliquo alio antiquiore esse transcriptum, ubi ea quæ librarius intacta reliquit, vel resecata fuerant, vel ab illo legi non potuerunt. Non semel etiam librarius ille in describendis cum textu auctoris, tum præcipue capitum argumentis lapsus est. Sed hæc solita ejusmodi virorum errata non impediunt, quin plures ex his codicibus collectæ sint a nobis variæ lectiones, quibus Clementis nostri textus pluribus in locis recte corrigi poterit et emendari. Denique horum codicum margini insertæ sunt quædam notulæ, similes quidem, sed longe pauciores, iis quarum in superiori ad Græcos *Cohortatione* mentionem fecimus [89].

Quantum vero hi *Pædagogi* libri possint Christianorum servire utilitati, nullus sane, qui vel primoribus labris illos attigerit, vel exhibitam a nobis eorum legerit analysim, poterit unquam diffiteri. In illis quippe singula quæque Christianæ vitæ præcepta et instituta, certioresque morum regulæ tanta cautione et prudentia ab auctore nostro traduntur, ut nihil moderatius et æquabilius, nihil ad divini legislatoris mentem magis accommodatum et conveniens desiderari possit. Utrumque enim et mollioris et durioris animi scopulum sic ubique Clemens declinavit, ut semper in ea, quæ clementiæ sunt et lenitatis magis inclinet et propendeat. Si quid tamen durius delicatiori Christiano alicubi præscripsisse videatur, hunc admonet homini qui Dominum suum spinis coronatum agnoscit, non licere nec floribus coronari, nec ad illum citra sanguinem accedere. Cæterum ne nimia severitate quemquam Christianæ disciplinæ reddat indocilem, sedulo cavet ut, si quidpiam gravius aut asperius ex legum præscripto aliquando constituerit, illud postea, quantum fas est, mitiget et deliniat. In infirmioris quoque sexus gratiam aliquid nonnunquam de præcepti durioris acerbitate remittit, aut faciliora indulget. Postremo si nihil relaxare queat, legis excusat severitatem, ac præmia æterna, a Deo cuilibet morem ei gerenti promissa, certissime persolvenda ob oculos ponit. Post sacros itaque divini fœderis libros, vix ullum opus reperias, quod ad formandos omnium Christianorum mores sit utilius. Quamobrem is de Gallis nostris bene meruit, qui illud singulorum manibus, non magno sine fructu terendum, vernacula nostra lingua paucis abhinc annis interpretatus est.

Cæterum quamvis Clemens in hoc tantum Christianæ vitæ divinis legibus instituendæ, argumento versetur, totam tamen commentationem suam ubique pro more suo profana eruditione aspergit. Sed hoc scribendi genus viro doctissimo condonandum est, quo ille non tam lectorum animos allicere et recreare voluit, quam impios paganorum mores insectando et profligando, ab eis cæteros omnes avocare ac deterrere. Si quid autem in iis, sicut in reliquo opere, sit difficile et spinosum, in nostris postmodum observationibus enodabuntur.

Juvat ergo ea nunc tantum attingere, quæ ad Græci horum librorum textus integritatem, loca difficilia Latinamque interpretationem pertinent. Eorum autem initio in Gentiani Herveti editione hæc phrasis præponitur: « Constituta est basis veritatis, o vos pueri, nobis ipsis sancti templi magni Dei infractum fundamentum cognitionis, pulchra adhortatio per obedientiam vitæ rationi consentaneæ, æterna appetitio dejecta in prædium intelligens. » Verum illa in subsequentibus hujusce operis editionibus ad superioris ad Græcos *Admonitionis* calcem ab ipso Clementis textu separata, Græco duntaxat idiomate exhibetur. At in Claromontano codice Græca manu exarato post capitum primi libri *Pædagogi* argumenta, a cæteris omnibus sejuncta fuit: in aliis autem Regiæ bibliothecæ codicibus omnino prætermissa est. Ex quibus liquido colligitur hanc eamdem phrasim ab aliquo amanuensi librario post descriptum a se *Admonitionis* ad Græcos librum idcirco adjectam, ut planum cunctis faceret eo in libro positum fuisse veritatis, veræque scientiæ et religionis fundamentum. Quam autem inepte in Clementis textum intrusa fuerit, inde patet quod nullam neque cum superioris libri fine, neque cum *Pædagogi* initio affinitatem connexionemque habeat.

Ex corruptis autem ac difficilibus ejusdem *Pædagogi* locis primus ille nobis sese offert, ubi parasiti aliique pingues mensas turpiter venantes, hunc in modum a Clemente exagitantur: Μυῖαι τούτοις οἰκεῖαι τοῖς ὀνόμασι, καὶ γαλαῖ, κόλακές τε, καὶ μονομάχαι, καὶ τὰ ἄγρια τῶν παρασίτων φῦλα· γαστρὸς ἡδονῆς οἱ μὲν τὸν λόγον, οἱ δὲ τὴν φιλίαν, οἱ δὲ τὸ ζῆν ἀποδιδόμενοι [90]. Quæ in ultima Clementinorum operum versione sic Latine reddita sunt:

[86] lib. III Pæd., pag. 266. [87] Phot. in Bibl. cod. 110. [88] sub cap. 1, art. 2. [89] loc. cit. [90] lib. II Pædag., cap. 1, pag. 143.

Digitized by Google

« Muscæ quoque aptissime vocantur et adulatores, et gladiatores, et immane genus parasitorum; ventris voluptate hi quidem rationem, alii vero amicitiam, alii autem vitam ipsam vendentes. » At Hervetus qui aliter Græci textus interpunctionem legerat, illum sic interpretatus est : « Muscæ quoque iis nominibus aptissime convenientes, et mustelæ, et adulatores, et gladiatores, et agrestia genera parasitorum, ventris voluptate : alii quidem rationem, alii vero amicitiam, alii autem vitam vendentes. » Quemadmodum autem in priori versione vox γαλαῖ, id est mustelæ, seu potius feles, non prætermittenda, ita forsitan, in posteriori malæ codicum Græcorum interpunctioni non ita facile adhærendum.

Sed hæc levioris momenti, illud autem gravioris quod idem Hervetus hunc contextum non satis cum antecedentibus cohærere, et ibi aliquid deesse suspicatur. Verum huic suspicioni refragantur omnes manuscripti nostri codices, qui, exceptis librariorum erroribus, nihil aliud ibi quam editi repræsentant. Quid vero? si ex hoc eodem contextu mens auctoris et sensus elici possit, quid jure merito in eo desiderabitur? Atqui illum cum superioribus comparatum, si diligenter expendas, facile intelliges ibi a Clemente liguritionem et helluationem, ganeones et helluones vexari et exagitari. Primum autem ostendit, quæ ex immodico ciborum et condimentorum usu oriantur mala, et quibus probris et maledictis huic vitio dediti inurantur. Tum deinde refert quibus nominibus ii et infames mensarum asseclæ, nimirum adulatores, gladiatores aliaque turpia parasitorum genera appellari solerent. Recte autem ait illos muscas, et mustelas, seu feles, qui delicatiores cibos semper exquirunt, iisque sese ingurgitant, jure merito vocari, quippe qui propter cibos et ventris voluptatem, γαστρὸς ἡδονῆς, amicitiam, rationem et ipsammet vitam suam vendebant. Cæterum quandoquidem in Græco textu habetur μυῖαι οἰκεῖαι, hoc posterius verbum, non adverbium, sed potius adjectivum esse credimus, atque eo muscas familiares et domesticas, quæ effrenato impetu in carnes involant, eisque insaturabiliter inhærescunt, melius significari.

Ubi vero de potu Clemens disputat, iis qui provectioris sunt ætatis, ut vino paulo hilarius utantur, indulget, sed ea lege « ut illabefactatam, inquit, rationem, et suo officio fungentem memoriam, corpusque vino inconcussum et immotum conservent [61]. » Tum continuo subnectit : ἀκροθώρακα τοῦτον καλοῦσιν οἱ περὶ ταῦτα δεινοί, « qui ejusce rei sunt periti, illud ἀκροθώρακα appellant. » At nonnulli hæc Græca verba ex margine in textum intrusa arbitrantur. Sed frustra sane et perperam. Contra hanc enim conjecturam non solum manuscripti omnes militant, sed ipsa etiam auctoritas Clementis, cui usu sæpe venit, ut hujusmodi parentheses et verborum explicationes textui suo inserat. Neque id pluribus exemplis, quæ sæpius occurrunt, probare opus est. Loco enim proxime citato, ille simili plane modo verbum ἀσώτος adhibet et interpretatur.

Urgebit tamen aliquis verbum ἀκροθώρακα Clementi Græcæ linguæ callentissimo non posse attribui, utpote quo, si lexicographis credamus, vir summe ebrius, et quasi pectoretenus vino ingurgitatus significetur. At Clemens ibi de homine sene loquitur, qui nec ebrius est nec temulentus. Non inficias sane ibimus hoc verbum eo significatu ab aliquibus aliquando usurpari. Verum neminem Græce doctum fugere potest quosdam peritissimos scriptores ea voce usos, qua hominem non multo vino repletum, sed temulentos inter et plane sobrios medium significarent. Nonne enim eo sensu ab Aristotele adhibetur, ubi hunc scribit in modum : Διὰ τί ὁ ἀκροθώραξ μᾶλλον παροινεῖ τοῦ μεθύοντος, μᾶλλον καὶ νήφοντος; « Quam ob causam qui leniter a vino tenentur, magis peccant, vel delirant, quam qui aut graviter sese ebriarint aut sobrii manent [62]? » Nec minus clare Plutarchus : Τῶν γὰρ ἀκροθωράκων ἡ διάνοια μόνον τετάραχται, τὸ δὲ σῶμα ταῖς ὁρμαῖς ἐξυπηρετεῖν δύναται, μήπω βεβαπτισμένον· ὅταν δὲ κατασεισθῇ καὶ πιεσθῇ, προδίδωσι τὰς ὁρμὰς καὶ παρεῖται· « Nam semiebriorum animus duntaxat est conturbatus, corpus ejus impetibus adhuc inservire potest, nondum obrutum : ubi autem oppressum vini vi fuerit, destituit animi, proditque incitationes [63]. »

Cæterum ex hoc vel unico auctoris nostri testimonio disce quantæ, uti prænonuimus, ille sit lenitatis et indulgentiæ, quantumque a nimia severitate abhorreat.

De corruptione quoque Casaubonus alium postulat insignem auctoris nostri locum, quem in editis sic legere est : Ἐν δὲ τοῖς ἀγῶσι πρῶτον ἡ τῶν ἀθλητῶν δόσις ἦν· δεύτερον δὲ ὁ ἐπεγερμός· τρίτον ἡ φυλλοβολία· τελευταῖον ὁ στέφανος, ἐπίδοσιν λαβούσης εἰς τρυφὴν τῆς Ἑλλάδος μετὰ τὰ Μηδικά· « In certaminibus autem primo fuit donum athletarum, secundo autem plausus et excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit corona, cum Græciæ post tempora Medica magna ad delicias facta esset accessio [64]. » Contendit autem Casaubonus [65] verba ἀθλητῶν et ἐπεγερμός esse depravata, sicque emendanda, πρῶτον ἡ τῶν ἄθλων δόσις ἦν, δεύτερον 21 δὲ ὁ ἐπαγερμός, ita ut Clementis sensus sit, antiquissimis temporibus solita proponi ἄθλα certatoribus, et in eorum locum successisse ἐπαγερμόν, id est morem illum, quo athletæ munuscula ex singulis spectatoribus colligerent. Deinde vero pro istis alia, quæ Clemens memorat, substituta quidem, sed ita ut, coronis inventis, priora in usu esse non desierint. Variis porro veterum scriptorum testimoniis hanc Casaubonus emendationem fulcire et corroborare conatur. Nec minimi sane ponderis pluribus censebitur hæc viri doctissimi conjectura. Posterioris siquidem verbi correctionem, ex Græcis nostris codicibus, saltem unius auctoritate fultam, si citatus ab illo Eratosthenis locus, tam ad Clementis argumentum quam contra facere videtur, nemo sane admittendam esse merito negaverit. Ad prioris autem vocis emendationem quod spectat, haud plane similis est ratio. Enimvero cum non possit esse donum ἄθλων, id est certaminum, nisi ubi fuerint ἀθληταί, athletæ et certatores, cur Clemeati hanc vocem alteri anteponere non licuit? Scimus quidem prius verbum a plurimis scriptoribus adhibitum, instituto illius de certaminibus sermoni magis aptum esse et conveniens. Verumtamen quia posterius, communi manuscriptorum omnium consensu probatum, ejusdem Clementis proposito minime repugnat, cur illud, alio supposito, tam facile repudiabimus? Sua tamen unicuique, postquam hæc accurate perpenderit, sententia maneat. De his porro certaminibus et coronarum origine alio in loco fuse disputabimus [66].

Pueri nomen Christianis congruere quando Clemens ostendit [67], id quod in Genesi de Isaaco patriarcha, cum uxore sua Rebecca ridente, scriptum est, triplici mystica explicatione interpretatur. Verum Græca secundæ expositionis verba Herveto adeo obscura et implicata videntur, ut ibi aliquid mendosum et depravatum, aut hiulcum et decurtatum esse persuasum omnino habeat. Ubi autem sit

[61] lib. II, cap. 2, p. 155. [62] Arist. Probl., sect. 3, quæst. 27, p. 700. [63] Plutarch., lib. II Sympos., quæst. 8, pag. 650. [64] lib. II Pædag., cap. 8, pag. 181. [65] Casaub. Animad. in lib VI Suet., pag. 276. [66] inf. cap. 12, § 6. [67] lib. I Pædag., cap. 5, pag. 90.

Digitized by Google

ille Græcæ orationis hiatus, aut amanuensis librarii peccatum, nec Hervetus indicat, nec nos ex Græcis nostris codicibus, quorum magna illic est cum editis consensio, deprehendere possumus. Neque porro Cimmeriis, ut aiunt, tenebris hic locus sic offunditur, ut percipiendi auctoris nostri sensus spes omnibus omnino adimatur. Ibi enim quid eo Isaaci risu intelligi possit, clare omnino et perspicue Clemens explicat. Aperte siquidem docet patriarcham illum, qui ab imminenti salutis ob Rebeccæ conjugis, sibi ab Abimelecho præreptæ periculo liberatus riserat, typum et figuram esse Christiani, qui majori æternæ mortis periculo divina Christi gratia defunctus, ridet et lætatur. Cum itaque hæc clara, vera et certa videantur, atque in sola mysticæ hujus explicationis probatione sit obscuritas, tentemus pro virili nostra parte eam discutere. Pro certo autem Clemens posuit nomen *Rebecca* idem Latine sonare ac *tolerantia*; Rebeccam vero figuram fuisse Ecclesiæ, cui etiam nomen tolerantiæ propter rationes ab eo allatas datum est. Inde porro Clemens sic videtur argumentari : Isaac omnium nostrum, id est Christiani populi, typus, cum Sara seu tolerantia conjuge sua, quæ Ecclesiæ figura erat, risit gaudens et exsultans quod, ea adjuvante et opitulante, a morte sit ereptus. Rex vero Abimelec, hoc est Christus Dominus, ex fenestra sua, seu ex assumpta carne risum nostrum, hoc est gratiarum actionem, benedictionem, exsultationem, lætitiam, cum tolerantia seu Ecclesia respiciens, et suam ei ostendit faciem et perfectam reddidit.

Verum, inquies, si hæc sit auctoris nostri mens et sensus, ille profecto Ecclesiam, quæ Christianorum omnium mater est, dixit Christiani populi esse sponsam et conjugem. At quis id Clementi in mentem venisse sibi facile persuadeat? Sed attendas velim Clementem de Ecclesia eo tantum sensu loqui, quo tolerantia dicitur. Eo autem nomine Ecclesiam Christiani populi sponsam appellare quid vetat? Cæterum ibi falsus est Hervetus, quod satis non perspexerit ubi desinat hæc secunda Clementis interpretatio et tertia incipiat.

Si quæ alia reapse contaminata Clementis textus loca aut corruptione notata occurrant, de illis in subsequentes nostras animadversiones, ne eadem repetere cogamur, rejiciendam esse disputationem satius esse duximus.

Porro autem non solam amanuensis librarii in describendo Clementino textu inscitiam vel oscitantiam arguunt, sed ipsummet etiam Clementem in explicanda voce Hebraica *hosanna* imperitiæ, et Hebraicam linguam non calluisse quidam insimulant : « Lux et gloria, inquit [68], cum supplicatione Domino hoc significat hosanna, si Græce explicetur. » Non enim id significat ea vox, sed *salvum fac obsecro*, vel *salva nunc*, ut post Hieronymum [69] docent linguæ Hebraicæ peritiores. Scimus quidem non defuisse quosdam, quibus haud improbabile visum est ea voce laudem vel gloriam, et gratiam quoque significari : sed hi, atque a fortiori Clemens, qui hujusce vocis significationem cæteris longius produxit, Hebraice penitus nescivisse dicuntur.

Neque allata ab eo, non secus atque ab Origene et Ambrosio vocis Rebeccæ explicatio probabilior est : « Interpretantur, inquit, Rebeccam *tolerantiam* [70]. » Idem enimvero illa vox Hebraice scientibus sonat ac saginata, sive impinguata, vel contentio obtusa, et contentio impedita. Verumtamen rarissimi sunt in *Pædagogi* libris hujuscemodi lapsus, et Clemens ingenio suo, Hebraica minime callenti, quasi diffisus, paucissimas dedit Hebraicorum nominum interpretationes.

Denique Latina eorumdem *Pædagogi* interpretatio suis non caret mendis et erroribus. Longum esset illos omnes, Græce peritis satis obvios, fusius persequi. Attamen ut ab iis minus periti lectores caveant, illud exempli causa notasse sufficiat, quod ubi Clemens de duplici divinæ exhortationis genere disputat, ibi ab Herveto, qui aliquid Græco textui deesse putabat, de suo additum esse : « Sunt autem utriusque generis duplices habitudines. » Sed hæc, et non alia omnia, hujus versionis errata in ultimis editionibus resecata et emendata sunt.

CAPUT III.

Novæ in Clementis Alexandrini *Admonitionem ad gentes*, et tres *Pædagogi* libros observationes, ac primum de iis quæ ad Christianam theologiam spectant.

22 ARTICULUS I.

Quomodo Clemens sacros librorum Veteris et Novi Testamenti auctores divino spiritu afflatos fuisse senserit.

Asserta *Cohortationis ad gentes*, triumque *Pædagogi* librorum a Clemente nostro scriptorum sinceritate et auctoritate, atque harumce commentationum ætate et integritate stabilita, illud primo diligentissime examinandum est quomodo in iis ille sacros cum Veteris tum Novi Testamenti libros a suis auctoribus, divino afflante Spiritu, compositos fuisse ubique constanter doceat et prædicet. Illorum itaque auctoritate et testimoniis contra paganos pugnare ubi incipit, his disputationem suam orditur verbis [71] : « Jeremias propheta sapientissimus, vel in Jeremia potius sanctus Spiritus (μᾶλλον δὲ ἐν Ἱερεμίᾳ τὸ ἅγιον Πνεῦμα), Deum ostendit : Deus appropinquans ego, » etc. Deinde vero postquam varia Veteris Testamenti, atque etiam Matthæi et Pauli apostoli testimonia protulit, continuo subnectit [72] : « Possum tibi Scripturas afferre innumerabiles, quarum ne apex quidem unus præteribit, qui non perficiatur. Os enim Domini Spiritus sanctus ea est elocutus (τὸ γὰρ στόμα Κυρίου τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐλάλησεν ταῦτα). Quid autem hoc loquendi modo sibi aliud Clemens voluit, nisi divinos Scripturæ sacræ auctores nihil omnino in libris et epistolis suis scripto tradidisse quod ipsis a Spiritu sancto afflatum non fuerit et dictatum? Et id quidem ita persuasum Clemens habebat, ut Isaiæ verba tanquam ab ipsomet Deo pronuntiata citare non dubitaverit [73] : « Efficiamini justi, ait Dominus (λέγει Κύριος) ; qui sitis, venite ad aquas [74]. » Quapropter expressissimis ille totidemque verbis dicit [75] : « Ipse est Dominus loquens in Isaia, ipse in Elia, ipse in ore prophetarum. » Ne quis vero id ab eo temere prolatum esse causaretur, docet alibi sacras Scripturas ab Apostolo θεοπνεύστους, « divinitus inspiratas, » appellari [76].

At, inquiet aliquis, hæc sacrorum prophetarum prærogativa fuit, ut nihil penitus, nisi sancto Spiri-

[68] lib. II Pædag., cap. 4, pag. 85. [69] Hieron. epist. ad Damas. [70] Orig. hom. 16 in Gen., et hom. 12 in Num.; Ambros. lib. de Isaac., cap. 1. [71] pag. 51. [72] pag. 53. [73] p. 59. [74] Isa. LV, 1. [75] pag. 7. [76] pag. 56.

Digitized by Google

tu afflante, scriberent aut loquerentur. Recte quidem omnino et pulchre. Atqui Clemens ubi ipsissima Matthæi et Lucæ verba refert, ibi vocem eorum propheticam, hoc est, ipsis quemadmodum olim prophetis divinitus inspiratam, appellat : Μάρτυς ἡμῖν προφητικὴ παρέστω φωνή· « Testis nobis accedat vox prophetica [77]. » Nec mirum sane, quando quidem ille Spiritum sanctum non minus in Novi quam Veteris Testamenti scriptoribus ita locutum asserit, ut ii non pauca tantummodo prophetica, sed omnia verba sua illius instinctu atque afflatu litteris mandaverint.

Quid vero quod Clemens in suis *Pædagogi* libris sæpe sæpius docet et repetit divinum nostrum Pædagogum, ac Spiritum sanctum non modo in prophetis, sed in aliis sacræ Scripturæ auctoribus ita esse locutos, ut nihil cordi magis habuisse videatur, quam ut id discipulis suis creberrime inculcatum, ex eorum animis nunquam excideret? Varia itaque ejus testimonia huc congerere opus non est, quippe quæ adeo frequenter occurrant, ut eorum multitudine potius obrueretur lector quam doceretur. At illud tamen silentio prætermittere non possumus, quod vir doctissimus de Paulo nominatim prædicat [78] : « Qui in Apostolo erat Spiritus sanctus, Domini voce utens, dicit mystice : Lac vobis potum dedi [79]. » Si enim hæc verba, quæ nomine suo ad Corinthios scribebat, Spiritu sancto afflante scripta sunt, cætera omnia ab illo aliis in epistolis tradita, ejusdem quoque divini Spiritus afflatu scriptis mandata esse quis audeat inficiari? Atqui eamdem profecto Clementis de aliis cum evangelistarum, tum sacrorum quorumlibet auctorum libris et epistolis fuisse sententiam, nemo sanæ mentis negaverit.

ARTICULUS II.

Quomodo Clemens testimonia sacræ Scripturæ in Admonitione ad Græcos *citaverit, et cur nonnulla in vulgatis ejusdem sacræ Scripturæ libris non reperiantur, curve auctorem Proverbiorum puerum Hebræum appellaverit.*

Quæ ex Veteri Testamento Clemens non solum in *Admonitione ad Græcos*, sed in aliis quoque suis operibus loca retulit, ea ex Septuaginta Seniorum versione totidem sæpe verbis, sed non semper transcripsit. Varia quoque testimonia ex variis capitibus deprompta, sic aliquando conjunxit, perinde atque uno eodemque loco haberentur. Hinc sane factum est ut quædam ab eo citentur quæ in sacris Scripturæ codicibus reperiri non potuerunt.

Sermonis autem initium ab hac ipsa *ad Græcos Admonitione* ut ducamus, hæc in ea legimus ab illo citata sacræ Scripturæ verba [80] : « Tibi autem tua permittit legitimo scilicet filio..... cui etiam soli promittit dicens : Et ad stabilimentum extendetur terra, interitui enim seu corruptioni non confirmatur. » Quem in locum Hervetus : « Nec quid sit intelligo, nec ubi id sumpserit Clemens scio, perspicacioribus itaque id relinquo inveniendum. » Neque id etiam invenere alii, a quibus hic Clementis liber typis postea excusus est ; vel qui aliqua in eum ediderunt scholia. Sed ille Scripturæ locus ideo inventu difficillimus est, quia a Clemente nostro memoriter descriptus non omni videtur carere mendo. Nam in manuscriptis nostris codicibus additur negatio, καὶ ἡ γῆ οὐ παραστήσεται. Fortasse etiam plures locos Clemens ibi, sicut etiam alibi, in unum congessit.

Facilius itaque illud est, quod paulo supra ex Isaiæ prophetia retulit [81] : « Efficiamini justi, ait Dominus : qui sitistis, ite ad aquam, et quicunque non habetis pecuniam, ite, et emite, et bibite absque pecunia [82]. » Posteriora enim verba apud Isaiam reperiri ultro fatetur Hervetus. Sed ubinam priora, « efficiamini justi, » scripta fuerint, penitus se ignorare declarat. Observat tamen Isaiam juxta LXXII Seniorum versionem superioribus verbis præmisisse ἔσεσθέ μοι δίκαιοι, λέγει Κύριος [83]. At nulli profecto dubitamus hæc ipsa verba a Clemente citari ex memoria, aut ex suo codice, in quo γενέσθε pro ἔσεσθε legebatur. Quod quidem eo haud absurde confirmari potest, quia non minor sit in subsequentibus verbis lectionum discrepantia. Apud eosdem quippe Seniores hæc legimus : βαδίσαντες ἀγοράσατε, καὶ φάγετε, quæ Clemens sic reddidit : βαδίσατε, καὶ ἀγοράσατε, καὶ πίετε.

Non alio sane modo eum Novi quam Veteris Testamenti **23** verba retulisse cernimus. Testem enimvero Paulum apostolum hunc ille citat in modum [84] : « Eadem quoque ratione Apostolus Domini adhortans Macedonas, fit divinæ vocis interpres, dicens : Appropinquavit Dominus, cavete ne deprehendamur vacui. » Monet autem Hervetus in Epistola ad Philippenses, quos constat fuisse Macedonas, priora verba ita repræsentari, ut pro ἐγγύς, quod in Pauli textu habetur, a Clemente ἤγγικεν positum sit. Cætera vero, quæ ibi non occurrunt, a sciolo aliquo addita suspicatur. Sed ea in omnibus manuscriptis, tam recentioribus quam antiquissimis, quandoquidem reperiuntur, ex auctoris nostri textu non ita facile rejicienda sunt. Vero itaque similius videtur Clementem, si id ex aliquo non plane integro et incorrupto Epistolarum Pauli codice exscripsit, vel ad illius sensum duntaxat allusisse, vel memoria penitus lapsum.

Nec longe absimili memoriæ suæ errore quædam verba nomine Oseæ prophetæ protulit [85], quæ in solo Amosi libro reperire est. Sed hæc obiter animadvertisse sufficiat. Si quæ vero alia Scripturæ sacræ loca aut mendosa, aut a primigenio textu paululum diversa, hoc in opere Clemens protulerit, ea satis accurate in ejus scholiis adnotantur, ita ut de illis longam a nobis institui disputationem superfluum omnino videatur.

A nobis porro sine observatione non potest is prætermitti locus, ubi Clemens singulari plane modo librum citavit Proverbiorum [86] : « Quid tibi annuntiem sapientiæ mysteria et verba ex erudito adolescente Hebræo » (ἐκ παιδὸς Ἑβραίου πεπαιδευμένου)? Extra dubium quidem esse videtur illum hoc nomine appellasse Salomonem. Quædam enim ex octavo Proverbiorum capite transcripsit, quæ eidem Salomoni ascribuntur. Sed cur eum Clemens simplici « pueri Hebræi » nomine appellaverit, dictu non ita promptum atque expeditum est. Nobis quidem non latet a Scripturæ more non esse prorsus alienum, ut homines etiam provectioris ætatis sic vocitentur. De filiis etenim Heli, qui jam et ipsi liberos susceperant, scriptum legimus : « Et erat peccatum puerorum (τῶν παιδαρίων) magnum valde [87]. » At Clementem ad virum Hebræum et hominum omnium sapientissimum Salomonem designandum hac voce, potius quam alia uti voluisse, qua, quæso, ratione probabitur? Incompertum nobis adhuc non est plures alias ejusdem vocis significationes, quas alibi explicabimus, ab ipsomet Clemente nostro afferri [88] ; sed illæ nihil plane ad nostrum propositum faciunt. Porro autem quid sentiamus, si roges, candide respondebimus illum a veritate minus nobis videri aberrare, qui dixerit Clementem « Hebræi pueri » nomine ad hæc collineasse ejusdem Salomonis verba : « Ego filius fui patris mei, tenellus, et unigenitus coram matre mea, et docebat me [89]. » Cum enim Salomon ibi se tenellum et a matre sua edoctum profiteatur, hinc fortassis Cle-

[77] pag. 3. [78] lib. I Pædag., pag. 106. [79] I Cor. III, 2. [80] pag. 60. [81] pag. 59. [82] Isa. LV, 1. [83] In finem c. 34. [84] pag. 56. [85] cap. 51. [86] pag. 52. [87] I Reg. II, 17. [88] lib. I Pædag., cap. 5 et 6. [89] Prov. IV, 3.

Digitized by Google

mens putavit illum « pueri » cognomine potuisse appellari.

ARTICULUS III.

De quibusdam Veteris Testamenti libris in Pædagogo *laudatis, ac quam diverso a vulgata illorum editione modo plura eorum loca citaverit, et de nonnullis quæ etiamnum in ea non occurrere videntur.*

Cum nullum nobis superfuerit Clementis opus in quo plura quam in *Pædagogo* suo sacræ Scripturæ testimonia citaverit, operæ pretium esse duximus de iis separatim disputare; postquam tamen ea sedulo examinaverimus, quæ ab illo de quibusdam divini utriusque Testamenti libris memoriæ prodita sunt. A Pentateucho itaque ut incipiamus, constat sane illud Moysi ab auctore nostro constantissime attribui [90]. Nonne enim aperte dicit Pædagogum nostrum, in his libris per Moysen locutum, per eum, inquam, Moysen, per quem Israeliticum populum, ex Ægypto fugientem, in desertis conducebat [91]?

Si quid vero ex Psalmis colligat, tunc eos Davidi, vero eorum parenti, haud dubitanter asserit [92]. Proverbiorum quoque librum, quem in superiori lucubratione nomine eruditi adolescentis Hebræi ab illo laudatum vidimus, in his Salomoni nominatim adjudicat [93]. Hunc porro, non secus ac alios utriusque Fœderis codices, afflante Spiritu sancto, scriptum fuisse aperte testificatur [94]. Quamobrem idem liber solo Sapientiæ et Scripturæ nomine ab eo aliquando citatus occurrit [95].

Quid vero, quod non magnorum tantum, ut aiunt, prophetarum libros, puta Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis [96]; sed etiam minorum, Amos scilicet et Oseæ, iis quorum nomen præferunt, constantissime assignat [97]?

Quamvis autem librum Ecclesiastici ex sacro Hebraicæ veritatis canone nonnulli excludant, illum tamen Clemens noster iisdem plane ac Proverbiorum librum appellat nominibus et titulis. Modo enim a doctissimo scriptore nostro Sapientia nuncupatur [98], modo Scriptura [99], et quod adhuc notatu dignius est, ab ipso haud dubitanter affirmatur Pædagogum, hoc est, Christum Dominum, in eo sicut in aliis Scripturæ sacræ libris locutum fuisse [1]. Quid autem aliud inde colligas, nisi Clementem omnino persuasum habuisse hunc librum, sancti Spiritus afflatu conscriptum, ejusdem omnino esse ordinis atque alii quibus primus librorum Scripturæ sacræ canon olim constitutus et compositus fuisse perhibetur?

Cæterum Clemens omnia horum aliorumque sacrorum codicum loca, a se citata, non alia plane quam in superiori commentatione, methodo refert et transcribit. Nam ea sæpe sæpius totidem, quot in LXXII Seniorum versione habentur, reddit verbis, sed non sine frequenti lectionum varietate. At sæpe etiam nomen auctoris tacet, vel alicubi diversorum, quasi unius prophetæ, verba copulat et conjungit [2]; sæpius unum pro alio prophetam appellat; nonnunquam plura ex eodem Scripturæ contextu, mediis tamen verbis penitus omissis, ab eo descripta legimus. Denique alia, sed pauca, ab ipso referuntur, quæ in sacris librorum nostrorum libris vel non exstant amplius, vel saltem nec a nobis, nec ab aliis reperiri potuerunt.

Non mirum itaque si hæc doctis Clementinorum operum editoribus negotium profecto molestum et operosum aliquando facesserint. Et vero quid eo loco difficilius et spinosius, quo ille Jeremiæ prophetiam, hunc citat in modum [3]: « Eo usus est auxilio divinus Pædagogus, dicens per Jeremiam: Fuit tibi aspectus meretricis, impudens fuisti erga omnes, et non in domum vocavisti me, et patrem, et principem virginitatis tuæ, et pulchra meretrix, et jucunda dux venenorum? » Hic enim locus tantæ difficultatis Herveto visus est, ut illius nodum, nisi secando solvi posse non crediderit. In suis quippe commentariis nos ille admonet postrema hujusce loci verba: καὶ πόρνη καλὴ, καὶ ἐπίχαρις, ἡγουμένη φαρμάκων, a se fuisse prætermissa, quandoquidem ipsa neque in Hebraico textu, neque in Septuaginta Senum, neque Hieronymi versione invenerat. Sed animum non satis adverterat vir eruditus hæc prophetæ Nahum esse verba [4], quæ a Clemente textui Jeremiæ, perinde ac si illius essent, sine auctoris nomine adjuncta sunt.

Neminem porro vel tantillum morari potest, sicubi ipsemet Clemens Baruchi verba describendo, eumdem tantum Jeremiam nominatim appellaverit [5]. Vetustissima enimvero ea fuit veterum Ecclesiæ Patrum consuetudo, qua Baruchi verba, tanquam ab Jeremiæ libro deprompta, sæpe sæpius se citare profitebantur. Rationem si quæras, tibi illico respondebitur Baruchum fuisse Jeremiæ amanuensem, atque idcirco librarii opus potuisse magistro ascribi. Interim obiter velim observes non minimum ejusdem Baruchi prophetiæ testimonium solo divinæ Scripturæ nomine sic alibi a Clemente citari: Καγκάλως γοῦν ἡ θεία που λέγει Γραφή· « Pulcherrime alicubi dixit divina Scriptura [6]. » Ejusdem igitur divini Spiritus afflatu, quo Jeremiæ aliorumque sacrorum auctorum codices, eam scriptis mandatam esse fixum plane ratumque habebat [7].

Quam diverso autem a nostra LXXII Seniorum Græca versione modo plurimos Veteris Testamenti locos ipsemet ille auctor noster retulerit, ex schoIiis, in operum ejus calcem rejectis, facillime potest perspici. Sed quia ibi plura notatu dignissima, aut omnino prætermissa, aut non satis recte enucleata sunt, de iis brevis, sed quam accuratior a nobis fieri poterit, instruenda est disputatio.

Nobis itaque primus obviam venit Genesis locus, ex quo Clemens narrat Jacobum patriarcham cum Labani soceri sui oves pasceret, virgam habuisse styracinam [8]. Declarat quippe Hervetus se nec legisse, nec divinare posse, cur ille hanc virgam styracinam nuncupaverit. O mira sane docti tantorum in Clementis opera commentariorum scriptoris declaratio! Quid enim illi facilius, quam id apud Septuaginta Seniores legere: Ἔλαβε δὲ ἑαυτῷ Ἰακὼβ ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην, καὶ πλατάνου· « Sumpsit enim sibi Jacob virgam styracinam viridem, et nucinam, et platani [9]? » De styrace porro videsis Plinium [10], Dioscoridem [11], et alios qui de plantis et arboribus aliquid litteris mandaverunt.

Quo autem propius Clemens ibi ad Græcam Seniorum versionem accedit, tanto sane longius ab ea recedere videtur, ubi quædam Decalogi præcepta, non sine insigni additamento transcripta, nobis iterum ac tertio proposuit [12]: « Moyses nudo, inquit, capite prohibuit: Non fornicaberis, non mœchaberis, idola non adorabis, pueris stuprum non afferes. » Rursus vero postea [13]: « Non mœchaberis, idola non adorabis, pueris stuprum non afferes, non furaberis. » Nec, precor, respondeas Clementem eo in opere memoria lapsum. In alio

[90] pag. 80, 112, 123, 126, 149, 191, 220, 225, 254. [91] p. 110 et seq. [92] pag. 112, 123, 126, 127, 128, 129, 130, 250, 252. [93] pag. 122, 124, 127, 222, etc. [94] pag. 212, etc. [95] pag. 155, 193. [96] pag. 117, 157. [97] pag. 108. [98] pag. 117, 136, 171. [99] pag. 113, 126. [1] pag. 201. [2] pag. 125 et 126. [3] p. 123. [4] Nahum III, 4. [5] Baruch IV, 4; III, 13; Clem., p. 129 et 130. [6] Baruch III, 26 et seq. [7] pag. 161. [8] lib. III, cap. 10, pag. 242. [9] Gen. XXX, 37. [10] Plin. Histor. nat., lib. XII, cap. 17 et 25, pag. 32 et 46. [11] Diosc. lib. I, cap. 63. [12] Clem. lib. II, pag. 191. [13] lib. III, pag. 260.

Digitized by Google

enim libro eadem repetit [14]: « Non occides, adulterium non committes, puero stuprum non inferes, non furaberis. » Quorsum ergo, inquies, hæc verba, « pueris stuprum non afferes: » οὐ παιδοφθορήσεις, sacro textui inseruntur, quæ in Exodo et Deuteronomio, vel in Matthæi et Lucæ Evangelio frustra quæsieris [15]? Neque enim illa in illis aut ullis aliis Bibliorum nostrorum codicibus aut versionibus occurrunt.

Nunquid ergo ea a Clemente explicationis gratia adjecta sunt? At adulterii interdicto non modo puerorum stuprum, sed omnes etiam concubitus illiciti prohibentur. Restat itaque ut ex veteri aliquo versionis Septuaginta Seniorum exemplari, atque ex illo forsitan, ubi ea quæ κοινή, id est communis, uti Hieronymus docet [16], nominabatur, descripta fuerat, Clementem hæc accepisse dicamus. Sed ea de re certius peritiores homines ferant judicium, per nos licet.

Ab eadem seniorum versione Clemens rursum abire pluribus videbitur, cum aliam a Moyse latam legem sic recitat [17]: « Moyses infrugiferam aliquando sationem symbolice repulit: Non comedes, inquiens, leporem, nec hyænam: » οὐκ ἔδεσαι, λέγων, τὸν λαγών, οὐδὲ τὴν ὕαιναν. Etenim in utroque cum Levitici [18], tum Deuteronomii [19] libro legimus τὸν δασυπόδα καὶ τὸν χοιρογρύλλιον. Atqui Plinius, quidquid nonnulli reclament, a dasypode leporem distinguit [20]. Sed Bochartus præter hunc Plinium, hominem Romanum, qui hæc animalia distinxerit, probat fuisse neminem [21]. Nihil ergo prohibet quominus Clemens aliquo in codice λαγώον legerit.

Ad hyænæ vocem quod spectat, eam Barnabas, quemadmodum Clemens noster, sacro in textu haud dubie viderat. Post memoratam enim Moysis legem, τὸν δασύποδα οὐ φάγῃ, « dasipodem non comedes, » adjecit, ἀλλὰ οὐδὲ τὴν ὕαιναν φάγῃ, « sed nec hyænam manducabis [22]. » At Cotelerius non putat Barnabam, atque idcirco Clementem, ad laudatos a nobis Levitici Deuteronomiique locos collineare, quandoquidem hyæna et choirogrillus, Bocharto teste, inter se discrepant [23]. Ad quam ergo legem Barnabas respexerit, si ab illo quæras, responsum continuo accipies eam tantum denotari, qua animalibus nec ruminantibus, nec ungulam dividentibus, comedendis interdicitur. Verum non magni profecto ponderis est hæc conjectura. Nam Bochartus fatetur quidem Hebræam vocem *saphan* sæpissime verbo χοιρογρύλλιος a Græcis redditam: at ipse ibidem nos admonet quosdam quoque eam Græco nomine λαγώς interpretari. Hieronymus vero, qui psalmum centesimum tertium interpretatus, eamdem vocem Latine *herinacium* dixerat, ad Suniam tamen et Fretellam scripsit: « Pro quo in Hebræo positum est sophannim, et omnes χοιρογρύλλιος voce simili transtulerunt. Soli Septuaginta lepores interpretati sunt, τοῖς λαγοῖς, id est petra refugium leporibus [24]. » Cum hæc itaque Hebræa vox tam dubiæ fuerit significationis, nemini, puto, probabile non fiet Barnabam et Clementem in Græcos Veteris Fœderis incidisse codices, ubi supradicta vox ὕαινα Græce legebatur.

Frugalitatis specimen nos Clemens [25] dicit habuisse in Elia, « cum sedit sub rhamno, » ὅτε ἐκάθισεν ὑπὸ τὸν ῥάμνον, et ab angelo delatus ei « erat subcinericius panis hordeaceus, et amphora A aquæ, » ἐγκρυφίας κρίθινος ἦν, καὶ καψάκης ὕδατος. At ista quæ ex libro tertio Regum deprompta sunt, paulo aliter apud Septuaginta 25 habentur: ἐκάθισεν ὑποκάτω ῥαθμὸν..... ἐγκρυφίας ὀλυρίτης καὶ καψάκης ὕδατος. « Sedit sub rathmon..... subcinericius siligineus, et lecythus aquæ. » In Latina autem vulgata: « Cum sederet subter unam juniperum..... subcinericius panis, et vas aquæ. » In paraphrasi autem Chaldaica legimus: « Sedit sub genista una..... dormiit sub genista una.... placenta perforata, prunis cocta, et lecythus aquæ [26]. » Verum hæc una tantummodo vocis « hordeaceus » et « siligineus » Clementem inter et Septuaginta duos Senes diversa lectio tanti non est momenti, quæ nos vel quemquam diutius detinere debeat.

Ad alia itaque ex Proverbiorum libro delibata ut veniamus, animadverte, quæso, ubi Clemens noster scripsit [27] παιδεύει, Septuaginta dixisse ἐλέγχει [28]. Paulo post vero ille ex ejusdem libri B capite vicesimo tertio versiculum decimum tertium et decimum quartum ordine inverso sic retulit: Σὺ μὲν ῥάβδῳ πάταξον τὸν υἱὸν, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ θανάτου ῥῦσαι· μὴ ἀπόσχῃ νήπιον παιδεύων, εὖθυναι δὲ αὐτὸν ῥάβδῳ· οὐ γὰρ θανεῖται [29]. Contra vero Septuaginta: Μὴ ἀπόσχῃ νήπιον παιδεύειν, ὅτι ἐὰν πατάξῃς αὐτὸν ῥάβδῳ, οὐ μὴ ἀποθάνῃ· σὺ μὲν γὰρ πατάξεις αὐτὸν ῥάβδῳ· τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ἐκ θανάτου ῥύσῃ [30].

Editis in omnibus error libriariorum est, ubi hæc verba Clemens in medium profert, μηδὲ ἐπιθύμει τῶν ἐδεσμάτων τῶν πλουσίων [31]. Nam hæc ex Proverbiorum libro, ultima voce immutata, accepta sunt, in quo legere est μὴ ἐπιθύμει τῶν ἐδεσμάτων αὐτοῦ [32]. Cur autem hic Proverbiorum locus nullo in Clementinorum operum editione indicatus sit, alii viderint.

Neque Proverbiorum liber adhuc notatur, ubi scribit Clemens [33]: Λάχανα δὲ μετὰ ἀγάπης, ἢ μόσχον μετὰ δολιότητος· « Olera autem cum charitate meliora, quam vitulus cum fraude [34]. » Verum illa plane omnium Clementinis nostris editionibus præfectorum negligentia facile condonanda est, quandoquidem Clemens eo loci non solum auctoris nomen tacuit, sed videtur etiam ad ejus potius sensum quam verba respexisse. In versione namque Septuaginta Seniorum sic legitur: Κρείσσων ξενισμὸς μετὰ λαχάνων πρὸς φιλίαν καὶ χάριν, ἢ παράθεσις μόσχων μετὰ ἔχθρας. Quibusdam in codicibus vox μετὰ ante λαχάνων desideratur: « Melior hospitalitas cum oleribus ad amicitiam et gratiam, quam appositio vitulorum cum inimicitia. »

Alibi autem ubi Septuaginta scribunt ὁμοίως ἄφροσιν, « similiter imprudentibus [35], » Clemens suo in codice constanter legerat ὤμοις ἀφρόνων, « humeris insipientium [36]. » Ad propositum enim suum ex his verbis sic concludit: « Vim intemperantiæ constantemque tolerantiam vocans humeros. »

Hervetus se nescire profitetur undenam hoc effatum Clemens hauserit πενία δὲ, φησὶν, ἄνδρα ταπεινοῖ « Paupertas, inquit, virum humiliat [37]. » Versionem itaque Septuaginta Seniorum non adierat, ubi illa eodem penitus modo in Proverbiorum libro habentur [38].

Aliquid in Græco Clementis textu haud dubie libriariorum oscitantia prætermissum est, ubi ista ex eodem Proverbiorum libro descripta sunt [39]: κρείσσων γὰρ αὐτῆς ἐστι. Etenim in manuscriptis no-

[14] Admon. ad gent., p. 67. [15] Exod. xx, 14; Deut. v, 18; Matth. v, 27; Luc. xvi, 18. [16] Hier. epist. ad Sun. et Fretel. [17] lib. II Pædag., p. 188. [18] Lev. xi, 5 et 6. [19] Deut. xiv, 7. [20] Plin. lib. VIII, cap. 55, et lib. x, cap. 63. [21] Boch. lib. III De anim. sac. Script., cap. 32. [22] Barnab. epist., pag. 7 edit. Coteler. [23] Coteler. in epist. Barnab. pag. 24. [24] Hier. epist. ad Sun. et Fret. [25] Pædag. lib. III, pag. 236. [26] III Reg. xix, 4, 6. [27] Pædag. lib. I, pag. 122. [28] Prov. III, 12. [29] Pædag. l. I, p. 124. [30] Prov. xxiii, 13, 14. [31] Pædag. lib. II, pag. 141. [32] Prov. xxiii, 3. [33] Pædag. lib. II, pag. 149. [34] Prov. xv, 17. [35] Prov. xix, 29. [36] Pædag. lib. II, pag. 195. [37] Pædag. lib. III, pag. 251. [38] Prov. x, 4. [39] Pædag. lib. III, p. 234.

Digitized by Google

stris codicibus locus integer quemadmodum apud Septuaginta repræsentatur : κρείσσων γὰρ σοφία λίθων πολυτελῶν, πᾶν δὲ τίμιον οὐκ ἄξιον αὐτῆς ἐστι· « Melior enim sapientia lapidibus pretiosis ; omne autem pretiosum non est illa dignum[46]. » Versu autem sequenti textus Clementis a Septuaginta non discrepat : nisi quod in illo omissa est vox βέλτιον, et addita καὶ ἀργύριον, et pro καρπίζεσθαι in illo καρπίζετε positum est.

Denique Clemens [47] hæc Proverbiorum verba : « Oculi tui recta videant, supercilia autem recta annuant [48], » tanquam sua, nullo laudato auctore, textui suo sic inseruit, ut operum ejus editores id animadvertisse non videantur.

Nullus plane est seu Veteris seu Novi Testamenti liber, ex quo auctor noster plura, a sacro textu diversa magisque discrepantia, quam ex Ecclesiastico collegerit. Sed hæc nemini sane homini ullam debent admirationem movere. Tanta enimvero tamque multiplex est in hujusce libri et editis et manu Græca scriptis exemplaribus varietas lectionum ; ut quidam doctissimi viri de iis colligendis mentem consiliumque mutaverint, nec omnes a quoquam hactenus fuerint collectæ.

Quapropter omnes Clementis lectiones, a sacro hujus libri textu discrepantes, hic accurate exhibendas esse duximus, rati eam collectionem, etsi paulo longiorem, omnibus eo magis utilem et gratam fore, quo major est eruditissimi et antiquissimi nostri scriptoris auctoritas et diligentia. Nobis itaque, librorum ejus ordinem sequentibus, illud primum occurrit, ὁ φοβούμενος Κύριον ἐπιστρέφει ἐπὶ καρδίαν αὐτοῦ [49]. Septuaginta vero ἐν καρδίᾳ simpliciter legunt [50].

Ab iis autem longe magis illud dissidet, quod postea a Clemente attexitur [51] : Μάστιγες γὰρ καὶ παιδεία, ἐν παντὶ καιρῷ σοφίας· συγκολλῶν ὄστρακον, καὶ διὰσκων μωρὸν (εἰς αἴσθησιν ἄγων τὴν χῆν, καὶ τὸν ἀπηλπισμένον εἰς σύνεσιν ὀξύνων). Propterea aperte subjunxit, ἐξεγείρων καθεύδοντα ἐκ βαθέος ὕπνου [52] (ὃς τῶν ἄλλων μάλιστα θανάτῳ ἔοικεν). « Flagella enim et maledicta in omni tempore sapientiæ. Qui testam conglutinat, et stultum docet ad sensum, terram ducit, et eum qui est desperatus acuit ad prudentiam. » Propterea aperte subjunxit : « Excitans dormientem a profundo somno qui est ex aliis maxime morti similis. » Quæ enim unciolis includuntur, ea in vulgatis versionis Septuaginta seniorum exemplaribus prætermissa sunt. Observat tamen Nobilius in quodam codice priora verba unciolis notata in quodam Græco Bibliorum codice reperiri. At quemadmodum doctus ille vir lectorem suum admonere debebat hæc verba apud Clementem nostrum, si tamen id novisset, inveniri ; ita ab ejusdem Clementis scholiastibus illa a sacro textu discrepantia adnotari debuit. Neque etiam sine aliqua animadversione omittendum est in vulgata Latina versione hæc legi : « Flagella et doctrina in omni tempore sapientiæ. Qui docet famam, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem a gravi somno. » Ubi vides eam in notatis a nobis verbis a Græca versione adhuc recedere.

Postea vero Clemens ex eodem Ecclesiastici codice hæc se accepisse testatur [53] : Φόβος Κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, ἄφοβος δὲ οὐ δυνήσεται δικαιωθῆναι. « Timor Domini peccatum extrudit. Qui est autem sine timore, non poterit justificari [54]. » Sed hic versus, in Latina hujusce operis versione repræsentatus, apud Septuaginta non occurrit. Drusius tamen in Complutensi codice, Nobilius vero in aliis libris se dicunt hæc legisse, φόβος Κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, παραμένων δὲ αὐτῷ (ea vox a codice Complutensi abest) ἀποστρέφει ὀργήν· « Timor Domini repellit peccatum, et cum permanet, avertit iram [55]. » Porro hæc omnia in Syriaca Arabicaque versione non reperiuntur.

Versio Latina loco suo ea movit, quæ ex Græco textu capitis vigesimi sexti Clemens retulit [56] : Ἵππος εἰς ὀχείαν ὁ φιλήδονος, καὶ μοιχὸς ἀλογίστῳ κτήνει παρομοιωθεὶς παντὸς ὑποκαθημένου χρεμετίζει. « Equus ad coitum libidinosus, et adulter irrationali jumento assimilatus. Quocunque super eum sedente, hinnit [57]. » Nam in illa versione capite tertio supra tricesimum ita exhibentur : « Equus emissarius, sic et amicus subsannator, sub omni supra sedente hinnit. » Sed jam interpretibus observatum plura alia ex hoc capite, et aliis quibusdam similiter translata, sicut et variæ hujus loci lectiones ab iis et Clementis nostri scholiastibus adnotatæ sunt.

26 A nullo autem Clementinorum operum scholiaste indicatur citatus ab illo alius, haud dubie Ecclesiastici locus : Μὴ εὐφραν θῇς δὲ ἐπὶ μιαρᾷ τρυφῇ· « Ne læteris autem propter exsecrandas delicias [58]. » Unde porro hæc desumpta sint, dictu difficillimum. Nihil autem ad illud propius accedere videtur, quam illa Ecclesiastici sententia : Μὴ εὐφραίνου ἐπὶ πολλῇ τρυφῇ· « Ne læteris propter multas delicias [59]. »

Quæ Clemens refert [60] : Ἀγαλλίαμα ψυχῆς καὶ καρδίας οἶνος ἐκτισται ἀπαρχῆς πινόμενος αὐτάρκως· « Exsultatio animæ et cordis vinum creatum est ab initio, si quantum satis est, bibatur ; » et paulo post : Οἶνος πινόμενος πολὺς, ἐν ἐρεθισμῷ, καὶ παντὶ πτώματι πληθύνει· « Vinum quod bibitur multum, in irritatione et omni lapsu replet. » Ea procul dubio ex capite trigesimo quarto versionis Seniorum excerpta sunt, ubi de vino : Καὶ αὐτὸς ἔκτισται εἰς εὐφροσύνην ἀνθρώποις· ἀγαλλίαμα καρδίας, καὶ εὐφροσύνη ψυχῆς οἶνος πινόμενος ἐν καιρῷ αὐτάρκης· πικρία ψυχῆς οἶνος πινόμενος πολὺς, ἐν ἐρεθισμῷ, καὶ ἀντιπτώματι· « Et ipsum creatum est in jucunditatem hominis. Exsultatio cordis et lætitia animæ vinum potatum in tempore, quod satis sit. Amaritudo animæ vinum potatum multum, in irritatione et contentione [61]. » At in Latina versione hæc capite trigesimo primo et a se invicem sejuncta, nec sine aliqua lectionum varietate exhibentur [62].

Nulla videtur esse dubitandi ratio ex ejusdem libri capite trigesimo primo hanc a Clemente nostro excerptam esse sententiam [63] : Ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου· πολλοὺς γὰρ ἠχρείωσεν ὁ οἶνος. « In vino ne te virum fortem præbeas ; multos enim vinum inutiles reddidit [64]. » In editione enim Septuaginta idem iisdem verbis legimus, uno excepto ἠχρείωσεν, pro quo positum est ἀπώλεσεν, « perdidit. » At longe aliter in vulgata Latina : « Diligentes in vino noli provocare ; multos enim exterminavit vinum. »

Inventu quidem facile, sed a Septuaginta versione non idcirco minus diversum, istud Clemens tradit [65] : Ὀργὴ μεγάλη γυνὴ μέθυσος (οἱονεὶ χόλος Θεοῦ, οἰνομάχλη γυνὴ)...ἀσχημοσύνην αὐτῆς οὐ συγκαλύπτει. « Ira magna est mulier ebria : tanquam ira Dei mulier temulenta..... suam non celat turpitudinem [66]. » Utraque et Septuaginta, et Latina versio brevior est ; media enim verba, et a nobis notata, penitus omisit.

[46] Prov. VIII, 11, 19. [47] Pædag. lib. III, pag. 257. [48] Prov. IV, 25. [49] Pædag. lib. I, pag. 113. [50] Eccli. XXII, 6, 7. [51] Pædag. lib. III, pag. 115. [52] Eccli. XXII, 6, 7, 8. [53] Pædag. lib. I, pag. 116. [54] Eccli. I, 28. [55] Eccli. I, 19. [56] Pædag. pag. 136. [57] Sept. XXVI, 6. [58] Pædag. lib. II, pag. 143. [59] Eccli. XVIII, 32. [60] Pædag. pag. 153 et 154. [61] Eccli. XXXI, 35, 36 seqq. [62] Vulg. Latin. cap. XXXI, v. 35, 36, 38. [63] Pædag. lib. II, pag. 757. [64] Eccli. XXXI, 30. [65] Pædag. lib. II, pag. 158. [66] Eccli. XXVI, 11.

Digitized by Google

Alio porro in loco hæc Latina versio id posuit, quod Clemens refert [61] : Τὸ ἱκανὸν ἀνθρώπῳ πεπαιδευμένῳ οἶνος καὶ ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτοῦ ἀναπαύσεται· « Homini erudito satis est vinum, et in ejus cubili requiescet. » Totidem enim verbis hæc leguntur apud Septuaginta capite trigesimo primo [62], nisi quod pro articulo τὸ ibi leges ὡς, et τὸ ὀλίγον pro οἶνος, ac tandem ἀσθμαίνει pro ἀναπαύσεται. Verum in Latina versione isthæc capite tantum quarto supra trigesimum sic redduntur : « Quam sufficiens est homini erudito exiguum vinum, et in dormiendo non laborabis ab illo [63]. » An autem Clementinorum operum editores et amanuenses librarii vocem ὀλίγος haud insolita oscitantia præterierint, in dubium non immerito revocaveris. Nam ea vox ad auctoris nostri scopum conducere ac plane necessaria videtur.

Neque integrum, neque iisdem plane verbis hunc Ecclesiastici locum Clemens exhibet [64] : Εἰσακούσατέ μου, καὶ ὡς ῥόδον πεφυτευμένον ἐπὶ ῥευμάτων ὑδάτων βλαστήσατε, ὡς Λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμὴν, καὶ εὐλογήσατε Κύριον ἐπὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ. « Exaudite me, et tanquam rosa plantata in fluentis aquarum germinate. Tanquam Libanus suavem odorem emittite, et benedicite Dominum super opera ejus [65]. » At enim Septuaginta : Εἰσακούσατέ μου, υἱοὶ ὅσιοι, καὶ βλαστήσατε ὡς ῥόδον φυόμενον ἐπὶ ῥεύματος ἀγροῦ· καὶ ὡς Λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμὴν, καὶ ἀνθήσατε ἄνθος ὡς κρίνον· διάδοτε ὀσμὴν, καὶ αἰνέσατε ᾆσμα· εὐλογήσατε Κύριον ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις· « Exaudite me, filii sancti, et germinate quasi rosa plantata super rivum agri. Et quasi thus odorem suavitatis emittite, et florete florem quasi lilium. Diffundite odorem, et collaudate canticum. Benedicite Dominum in omnibus operibus. »

Plura autem, quam in polyglotta et Complutensi editione versionis Seniorum nobis Clemens alibi sic repræsentat [66] : Ἀπόστησον ἀπὸ τῶν δούλων σου ἐλπίδας κενὰς καὶ ἐπιθυμίας ἀπρεπεῖς ἀπόστρεψον ἀπ' ἐμοῦ· κοιλίας ὄρεξις, καὶ συνουσιασμὸς μὴ καταλαβέτωσάν με· « Amove a servis tuis spes inanes, et indecoras cupiditates averte a me. Ventris appetitio, et coitus ne me apprehendant [67]. » Etenim in Latina versione ac memoratis versionis Seniorum editionibus, hæc nec plura occurrunt : « Omne desiderium averte a me, aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me. »

Drusius tamen, Hœschelius et Nobilius testificantur in nonnullis hujus libri codicibus hæc haberi, quæ magis quidem Clementino textui, sed non omnino respondent : Καὶ γιγαντόδη ψυχὴν ἀπόστησον διαπαντὸς ἀπὸ δούλων σου· ἐλπίδας κενὰς καὶ ἐπιθυμίαν ἀπόστρεψον ἀπ' ἐμοῦ (καὶ κρατήσεις τὸν θέλοντά σοι δουλεύειν διαπαντὸς) κοιλίας· etc. « Et giganteum animum prohibe semper a servis tuis. Spes vanas et cupiditatem averte a me (et retinebis in officio cupientem tibi servire semper) ventris, » etc. Verum Nobilius ea quæ uncinis comprehensa sunt penitus omisit. At tres illi critici hunc Clementis nostri locum, notatu sane dignum, tam alto silentio præterire non debebant.

Nec ii diligentius adnotarunt hanc Clementis a Septuaginta duobus Senioribus discrepantiam [68] : Ἐν περιβολῇ ἱματίου οὐ μὴ καυχήσῃ· μηδὲ ἐπαίρου ἐν δόξῃ πάσῃ παρανόμῳ οὔσῃ. « In amictu vestis ne glorieris, neque in omni gloria quæ est præter leges efferaris [69]. » Apud Septuaginta siquidem legimus : ἐν ἡμέρᾳ δόξης, « in die honoris ; » ultima autem verba desiderantur. Nos tamen Hœschelius admonet in quibusdam sacri textus exemplaribus, Græca manu descriptis, se legisse post verbum καυχήσῃ· Ἰσχύει σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ δόξης παρανόμου μὴ ἐπαίρου.

Iis Septuaginta Senum verbis : Στέφανος γερόντων πολυπειρία· « Corona senum est multa experientia [70], » Clemens noster addidit, καὶ τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἡ πολιὰ, ἄνθος πολυπειρίας· « et vultus ejus canities flos est multæ experientiæ. » Postea vero ubi Clemens [71] : « In timore Domini tua permanebit, » διαμενεῖ, Septuaginta reddiderunt ἔστω, « sit gloriatio tua [72]. » Alia denique in his Clementis nostri libris occurrunt, excerpta ex Ecclesiastico testimonia, sacro ejus textui non plane consona et similia. Sed quia in Clementinorum operum **27** scholiis et commentariis satis adnotata sunt, illis iterum recensendis supersedendum esse duximus.

Ad prophetas igitur transeamus, videamusque quid Clemens ab eorum textu diversum prodiderit. Itaque quando citat [73] celebre istud Isaiæ vaticinium, « Puer natus est [74], » ibi post vocem, ἀρχή, omisit ἐγενήθη, et pro καλεῖται, seu ut in aliis libris καλέσει, ipse posuit ἐκλήθη, « vocatum est. »

Magis dissimile istud est quod scribit [75], τοῖς ἀσεβέσιν οὐκ ἔστιν εἰρήνη, λέγει Κύριος· « Non est pax impiis, dicit Dominus [76]. » Septuaginta enim habent οὐκ ἔστι χαίρειν, λέγει Κύριος, τοῖς ἀσεβέσιν· « Non est gaudere, dicit Dominus, impiis. »

Nec sine diversitate illud quoque legere est [77] : Ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσι φιλοῦσί με· ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρωτέρω ἐστὶν ἀπ' ἐμοῦ· « Hic populus labiis me amant, cor autem eorum longe est a me [78]. » Nam in versione Seniorum hæc exhibentur : Ὁ λαὸς οὗτος ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτῶν τιμῶσί με, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ· « Populus iste in labiis suis honorant me ; cor autem eorum longe est a me. »

Ex eodem capite hæc auctor noster desumpsit [79] : Οὐαὶ οἱ ἐν κρυφῇ βουλὴν ποιοῦντες, καὶ ἐροῦσι· Τίς ἡμᾶς ὁρᾷ· « Væ iis qui in occulto consilium capiunt, et dicunt : Quis nos videt [80] ? » Septuaginta autem pro ἐν κρυφῇ legunt βαθέως, et plura ibi intermiscent, a Clemente, quamvis ad argumentum suum non parum conducerent, penitus intermissa.

Sed si ille quædam ibi tacitus omisit, alibi plura quam in iisdem interpretibus occurrent, nobis hunc in modum tradidit [81] : Ἐκπλυνεῖ Κύριος τὸν ῥύπον τῶν υἱῶν καὶ τῶν θυγατέρων Ἰσραὴλ· καὶ καθαρεῖ τὸ αἷμα ἐκ μέσου αὐτῶν, τὸ αἷμα τῆς ἀνομίας, καὶ τῶν προφητῶν τοὺς φόνους· « Abluit Dominus sordes filiorum et filiarum Israel, et mundabit sanguinem ex medio ipsorum, sanguinem iniquitatis, et cædes prophetarum [82]. » At Septuaginta : Ἐκπλυνεῖ Κύριος τὸν ῥύπον τῶν υἱῶν καὶ τῶν θυγατέρων Σιών, καὶ τὸ αἷμα ἐκκαθαρεῖ ἐκ μέσου αὐτῶν. Hæc illi, nec plura. An autem Clemens cætera explicationis gratia addiderit, aliorum esto judicium.

Denique ex ejusdem prophetæ primo capite quædam totidem verbis ille expressit [83], nisi quod pro ὁλοκαυτωμάτων καὶ κριῶν, καὶ ἀρνῶν..... καὶ ἐριφῶν.. βδέλυγμα..... καὶ τὰ σάββατα οὐκ ἀνέχομαι· Septuaginta paulo aliter habent : Ὁλοκαυτωμάτων κριῶν, καὶ στέαρ ἀρνῶν..... καὶ τράγων.... βδέλυγμα, καὶ τὰ σάββατα, καὶ ἡμέραν μεγάλην οὐκ ἀνέχομαι· « Holocaustis arietum et adipum agnorum... hircorum..... abominatio.... et sabbata, et diem magnum non fero [84]. »

Ad Jeremiam quod spectat, memineris, quæso,

[61] Pædag. lib. II, pag. 159. [62] Sept. Complut. Eccli. XXXI, 19. [63] Eccli. Vulg. Latin., cap. XXXIV. 22. [64] Pædag. lib. II, pag. 183. [65] Eccli. XXIX, 18, 19. [66] Pædag. lib. II, pag. 195. [67] Eccli. XXIII, 6, 7. [68] Pædag. lib. II, pag. 201. [69] Eccli. XXI, 4. [70] Pædag. pag. 223; Eccli. XXV, 6. [71] Pædag. pag 230. [72] Eccli. Sept. IX, 16; Vulg. 22. [73] Pædag. lib. I, pag. 91. [74] Isa. IX, 6. [75] Pædag. pag. 131. [76] Isa. XLVIII, 22. [77] Pædag. pag. 176. [78] Isa. XXIX, 13. [79] Pædag. pag. 196. [80] Isa. XXIX, 15. [81] Pædag. pag. 241. [82] Isa. IV, 4. [83] Pædag. pag. 261. [84] Isa. I, 11.

Digitized by Google

pluribus jam observatum quædam hujus prophetæ capita alio ordine in Vulgata quam in Septuaginta Sedum versione repræsentari. Adi, si velis, ea de re Polyglottæ editores, Nobilium, aliosque hujus prophetiæ interpretes; quandoquidem id nos semel obiterque notasse sufficere credimus. Sacro itaque hujus prophetiæ ex libro hæc verba a Clemente citantur [85]: Ὡς μοσχάρια γαλαθηνά· « Tanquam vituli lactantes [86]. » Sed in Sedum versione aliter legimus : Ὥσπερ μόσχοι σιτευτοὶ τρεφόμενοι ἐν αὐτῇ· et in Vulgata Latina : « Quasi vituli saginati versi sunt. »

Duplicem ejusdem Jeremiæ locum, quasi unum et eumdem sic Clemens protulit [87] : Καὶ ἐμοίχευον τὸ ξύλον, καὶ τὸν λίθον, καὶ ἐθυμίασαν τῇ Βάαλ· « Et mœchati sunt in lignum et lapidem, et suffumigarunt Baal. » At Septuaginta priora capite tertio sic exhibent : Καὶ ἐμοίχευσε τὸ ξύλον καὶ τὸν λίθον [88], posteriora autem capite secundo supra trigesimum, ἐθυμίωσαν ἐπὶ τῶν δωμάτων αὐτῶν τῇ Βάαλ [89]. Quæ versione Latina sic redduntur : « In quarum domatibus sacrificabant Baal. »

Paulo post Clemens : Ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξεν ἐπὶ πλεῖω ἡ γῆ· « Stupuit cœlum propter hoc, et terra multo magis horruit [90]. » Septuaginta vero : Ἐξέστη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ τούτῳ, καὶ ἔφριξεν ἐπὶ πλεῖον σφόδρα· « Obstupuit cœlum super hoc, et inhorruit extra modum vehementer [91]. » Nec illis sane consonat Latina versio vulgata : « Obstupescite, cœli, super hoc, et portæ ejus desolamini vehementer. »

Non minor est illorum dissensio eo loci, ubi Clemens hæc transcribit ejusdem Jeremiæ verba [92] : Σπήλαιον ὑαίνης γέγονεν ὁ οἶκός μου· « Spelunca hyænæ facta est domus mea. » Enimvero in Septuaginta legimus : Σπήλαιον ὑαίνης ἡ κληρονομία μου ἐμοί. « Spelunca hyænæ hæreditas mea mihi [93]. » In Latina autem vulgata versione : « Avis discolor hæreditas mea mihi. » Rursus Clemens pagina sequenti ὥσπερ θηλυμανεῖς ἐγενήθητέ μοι [94]. Septuaginta vero omittunt vocem μοι, et pro ἐγενήθητε habent ἐγενήθησαν· ac cum his facit Latina versio. Ipsemet autem Clemens eodem plane modo hunc locum antea retulerat [95]. Quid autem ex hac diversa unum eumdemque Scripturæ locum citandi ratione aliud colligas, nisi Clementem nonnulla saltem ejusdem Scripturæ testimonia in medium memoriter protulisse?

Demum Clemens hæc ex eodem propheta refert [96] : Καὶ ἐὰν χρίσῃ στίμμι τοὺς ὀφθαλμούς σου· « Et si oculos tuos ungas stibio ; » sed aliter Septuaginta id reddiderunt : Καὶ ἐὰν ἐγχρίσῃς τιμῇ τοὺς ὀφθαλμούς σου· « Et si unxeris honore oculos tuos [97]. Ad Clementem propius versio Latina accedit : « Et pinxeris stibio oculos tuos. »

Mirum sane quam perturbato et inverso versionum libri Ezechielis ordine hæc Clemens depromat [98] : Καὶ τὸ χωλὸν καταδήσω, καὶ τὸ ὀχλούμενον ἰάσομαι, καὶ τὸ πλανώμενον ἐπιστρέψω, καὶ βοσκήσω αὐτοὺς ἐγὼ εἰς τὸ ὄρος τὸ ἅγιόν μου. « Et quod claudum est, alligabo; et quod ægrum est, curabo; et quod aberrat, reducam, et pascam ipsos ego ad montem sanctum meum [99]. » Nam hæc sunt versionis Seniorum verba : Βοσκηθήσονται ἐπὶ τῶν ὀρέων Ἰσραήλ. Ἐγὼ βοσκήσω τὰ πρόβατά μου, καὶ ἐγὼ ἀναπαύσω αὐτὰ (καὶ γνώσονται ὅτι ἐγώ εἰμι Κύριος), τάδε λέγει Κύριος Κύριος. Τὸ ἀπολωλὸς ζητήσω, καὶ τὸ πλανώμενον ἀποστρέψω, καὶ τὸ συντετριμμένον καταδήσω, καὶ τὸ ἐκλεῖπον ἐνισχύσω, καὶ τὸ ἰσχυρὸν φυλάξω, καὶ βοσκήσω αὐτὰ μετὰ κρίματος. Quæ notulis clauduntur, in Sixtina et vulgata editione Latina prætermissa sunt : sed ea in aliis et apud Theodoretum, ut Nobilius animadvertit, facile invenies.

Clemens itaque hæc similiter, quæ ibidem ex eodem propheta se delibasse non obscure indicat, ex memoria scripsisse procul dubio dicendus est : « Et ero, inquit, pastor ipsorum, et ero prope ipsos sicut tunica prope corpus ipsorum : Καὶ ἔσομαι αὐτῶν ποιμὴν, καὶ ἔσομαι ἐγγὺς αὐτῶν ὡς ὁ χιτὼν τοῦ χρωτὸς αὐτῶν [1]. Nisi enim memoriter hæc retulerit, quo ex codice ab eo desumpta sint, nobis hactenus esse incompertum ultro fatemur.

Alia quoque incidimus in loca, quæ nostram, etsi quoad fieri potuit, maximam, non minus quam aliorum diligentiam penitus fugerunt. In primo siquidem libro [2] hoc nominatim profert Isaiæ testimonium : Ἐγκατελίπετε τὸν Κύριον, καὶ παρωργίσατε τὸν ἅγιον τοῦ Ἰσραήλ. « Dereliquistis Dominum, et ad indignationem concitavistis sanctum Israelis. » Unde autem **28** hæc verba a Clemente delibata fuerint, plane nescimus, nisi ad ista ille collineaverit : Ὑμεῖς δὲ οἱ ἐγκαταλιπόντες με, καὶ ἐπιλανθανόμενοι τὸ ὄρος τὸ ἅγιόν μου· « Vos autem relinquentes me et obliti montis sancti mei [3]. »

Hervetus fatetur se in sacris Scripturis ea non invenisse quæ a Clemente hunc narrantur in modum [4]: « De eo autem qui præter leges est, dicit Scriptura. Γυνὴ μισθία, ἴση σιάλῳ λογισθήσεται, ὕπανδρος δὲ, πύργος θανάτου τοῖς χρωμένοις. « Mulier meretrix apro similis reputabitur : quæ autem viro subjecta est, turris est mortis iis qui ea utuntur. » Nec nos sane negare possumus illa in Vulgata versione Latina desiderari. Sed si ab Hœscheliо et Drusio adornatam Ecclesiastici libri editionem, vel Nobilii in hunc librum adnotationes legisset Hervetus, compertum certe habuisset hunc locum totidem verbis in quibusdam illius codicibus reperiri [5].

Ad Ecclesiastici caput vicesimum Clemens respexisse videtur, cum hæc scriptis tradebat : Ἐλεημοσύναι δὲ καὶ πίστις μὴ ἐκλειπέτωσάν σε. « Eleemosynæ autem et fides te non deserant [6]. » Sed si Clemens ipsa Scripturæ verba transcribit, hæc ex aliquo codice, a nostris plane diverso, hausisse vero est similius.

Testificatur adhuc se ex sacra Scriptura hæc accepisse : Τὰ ἔργα τὰ ἀγαθα εὐχὴ Κυρίῳ δεκτή [7]. « Bona opera oratio Deo accepta. » Sed neque librum neque locum ille indicat. Eodem plane modo illud profert in medium [8] : Μὴ ἐγὼ ἐνετειλάμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν, ἐκπορευομένοις ἐκ γῆς Αἰγύπτου προσενέγκαι μοι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίας; Ἀλλὰ τοῦτο ἐνετειλάμην αὐτοῖς· Ἕκαστος ὑμῶν κατὰ τοῦ πλησίου ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ μὴ μνησικακείτω, ὅρκον ψευδῆ μὴ ἀγαπάτω. « Nunquid ego mandavi patribus vestris exeuntibus de terra Ægypti, ut offerrent mihi holocausta et sacrificia? Sed hoc mandavi illis : Unusquisque vestrum adversus proximum in corde suo injuriæ acceptæ non recordetur, falsum jusjurandum non diligat. » Hæc quidem duo præcepta in libro Leviticі nobis occurrunt [9] : sed ubi illa omnia a Clemente ex uno sane et eodem loco delibata fuerint, definire non ita est in promptu.

Ex Ecclesiastici denique libro nonnulli excerptam a Clemente credunt hanc sententiam [10] : Ὀσμὴ εὐωδίας τῷ Θεῷ καρδία δοξάζουσα τὸν πεπλακότα αὐτήν. « Odor suavitatis Deo est cor quod glorificat eum, qui ipsum fecit. » Verum in loco ab eis designato hæc non leguntur.

[85] Pædag. lib. I, p. 86. [86] Jer. XLVI, 21. [87] Pædag. pag. 121. [88] Jer. III, 9. [89] cap. XXXII, v. 29. [90] Pædag. pag. 122. [91] Jer. II. 13. [92] Pædag. pag. 190. [93] Jer. XII, 9. [94] Pædag. pag. 191; Jer. V, 8. [95] Pædag. lib. I, pag. 21. [96] Pædag. pag. 220. [97] Jer. IV, 30. [98] Pædag. pag. 125. [99] Ezech. XXXIV, 14, 15, 16. [1] Pædag. pag. 125. [2] Pædag. pag. 122. [3] Isa. LXV, 11. [4] Pædag. pag. 195. [5] Eccli. XXVI, 24. [6] Pædag. pag. 236. [7] Pædag. pag. 260. [8] Pædag. p. 261. [9] Levit. XIX, 15, 17. [10] Pædag. pag. 261.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De libris Novi Testamenti in Pædagogo *laudatis, ac præcipue de prima cum Petri tum Joannis Epistola; et Judæ quoque Epistola, et quomodo testimonia inde desumpta a Clemente citata fuerint.*

De libris Novi Testamenti illud primum observatu haud plane indignum est, sacras quatuor Evangelistarum historias solo Evangelii, τοῦ Εὐαγγελίου, nomine ita a Clemente citari, ac si longo jam usu hic eas citandi modus apud Christianos obtinuisset. Idem quoque de Pauli Epistolis dicendum, quas ille non alio quam simplici nomine Apostoli sæpe sæpius laudavit. Utrumque igitur morem longe ante tertii sæculi primordia, quo scilicet tempore Clemens florebat, invaluisse nullus sane merito inficias iverit.

Nec minoris profecto perspicuitatis atque evidentiæ est, pro certo eum habuisse has Apostoli Epistolas et sacros Evangeliorum libros ab iis revera esse compositos, quorum nomine circumferuntur. Quemadmodum enim illas Paulo, quem per antonomasiam Apostolum sæpius appellat, ita istos suis quatuor auctoribus haud dubitanter ascribit.

Quæ vero in sacris Bibliis prior Epistola nomen Petri apostoli præfixum habet, hanc ei aliquando expresse adjudicat [11]. Illius enimvero auctoritate hunc in modum alicubi utitur : « Servis præcipitur ut cum omni metu dominis non solum bonis et clementibus, sed morosis etiam et pravis, ait Petrus, φησὶν ὁ Πέτρος, subjiciantur [12]. » Nullus autem nescit ista ex ejusdem primæ Epistolæ capite secundo esse delibata.

Neque porro id ab eo temere dictum putaveris; quandoquidem eam rursus alibi [13] eodem modo ab illo citatam invenies : « Et ideo Petrus quoque dixit : Deposito omni vitio, et omni dolo, et simulatione, et invidia, et detractione, tanquam nuper nati infantes, rationale lac concupiistis; ut in ipso crescatis in salutem, si gustastis quod Christus Dominus [14]. » Et iterum [15] : « Scientes ergo, inquit, suum cujusque officium, conversamini tempore vestri incolatus, scientes quod non corruptibilibus argento et auro redempti sumus..... satis ergo fiat præteritum tempus [16], ait Petrus, ὁ Πέτρος φησί. »

Plura vero ex illa nonnunquam, tacito quidem Petri nomine depromit : sed observes, velim, ea sic ab ipso citari, tanquam a Pædagogo nostro, id est Christo Domino dictata [17] : « Jubet autem Pædagogus... Cum viderint, inquit, φησίν, castam vestram quæ est in verbo conversationem, quarum sit, non qui est extrinsecus plicaturæ, vel auri appositionis, vel vestium indumenti ornatus, sed occultus cordis homo [18], » etc. Quæ quidem ex tertio ejusdem Epistolæ capite totidem plane verbis transcripta sunt.

Ubi etiam aliquod ex prima Joannis Epistola sumit testimonium, hanc illi constanter attribuit. Ita enim ille [19] : « Hæc est autem dilectio Dei, inquit Joannes, φησὶν Ἰωάννης, ut mandata servemus, et mandata ejus gravia non sunt [20]. » Et infra aliud multo prolixius ejusdem Epistolæ segmentum citato eodem nomine exhibet [21] : « Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, ut dicit Joannes [22], » etc.

Quamvis autem Epistola Judæ longe minoris, imo et dubiæ prorsus auctoritatis pluribus, ut testatur Eusebius [23], olim visa, vel etiam a plerisque, ut Hieronymus ait [24], rejecta fuerit, Clemens tamen nec minus prolixum quam superioris fragmentum ex ea excerpsit, nec minus asseveranter illam Judæ, tanquam vero et genuino suo auctori adjudicat [25]. In libros quippe suos hæc ex illa verbo ad verbum, si paucissima quædam excipias, sic transtulit : « Volo enim vos scire, inquit Judas, φησὶν Ἰούδας, quod Deus, qui semel servavit populum ex Ægypto, secundo perdidit eos, qui non crediderunt, et angelos qui non custodierunt suum imperium, sed reliquerunt proprium habitaculum [26], » etc. Eo porro majoris momenti est illud Clementis nostri de hac Judæ Epistola testimonium, quod Eusebio a nobis jam citato teste [27] : « Sane pauci admodum ex vetustioribus tum hujus Jacobi, tum illius Judæ, quæ et ipsæ in septem catholicorum numero recensentur, mentionem fecere. »

At licet pauci ante Clementem scriptores hujus 29 Epistolæ meminerint; alii tamen post ipsum magno plane consensu ad illius de ejusdem Epistola et auctore et divina canonicaque auctoritate sententiam accesserunt. Tertullianus siquidem de illa sic palam aperteque pronuntiat : « Eo accedit quod Enoch apud Judam apostolum testimonium possidet [28]. » Origenes vero : « Quomodo etiam quod Judas apostolus in Epistola catholica dicit, poterit explicari [29]? » Neque aliam ab illo quam illam de qua agimus, Judæ Epistolam indicari dixeris. Nam ibi ex ea illud accepit testimonium, sicuti et in alio libro prima ejus hunc in modum verba refert [30] : « Et Judas scripsit Epistolam paucorum quidem versuum, sed plenam efficacibus verbis gratiæ cœlestis. Qui in principio dixit : *Judas Jesu Christi servus, frater Jacobi.* » Quid vero quod ille [31], quemadmodum Athanasius [32], Innocentius primus summus pontifex [33], Augustinus [34], Cassiodorus et alii eamdem Epistolam in aliarum canonicarum Epistolarum numero reponunt? Quamobrem Hieronymus a nobis jam laudatus : « Auctoritatem, inquit, vetustate jam et usu meruit, et inter sanctas Scripturas computatur. »

Si quid vero magis clarum et expressum quis desideret, audiat Epiphanium adversus Gnosticos disputantem : « De quibus adeo mihi commotus videtur in apostolo Juda Spiritus sanctus, hoc est in catholica illius Epistola (Judas ille porro est qui Jacobi atque etiam Domini frater appellatus est), in qua per apostoli vocem Spiritus, inquam, sanctus corruptos illos et corruptores esse demonstrat, ut ibidem ibi loquitur : *Quæ enim nesciunt* [35], » etc.

Neque porro his tantum, aliisque scriptoribus, sed variis etiam conciliis, nimirum Laodicæno, Carthaginensi tertio et quarto, et aliis deinceps hujusce Epistolæ auctoritas comprobatur [36].

Sed agedum, et quidquid contra hanc tot tantorumque virorum opinionem objiciatur quam infirmum sit et imbecillum palam omnibus faciamus. Hieronymus illam non ideo, uti nonnulli autumant, a pluribus rejectam fuisse dixit, quia nec genuina erat, nec canonica. Verum « quia, » ut loquitur ipsemet Hieronymus [37], « de libro Enoch qui apocryphus est, in ea assumit testimonium. » Nullius autem ponderis est hæc ad eam rejiciendam illorum ratio. Nam ab eodem Hieronymo de Apostolo alibi scriptum legimus : « Paulus multa alia de re-

[11] lib. III Pædag., pag. 253. [12] I Petr. II, 8. [13] Pædag. l. I, pag. 103. [14] I Petr. II, 1, 2, 3. [15] Pædag. lib. III, pag. 258. [16] I Petr. I, 17, 18. [17] Pædag. pag. 250. [18] I Petr. III, 2, 3. [19] Pædag. lib. III, pag. 257. [20] I Joan. V, 3. [21] Pædag. pag. 264. [22] I Joan. II, 2, 3, 4, 5, 6. [23] Euseb. lib. III Hist., cap. 25. [24] Hieron. De script. eccles., cap. 14. [25] Pædag. lib. III, pag. 239. [26] Jud. 5, 6, seqq. [27] Euseb. lib. II Hist., cap. 25. [28] Tertul. De hab. mul., cap. 3. [29] Orig. lib. V Comment. in Epist. ad Rom. [30] idem Comment. in Matth. cap. XIII. [31] idem hom. 13 in Gen., et hom. 7 in Josue. [32] Athan. epist. 39 festali. [33] Innoc. epist. 1 ad Exup. [34] August. lib. II De doct. Christ., § 13. [35] Epiph. hæres. 26, § 11. [36] conc. Laod., can. 50; Carth. III, can. 44, et in codice can. Eccl. Afric.; Carthag. IV, can. 47. [37] Hieron., De Script. eccles. cap. 14.

Digitized by Google

conditis locutus est [38]. » Nunquid ergo Pauli Epistolæ, in quibus recondita et apocrypha citantur, spuriæ dicendæ sunt, vel minime canonicæ? Recte igitur alii scriptores, his longe peritiores, hoc argumentum nihili plane fecerunt.

Nec validiori sane ii utuntur argumento, qui rursus nobis Judam Epistolæ suæ initio non se, ut alii assolent, apostolum vocasse opponunt. Quid enim si modestiæ ejus tribuatur, quod se non apostolum, sed Jesu Christi servum nominaverit? Quid etiam quod antiquissimi scriptores illum apertissime apostolum nuncupant? Quid denique, quod ibidem se Jacobi fratrem appellat? Nonne satis eo nomine indicabat se Christi fuisse apostolum?

At, inquiunt, hæc verba Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, a quibusdam librariis amanuensibus, majorem huic Epistolæ auctoritatem ut conciliarent, addita sunt. Verum qua putas ratione id confirmant? Sane nulla. Contra vero, hæc ipsissima verba genuina esse, et ab auctore ipso profecta testimoniis Hieronymi Epiphaniique jam a nobis allatis, invictissime conficitur.

Urgent tamen, et nihil remittentes aiunt: Hæc Epistola, si canonica fuisset, omnes in linguas, quemadmodum et aliæ apostolorum Epistolæ, esset reddita. Sed quid aliud inde concludi potest, nisi illam neque tot in orbis terrarum partes quot aliæ, neque tam cito ac illæ, fuisse divulgatam? Quid vero si ejus varias in linguas interpretationes ad nos non pervenerunt? Testis porro nobis est Eusebius eam publice, non secus ac Jacobi et alias apostolorum litteras, plurimis in Ecclesiis suo tempore fuisse lectitatam: « Verumtamen, inquit, has quoque cum cæteris plurimis in Ecclesiis lectitari cognovimus [39]. » Quomodo autem plurimis in Ecclesiis, sicut aliæ apostolorum canonicæ Epistolæ, legi potuit, nisi in varias, sicut istæ, in linguas conversa fuerit?

Omnium ergo minime audiendus est neotericus quidam scriptor, qui Epistolæ hujus auctoritatem elevare cum non valeat, ipsam Clementis nostri fidem infirmare perperam conatur. Nobis enimvero non veretur frigide objectare levissimi momenti esse testimonium illius; utpote qui aliquando adulterinas scriptiones, ut narrat Eusebius, ad varios genuinosque sacræ Scripturæ libros præpostere minusque accurate adjunxerit. Hæc autem sunt Eusebii verba: « In libris Ὑποτυπώσεων, omnium, ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit narrationem, ne illis quidem prætermissis scripturis de quibus inter multos ambigitur: Judæ Epistolam, et Barnabæ, ac reliquas catholicas Epistolas intelligo, et Revelationem quæ dicitur Petri [40], » etc.

Verum alibi demonstravimus [41] Clementem de Barnabæ Epistola suum ferendo judicium, a vero non tam longe, ut quidam opinantur, aberrasse. Fac tamen illius de hac Epistola, quemadmodum de Petri Revelatione, erroneam fuisse opinionem; nunquid idcirco in aliis omnibus, ab eo ibidem assertis, falsitatis et erroris arguendus est? Nemo certe, ne ipse quidem levissimæ hujusce argumentationis auctor id dixerit. Quamvis enim Clementem in quibusdam erravisse fateamur, inde tamen illum in aliis atque in asserenda etiam Epistolæ Judæ veritate deceptum fuisse, quis recte unquam colligat?

Cæterum, animadverte, quæso, quæcunque Clemens ex hac Judæ Epistola retulit [42], ea ad verbum ex Græco illius textu fuisse delibata, paucis quibusdam exceptis, quæ in Clementinorum operum scholiis adnotantur.

Alia quoque plurima Novi Testamenti loca non sine aliqua quorumdam verborum diversitate ab illo descripta legimus. An autem illa lectionum varietas in memoriam ejus non satis tenacem, vel in codicum quibus ille utebatur, ab aliis discrepantiam refundenda sit, dictu satis difficile est. Vero autem videtur similius id huic sæpius quam alteri ascribendum.

Porro autem unum eumdemque Scripturæ locum ab eo diverso modo transcriptum nonnunquam advertimus. Ut cætera enim omittamus, primam Evangelii Joannis sententiam uno in libro sic reddidit [43]: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς Θεόν. In *Pædagogo* autem [44]: Ἐν ἀρχῇ ὁ Λόγος ἦν τῷ Θεῷ.

Unum tandem, ne et tu sæpe decipiaris, te adhuc monitum esse volumus, citata a Clemente sacræ Scripturæ ac præsertim Evangeliorum loca, in operum ejus editionibus sæpe sæpius male indicari. Plurimorum instar illud erit, quod ipse in medium protulit [45]: « Ecce qui in vestitu glorioso et deliciis degunt [46], » etc. in margine siquidem pro Luca, ex quo hæc hausta sunt, **30** Matthæus qui longe aliter locutus est [47], præpostere citatur. Id autem semel notasse satis esse putavimus.

ARTICULUS V.

De lege apostolica, qua sanguine animalium et suffocatis carnibus interdicitur.

Sacræ Scripturæ etsi nulla Clemens verba aliquando describat, ad ea tamen alicubi non obscure alludit. Quando enim Christianis hominibus potu atque pastu sanguinis animalium plane penitusque interdici sic docet [48]: « Neque hominibus fas est tangere sanguinem, quibus corpus nihil est aliud quam caro exculta sanguine. Verbi particeps fuit humanus sanguis, et gratiæ per spiritum habet communionem; » nonne ad hanc respicit legem in Actibus apostolorum scriptam: « Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam necessaria; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione [49]? » Hanc itaque legem a Christianis Clementis tempore observatam fuisse nemo diffitebitur. Sed quia hæc eadem lex ab nostræ Patrum Bibliothecæ auctoribus non semel memoratur, quæ de ea et de hoc Clementis loco in controversiam veniunt, paulo accuratius sunt examinanda. Tria autem potissimum in disceptationem vocantur, primum utrum vox « et suffocato » ab apostolis profecta, vel sacro divini libri textui inserta sit; deinde quandiu lex illa apud Christianos obtinuerit; tertio denique cujus ponderis sint allatæ a Clemente nostro rationes.

Ad primum autem quod attinet, pseudo-Ambrosius haud hæsitanter affirmat eam vocem « et suffocato » inepte prorsus a male feriato quodam Græculo apostolico textui additam: « Quæ sophistæ Græcorum, inquit, non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, adulterarunt Scripturam, quartum addentes mandatum, et a suffocato observandum. Quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia supra dictum erat, quod addiderunt [50]. » Nullum autem falsa Ambrosiani nominis usurpatio sic moveat, ut omnem ficto maleque larvato scriptori fidem continuo derogari velit. Verumenimvero Irenæus ubi hoc apostolorum edictum totidem verbis refert, alto eadem vocem præterit silentio: « Placuit sancto, inquit, Spiritui..., abstinere vos ab idololatriis, et sanguinis effusione, et fornicatione [51]. » Simili quoque modo Cyprianus

[38] Comment. in cap. II Epist. ad Tit. [39] Euseb. lib. II Hist., cap. 25. [40] idem, lib. VI Hist., cap. 14. [41] dissert. in ep. s. Barn. art. 3. [42] rursus lib. III Strom. [43] Admon. ad gent. pag. 5. [44] Pædag. lib. I, cap. 8, pag. 113. [45] Pædag. lib. II, pag. 201. [46] Luc. VII, 25. [47] Matth. XI, 8. [48] Pædag. lib. III, pag. 228. [49] Act. XV, 28, 29. [50] pseudo-Amb. Comment. in Epist. ad Gal., cap. II, v. 2. [51] Iren. lib. III adv. hæres., cap. 12.

Digitized by Google

eam omisit : « Abstinere vos ab idololatricis, et sanguinis effusione, et fornicatione [53]. »

At plures tamen cum Augustino, Cyrillo, aliisque inferius citandis, hanc vocem ab apostolis revera prodiisse agnoscunt. Quamobrem variis Ecclesiæ conciliis nominatim cautum legimus, ne quis suffocato vescatur.

Unde autem nata sit hæc veterum Patrum dissensio, si quæras, Hieronymi verbis tibi respondebimus : « In Actibus apostolorum narrat historia... seniores qui Jerosolymis erant, et apostolos pariter congregatos statuisse per litteras, ne superimponeretur eis jugum legis, nec amplius observarent; nisi ut custodirent se tantum ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione, sive, ut in nonnullis exemplaribus scriptum est, et a suffocato [54]. » Vides itaque hanc ultimam vocem, attestante Hieronymo, in paucioribus, vel ut ipse ait, « in nonnullis » tantum sacræ Scripturæ codicibus repræsentatam. Quid mirum igitur, si a Patribus jam laudatis omissa, ab aliis, prout quique eorum ferebant Scripturæ codices, citata fuerit? Præterea ex hoc eodem Hieronymi testimonio liquet vero parum similem videri debere pseudo-Ambrosii opinionem, qui hanc particulam a sophistis Græcorum sacro textui additam esse contendit. Porro autem, si Augustino credimus, lex sanguinis potum prohibens, suffocatum etiam complectitur. « Præceptum ab apostolis, ut abstinerent gentes..... a sanguine, id est ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus [55]. »

Quando vero ea lex abrogari, vel de illa aliquid derogari cœperit, non una est eruditorum hominum opinio eademque sententia. At sane constat Christianos diu post Clementis tempora hanc secutos esse apostolorum normam et institutionem. Testes hujusce rei si tibi citari velis, audi, quæso, Tertullianum : « Ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis et morticinis abstinemus : ne quoquomodo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare illos vultis [56]. » Nec minus aperte Minutius Felix : « Nobis, inquit, homicidium nec videre fas, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus [57]. Bibliadis vero, martyrium agens et tormentis vexata, apud Eusebium sic respondisse perhibetur : « Qui fieri posset, ut infantes comederent (Christiani), quibus ne sanguinem quidem animantium degustare licet [58]? » Origenes quoque : « Vides, ait, hanc de observatione sanguinis legem, quæ communiter et filiis Israel et advenis data est, observari etiam a nobis qui ex gentibus per Jesum Christum credimus Deo [59]. » His accedit Hieronymus, qui in suis ad Ezechielis prophetiam commentariis sic loquitur : « Omni generi electo, regali et sacerdotali (quod proprie ad Christianos refertur), hæc præcepta conveniunt, ut morticinum non comedat, tam de avibus quam de pecoribus, cujus nequaquam sanguis effusus est, quod in Actibus apostolorum dicitur suffocatum, et quæ necessario observanda, apostolorum de Jerusalem epistola monet, et captum a bestia, qui et ipsum similiter suffocatum est, et condemnat sacerdotes, qui in turdis, ficedulis, gliribus et cæteris hujusmodi hæc aviditate gulæ non custodiunt [60]. »

Quam stricte autem Christianos hac lege teneri antiquis olim patribus nostris persuasum fuerit, inde colligas, quod antiqui Ecclesiæ Patres, pluribus etiam in synodis olim congregati, variis iisque nonnunquam gravissimis pœnis prævaricatores ejus censuerint esse multandos. Nam ut pseudepigraphum canonem apostolorum, qui sacerdotes depositionis, laicos segregationis pœna afficit [61], missum faciamus, certe concilio Gangrensi, omnes hujusce prævaricationis rei anathematis gladio feriuntur [62]. Trullana autem synodus eamdem in eos, atque apostolicus canon pœnam decernit [63]; secunda vero Aurelianensis illos ab Ecclesiæ arcet cœtibus [64]. Mitius agit summus pontifex Gregorius tertius, qui illos per quadraginta tantum dies pœnitentiæ, haud dubie publicæ, jubet addici [65]. Denique ex ipso quoque Beda discimus ab Ecclesia idem fuisse constitutum [66].

Ex his autem et aliis, quæ huc congerere nihil necesse est, similibus Ecclesiarum decretis, quidam hujusce **31** ætatis scriptores concludunt hanc legem non ante quadringentos abhinc annos fuisse antiquatam. Verum eam longe pluribus ante id tempus sæculis abrogari cœpisse nullus plane dubitandi locus est. Nec obscure quidem id probari potest his Cyrilli Jerosolymitani verbis : « Scribunt apostoli et seniores... ut in primis idolothytis abstineant, deinde ut sanguine et suffocato. Nam hominum multi feri et immanes, moreque canino viventes, sanguinem lambunt, agrestium et ferocium bellurum instar, suffocata devorant abunde. Tu autem, Christi servus, comedens, reverentia modestiaque adhibita comede [66]. » Quid enim aliud ibi innuit eruditissimus ille vir, nisi damnandam esse ferinam duntaxat et immanem sanguinis suffocatique comedendi consuetudinem; ac Christiano, si modestia et reverentia adhibeatur, iis uti licere?

Augustinus vero id clarius enodatiusque explicat : « In Actibus, inquit [67], apostolorum, hoc lege præceptum ab apostolis, ut abstinerent gentes tantum a fornicatione, et ab immolatis, et a sanguine, id est, ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt : sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet. Hoc discutere longum est, et non necessarium : quia et si hoc tunc apostoli præceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne præfocatis carnibus vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis gentes propter angularem ilium lapidem, duos in se condentem, aliquid communiter observarent : simul et admonerentur ex ipsa arca Noe, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium gentium figuratam, cujus facti prophetia jam gentibus ad fidem accedentibus incipiebat impleri. Transacto vero illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angulari lapide concordarent; tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant : ac ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis appareat; quis jam hoc Christianus observat, ut turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est, aut leporem non edat, si manu a cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui pauci adhuc tangere ista formidant, a cæteris irridentur; ita omnium animos in hac re tenuit illa sententia Veritatis : Non quod intrat in os vestrum

[53] Cyp. lib. III Testimon. [54] Hieron. lib. II in Epist. ad Gal., cap. 3. [55] Aug. lib. XXXII contra Faust., cap. 13. [56] Tertul. Apol., cap. 9. [57] Minut. in Octavio, pag. 34. [58] Euseb. lib. III Histor., cap. 1. [59] Orig. lib. II Comment. in Epist. ad Rom., cap. 2, pag. 313. [60] Hieron. lib. XIII Comment. in Ezech., cap. 45. [61] Can. apost. 69. [62] concil. Gangr. circa an. 324, can. 2. [63] conc. Trul. an. 692, can. 67. [64] conc. Aurel. an. 533, can. 20. [65] Gregor. III, an. 740, t. VI Conc. Labb., p. 1482. [66] Bed. De remed. peccat., cap. 4. [66] Cyril. Jerus., catech. 4, pag. 34. [67] Aug. lib. III cont. Faust., cap. 13, pag. 456.

Digitized by Google

vos coinquinat. » Hunc Augustini locum, etsi paulo longiorem integrum descripsimus; quia plura, quæ ad rem nostram faciunt, ibi dilucide planeque enucleantur.

Primum testatur hanc legem suo tempore ita fuisse abrogatam, ut qui eam adhuc observare vellent, a cæteris omnibus irriderentur. Ab apostolis siquidem usque ad illud tantum tempus imposita fuerat, quo ex Judæis et gentibus una facta est Ecclesia, nullusque carnalis Israelita amplius exstitit.

Præterea qui hac lege se solutos esse credebant, his præsertim nitebantur Christi verbis : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem [68]. » Persuasum enimvero habuerunt hac Domini nostri sententia se longe arctius, quam lata ad tempus tantum aliquod apostolorum ejus lege astringi et obligari.

Non putamus tamen Augustinum de omnibus generatim, ac per totum orbem terrarum dispersis, seu Christianis, seu Ecclesiis loqui ; sed eum de Africana aliisque vicinioribus esse intelligendum. Quamvis enim Cyrillus Jerosolymitanus nobis, uti vidimus, testis sit eadem lege nullum amplius suo tempore teneri, illam tamen Hieronymus, uti jam observavimus, apud suos nondum rescissam, vel infirmatam fuisse testificatus est.

Ex dictis itaque haud plane immerito colliges, hanc apostolorum præscriptionem tandiu a Christianis sedulo observatam, quandiu variis tyrannorum et paganorum persecutionibus vexati fuerunt. Pace autem Ecclesiis reddita, eos paulatim, ac citius quidem quibusdam in locis, in aliis serius, atque etiam posterioribus sæculis ab illa descivisse, donec ab omnibus ubique tandem abrogata est. Neque tamen iis subscribere possumus, qui ex collectione canonum a Beda aliisque scriptoribus adornata concludunt eamdem legem eo tempore a Christianis observatam, quo hujusmodi compilationes publicam prodierunt in lucem. Hujusce etenim generis scripta quid actum fuerit potius indicant, quam quid adhuc apud Christianos tum esset in usu.

Quod autem ad hujusce interdicti allatas a Clemente nostro rationes spectat, certe Augustinus aliam iis plane similem protulit, propter quam apostoli morticino patriarchis et Israelitis olim prohibuerunt : « Morticinum, inquit, puto, quod ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum, sed mortuorum animalium morbida caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causa sumimus alimentum [69]. » Sed apostoli non his rationibus, ex ipsa hujusce alimenti natura petitis, ad hanc, de qua agimus, condendam legem inducti videntur. Non alia quippe in ea ferenda illis, ut ibidem tradit Augustinus, mens fuit, nec aliud consilium, quam ut Christianis « pro tempore rem facilem et nequaquam observantibus onerosam » præcipiendo, Judæorum consulerent infirmitati, atque ea benignitate et indulgentia illos ad Christianæ fidei professionem facilius adducerent. Alia igitur argumenta ad confirmandam potius ac Christianorum animis altius infigendam hanc legem, quam ad explicandam legislatorum in ea conscribenda mentem a Clemente, ut aliis sæpe usu venit, excogitata et proposita haud merito dixerimus.

CAPUT IV.

De Christi et Spiritus sancti divinitate, sacroque Trinitatis mysterio, ac de iis quæ ad Christum pertinent.

ARTICULUS I.

De summa Christi divinitate in Admonitione ad Græcos *asserta.*

Supremam Filii Dei, Christi Domini, divinitatem Clemens tam clare et aperte, tam frequenter et assidue suis in libris asserit et propugnat, ut dictu difficillimum sit cur nonnulli etiam catholici homines illum in hoc præcipuo Christianæ fidei capite explicando erroris alicujus reum agere non dubitaverint. Neque enim ad iniquam eorum criminationem plane depellendam singula quæque, quod sane longius esset et inutile, in medium proferenda sunt illius certa plane et minime obscura de summa Christi divinitate testimonia; sed ex iis quædam tantum seligere sufficiet, quibus ipso sole meridiano clarius cuilibet etiam pervicaciori homini fiat, nullum **32** unquam ante Nicæna tempora fuisse scriptorem, qui illo apertius et constantius hoc catholicum dogma docuerit et tuitus sit.

Missa itaque ea primum faciemus, quibus eruditissimus ille vir Christum ante Davidem, ex cujus stirpe homo factus est, et ante Luciferum exstitisse prædicat [70]. Neque iis etiam immorabimur, quibus gentiles serio monet Christum ab apostolo Paulo Deum certissime renuntiari [71]. Id quoque, etiamsi ad rem nostram plurimum faciat, ultro prætermittemus, quod Clemens expressissime definit, Christum esse Deum et hominem, Deum viventem, qui passus est et adoratur, qui ex hominibus solus est Deus [72].

His igitur omissis, ad illa animum sedulo advertamus, quæ de Christo Domino hunc scribit in modum [73] : « Nunc autem apparuit hominibus hic ipse Verbum, qui solus est ambo, Deus et homo..... apparuit qui est in eo, qui est : quoniam Verbum, quod erat apud Deum, doctor apparuit, per quod omnia sunt fabricata. Verbum quod cum olim vitam in creatione, ut opifex, dedisset; postquam tanquam magister se manifestavit, bene vivere docuit, ut postea vitam æternam, ut Deus, suppeditaret. »

Observes velim, et diligenter nobiscum expendas Græca illius verba, ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν, ὅτι ὁ Λόγος ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, διδάσκαλος ἐπεφάνη· « Apparuit qui est in eo qui est; quoniam Verbum quod erat apud Deum, magister apparuit. » Quo enim, amabo te, his Clemens verbis alio collineat, quam ad illud ipsum proprium Dei nomen, ὁ ὤν, quod petenti olim Moysi ab ipsomet eodem Deo declaratum legimus? Atqui Clemens hoc nomen non tantum Filio Dei, sicut et Patri reipsa attribuit; sed ei ascribendum hinc probat, quoniam antequam homo fieret, ille ipse Verbum erat apud Deum, et per ipsum facta sunt omnia. Quid autem aliud inde colligas, nisi Clementem eamdem Verbo et Filio Dei tribuisse divinitatem, quæ ipsimet Patri æterno tribuenda est?

Quod quidem mirum in modum ea confirmant, quæ continenter subjungit [74] : « Verbum ut opifex vitam homini creatione dedit, ut magister eum

[68] Matth. xv, 11. [69] Aug. lib. xxxii cont. Faust., cap. 13, p. 456. [70] Admon. ad gent. pag. 4, 5. [71] pag. 56. [72] pag. 66. [73] pag. 5, 6. [74] pag. 6.

Digitized by Google

sanctam et honestam vitam vivere docuit, ut Deus beatam et æternam illius vitam facit.» At quis unquam, nisi supremus Deus, triplicem hanc vitam homini dare potest?

Eamdem Christi divinitatem paulo brevius, sed non minori perspicuitate et evidentia sic alibi explicat[75]: Ἡ μὲν γὰρ τοῦ Θεοῦ εἰκὼν ὁ Λόγος αὐτοῦ, καὶ υἱὸς τοῦ νοῦ γνήσιος, ὁ θεῖος Λόγος, φωτὸς ἀρχέτυπον φῶς, εἰκὼν δὲ τοῦ Λόγου ὁ ἄνθρωπος. «Est quidem Dei imago ejus Verbum, et filius mentis legitimus, divinum illud Verbum, lucis lux archetypa: Verbi autem imago est homo.» Hæc sane tam clara et aperta divinæ Christi naturæ confessio aliquod potius videtur esse concilii œcumenici, Arianam hæresim damnantis decretum, quam unius hominis ante Nicæna tempora scribentis testificatio et sententia. Quid enim aliud Nicæna synodus contra errores Arii decrevit, nisi Christum esse verum et proprium Dei Filium atque ex Patre suo tanquam lumen de lumine genitum? Atqui hæc est ipsissima Clementis nostri definitio.

At, inquies, si Verbum sit verus Dei Filius et ab eo genitus, cur eum Clemens ἀρχέτυπον φῶς, «lucem archetypam,» appellat? Hujus quæstionis solutionem plures iique doctissimi Ecclesiæ Patres tibi suggerunt, qui Dei Filium, Verbum divinum, dicunt ideam esse et exemplar, quo Pater æternus universa molitus est. Quapropter docent illum esse principium de principio, in quo universa creata sunt. Unus autem ad id probandum, ne in re minime ambigua diutius immoremur, sufficiet Augustinus. Nihil enim his illius, quibus Patrem æternum alloquitur, verbis clarius et apertius: «In principio, inquit, tuo fecisti cœlum et terram, in Verbo tuo, in Filio tuo, in virtute tua, in sapientia tua, in veritate tua..... Omnia in sapientia fecisti, et illa principium, et in eo principio fecisti cœlum et terram[76].» Eadem sane in subsequenti libro, ne id semel tantum et obiter attigisse videretur, repetit et inculcat[77]. Ne quis autem inde plura in sanctissima Trinitate prima esse principia temere inferret, ille alibi Filium unum cum Patre principium esse docuit: «Pater principium non de principio, Filius principium de principio; sed utrumque simul non duo, sed unum principium[78].» Clemens itaque eodem sensu asserit Verbum a Patre æterno genitum esse lucis paternæ lucem archetypam; quia ipse, qui omnia creavit, illorum fuit idea, exemplar et ἀρχέτυπον.

Sed agesis, et ad alia transeamus, quibus Clemens eodem in libro Christum ejusdem omnino cum Patre divinitatis esse suis ipse verbis tradidit et definivit: «Verbum divinum, qui revera est Deus manifestissimus, qui est universorum Domino exæquatus: Ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθείς[79]. Quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo..... Undenam ipse esset, et quis esset, per ea, quæ docuit et demonstravit, ostendens fœderis initor, et reconciliator, et servator noster, Verbum, fons vivificus, pacificus, qui per universam faciem terræ diffunditur, per quem, ut semel dicam, effecta sunt omnia, pelagus bonorum, πέλαγος γέγονεν ἀγαθῶν[80].» Quid ad declarandam Christi divinitatem expressius significantiusque potest desiderari? Ibi enim Clemens asseveranter affirmat Verbum divinum esse Deum manifestissimum, sed ipsum etiam universorum Domino, id est Patri suo adæquari et æquiparari.

Qua autem ratione id ille probaverit, quæso, diligenter attendas: «Quoniam, inquit, erat ejus Filius,» verus scilicet, et proprius, γνήσιος, ut paulo ante dixerat; et quia «Verbum erat in Deo,» ita sane, ut nunquam in eo esse inceperit, sed ipsi fuerit coæternum. Neque enim Pater æternus sine proprio suo Filio, neque Deus Spiritus sine Verbo esse unquam potuit.

Ipsa vero honoris et laudis elogia, quibus Clemens Christum ibi exornat, nonne summo supremoque Deo ita sunt propria, ut nulli alii tribui possint et convenire?

ARTICULUS II.

Quam invicte eadem Christi et Spiritus sancti divinitas ac sanctissimæ Trinitatis mysterium in libris Pædagogi *asserantur.*

Quæ in medium hucusque protulimus, asserta a Clemente nostro summæ Christi divinitatis argumenta, ex uno tantum illius libro a nobis delibata sunt. Quid ergo? si alia ejus scripta ac libri præsertim *Pædagogi* percurrantur, tot certe tamque invicta legentibus undique sese offerent ejusdem assertionis firmamenta; ut oculis prorsus orbatus sit, qui illa non videat, et mente omnino captus, qui eis **33** reluctetur. Ab ipso enim *Pædagogi* initio ille Christum Dominum his nativis pingit coloribus et verbis: Ἔοικεν δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν τῷ Πατρὶ αὐτοῦ τῷ Θεῷ, οὗπέρ ἐστιν Υἱὸς, ἀναμάρτητος, ἀνεπίληπτος, καὶ ἀπαθὴς τὴν ψυχήν· Θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι, ἄχραντος, πατρικῷ θελήματι διάκονος, Λόγος, Θεὸς, ὁ ἐν τῷ Πατρὶ, ὁ ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός, σὺν καὶ τῷ σχήματι Θεός. «Pædagogus autem noster, Deo Patri suo similis est, cujus est Filius, in quem nullum omnino cadit peccatum, estque nulli reprehensioni affinis, et animo impassibilis; Deus in figura hominis, impollutus, paternæ voluntati serviens, Verbum, Deus qui est in Patre, qui est a dexteris Patris, et cum figura Deus est[81].» Utramque Christi naturam cum humanam tum præcipue divinam ibi luculenter auctor noster prædicat. Etenim illum non modo Verbum, Λόγον, et Deum simpliciter appellat; sed Filium Dei ita Patri suo similem, ita verum in hominis figura Deum; ut ipse in Patre, quemadmodum Pater in ipso sit: «In ipso, alibi adhuc inquit, Filius, et in Filio Pater[82].» Quis autem de creatura aliqua, ac puro meroque homine, hæc a Clemente nostro dici potuisse jure merito crediderit?

Age vero, et vide, quæso, quibus ille laudum titulis Christum extollat. Ab illo enim vocatur ἀναμάρτητος, qui non peccavit, vel potius, qui peccare non potest. Nam continenter adjecit ἀνεπίληπτος, qui argui et reprehendi nequit, vel reprehensioni non est obnoxius. Tum deinde ἀπαθὴς τὴν ψυχήν, qui animi affectionibus et perturbationibus minime subjectus est. Denique ἄχραντος, impollutus et immaculatus. «Atqui nullo modo peccare penitus,» inquit ibidem Clemens[83], «Dei esse dicimus.» Tanta autem cura illud discipulis suis persuadere enititur, ut aliis verbis idem repetat: «Hic nobis est imago, in qua nulla est macula..... Et ille quidem ab omnibus humani animi perturbationibus est liber. Propterea enim vel solus est judex, quod solus sit, in quem peccatum non cadit[84].» In scirpo igitur nodum quærit, qui Clementem ibi de summa Christi divinitate mentem suam clare omnino, et perspicue aperuisse inficiabitur.

Quid vero, quod ille Christum nulli non solum peccato obnoxium esse asseverat, sed ab ipso quoque tanquam vero et supremo Deo peccata dimitti: «In omnibus, inquit, prodest, et in omnibus juvat

[75] pag. 62. [76] lib. XI Confess., cap. 9. [77] lib. XII Confess., cap. 29 et seq. [78] lib. III cont. Maxim. Arian., cap. 17. [79] pag. 68. [80] pag. 64. [81] lib. I Pædag., cap. 2, pag. 79 et seq. [82] lib. I Pædag., cap. 7, pag. 108. [83] pag. 80. [84] ibid.

Digitized by Google

Dominus, et tanquam homo, et tanquam Deus : peccata quidem remittens, ut Deus; ne peccemus autem, pædagogi ritu instituens, ut homo [85]. » Si Clemens igitur Christum, propterea « quod solus sit, in quem peccatum non cadit, » verum et summum putavit esse Deum, multo sane magis illud eo persuasum habuit, quod penes illum suprema remittendorum peccatorum esset potestas? Quapropter rursum de eodem divino medico in hæc scribit verba : Λόγος δὲ ὁ πατρικὸς μόνος ἐστὶν ἀνθρωπίνων ἰατρὸς ἁμαρτημάτων Παιώνιος, καὶ ἐπῳδὸς ἅγιος νοσούσης ψυχῆς. « Verbum autem paternum solus est humanarum ægritudinum Pæonius medicus et sanctus ægrotæ animæ incantator [86]. »

Quid tandem, quod et ipsum haud dubitanter appellat τὸν παντοκράτορα Θεὸν Λόγον, « Omnipotentem Deum Verbum [87], » qui cor hominis sic satiare potest, ut nullius plane rei amplius indigeat?

Ex ipsis autem divinissimis sacræ Scripturæ cum Veteris, tum Novi Testamenti fontibus se hanc doctrinam hausisse palam omnibus facit. Postquam enim de Christo id ab Isaia prænuntiatum fuisse dixisset : « Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus principatus super humerum ejus, et vocatum est nomen ejus magni consilii angelus [88], » continuo subnectit : « Per eumdem prophetam narrat ejus magnitudinem : Θαυμαστὸς σύμβουλος, Θεὸς δυναστὴς, Πατὴρ αἰώνιος, ἄρχων εἰρήνης..... καὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ οὐκ ἔστι πέρας· « Admirabilis consiliarius, Deus potens, Pater æternus, princeps pacis..... et pacis ejus non erit finis; » unde sic exclamat : « O magnum Deum! o perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio. Ὦ τοῦ μεγάλου Θεοῦ! ὦ τοῦ τελείου παιδίου! Υἱὸς ἐν Πατρὶ, καὶ Πατὴρ ἐν Υἱῷ. » Quis igitur negabit Clementi persuasum omnino fuisse Christum ab Isaiæ verum et summum, ac eumdem cum Patre Deum apertissime declarari?

Eodem plane modo ex primis Evangelii Joannis verbis argumentatur [89] : « Nihil odio habet Deus : sed neque ejus Verbum. Utrumque enim unum est, nempe Deus : ἓν γάρ ἄμφω ὁ Θεός. Dicit enim : In principio Verbum erat in Deo, et Deus erat Verbum. » Nemo itaque, nisi summa obcæcatus pertinacia, non videt Clementem ex prima illa Joannis sententia colligere Christum Dominum ita cum Deo Patre esse unum, ut unius ejusdemque cum eo sit naturæ et divinitatis.

Perganus autem, et quomodo illud idem ex aliis Evangeliorum locis invictissime conficiat, videamus. At id quidem luculentissime ea ratiocinatione demonstratur, qua ille ex divina eadem Scriptura ipsummet Deum, qui bonus est, justum esse convincit. Hunc enimvero ea simplicissima unitate, qua major excogitari non possit, esse unum sic probat : « Unum quidem ipsum dicit; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint..... Ut unum sint, sicut nos unum sumus; ego in ipsis, et tu in me, ut sint perfecti in unum. Unum autem est Deus, et ultra unum, et supra ipsam unitatem. Et ideo particula illa, « tu, » demonstrativum habens emphasim, eum qui vere solus est, qui fuit, et est, et erit, Deum ostendit [90]. » Deinde vero probat eum esse justum, quem prius bonum esse demonstraverat. Tum subjungit : « Qui enim hos quidem statuit a dextris, illos vero a sinistris; quatenus quidem Pater, qui bonus est, mente concipitur, id solum, quod est bonus, appellatus est; quatenus vero qui Filius est, Verbum ejus in Patre est, justus appellatur, ex mutua quæ est inter se relatione et habitudine; ut sit dilectionis æqualitate dimensum nomen potentiæ : Ὁ γὰρ ἰστὰς τοὺς μὲν ἐκ δεξιῶν, τοὺς δὲ ἐξ εὐωνύμων, καθὸ μὲν Πατὴρ νοεῖται ἀγαθὸς ὤν, αὐτὸ μόνον ὅ ἐστι κέκληται, ἀγαθός· καθὸ δὲ Υἱὸς ὢν ὁ Λόγος αὐτοῦ ἐν τῷ Πατρί ἐστι, δίκαιος προσαγορεύεται, ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως· ἀγάπης ἰσότητι μεμετρημένον ὄνομα δυνάμεως. Denique posteaquam illud variis Scripturæ testimoniis confirmavit, hanc ex iis elicit conclusionem : « Idem ergo est Pater ejus, qui cum unum sit multis significatur potestatibus, et hoc sibi volebat illud : « Nemo novit Patrem; » qui quidem erat omnia priusquam veniret Filius : ut sit veritate apertum, quod qui est universorum Deus, unus solus sit bonus, justus, opifex, Filius in Patre, cui gloria in sæcula sæculorum, amen. » Τῶν συμπάντων Θεὸν, ἕνα μόνον εἶναι ἀγαθὸν, δίκαιον, δημιουργὸν, Υἱὸν ἐν Πατρὶ [91]. Quis autem ad unam eamdemque Filii et Patris naturam declarandam quidquam his verbis expressius significantiusque merito desideraverit? Ibi quippe Clemens disertissime docet 34 Filium Dei esse unum cum Patre, ea simplicissima unitate, qua nullus unquam possit majorem fingere, vel excogitare.

Non audiendus itaque pertinax quis Arianus, qui Clementem non de naturæ, sed voluntatis tantum, atque amoris unitate, seu potius conjunctione loqui ex eo, quod ab ipso citatur, Joannis testimonio nobis perperam objiciet. Ex tota enimvero illius argumentandi ratione manifestissimum et sole meridiano clarius est, non aliam ejus fuisse mentem; nisi ut ex his Christi apud Joannem verbis ostenderet illum a Patre suo æterno petiisse; ut homines gratia, veritate et amore unum fierent, quemadmodum ipse cum eodem Patre suo unus natura Deus erat.

Quamobrem postquam ille fusius probavit Patrem et Filium esse unum eumdemque Deum, justum et bonum : « Vide, inquit, quomodo Pædagogi, id est Christi, quod justum est, ostenditur in increpationibus, et Dei, quod bonum est, in miserationibus. Quocirca David, hoc est Spiritus qui per eum loquitur, utrumque complectens, de eodem Deo psallit · « Justitia et judicium præparatio sedis tuæ, « misericordia et veritas præcedent faciem tuam [92]. » Fatetur esse ejusdem potestatis, et judicare et benefacere; simul enim est utrorumque potestas, judicium justi quod discernit, et idem justus et bonus, qui est vere Deus, qui est ipse omnia, et omnia ipse; quoniam ipse est Deus, qui est solus Deus. » Τῆς αὐτῆς εἶναι δυνάμεως ὁμολογεῖ καὶ κρίνειν καὶ εὐεργετεῖν· ἅμα γὰρ ἀμφοῖν ἡ ἐξουσία, ἡ κρίσις τοῦ δικαίου διακρίνουσα τὰ ἐναντία. Καὶ ὁ αὐτὸς δίκαιος, καὶ ἀγαθὸς, ὁ ὄντως Θεός· ὁ ὢν αὐτὸς τὰ πάντα, καὶ τὰ πάντα ὁ αὐτὸς· ὅτι αὐτὸς Θεὸς, ὁ μόνος Θεός [93]. Denique hoc summæ Christi cum Patre suo unitatis prædicandæ studium Clementi nostro adeo cordi erat, ut eo nomine hanc ad eum fundat precem : « Placare tuis, o Pædagoge, pueris, Pater auriga Israel, Fili, et Pater, unum ambo, Domine, Υἱὲ καὶ Πατὴρ, ἓν ἄμφω, Κύριε [94]. »

Quamvis autem eruditissimus ille scriptor summam Patris et Filii unitatem tantopere commendet, illos tamen persona et hypostasi, ut theologi loquuntur, distinctos haud obscure declarat. Mutuam enim dicit esse inter eos « relationem et habitudinem. » Atqui hujuscemodi relatione et habitudine veram in Deo personarum distinctionem importari quis merito inficias ibit?

Quid ergo aliud nobis superest, nisi ut ejusdem Clementis nostri verbis contra recentes Arianos, quemadmodum ille adversus veteres quosdam hæreticos concludamus : Μήτι οὖν ὁμολογήσουσιν

[85] Lib. I Pæd. cap. 3, pag. 82. [86] lib. I, cap. 2, pag. 81. [87] lib. III Pædag., pag. 236. [88] Pæd. lib. I, cap. 5, pag. 94. [89] ibid. cap. 8, pag. 113. [90] ibid., pag. 177 et seqq. [91] ibid. 119. [92] Psal. LXXXVIII, 15. [93] ibid., cap. 9, pag. 127. [94] lib. III Pædag., pag. 266.

Digitized by Google

ἄκοντες τὸν Λόγον τέλειον ἐκ τελείου φύντα τοῦ Πατρός; « Annon ergo vel inviti fatebuntur Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum[95]? » id est Verbum seu Christum Dominum divina sua generatione factum esse cum paternæ naturæ, tum omnium ejus divinarum perfectionum participem. Christus itaque jure merito a Clemente nostro appellatur « sanctus Deus, ἅγιος Θεός[96], Deus hominum amator, ὁ φιλάνθρωπος Θεός, solus magister, qui cum Deus esset, nihil didicisse fuit consentaneum[97]. »

Porro autem Clemens non minus clare de Spiritus sancti, quam de Christi divinitate ac de sanctissimo divinæ Trinitatis mysterio, suam aperuit sententiam et mentem. Quid enim his verbis expressius ac dilucidius? Εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ· εἷς δὲ καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ. « Unus quidem est universorum Pater, unum est etiam Verbum universorum, et Spiritus sanctus unus, et ipse est ubique[98]. » Quomodo autem Spiritus sanctus ubique potest esse, nisi divinæ illius sit potentiæ et naturæ, quam Clemens in ipso et Patre ac Filio unam esse apertissime pronuntiat?

In fine tandem hujus operis eodem penitus modo Christianos ad laudandum Deum gratiasque ei agendas hortatur : Τῷ μόνῳ Πατρὶ καὶ Υἱῷ, Υἱῷ καὶ Πατρὶ παιδαγωγῷ, καὶ διδασκάλῳ Υἱῷ σὺν καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· Πάντα τῷ ἑνί· ἐν ᾧ τὰ πάντα· δι' ὃν τὰ πάντα ἕν· δι' ὃν τὸ ἀεί· οὗ μέλη πάντες· οὗ δόξα, αἰῶνες. Πάντα τῷ ἀγαθῷ, πάντα τῷ καλῷ, πάντα τῷ σοφῷ· τῷ δικαίῳ τὰ πάντα, ᾧ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. « Soli Patri et Filio, Filio et Patri pædagogo, et magistro Filio, et cum sancto Spiritu, per omnia uni, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est, quod semper est, cujus membra omnes, cujus sunt gloria et sæcula, qui est undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque sapiens, undequaque justus; cui gloria nunc, et in sæcula sæculorum, amen[99]. » Quis sanctissimæ Trinitatis mysterium, quo Patris, Filii et Spiritus sancti eadem natura esse creditur, apertius unquam professus est? Quamobrem Petavius, etsi Clementi parum, uti videbimus, aliquando faverit[1], ex his tamen illius verbis sic Crellium Socinianæ hæreseos pervicacissimum sectatorem refellit et castigat : « Non hæc, opinor, de nuda efficientia et actione diceret; præsertim cum hos tres unum esse ibidem asserat[2]. » Et rectissime quidem. Nam Clemens ibi Filio et Spiritui sancto ea attribuit, quæ Paulus de uno summo et supremo Deo dixerat : « Ex ipso et in ipso, et per ipsum sunt omnia[3]. » Imo vero hæc ille non aliter Filio et sancto Spiritui quam ipsimet æterno Patri ascribit. Huc denique accedit quod doctissimus auctor noster ne quis Filium, tanquam minorem, alicubi ab ipso pædagogum cognominari, et Patrem utpote majorem, magistrum vocari causaretur, ibi utroque nomine Filium appellat.

ARTICULUS III.

Christum, antequam homo fieret, revera exstitisse, et quomodo ille Israelitici Christianique populi dux fuerit.

Cum Clemens tanta perspicuitate et evidentia supremam Christi divinitatem asseruerit, nulli profecto admirabile videtur, cur ille passim in *Pædagogi* libris scripserit eumdem Christum patriarchis Abrahamo, Jacobo, Moysi, aliisque non modo sese videndum exhibuisse, ac cum eis fuisse locutum, verum etiam Moysem et omnes sacros prophetas scribentes divino suo afflavisse spiritu. Ad id itaque probandum omnia ejus testimonia hic accumulare nihil necesse est. Nonnulla enim jam a nobis delibata sunt, vel mox proferentur. Cætera autem omnibus ita sunt obvia, ut a quovis etiam tardissimo et imperitissimo lectore possint facillime perspici. Quamobrem obiter tantum observabimus ex his plane penitusque revinci et obtundi incredibilem Photinianorum et quorumdam aliorum pertinaciam, qui Christum, antequam ex Maria nasceretur, unquam exstitisse præfracte negare ausi sunt.

Et vero Clemens sæpissime testificatur Christum fuisse Israelitarum non secus ac Christianorum ducem, rectorem et pædagogum. Quomodo autem ipsum hoc munere functum fuisse auctor noster docuerit, paulisper expendendum est : « Revera, inquit, erat Dominus per Moysem pædagogus veteris populi, **35** per seipsum autem populi novi dux, facie ad faciem. Ecce enim dixit Moysi : Angelus meus præcedet te, evangelicam et principalem Verbi potestatem repræsentans; Dominicam autem auctoritatem ac dignitatem conservans... Prius itaque veteri populo vetus erat testamentum, et lex cum metu populum erudiebat, et Verbum erat angelus; novo autem et recenti populo novum ac recens testamentum datum est, et Verbum fuit genitum, et metus in dilectionem conversus est, et mysticus ille angelus paritur[4]. » Verbum itaque divinum, antequam homo fieret, veterem Hebræorum populum sub angeli specie per Moysem cum metu et timore ducebat; sed postquam humanam induit carnem, tum illud recentem Christianorum populum, per seipsum, facie ad faciem cum dilectione et amore rexit et gubernavit. Hæc autem sicut certa et minime dubia, ita et omnibus clara et perspicua sunt.

At obscurum alicui fortasse videbitur quomodo idem Verbum et Dominus, qui Israelitarum dux sub angeli forma fuit, vel potius qui ipsemet angelus erat, ἄγγελος ἦν, uti a Clemente dicitur, τὴν εὐαγγέλιον καὶ ἡγεμόνιον ἐπιστήσας τοῦ Λόγου δύναμιν· τὸ δὲ ἀξίωμα τὸ Κυριακὸν φυλάττων· « Evangelicam et principalem Verbi potestatem repræsentans; Dominicam autem auctoritatem ac dignitatem conservans[5]. » Sed quandoquidem ab eo paulo post « angelus mysticus, » μυστικὸς ἄγγελος, vocatur, hic videtur esse illius sensus : Verbum in Veteri Testamento sub mystici angeli figura delitescens, eam quam in Novo Testamento habiturum erat, repræsentabat potestatem, et eam, qua in veteri pollebat, tunc conservabat auctoritatem.

Prius autem Clemens nos monet eidem divino Verbo, quamvis patriarchis aliisque veteris testamenti patribus se videndum præberet, nullum tamen, antequam nasceretur, fuisse nomen : Ἔτι δὲ ἀνονόμαστος ἦν ὁ Θεὸς ὁ Κύριος, μηδέπω γεγενημένος ἄνθρωπος· « Adhuc autem erat innominatus Deus, ut qui nondum homo factus fuerat[6]. »

ARTICULUS IV.

Quo sensu Clemens corpus Christi deforme esse dixerit.

Quale vero assumptum a Christo corpus erat, si a Clemente nostro quæras, illud non modo non pulchrum, sed « aspectu fuisse deforme, » τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι, asseveranter, et ulla absque hæsitatione respondet[7]. Et id quidem ipsa Spiritus sancti auctoritate confirmare conatur : « Ipsum autem Dominum fuisse aspectu deformem testatur Spiritus per Isaiam : Et vidimus ipsum et non habebat speciem, nec pulchritudinem; sed species ejus vilis et deficiens præ hominibus. » Nec divino Spiri-

[95] lib. I Pædag., pag. 92. [96] ibid., pag. 109. [97] pag. 92. [98] lib. I Pædag., cap. 6, pag. 102. [99] lib. III Pædag., cap. ult., pag. 266. [1] dissert. seq. cap. 8, art. 2. [2] Petav. tom. II dogm. Theol., lib. III, § 11, pag. 265. [3] Epist. ad Rom. XI, 36. [4] lib. I Pædag., cap. 7, pag. 110, 111. [5] ibid. [6] ibid., pag. 110. [7] lib. III Pædag., cap. 1, pag. 215.

Digitized by Google

tus sancti testimonio suam firmavisse sententiam contentus, his etiam, quæ adversus eam objici possent, continuo occurrit : « Quis autem Domino præstantior? Sed non carnis pulchritudinem, quæ visione apprehenditur : sed veram animæ et corporis ostendit pulchritudinem : animæ quidem magnificentiam, carnis vero immortalitatem[8]. »

In hac autem sententia illum constanter perseverasse certum est. Nam alio in opere in eumdem scribit modum : Αὐτὸς ἡ κεφαλὴ τῆς Ἐκκλησίας, ἐν σαρκὶ μὲν ἀειδὴς διελήλυθεν καὶ ἄμορφος. « Ipse qui est caput Ecclesiæ, in carne quidem informis, et specie carens transiit[9]. » Cur autem ille nec liberali nec præstanti corporis forma, sed plane deformis fuerit, hanc ille ibidem causam affert : Εἰς τὸ ἀειδὲς καὶ ἀσώματον τῆς θείας αἰτίας ἀποβλέπειν ἡμᾶς διδάσκων. « Docens nos respicere ad id, quod est divinæ causæ, et videri non potest, estque incorporeum[10]. » Quamobrem alio in loco adjecit : Αὐτίκα ὁ Κύριος οὐ μάτην ἠθέλησεν εὐτελεῖ χρήσασθαι σώματος μορφῇ, ἵνα μή τις τὸ ὡραῖον ἐπαινῶν καὶ τὸ κάλλος θαυμάζων ἀφίστηται τῶν λεγομένων, καὶ τοῖς καταλειπομένοις προσανέχων ἀποτέμνηται τῶν νοητῶν. « Jam vero Dominus non frustra voluit uti vili et humili forma corporis, ne quis speciem laudans et admirans pulchritudinem, absistat ab iis quæ dicuntur, et intendens his quæ relinquuntur, abducatur ab iis quæ percipit intelligentia[11]. »

Quid his verbis planius et explicatius? Verum quo clarius liquet Clementem in hac semper mansisse sententia, eo majori contentionis æstu disputant theologi, utrum ea vera sit, aut illi aliqua erroris nota inuri debeat. Incredibile enim plerisque videtur « ex omni divinitatis plenitudine, quæ in Christo, » ut ait Apostolus, « corporaliter inhabitabat[12], » nullum in ejus corpus emanasse radium, quod illud aliqua forma orisque venustate perfuderit. Existimant autem Clementem nostrum levissimo plane argumento ad oppositam adductum fuisse opinionem. Quo enim nititur Isaiæ testimonio, id non de corporis Christi specie et forma, sed de illo, cum in crucem ageretur, plagis ulceribusque deformato accipiendum esse contendunt.

Quapropter plurimi illum elegantissima pulcherrimaque corporis forma præditum asserunt[13]. Aliqui vero recentiores censent eum forma fuisse mediocri, quæ nec fœditate sua, aut deformitate quemquam offenderet, vel a se repelleret; nec eximio corporis præstantiorisque vultus lenonicio, ne aliquas humanæ fragilitati pararet insidias. Omnem itaque seu præcipuam ejus pulchritudinem in innocentia, sanctimonia, justitia ac divina virtutum omnium complexione sitam fuisse arbitrantur. Sed hi quibusdam tantum nituntur conjecturis, quæ quidem quantumvis ingeniose, ut doctis usu sæpe venire solet, excogitatæ ; tanti tamen non sunt momenti, ut certæ Patrum auctoritati præponderare possint.

Alii porro, qui Christum præstantis formæ et eximiæ pulchritudinis hominem fuisse tradunt, in opinionis suæ confirmationem quosdam citant antiquos scriptores, atque in primis Hieronymum, qui adversus Porphyrium et Julianum Augustum contendit tantum in Christo majestatis occultæque divinitatis reluxisse splendorem, ut posset quoslibet primo ad se trahere aspectu : « Arguit in hoc loco Porphyrius et Julianus Augustus vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti; cum tantæ virtutes, tantaque signa præcesserint, quæ apostolos antequam crederent vidisse certum est. Certe fulgor ipse et majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu[14]. » Nihil autem, inquiunt, ad commendandam summam corporis Christi venustatem et pulchritudinem luculentius dici potest.

Neque objicias Hieronymum, contra impios homines agentem, nimio disputationis æstu longius, quam par erat, abreptum. Etenim ad Principiam virginem in eumdem plane modum scribere videtur[15] : « Speciosus forma præ filiis hominum[16]. » In Hebraico : « Decore 36 pulchrior es filiis hominum... » Quæritur autem quomodo pulchrior sit cunctis filiis hominum, de quo legimus in Isaia : « Vidimus « eum, et non habebat speciem neque decorem[17]... » Nec statim Scriptura dissonare videtur; quia ibi ignobilitas corporis propter flagella, et sputa, et alapas, et clavos et injurias patibuli commemoratur : hic pulchritudo virtutum in sacro et venerando corpore, non quod divinitas Christi hominibus comparata, non formosior sit; hæc enim non habet comparationem ; sed absque passionibus crucis universis pulchrior est, virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. Nisi enim habuisset in vultu quiddam sidereum, nunquam eum statim secuti fuissent apostoli; nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruissent. Denique et in præsenti testimonio, in quo ait : Homo in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem, reddit causas, quare iste perpessus sit. Quia avertit faciem suam, id est paululum divinitate subtracta corpus injuriæ dereliquit. »

At veremur ne hi summæ Christi pulchritudinis assertores attento satis animo perpenderint Hieronymum non dixisse eximium et plane mirandum supremæ majestatis divinitatisque occultæ fulgorem, in humana Christi facie sic semper reluxisse, ut vel omnibus semper conspicuus fuerit, vel corpus ejus reddiderit præstantissima, mirabilique formæ venustate semper decoratum. Nam ibidem Hieronymus aperte tradit hunc fulgorem, « divinitate paululum subtracta, » a sacro illius corpore quandoque subductum, quo posset a Judæis injuria, plagis et morte affici. Existimavit itaque Hieronymus hunc fulgorem et illud sidereum corporis Christi decus, non fuisse perpetuum, sed ad aliquod duntaxat, sicut in admirabili ejus transfiguratione, temporis spatium, quando scilicet homines ad se allicere, vel terrere, aut in sui admirationem rapere voluit.

Deinde vero idem Hieronymus præstantem corporis Christi formam, ex virtutum ejus pulchritudine, quemadmodum Clemens noster, repetere videtur. Verumtamen si ille hac in re Clementi suffragatus est, ab illo sane, ne quid dissimulemus, prorsus in eo recedit, quod Isaiæ testimonium, non de corporea Christi deformitate, sed de ipsomet illius corpore, plagis et verberibus ante mortem deformato, explicandum esse censuerit.

Alterum porro corporeæ Christi pulchritudinis defensorem accersunt Chrysostomum, qui cur Christus turbas a se aliquando repulerit, his explicat verbis : Καὶ γὰρ ἦσαν αὐτῷ προσηλωμένοι φιλοῦντες αὐτὸν, καὶ θαυμάζοντες, καὶ ὁρᾶν εἰς αὐτὸν ἀεὶ βουλόμενοι. Τίς γὰρ ἂν ἀπέστη τοιαῦτα θαυματουργοῦντος ; Τίς δὲ οὐκ ἂν καὶ τὸ πρόσωπον ἠθέλησεν ἁπλῶς ἰδεῖν, καὶ τὸ στόμα τὸ τὰ τοιαῦτα φθεγγόμενον; Οὐδὲ γὰρ θαυματουργῶν ἦν θαυμαστὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἔγεμε χάριτος. Καὶ τοῦτο ὁ προφήτης δηλῶν ἔλεγεν· « Ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. » Εἰ δὲ ὁ Ἡσαΐας λέγει· « Οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, » ἢ πρὸς τὴν τῆς θεότητος δόξαν τὴν ἀπόῤῥητον, καὶ ἄφραστον, τοῦτό φησιν, ἢ τὰ ἐν τῷ πάθει συμ-

[8] ibid. [9] lib. III Strom., pag. 470. [10] ibid. [11] lib. VI Strom., pag. 690. [12] Epist. ad Col. III, 10. [13] Thomass., lib. IV Theol. dogm. de Incarn., cap. 7. [14] Hier. in c. IX Matth. [15] Hier. epist. ad Principiam virg., tom. III, pag. 80. [16] Psal. XLIV, 3. [17] Isa. LIII, 2.

Digitized by Google

δάντα διηγούμενος, καὶ τὴν ἀτιμίαν, ἣν ὑπέμεινεν ἐν τῷ καιρῷ τοῦ σταυροῦ, καὶ τὴν εὐτέλειαν, ἣν παρὰ πάντα τὸν βίον ἐπεδείξατο διὰ πάντων. Οὐ πρότερον δὲ ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν ἕως οὗ ἐθεράπευσεν. Ἡ γὰρ ἂν οὐδὲ ἠνέσχοντο. Ὥσπερ οὖν ἐν τῷ ὄρει οὐχὶ δημηγοροῦντι παρέμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ σιγῆς οὔσης ἠκολούθουν· οὕτω καὶ ταῦτα οὐχὶ θαυματουργοῦντι προσήδρευον, ἀλλὰ καὶ παυσαμένῳ πάλιν, καὶ ἀπὸ τοῦ προσώπου πολλὴν τὴν ὠφέλειαν δεχόμενοι. Εἰ γὰρ Μωϋσῆς δεδοξασμένον πρόσωπον εἶχε, καὶ Στέφανος ὡς ἀγγέλου, ἐννόησον τὸν κοινὸν δεσπότην οἷον εἰκὸς ἦν φαίνεσθαι τότε. Τάχα πολλοὶ νῦν εἰς ἐπιθυμίαν τοῦ τὴν εἰκόνα ἐκείνην ἰδεῖν. Sed hæc ab interprete Latino paulo liberius reddita, sic ab aliis accuratius explicantur : « Erant enim ei affixi ipsum amantes, et admirantes, eumque semper videre cupientes. Quis etenim ab auctore talium miraculorum non invitus recederet? Aut quis vel solam faciem, ac os ipsum, ex quo talia profluebant, aspicere non desideraret? Non enim miracula duntaxat facions, admirabilis erat; verum etiam cum simpliciter aspiceretur, ingenti abundabat gratia; et hoc quidem propheta significans dixit : « Speciosus forma præ filiis hominum. » Quod autem Isaias ait : « Non habebat speciem neque pulchritudinem, » vel ad divinitatis gloriam arcanam illam et inexplicabilem respiciens, ita loquitur; vel ea narrans, quæ passionis tempore contigerunt, nimirum illam dehonestationem, quam in cruce pendens sustinuit; et abjectionem, quam per omnia toto vitæ suæ tempore præ se tulit. Non autem prius jussit in ulteriorem ripam abire, quam morbos curavit. Non enim æquo animo abire potuissent, cui in monte non concionanti solum, sed et silenti adhærebant, eodem etiam modo post miracula permanent, ex solo aspectu non; parvam utilitatem assequentes. Nam si Moysi facies resplendebat, et Stephani vultus angelicus videbatur, quid de ipsius Domini facie æstimare debemus [18]? » etc.

Verum his Chrysostomi verbis corporea Christi pulchritudo non tanta perspicuitate asseritur, quin persuasum aliqui habuerint illum ibi non de ea, quæ in Christo semper fuerit, oris corporisque venustate ac pulchritudine disputare; sed de alia quam certis tantum quibusdam temporibus, iis maxime quibus homines in maximam sui admirationem rapere vellet, illis cursim et quasi divinitus emanantem exhibebat. Primo enim disertissimus ille orator de Christo concionante et miracula patrante disserit. Quid autem mirum, si tunc eximiis sermonum leporibus stupendisque miraculis divinam quamdam adjunxerit oris venustatem?

Deinde vero allatis ab eodem Chrysostomo Moysis Stephanique exemplis, quid aliud, inquiunt contrariæ opinionis patroni, quam temporalis quædam, ac cito evanescens vultus facieique splendor mirabilis forma significatur? Observant denique eximium illum doctorem ubi hæc psalmi quadragesimi quarti verba : « Speciosus forma præ filiis hominum, » explicat, nullam plane corporeæ Christi pulchritudinis, etiamsi de ea disserendi nullus alibi unquam opportunior dari posset locus, mentionem fecisse; sed hæc de illius tantum gratia, sapientia, doctrina et miraculis, ab eo haud dubitanter explicari. Quid vero, quod in jam citatis in Matthæum commentariis, ille, ut vidimus, hæc eadem de gratiæ Christi plenitudine interpretatur?

Quapropter si eruditissimus ille scriptor, atque etiam Hieronymus, et aliqui alii Ecclesiæ Patres putaverint Christum Dominum ad certum duntaxat tempus, se hominibus quibusdam eximiæ pulchritudinis virum quandoque videndum præbuisse; hi certe a Clementis nostri sententia non tam longe abeunt. Quinimo Clementem in hanc illorum opinionem pedibus manibusque facillime ire potuisse nemo sane, uti credimus, poterit diffiteri. Egregia siquidem Christi forma et species extraordinaria tantum erat, atque a nativa et ea quam ille præ se ferre solitus **37** erat plane dissimilis.

Neque etiam Chrysostomus in exponendis Isaiæ verbis a Clemente nostro penitus discrepat, quippe qui ea aliter, quam de Christo patiente, intelligi posse non negaverit.

Verum etiamsi ille aliique scriptores Clementi nostro parumper refragari videantur, alterius tamen sententiæ defensores contendunt alios longe plures ei prorsus suffragatos fuisse. Quæ enim fuerat Origenis tempore Christianorum de humana Christi forma opinio, ex ejus ad Celsi objecta responsis colligi posse arbitrantur. Celsus autem sic argumentabatur : « Quoniam divinus spiritus erat in corpore Christi, debebat esse præstantior cæteris statura, forma, aut robore, aut voce, aut majestate, aut eloquentia. Est enim incredibile cui plus divinitatis inerat, eum nulla re fuisse præstantiorem cæteris. At hic nihilo erat potior, sed quod ipsi fatentur, parvus, et deformis erat, et humilis. » Impio autem illi homini sic respondet Origenes : « Fatemur scriptum de Jesu corpore despicabili, quamvis non habeatur aperte ascriptum, parvum fuisse, ac vile. Est autem locus apud Isaiam prædicentem venturum eum non supra modum decora specie, nec excellenti pulchritudine . . . Non est species ei nec decor, sed species ejus sine honore, et deficiens supra filios hominum [19]. » At sedulo animadvertendum est Origenem ibidem testificari nihil de pulchra aut deformi Christi specie in Evangeliis aut aliis apostolorum scriptis quidquam memoriæ proditum. Fatetur autem ille Isaiam loco citato de ea quidem, sed subobscure, nec omnino aperte locutum. Celsus porro ibidem idcirco ab illo castigatur, quod ad Psalmistam de Christi pulchritudine canentem : « Specie tua et pulchritudine tua intende, prospera, et regna [20]; » non satis attenderit, nec viderit venustam ac præstantem Christi formam, his duntaxat utilem, qui eam pro suo captu cernere potuissent. Unde concludit [21] : « Nec mirum est materiam suapte natura vertibilem, alterabilem, in quidquid conditori placet mutabilem, et cujuscunque qualitatis, quam ei voluerit suus opifex addere, capacem, modo talem habere qualitatem, juxta quam dicatur non habuisse speciem vel pulchritudinem; modo tam gloriosam, mirandam stupendamque, ut in faciem procederent spectatores tam excellentis pulchritudinis, dico tres illos apostolos qui una cum Jesu in montem ascenderunt. »

Opinio itaque Origenis fuit nihil in Novi Testamenti scriptis de Christi pulchritudine definitum : ex Antiqui autem Fœderis vaticiniis colligi posse vulgarem ejus formam fuisse abjectam et vilem; sed aliam tamen quamdam eximiam et pene ad miraculum pulchram et elegantem, quandoque ab eo assumptam; cum scilicet hoc ad aliquam hominum utilitatem conducere judicavit. Nec ea quidem sententia a superiori videtur multum discrepare.

Sed jam Tertullianum de Christi forma disserentem audiamus. Hanc autem ille minime honestam et liberalem fuisse adversus hæreticos, qui terrenum ejus corpus negabant, sic probat : « Verbis tantummodo et factis, doctrina et virtute sola Christum hominem obstupescebant. Notaretur etiam carnis in illo novitas, miraculo habita; sed carnis terrenæ non mira conditio : ipsa erat, quæ cætera ejus miranda faciebat, cum dicerent : Unde huic doctrina, et signa ista? Etiam despicientium

[18] Chrysost. hom. 28 in Matth. VIII, 18. [19] lib. VI contra Cels., pag. 504 et 505. [20] Psal. XLIV, 5. [21] ibid., pag. 505.

Digitized by Google

formam ejus hæc erat vox. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque prophetis de ignobili aspectu ejus, ipsæ passiones, ipsæque contumeliæ loquuntur; passiones quidem humanam carnem, contumeliæ vero inhonestam. An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, sputaminibus contaminare faciem, nisi mœrentem [22]? » Videsne quomodo Africanus ille scriptor non modo crediderit, sed probet etiam Christi corpus, non cœlestis, sed terrenæ, sicut corpora nostra fuisse substantiæ; ita ut in Christo nihil aliud homines mirarentur, nisi doctrinam, virtutem et miracula? Hoc autem illis admirationem idcirco movisse significat, quod vilem despicerent corporis ejus formam, nihilque in illo pulchrum, liberale et honestum cernerent.

Alio quoque in loco eamdem Christi deformitatem, ab ipso adhuc assertam, quidam existimant, ubi ille contra Judæos sic disputat: « Duos dicimus Christi habitus a prophetis demonstratos, totidem adventus ejus prænotasse. Unum in humilitate, utique primum, cum tanquam ovis ad victimam duci habebat, et tanquam agnus ante tondentem sine voce, sic non aperuit os suum; ne aspectu quidem honestus. Annuntiamus enim, inquit, de illo, sicut puerulus, sicut radix in terra sitienti, et non erat ei species, neque gloria; et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem: sed species ejus inhonorata, deficiens citra filios hominum, homo in plaga, sciens ferre infirmitatem; scilicet ut positus a Patre in lapidem offensionis, et minoratus ab eo modicum citra angelos, vermem se pronuntiat, et non hominem, ignominiam hominis et abjectionem populi. Quæ ignobilitatis argumenta primo adventui competunt, sicut sublimitatis secundo [23]. » Verum aliqui respondent Tertullianum ibi agere, vel de Christi silentio, quod ei vitio vertebatur, vel de illius facie, sanguine et inflictis ante mortem vulneribus plane deformi. Attamen cum ille priorem Christi adventum posteriori ibidem opponat, hinc alii contendunt ipsum de ea Christi forma, quam toto humanæ et mortalis suæ vitæ tempore præ se tulit, reipsa facere sermonem. Quod quidem inde firmari potest, quod ille paulo post addiderit: « Primus adventus, et plurimis figuris obscuratus, et omni inhonestate, » id est corporis deformitate, « prostratus canebatur; secundus vero, et manifestus, et Deo condignus [24]. » Unde et alibi de eodem Christo Domino: « Adultus non gestit agnosci, sed contumeliosus insuper sibi est [25]. » Quæ autem ea est contumelia, nisi abjecta, vilis et deformis illius figura et species?

Nunquid etiam de Christi corpore plagis tantum deturpato et cruci jam affigendo dixit idem Tertullianus? « Quodcunque illud corpusculum *Christi* sit, quoniam habitum, et quoniam conspectum fuit, si inglorius, si ignobilis, si inhonorabilis, meus erit Christus. Talis enim habitu et aspectu annuntiabatur. Adest rursum Isaias: Annuntiamus, inquit, coram ipso velut puerulus, velut radix in terra sitienti, et non est species ejus, neque gloria. » Neque hæc dixisse contentus, pergit adhuc, et ait: « Nam etsi tempestivus decore apud David supra filios hominum, sed in allegorico illo statu gratiæ spiritalis, cum accingitur ensem sermonis, qui vere species et decor, et gloria ipsius est, cæterum habitu incorporabili apud eumdem prophetam, vermis etiam, et non homo, ignominia hominis et nullificamen populi [26]. » Non aliam itaque in Christo agnoscit vir ille eruditus **38** pulchritudinem, nisi gratiæ spiritalis? Et certe, si qua oris atque corporis elegantia, si qua præstanti forma eum credidisset ornatum, non ad solius gratiæ spiritalis decus et gloriam priora Davidis verba traducere debebat.

Nec alia sane videtur fuisse Cyrilli Alexandrini, quam Tertulliani mens et opinio. Ubi enim ille hæc explicat Exodi de Moyse verba: « Videns eum elegantem [27], » ita ejusdem Moysis cum Christo Domino comparationem instituit: « Erat autem, inquit, puer elegans. Etenim speciosus forma præ filiis hominum et vocatus est, et est Christus. Hinc ita illum alibi compellat beatus David: « Accingere « gladio tuo super femur tuum, potens facie et « pulchritudine [28]. » Nemo enim dubitaverit quin pulchritudo de ea, quæ est in gloria, et natura deitatis omnia superantis; quandoquidem carnis gloriationes nemo ascripserit Christo, neque in gloriam ipsius censuerit. Absit hoc. Totum enim mysterium Incarnationis ipsius est exinanitio, et humiliatio, sicut scripsit de eo Isaias: « Et vidimus « ipsum, et non habebat speciem, neque pulchri- « tudinem: sed species ejus erat infra omnes fi- « lios hominum. » Nequaquam vero dicimus quod propheticus sermo nobis deitatis gloriationes exponat, sed potius persuadet nobis ut intelligamus ea, quæ carnis sunt, collata cum gloria deitatis, prorsus nullius esse momenti et pretii: Filius enim in specie apparuit admodum deformi. » Ἐν εἴδει γὰρ πέφηνεν ὁ Υἱὸς τῷ λίαν ἀκαλλεστάτῳ [29].

Audis sane quomodo Isaiæ verba a Cyrillo, quemadmodum a Clemente nostro, non ad prævia tantum mortis Christi, sed ad totius mortalis illius vitæ tempora referantur. Docet itaque Cyrillus Christum per totum humanæ ejus vitæ curriculum non modo non pulchrum fuisse, sed penitus deformem.

Dices fortasse illum de ea tantum disputare Christi forma, quæ etiamsi in se liberalis et pulchra esset, cum divinitate tamen composita, plane deformis censeri debuit: « Collata, inquit, cum gloria deitatis. » Quamobrem postea addidit: « Deus enim cum sit suapte natura, factus est homo. Infinitis enim et incomparabilibus differentiis minor est homo quam Deus. »

At attento perpendas velim animo hanc de Christi deformitate conclusionem non ex hac sola corporis Christi cum divinitate facta comparatione ab illo deduci; palam enim et aperte profitetur nullas « carnis gloriationes, » σαρκὸς αὐχήματα, Christo a quoquam ascribi posse; totum Incarnationis ipsius mysterium esse exinanitionem et humiliationem; uno verbo illum fuisse plane deformi specie et corpore.

Porro autem cum Cyrillo et aliis conspirasse et idem sensisse videtur Basilius. Ipsius enimvero hæc sunt in psalmum quadragesimum quartum verba: « Speciosum forma Dominum appellat, cum aciem mentis pressius intendisset in ejus divinitatem. Non carnis enim pulchritudinem laudat; nam scribitur: « Vidimus ipsum, et non habebat spe- « ciem, neque formam, sed ejus species ignomi- « niæ et decoris plena fuit. » Palam itaque est, quod propheta hac inspecta claritate Filii, et illinc resilientis splendoris irradiatione copiose circumfusus, animamque habens hac tanta pulchritudine perculsam atque perstrictam, ad divinum amorem spiritalis illius pulchritudinis promotus est, quæ ubi semel humanæ affulsit animæ, cætera omnia, quæ eatenus diligebantur, turpia esse conspiciuntur et rejectitia [30]. »

Huc quoque pene innumera congerere possemus veterum testimonia Patrum, qui eumdem Psalmographi locum non de corporea, sed de spiritali et

[22] Tertul. lib. De carn. Chr., pag. 9. [23] Tertul. lib. adv. Judæos, cap. 14. [24] ibid. [25] lib. De patient., cap. 3. [26] lib. III adv. Marcion., cap. 17. [27] Exod. II, 2. [28] Psal. XLIV, 4. [29] Cyril. lib. I Glaphyr. in Exod., cap. 1, pag. 250. [30] Basil. hom. in psal. XLIV, pag. 253.

Digitized by Google

divina Christi pulchritudine interpretati sunt. Sed quia id longioris et forsitan inutilis operæ esset, iis de quibus nulla lis nullumque dubium esse potest, hic describendis supersedendum duximus. At quorsum, amabo te, in hanc sententiam tanto consensu doctissimi illi homines ivere, nisi quia de corporea Christi pulchritudine nihil in sacris Scripturis plane certum et exploratum haberi existimabant? Et vero Origenem id apertissime profitentem jam audivimus.

Quæ cum ita sint, quis Clementi nostro id vitio vel errori vertere audeat, quod Christum nullo corporeæ formæ lepore, nullaque oris et vultus elegantia præstantem, imo vero indecorum et deformem dixerit? Utrum autem ex Ecclesiæ Patribus, quorum ad nos usque scripta pervenerunt, id ab eo omnium primo traditum fuerit in dubium haud immerito vocaveris. A nobis quippe alibi [31] demonstratum est Justinum martyrem, quem a nonnullis huic sententiæ ascriptum legimus, alio sensu posse explicari.

Cæterum Clemens Christum eo nomine pulchrum dici posse lubenter concedit, quod omnibus plane animi affectionibus et perturbationibus semper immunis, et quibuscunque perfectissimis virtutibus præditus cumulatusque fuerit. Sed de hac Christi pulchritudine in subsequenti dissertatione disputabimus.

ARTICULUS IV.

Verbum divinum neque corpus Christi, neque animam unquam descruisse, ac de ejusdem Christi tunica.

Non sine animadversione aliqua prætermitti illud debet quod Clemens de Verbo divino his verbis edixit : Ζῶν γὰρ ὁ Λόγος, καὶ συνταφεὶς Χριστῷ, συνυφοῦται Θεῷ. « Vivens enim Verbum, et una cum Christo sepultum, una cum Deo extollitur [32]. » Hervetus enim hanc non immerito putat fuisse Clementis nostri mentem : Verbum nunquam Christi corpus, ne in ipso quidem sepulcro deseruit. Quamvis autem cum eo fuerit sepultum, vivebat tamen, utpote quod vita sit. Quando vero Christus a morte ad vitam revocatus est, tunc Verbum simul cum Deo extollitur. Atqui si Verbum non dereliquit corpus Christi sepultum, ergo a fortiori neque ejus animam deseruit, postquam illa, relicto corpore, ad inferos descendisset. Verum de hoc Christi ad inferos descensu alius opportunior uberiorque dicendi locus dabitur.

Interim vero illud sane notatu dignum videtur, quod de Christi Domini tunica Clemens noster memoriæ commendavit. Ubi enim longiores et magnificas nimisque pretiosas vestes Christiano interdictas esse docet, ibi objectionem quæ ex talari Christi tunica peti poterat, sic diluit : « Quod si quis talarem, ποδήρη, Domini vestem adducit, variegata illa tunica, ὁ ποικιλανθὴς ἐκεῖνος χιτών, ostendit flores sapientiæ, variasque, et quæ non flaccescunt Scripturas, eloquia Domini, quæ veritatis splendoribus refulgent [33]. » Hæc autem Christi tunica ab eo χιτὼν appellatur. De eadem igitur loquitur, de qua a Joanne scriptum legimus : « Milites ergo acceperunt ἱμάτια αὐτοῦ καὶ τὸν χιτῶνα. ἦν δὲ χιτὼν ἄρραφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου : vestimenta ejus, et tunicam : erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum [34]. » At unde, quæso, Clemens accepit eam fuisse talarem et variegatam? Etenim si Joannis interpretibus credas, **39** nihil de Christi vestibus quidquam habemus comperti et explorati. Responderi tamen potest Clementem aliosque quosdam antiquos scriptores in eam adductos opinionem, tum quia sacerdotalem Aaronis tunicam fuisse tunicæ Christi typum, tum quia illam his Geneseos verbis : « Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum [35], » prænuntiatam existimaverunt. Huic autem illorum conjecturæ mirum in modum favere putant Chaldaicam hujus loci paraphrasim : « Purpura optima erit vestimentum illius, operimentum ejus erit sericum, tinctum coccino variisque coloribus. » At Clementem nostrum ad hanc paraphrasim respexisse tam parum probabile nobis videtur, quam certum esse credimus illum vel his, quæ retulimus, argumentis, vel aliis non minus verosimilibus, ac fortasse antiqua Ecclesiæ sua traditione ad hanc de Christi tunica sententiam accessisse. Porro autem si ob citata Geneseos verba eam amplexus est, non dissimulabimus paucos admodum, qui ei postea subscripserunt, inveniri. Nam plerique hæc de Christo patiente, vel de ejus Ecclesia interpretati sunt.

CAPUT V.

De quibusdam Ecclesiæ sacramentis.

ARTICULUS I.

De vario baptismi nomine et effectu, de discrimine inter peccati et pœnæ peccato debitæ remissionem, quæ peccatorum pœnæ baptismo dimissæ, quomodo peccata in eo deleta, num præmitti debeat catechesis, fides, et peccatorum pœnitentia. Utrum Clemens de lacte et melle post baptismum dari solito loquatur, ac de discipulorum nomine.

Quæ fuerit Clementis nostri de baptismatis sacramento mens et sententia, liquido intelligimus ex variis illius cum nominibus, tum effectibus, quæ ab ipso recensentur et explicantur. « Tincti, inquit, illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. « Ego, inquit, dixi, dii estis et filii Excelsi omnes [36]. » Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum, et lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur; illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam id quod divinum est perspicimus; perfectum autem dicimus, cui nihil deest [37]. » Græca quatuor baptismatis nomina ibi memorat Clemens, nimirum χάρισμα, donum seu gratia, φώτισμα, illuminatio, τέλειον, perfectum, et λουτρόν, lavacrum. Hæc autem refert, non ut a se primum excogitata, sed pervulgata, et suo tempore apud Christianos usu recepta communi. Vides itaque quam antiquæ, quamque honorificæ sint hujus primi Christianæ religionis sacramenti appellationes, ac proinde quanto in honore ab ipso Ecclesiæ ortu omnes Christianam fidem profitentes, illud habuerint. De baptismi autem nominibus, quorum frequens apud veteres Ecclesiæ Patres mentio, et de quibus deinceps nobis non semel dicendum erit, si plura interim scire velis, adi Josephum Vicecomitem lib. I *De antiquis bapt. rit.*, cap. 3; Estium in IV *Sent.*, dist. 3, § 1, et alios.

[31] Appar. lib. II, dissert. 2, cap. 7, § 9. [32] Admon. pag. 16. [33] lib. II Pædag., cap. 10, pag. 203. [34] Joan. XIX, 33. [35] Gen. XLIX, 11. [36] Psal. LXXXI, 6. [37] Pædag. lib. I, cap. 6, pag. 93.

Digitized by Google

Quot porro baptismatis nomina, tot Clemens ostendit mirabiles esse illius effectus. In his autem id potissimum observes velim, quod ipse ait hoc sacramento non solum peccata, sed peccatorum etiam pœnas remitti : « Gratia, χάρισμα, inquit, vocatur, ᾧ τὰ ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν ἐπιτίμια ἀνεῖται· qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur. »

Discrimen igitur aliquod inter peccati et pœnæ peccato debitæ ac solutionem constituit. Utrum autem inde colligi possit eum putasse in alio quodam sacramento peccatum, non autem debitam illius pœnam, aliquando condonari, certo non audemus affirmare. De solo etenim baptismate cum disputet, quid in aliis sacramentis fiat, ibi non edisserit.

Quæ autem sint illæ peccatorum pœnæ, si roges, non plane difficilis est responsio. Non alias enimvero videtur pœnas ille indicare, quam eas quæ olim pœnitentia publica solvebantur. Priscis siquidem illis temporibus, atque etiam deinceps hujusmodi pœnitentia a nemine ante baptismum agebatur, sed ab iis tantum, qui post susceptum illud sacramentum in canonica, ut aiebant, peccata prolapsi fuerant.

Quo autem modo sacris baptismi undis peccata abluerentur, sic Clemens exponit : « Hæc autem vincula quam celerrime remittuntur, humana quidem fide, divina vero gratia, cum nimirum remittuntur peccata uno medicamento Pæonio, nempe rationali baptismo. Omnia ergo peccata eluimus, et e vestigio mali non sumus amplius [38]. » Primum itaque dicit : « humana fide, » πίστει μὲν ἀνθρωπίνῃ, qua scilicet homo, divinis Christianæ religionis documentis imbutus, iis tanquam omnino certis et indubitatis credebat.

Hac porro Christianæ fidei doctrina homo, ut Clemens ait, informatur catechesibus, id est variis sermonibus, qui apud ejusdem Christianæ professionis candidatos tum haberi solebant. « Catechesis, inquit, seu quæ per auditum suscipitur, institutio, ad fidem deducit; fides autem simul cum baptismo docetur a divino Spiritu [39]. » Ultima hæc auctoris nostri verba notatu plane digna sunt. Tametsi enim prius peccata « fide humana » dimitti dixisset, nunc tamen docet hanc fidem simul cum baptismo a divino Spiritu doceri. Et recte quidem, ne quis ab illo solam fidem humanam ad percipiendam baptismatis gratiam desiderari suspicaretur. Censuit itaque humanam fidem, qua nimirum humano more religionis nostræ mysteriis imbuimur, baptismati quidem debere præmitti; sed ita tamen, ut dum sacra illius abluimur aqua, aliam plane divinam, et ut theologi aiunt, supernaturalem nobis Spiritus sanctus infundat.

Præter hanc vero fidem Clemens ab eo, qui baptismate initiandus est, adhuc exigit : ut vero et sincero peccatorum suorum dolore ita afficiatur eaque detestetur, ut firmum ac tenacissimum in ipsa nunquam amplius postea recidendi propositum habeat : « Nos quoque, inquit, nostrorum peccatorum moti pœnitentia, ipsorum detrimentis renuntiantes, baptismo percolati, ad æternam quoque lucem recurrimus, filii ad patrem [40]. »

Tria itaque baptismo debent, Clemente nostro auctore, præmitti. Primum homo, qui Christianam fidem vult profiteri, sacris illius documentis, quæ tum catechesibus docebantur, informari debet. Deinde traditæ doctrinæ sincera et firma habenda est ab eo fides. Denique omnium vitæ peccatorum pœniteat oportet; atque idcirco illa defleat, ejuret et detestetur.

Qui autem iis conditionibus baptismo initiatur, is perfectus est; non ea tamen ac tanta perfectione, qua beati post resurrectionem summe cumulati sunt; sed 40 ea tanta, quanta in hoc mundo expleri potest : « Quatenus, inquit, fieri potest in hoc mundo..... nos perfectos esse credimus [41]. »

Quod porro de catechesi a Clemente scriptum diximus, id certe nobis illud temporis spatium haud prorsus obscure indicat, quo Christianæ religionis candidati, in catechumenorum ascripti numerum, publicas quæ apud eos Alexandriæ ab ipsomet Clemente nostro haberi solebant, conciones audire tenebantur. De his autem Eusebius, ut alibi adnotavimus [42], hunc scribit in modum : « Per idem tempus Clemens, qui Pantæno successerat, apud Alexandriam catechumenorum institutioni adhuc præerat, adeo ut auditor ejus etiam tum puer fuerit Origenes [43]. »

Putat Hervetus Clementem nostrum his, quæ postea leguntur, verbis : « Apte etiam et apposite lac melle miscetur [44]; » ad eum alludere antiquissimum Ecclesiæ morem, quo iis, qui ex baptismi lavacro exierant, mel et lac gustandum præberi consueverat. Sed dissimulare non possumus nihil inde, quod ad hunc ritum spectet, posse colligi. Prius siquidem de aquæ frigidæ, ac posterius de vini dulcis, non secus ac de mellis cum lacte mistione dixerat : « Qui itaque in prædicto lacte frigidæ aquæ panem exsorbent, statim juvantur. » Postea vero : « Porro autem miscetur quoque lac vino dulci, est autem inutilis mistio [45]. » Nulla porro ratione conficies illum his verbis, potius quam aliis, ad baptismi ritus collineavisse.

Non inficias tamen ibimus ibidem a Clemente Verbi divini et baptismatis cum lactis et aquæ mistione fieri comparationem. Sed nihil, quod ad varios baptismi ritus et ceremonias pertineat, inde concludi potest.

Ad eumdem vero baptismum id magis spectare videtur, quod nos qui « prius, inquit, rudes et ignari eramus, protinus vocamur discipuli [46]. » Quid enim, quæso, his verbis aliud Clemens significare voluit, nisi Christianos statim post baptisma discipulos vocari? Quidam tamen eos, cum adhuc catechumeni erant et ante baptismatis sacramentum, eo nomine appellatos fuisse tradiderunt. Quid autem, si hæc appellatio adhuc impropria et anticipata dicatur? Sed illud tanti non est momenti, quod nos diutius detinere debeat.

ARTICULUS II.

Orthodoxa Clementis de eucharistiæ sacramento doctrina explicatur.

Orthodoxum catholicæ Ecclesiæ de divino eucharistiæ sacramento dogma, quo sub panis et vini speciebus verum esse Christi corpus et sanguinem definitur, ea claritate et evidentia Clemens noster exposuit, ut nullis unquam hæreticorum hominum tenebris involvi, nullis eorum argutiis et cavillationibus obscurari et labefactari unquam potuerit. Audi enim quo ille modo ex hac plane certa et minime dubia assertione Verbum infanti, id est Christiano homini, esse omnia, et patrem, et matrem, et pædagogum, et altorem demonstret : « Verbum est omnia infanti et pater et mater et pædagogus, et altor. Comedite, inquit, meam carnem, et bibite meum sanguinem. Hæc apposita et convenientia alimenta nobis suppeditat Dominus, et carnem præbet, et effundit sanguinem et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Ὦ τοῦ παραδόξου μυστηρίου! Veterem et carnalem nos jubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum, alterius novæ Christi diætæ effectos participes, illum, si fieri potest, recipientes, in nobis ipsis reponere, et Servatorem in-

[38] Pædag. lib. I, cap. 6, pag. 95. [39] ibid. [40] ibid., pag. 96. [41] ibid., pag. 94. [42] lib. II Appar., dissert. 1, cap. 10, § 2. [43] Euseb. lib. VI Hist., c. 6. [44] Pædag. lib. I, cap. 6, pag. 107. [45] ibid., pag. 106 et 107. [46] ibid., pag. 95.

Digitized by Google

tra pectus comprehendere, ἐκεῖνον, εἰ δυνατὸν, ἀναλαμβάνοντας ἐν ἑαυτοῖς ἀποτίθεσθαι, καὶ τὸν Σωτῆρα ἐνστερνίσασθαι· ut carnis nostræ affectiones integras perfectasque reddamus [47]. » Audisne quam clare et aperte doceat Clemens Christianos in eucharistiæ sacramento veram Christi carnem manducare, verumque bibere ejus sanguinem, ac iis ut appositis et plane convenientibus alimentis foveri, nutriri, veraque animæ suæ capere incrementa?

Audisne quam disertis ille verbis asseveret Christianos ibi Christum recipere, in seipsis reponere, ac intra pectus intimaque præcordia suum comprehendere servatorem?

Audisne tandem eucharistiam non alia ratione ab illo tanta admirationis exclamatione, « mirabile mysterium » appellari; nisi quia panis et vinum in Christi corpus et sanguinem mirabili prorsus modo convertuntur? Quid enim, amabo te, in hoc sacramento admirationem nostram posset movere, si sola esset ibi corporis et sanguinis Christi figura, typus et imago?

Nugatur itaque Albertinus, qui nulla fretus ratione, Clementem nostrum ibi de sola corporis Christi spirituali manducatione disputare frigide respondet [48]. Cur enim, obsecro, nec ullam ibi responsionis suæ affert vel minimam probationem, nec quo modo illa ex Clementis nostri verbis elici possit, curat ostendere? Cur, quæso, in aliis ejusdem auctoris nostri locis explanandis, et ad erroneos se ctæ suæ sensus perperam trahendis, tantam impendit operam? Nunquid illa spiritualis manducatio ibi a Clemente nostro ita exprimitur, ut evidentissime perspiciant omnes inde veram corporis et sanguinis Christi præsentiam penitus excludi? Nemo certe homo id unquam dixerit. Quis enim ex his, quæ diximus, non videt Clementem loqui de admirabili et mysterio et sacramento, in quo verum Christi corpus excipitur a Christianis et intra eorum pectus reapse comprehenditur?

Quid vero, quod ea, quibus ille ad assertionis suæ probationem utitur, Joannis verba : « Comedite carnem meam [49], » hoc rursum invictissime persuadent? Extra omnem enimvero controversiam, et ab heterodoxis etiam omnibus confessum est, Clementem aliosque scriptores credidisse in eucharistia aut vere, aut typice Christi esse corpus; eosque vel naturali, vel allegorico, vel utroque sensu citata Joannis verba fuisse interpretatos. Atqui non minus certum est ea hic utraque cum spirituali et allegorica, tum litterali et nativa significatione, ab eodem Clemente explicari. Nam postea subjunxit: « At non vis sic intelligere, sed fortasse communius. Hoc quoque modo audias. Carnem nobis allegorice sanctus significat Spiritus; ab ipso enim caro fabricata est. Sanguis Verbum nobis designat [50], » etc.

Nullus itaque heterodoxus homo ex hac posteriori allegorica explicatione inferat Clementem docuisse in eucharistia non vere et actu, sed tantum typice et in figura esse Christi corpus. Inter catholicorum quippe et hæreticorum opinionem id discriminis intercedit, quod hi verba Joannis allegorice tantummodo et mystice, illi autem utroque cum allegorico, tum naturali sensu interpretentur. Qui autem hoc duplici sensu, in quo sane nulla prorsus repugnantia est, ea verba sicuti Clemens accipit, is verum in eucharistia 41 Christi corpus et sanguinem exsistere fateatur, omnino necesse est.

Nihil itaque ii proficient, qui alia Joannis verba: « Panis, quem ego dabo, caro mea est [51], » a Clemente nostro spiritali sensu paulo post explicata, nobis rursum objectabunt. Nam illa expositio aliam litteralem et nativam, minime, uti vidimus, excludit. Quis enim nesciat eumdem Scripturæ locum posse variis interpretationibus, naturali, allegorica et morali explicari? Itaque ut Clemens aliique Ecclesiæ Patres veram corporis Christi in eucharistia præsentiam asseruisse merito dicantur, sufficit ut Joannis aliorumque evangelistarum de hoc mirabili sacramento loca et verba litterali nativoque sensu ab iis aliquando explicata fuerint.

Sed jam ad alia, ubi Clemens noster idem catholicæ fidei documentum tradidit et propugnavit, loca veniamus. In secundo *Pædagogi* sui libro, etsi divinum illud eucharistiæ sacramentum obiter attingat, haud obscure tamen docet verum esse in illo Christi sanguinem. Probandum quippe ibi aggressus sobrium et necessarium sitienti Christiano potum esse aquam, ac ei languenti vel infirmo usum vini, sed modici, et aqua semper delibuti concessum; illud utique manifestum inde facit, quod tantummodo aqua Hebræis in deserto errantibus primum a Deo subministrata est. Deinde vero post immensos labores exantlatos Deus eis botrum, qui sanguinis Christi figura erat, suppeditavit. Tum continuo Clemens : Διττὸν ὢν τὸ αἷμα τοῦ Κυρίου· τὸ μὲν γάρ ἐστιν αὐτοῦ σαρκικόν, ᾧ τῆς φθορᾶς λελυτρώμεθα· τὸ δὲ πνευματικόν, τοῦτ' ἔστιν ᾧ χεχρίσμεθα. Καὶ τοῦτ' ἔστι πιεῖν τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ, τῆς κυριακῆς μεταλαβεῖν ἀφθαρσίας. Ἰσχὺς δὲ τοῦ Λόγου τὸ πνεῦμα, ὡς αἷμα σαρκός. Ἀναλόγως τοίνυν κίρναται ὁ μὲν οἶνος τῷ ὕδατι, τῷ δὲ ἀνθρώπῳ τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ μὲν εἰς πίστιν εὐωχεῖ τὸ κρᾶμα, τὸ δὲ εἰς ἀφθαρσίαν ὁδηγεῖ τὸ πνεῦμα. Ἡ δὲ ἀμφοῖν αὖθις κρᾶσις, ποτοῦ τε καὶ Λόγου εὐχαριστία κέκληται, χάρις ἐπαινουμένη, καὶ καλή, ἧς οἱ κατὰ πίστιν μεταλαμβάνοντες ἁγιάζονται καὶ σῶμα καὶ ψυχήν· τὸ θεῖον κρᾶμα τὸν ἄνθρωπον τοῦ πατρικοῦ βουλήματος πνεύματι καὶ Λόγῳ συγκίρναντος μυστικῶς· καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς μὲν τὸ πνεῦμα ὡκείωται τῇ ἀπ' αὐτοῦ φερομένῃ ψυχῇ, ἡ δὲ σὰρξ τῷ Λόγῳ δι' ἣν ὁ Λόγος γέγονε σάρξ. « Duplex est autem sanguis Christi Domini : alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu; alter vero spiritualis, quo scilicet uncti sumus; et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. Verbi autem virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis. Apta itaque proportione, et convenientia vinum quidem aquæ, homini vero spiritus admiscetur. Ac temperatum quidem vinum ad fidem convivio excipit; spiritus autem deducit ad incorruptionem. Amborum autem temperatura, potus scilicet et Verbi, dicitur eucharistia, quæ et laudatur, et bona est gratia, cujus qui per fidem sunt participes, sanctificantur corpore et anima, cum divinum temperamentum, hominem, scilicet divina voluntas spiritu et Verbo mystice contemperaverit. Etenim vere quidem spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, conjungitur, et familiaris efficitur; caro autem Verbo, propter quam Verbum caro factum est [52]. »

Duplicem his verbis Clemens, uti olim observabat Perronius [53], docet esse Christi sanguinem: unum carnalem, qui in cruce propter hominum salutem effusus, omnibus humani sanguinis conditionibus et infirmitatibus subjectus fuit; alterum spiritualem, quem etiamsi sub sensus nostros non cadat, nullique sanguinis nostri immutationi sit obnoxius, in eucharistiæ tamen sacramento revera sumitur et bibitur. Eo autem Clemens dicit nos ungi: « Quo, inquit, uncti sumus, » id est, ut ait, et aliis Patrum testimoniis Perronius confirmat, quem reipsa bibimus; ut hac ænigmatica loquendi ratione ad

[47] Pædag. lib. I, cap. 8, pag. 102. [48] Albert. lib. II De sacram. euchar., pag. 314. [49] Joan. VI, 54, 55. [50] Albert. loc. cit. [51] Joan. VI, 52. [52] Pædag. lib. II, cap. 2, pag. 151. [53] Perron. lib. II De euchar. auct. 5, pag. 209.

Digitized by Google

Hebræorum postes, sanguine agni paschalis, qui eucharistiæ typus erat, illitos alluderet. Quapropter continenter ille ipse subnectit: « Et hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. »

Et vero Clementem de sanguine et corpore Christi non solum spirituali modo, sed actu et reipsa sumendo esse locutum, ex postremis ejus verbis evidentissime colligimus: « Etenim, inquit, vere spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, conjungitur et familiaris efficitur; caro autem Verbo, propter quam Verbum caro factum est. »

At quomodo caro hominis in eucharistia carni Christi, quemadmodum spiritus illius animæ conjungi potest, nisi corpus Christi reapse in eucharistia ab homine manducetur?

Albertinus tamen contra Perronii sententiam magnis insurgit animis, eamque cum Scriptura et Patribus, atque etiam cum ipsomet Clemente pugnare pertinaciter contendit. At quibus putas argumentis? Certe tam levibus et infirmis, ut nemini ea animo parumper attento expendenti ullam possint creare difficultatem. Primum quippe hanc Perronii explicationem Scripturæ contrariam esse ait; utpote quam his Matthæi verbis: « Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum [84]; » quibus solam sacramentalem seu typicam sanguinis Christi participationem designari perperam somniavit, penitus adversari arbitretur. Quid enim, quæso, hac argumentatione imbecillius, quæ mera, ut aiunt, principii petitio est? In opinionis siquidem suæ probationem illud Albertinus adducit, de quo quæstio ipsum inter et catholicos movetur; utrum scilicet Clemens ea Matthæi verba litterali aut allegorico sensu intelligenda esse existimaverit. Quapropter Albertino prius probandum erat illa a Clemente metaphorice tantum explicari, ut inde concludere posset iis repugnare allatam a Perronio verborum ejus expositionem. Sed id nec ulla plane ratione probat, nec de eo probando unquam cogitavit.

Non majoris autem sunt ponderis, imo contra ipsummet Albertinum faciunt pauca quædam quæ refert Patrum testimonia. Nam iis iidem Ecclesiæ Patres docent nos Christi manducare carnem, quæ post illius mortem apta ad comedendum effecta est. At quid hoc, oro te, prohibet quin eadem Christi caro in eucharistia sit eo ad comedendum aptior, quo illa minus sub hominis cadit aspectum?

Albertinus tamen ea, quam solam affert, ratione sententiam Perronii rejiciendam esse censet, quod hunc credat esse Clementis sensum: Nos Christi sanguine ungi, illumque nos bibere, cum spirituali virtute reddimur illius participes. Etenim hoc tantum sensu, uti ille putat, vult Clemens sanguinem Christi nobis misceri, quo dicimur ad incorruptionem deduci. Atqui id aliter, quam spirituali sanguinis Christi virtute fieri non potest. Quod quidem his stabilire et confirmare conatur ejusdem auctoris nostri verbis: « Hoc est bibere Jesu sanguinem, esse participem incorruptionis Domini. »

Verum frustra Albertinus aliique ejusdem sectæ homines hoc vano futilique effugio ac sophismate 42 infinita propemodum argumenta, ex invictissimis clarissimisque Patrum testimoniis petita, se declinare posse opinantur. Non enim diffitentur orthodoxi Clementem pluresque alios Ecclesiæ Patres tradidisse spiritualem in eucharistiæ sacramento esse corporis et sanguinis Christi virtutem, quæ nos incorruptionis et gratiæ aliorumve donorum participes faciat; sed contendunt eosdem præterea docuisse illam ab ipsomet corpore et sanguine Christi, sub panis et vini speciebus reipsa existente, non esse separatam. Quid autem contra hanc, de qua sola quæstio est, Clementis sententiam et assertionem in medium protulit Albertinus? Nihil plane. Et vero quid contra mutire potuisset, cum illud a Clemente nostro ibidem apertissime definitum viderimus: « Etenim vere quidem spiritus animæ, quæ ab ipso fertur, conjungitur et familiaris efficitur; caro autem Verbo, propter quam Verbum caro factum est? »

Sed agedum, sequamur Clementem, et quid rursum in eodem capite de eodem mysterio dixerit, auscultemus: Πῶς οἴεσθε, πεπωκέναι τὸν Κύριον, ὁπηνίκα δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος ἐγένετο; Οὕτως ἀναισχύντως ὡς ἡμεῖς; Οὐχὶ ἀστείως, οὐχὶ κοσμίως; Οὐκ ἐπιλελογισμένως; Εὖ γάρ, ἴστε, μετέλαβεν οἴνου καὶ αὐτός. Καὶ γὰρ ἄνθρωπος καὶ αὐτός· καὶ εὐλόγησέ τε τὸν οἶνον, εἰπών· « Λάβετε, πίετε, τοῦτό μου ἐστὶν τὸ αἷμα, » αἷμα τῆς ἀμπέλου. Τὸν Λόγον, τὸν περὶ πολλῶν ἐκχεόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εὐφροσύνης ἅγιον ἀλληγορεῖ νᾶμα. Καὶ ὅτι μὲν σωφρονεῖν τὸν πίνοντα δεῖ, δι' ὧν ἐδίδασκε παρὰ τὰς εὐωχίας ἔδειξε σαφῶς· οὐ γὰρ μεθύων ἐδίδασκεν. Ὅτι δὲ οἶνος ἦν τὸ εὐλογηθὲν ἀπέδειξε πάλιν, πρὸς τοὺς μαθητὰς λέγων· « Οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου ταύτης μέχρις ἂν πίω αὐτὸ μεθ' ὑμῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Πατρός μου. » Ἀλλ' ὅτι τε οἶνος ἦν τὸ πινόμενον πρὸς τοῦ Κυρίου, πάλιν αὐτὸς περὶ ἑαυτοῦ λέγει, τὴν Ἰουδαίων ἐπονειδίζων σκληροκαρδίαν· « Ἦλθεν γάρ, φησίν, ὁ Υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ λέγουσιν· Ἰδοὺ ἄνθρωπος φάγος καὶ οἰνοπότης, τελωνῶν φίλος. » Τοῦτ' μὲν ἡμῖν καὶ πρὸς τοὺς Ἐγκρατητὰς καλουμένους παραπεπήχθω. « Quomodo Dominum bibisse existimatis, quando propter nos homo factus est? Adeone impudenter, ut nos? Annon honeste et temperate? Annon considerate? Certo enim scitote, ipse quoque vino usus est. Nam ipse quoque homo erat, et vinum benedixit, cum dixit: « Accipite, bibite, hic est sanguis meus, » sanguis vitis [85]. Verbum enim, quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum, sanctum lætitiæ fluentum allegorice significat. Et quod sobrium quidem ac moderatum esse oportet eum, qui bibit, per ea quæ in conviviis docuit, aperte ostendit; neque enim ebrius docuit. Quod autem vinum esset, id quod benedictum est, ostendit rursus dicens discipulis: « Non bibam ex fructu vitis « hujus, donec bibam ipsum vobiscum in regno « Patris mei [86]. » Cæterum quod vinum quidem esset, quod bibebatur a Domino, rursus ipse de seipso dicit, Judæorum cordis duritiem exprobrans: « Venit enim, inquit, Filius hominis, et dicunt: Ecce « homo vorax, et potator vini, publicanorum amici « cus [87]. » Hæc quidem nobis firma et fixa sint adversus eos qui dicuntur Encratitæ [88]. » Hunc Clementis nostri locum, etsi longior videri possit, integrum repræsentavimus, tum quia quædam ibi ordine inverso posita, non facile, nisi attento animo perpendantur, intelligi possunt; tum maxime quia heterodoxi homines ea, quam augere conantur, scriptoribus non penitus inusitata recti ordinis perturbatione, tanquam certo ac tuto erroris sui perfugio et præsidio utuntur. Quapropter ut illud obstinatis hominibus prorsus obstruatur, quæ mens, quis sensus auctoris nostri fuerit, perspicue aperiendum est. Tria autem ibi excutienda proponit, eaque totidem probat argumentis. Prima itaque ejus propositio est Christianos in potu sobrios esse debere. Quod quidem eximio Christi Domini, quem ait sobrium fuisse atque in potu modestum et temperantem, exemplo ita ille ostendit: « Et quod sobrium quidem ac moderatum esse oportet eum qui bibit, per ea, quæ Christus in conviviis docuit, aperte ostendit; neque enim ebrius docuit. » Quam-

[84] Matth. xxvi, 28. [85] Matth. xxvi, 28; Marc. xiv, 24. [86] Ibid. [87] Matth. xi, 19. [88] Pædag. lib. I, cap. 2, p. 158.

Digitized by Google

vis autem hæc ad id, quod probandum aggrediebatur, omnino sufficerent, data tamen occasione, ut Encratitas vinum ex se malum esse garrientes efficacius refelleret, duo alia adversus hunc errorem demonstranda suscipit.

Secunda igitur ejus propositio est, Christum sæpius, dum viveret, vinum bibisse; tertia vero, vinum ab eo in ultima cœna benedictum. Sed hanc posteriorem primum his probat Christi verbis: « Non bibam ex fructu vitis hujus, donec bibero ipsum in regno Patris mei. » Deinde ordine parumper immutato, secundam propositionem hinc ipse probat, quod Christus homo vorax et potator vini apud Judæos audierit.

Hæc autem si recte distinxeris, facillime intelliges Clementem de eucharistia nihil aliud ibi tradere, quam ea quæ tertia propositione complexus, orthodoxo Ecclesiæ dogmati plane convenientia penitusque consentanea sunt.

Nihil ergo quod ad errores suos vel minimum conducat, inde possunt expiscari Calvinianæ sectæ addicti homines; nisi illa omnia, quæ satis aperte Clemens distinxit, mira ac omnino præpostera confusione perturbent. Egregium enimvero ac multiplex in rem suam argumentum ex his Clementis nostri verbis se habere putat Albertinus. Sed apertam doctissimi auctoris nostri mentem quantum pervertat, si tantisper animadvertas, vanas ejus cavillationes illico dissolves ac dissipabis. Nobis etenim ille objicit Clementem ibi non solum docere Christum in eucharistia vinum et benedixisse et bibisse; sed hæc ipsamet etiam Christi verba: « Hic est sanguis meus, » allegorico sensu interpretari. At si ab illo scisciteris unde id probare possit, nullum aliud tibi proferet opinionis suæ argumentum; nisi Clementem, ubi alia hæc citavit Christi verba: « Non bibam ex fructu vitis hujus, » nihil per fructum vitis intellexisse aliud quam vinum a Christo in eucharistia potatum. Verum ex superius allatis et in suum locum restitutis Clementis cum propositionibus tum probationibus, nulli, uti putamus, obscurum amplius esse potest hæc Christi verba a Clemente non ideo citari, ut probaret Christum in eucharistia vinum bibisse, sed ut illud contra Encratitas ab eo benedictum atque idcirco natura sua bonum esse convinceret.

Instat tamen Albertinus ibi Clementis scopum non esse, ut data opera Encratitas refellat, quandoquidem nihil plane adversus eos protulit, quam id quod ab illo obiter et corollarii instar ad hujus loci finem adjectum est. Esto; quid inde? Nonne satis est ut Clemens, orta, uti diximus, occasione, Encratitas confutando, contra eorum hæresim vinum in eucharistia a Christo benedictum demonstret; quo inde nihil prorsus contra nostram de eucharistiæ sacramento sententiam ab illo assertum invictissime concludamus?

Frustra vero et perperam instat Albertinus Clementem 43 non aliunde quam ex eucharistia probare vinum a Christo potatum. Ex his enimvero, quæ jam retulimus, cuilibet sincero et cordato homini perspicuum esse debet, illud a Clemente, non ex allatis ab eodem Albertino verbis colligi, sed quia Judæi Christo vini exprobrabant potationem.

Verumtamen insurgit adhuc Albertinus et clamat Christum in eucharistia vinum bibisse hoc Clementis confici argumento: « Certo scitote, ipse quoque vino usus est. » At nihil profecto a veritate magis alienum fingi unquam poterat. Clemens siquidem nihil plane his verbis probandum aggreditur, sed generalem tantummodo proponit thesim, quam postea peculiari, uti observatum est, ratione comprobavit.

His, tametsi validissimis, rationum momentis nondum plane victus Albertinus urget et ait: Clemens, cum illud Christi effatum refert: « Non bibam de fructu vitis hujus, » non obscure innuit Christum idem benedixisse vinum, quod post benedictionem biberat. Nonne enim, arguit ille, ea verba Christum in ultima cœna, ac proinde in eucharistia vinum bibisse significant? Sed leve illud et iners Albertini telum jam retudimus. Nihil quippe Clemens his verbis amplius probare voluit, quam factam a Christo vini benedictionem. Fas autem nulli unquam fuit ex claris et perspicuis cujuslibet scriptoris verbis inferre eum plura probasse quam probare voluerit. Secus enim ex auctorum sermonibus et argumentis infinitæ et sæpe sæpius absurdissimæ elici possent conclusiones, quas in mentem ipsis nunquam venisse certissimum est.

Age vero; quid prohibet quominus citatis Christi verbis Clemens probaverit vinum ab ipso fuisse benedictum, quod ipsemet Christus in suum sanguinem post consecrationem, ut theologi loquuntur, mutatum, et adhuc vini formam et speciem conservans biberit?

At porro ultra adhuc progrediamur, et cum Albertino liberalius agentes, ipsi demus, quod tantopere cupit, Clementem dixisse Christum in eucharistia bibisse vinum. Quid, quæso, inde proficiet? Nihil sane. Tametsi enim id concedatur, adhuc nihilominus postea inquirendum erit, quid Clemens « vini » nomine, an ejus substantiam, vel remanentes apparentias intellexerit. Cum vero aliunde nobis constet Clementi fuisse omnino persuasum in eucharistiæ sacramento panem et vinum in Christi corpus et sanguinem mutari, nihilque eum huic sententiæ quidquam contrarium, vel repugnans scriptis tradidisse; quid aliud restat, nisi ut eumdem Clementem illo vini nomine solam vini speciem et apparentiam intellexisse constanter dicamus?

Non amplius itaque audiendus est Albertinus, qui eamdem cantilenam sæpius nobis insusurrans, ait Clementi sanguinem vitis illum esse, de quo Christus dixit: « Hic est sanguis meus. » Atqui sanguis vitis est vinum. Ergo, concludit Albertinus, vinum juxta Clementis opinionem est sanguis Christi, non quidem verus ac per venas in omne corpus reipsa diffusus, sed typicus et imagine tenus ac figura.

Verum quam frivola et nugatoria sit hæc argumentatio, jam a nobis demonstratum est. Ut inde enim aliquid conficiatur, prius Albertino, sicuti diximus, probandum erat illa Christi verba: « Hic est sanguis meus, fructus vitis, » a Clemente nunquam alio quam allegorico sensu accipi. At ille nec id probat, nec probare unquam potuit. Quinimo ea vero et litterali sensu ab illo fuisse explicata plane convicimus.

Postremo nobis adhuc regerit Albertinus a Clemente nostro ibidem aperte prædicari « fructum vitis » in eo Christi pronuntiato allegorice significare Verbum pro multis effusum, id est, ut ait Albertinus, mysticum Verbi sanguinem pro multis in remissionem peccatorum effusum fuisse. Sed ibi Albertinus solito et ad nauseam repetito sophismate perperam abutitur. Nunquid enim allegorica quorumdam Scripturæ verborum interpretatio litteralem illorum sensum excludit? Quis nescit multiplicem esse Scripturæ sensum, nec unum, uti jam a nobis observatum est, unquam ab alio extrudi? Clemens igitur, tametsi Christi effatum allegorice interpretaretur, non negat tamen illud et litterali et nativo sensu posse ac debere intelligi. Nihil ergo egit Albertinus, nihil etiam aget quilibet Calvinista, nisi clare nobis ostendat Clementem eo mystico et allegorico sensu ita semper explicuisse Christi verba, ut illa nunquam litterali significatione explicari posse vel semel alicubi tradiderit. Sed id nullus, uti jam sæpius dictum est, probavit unquam, aut deinceps probaturus est. Denique nemini

Digitized by Google

sane inexpertum plures ex iis, quos etiam Calvinistæ de substantiali panis et vini in corpus et sanguinem Christi conversione plane persuasos fuisse concedunt, multas agnovisse panis et vini, ac variarum utriusque qualitatum mysticas significationes. Quid igitur vetat quominus Clemens aliquas similiter agnoverit, indicaverit, probaverit?

Certum est igitur nihil prorsus ex Clementis nostri verbis colligi posse, quod sanæ et orthodoxæ de eucharistiæ sacramento definitioni adversetur, imo vero quod ipsi non sit omnino consentaneum. At si omnia, quæ hactenus exhibita sunt, illius de eodem eucharistiæ sacramento testimonia secum sedulo componantur, quisque falsis quibusdam præjudiciis non omnino obcæcatus evidentissime perspiciet, veram et catholicam de hoc mirabili sacramento doctrinam a Clemente nostro, in his præsertim libris, ubi de eo non ex professo, sed obiter tantum disputat, non potuisse clarius asseri et explicari.

ARTICULUS III.

De sacris ordinationibus, et presbyterorum episcoporumque ordinis differentia, de presbyterorum benedictione, ac de sancto matrimonii usu.

Omnibus illud sedulo animadvertendum, quod de variis Ecclesiæ ministris, quibus varia in sacræ Scripturæ libris pro suo quoque statu dantur præcepta, Clemens memoriæ prodidit. « Plurima, inquit, alia præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt; hæc quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia autem viduis, de quibus fuerit aliud dicendi tempus: » αἱ μὲν πρεσβυτέροις, αἱ δὲ ἐπισκόποις, αἱ δὲ διακόνοις, ἄλλαι χήραις [59]. Cum enim alia presbyteris quam episcopis data esse præcepta tam aperte pronuntiet, hinc profecto invictissime conficitur ipsum omnino pro certo habuisse presbyteri et episcopi ordinem primitus atque suo etiam tempore non unum, ut frustra neoterici hæretici, quemadmodum veteres Aeriani contendunt, et eumdem fuisse, sed diversos et a se invicem plane distinctos ordines.

Quid contra tam claram et apertissimam Clementis doctrinam, vel ipse magis obstinatus pertinacium [44] hæreticorum animus obstrepere potest? Nihil sane. Et vero Blondellus, qui contra hoc certissimum orthodoxæ fidei dogma congerendis undequaque veterum scriptorum testimoniis tantam tamque inutilem impendit operam, istud altissimo, sed prorsus, uti videtur, doloso et fallaci silentio prætermisit [60]. Cur enim, amabo te, ille hoc minime dubio et obscuro auctoris nostri testimonio penitus omisso, alia tantummodo in erroris sui patrocinium obtrudit, nisi quia hæc aliquantulum sibi favere, istud plane sibi adversari probe noverat. Sed quid ei tam præpostera calliditas et astutia prodesse potest? Etenim objectio et difficultas, si quæ tamen ulla sit, ex aliis Clementis verbis ab eo petita, ex his quæ retulimus facillime diluitur, penitusque evanescit. Verum de his fusius in sequenti dissertatione.

Interim vero ad ea, quæso, paulisper animum advertas, quæ Clemens noster de presbyterorum benedictione et impositione manuum adversus mulieres, alienis capillis se ornantes, hæc scribit in verba: Τίνι ὁ πρεσβύτερος ἐπιτίθησι χεῖρα, τίνα δὲ εὐλογήσει; « Cui manum imponit presbyter? cui autem benedicet? » Tum confestim addidit: « Non mulieri, quæ est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti [61]. »

Ad matrimonium vero quod attinet, quamvis Clemens constantissime tradat et invictissime contra hæreticos demonstret illud bonum esse, sanctum ac Deo probatum; docet tamen Christiano homini tunc tantum eo uti licere, cum ex uxore sua filios gignere potest. Quapropter hæc de conjugii usu prima et generalis lex ab illo constituitur: « Neque ullam omnino tange mulierem, præterquam tuam ipsius uxorem, ex qua sola tibi licet carnis voluptates percipere, ad suscipiendam legitimam successionem [62]. »

Hinc colligit nefas esse conjugem sola voluptatis causa complecti: « Sola enim voluptas, inquit, si quis ea etiam utatur in conjugio, est præter leges, et injusta, et a ratione aliena [63]. » Quid ergo mirum, si omnes alios concubitus illicitos, vetitos et nefarios esse decernat? Quinimo pueris et senibus uxores ducere interdictum esse declarat; quippe qui filios non possint procreare. « His enim, inquit ille, nondum concessit, illos autem non vult amplius uxores ducere [64]. »

Porro autem non minus plane negat fas esse viro cum uxore eo omni tempore congredi, quo ex ea poterit liberos suscipere, sed statis tantum horis, post convivium actis Deo ob accepta dona gratias, nunquam interdiu, sed nocte, non immodeste et intemperanter, sed cum pudore et verecundia; ne frequentiori conjunctione satietas et pœnitentia suboriatur: « Quibus uxores ducere concessum est, iis pædagogo opus fuerit; ut non interdiu mystica naturæ celebrentur orgia, nec ex ecclesia, verbi gratia, aut ex foro mane rediens galli more coeat, quando orationis, et lectionis, et efficacium, quæ interdiu fiunt, operum tempus est. Vespere autem oportet post convivium quiescere, et post gratiarum actionem, quæ fit Deo pro bonis quæ percepimus. Non semper autem concedit tempus natura, ut peragatur congressus matrimonii; est enim eo desiderabilior conjunctio, quo diuturnior; neque vero noctu tanquam in tenebris, immodeste sese ac intemperanter gerere oportet, sed verecundia tanquam lux rationis in animo est includenda [65]. » Denique Clemens se plura de hoc argumento in libro *De nuptiis* scripsisse testatur. Sed quia hæc elucubratio ad nos usque non pervenit, quid de illo Clemens in *Stromatibus* docuerit, si scire aveas, ad ea te mittemus, quæ in subsequenti dissertatione a nobis disputanda sunt. Poteris tamen consulere tom. II *Pœnitent. Theodori*, ac Petiti observationes et notas, ubi plura hanc in rem congesta et enucleata reperies.

[59] Pædag. lib. III, cap. ult., pag. 264. [60] Blondel., Apol. de episc. et presbyt., § 2, pag. 38. [61] Pædag. lib. III, pag. 248. [62] Pædag. lib. II, cap. 10, pag. 192. [63] ibid. [64] ibid. pag. 194. [65] ibid.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De angelis, de hominis anima, et Christianorum moribus.

ARTICULUS I.

De angelis, et quinam ex illis, quamque ob causam Egregores appellati, ac de eorumdem angelorum lapsu.

Christianos e lectulo, ut vigilias ad Deum orandum et laudandum agerent, noctu surgentes iis angelis Clemens dicit esse similes, qui Ἐγρήγοροι vocabantur : Μακάριοι γὰρ οἱ ἐγρηγορότες εἰς αὐτὸν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες ἀγγέλοις, οὓς ἐγρηγόρους καλοῦμεν· « Beati qui in ipsum vigilarunt, seipsos assimilantes angelis, quos nos ἐγρηγόρους, hoc est, *vigilantes* vocamus[66]. » Cum ille itaque hæc scripto mandaret, tum angeli hoc nomine nuncupari solebant.

Testatum quoque Cedrenus facit filios Seth, quos antiqui ἀγγέλους cognominabant, nuncupatos fuisse Egregores : « Qui iidem Egregores appellantur, et filii Dei, » ἤτοι τῶν ἐγρηγόρων οἵ τινες καὶ υἱοὶ Θεοῦ ἐλέγοντο[67]. Qui autem angeli, et cur eo nomine appellarentur, si quæras, rem sane difficilem postulasti. Videtur quippe Clemens hoc vocabulo bonos significare angelos; quandoquidem cum illis Christianos noctu ad Deum, ut diximus, orandum surgentes componit. Etenim illos, sic vigilantes, non cum malis, sed cum bonis angelis comparasse omnes procul dubio nobis facile concedent.

Verum alii « Egregorum » nomine angelos, qui ex bonis mali deinde facti sunt, seu Sethi filios designant, eos nimirum, qui postquam « filiabus hominum, » ut loquitur Scriptura[68], stuprum intulissent, in varia cum eis peccata prolapsi sunt. Quamobrem Cedrenus : « Egregores, et Dei filii, ob Sethi faciei splendorem dicti, terramque Edenis sublimiorem incoluerunt, vicinique paradiso, vitam angelorum vitæ similem egerunt, usque ad millesimum mundi annum. Quorum honestam vitæ consuetudinem auctor primus malorum intueri non sustinens, formositate filiarum hominum, id est, Caini, eos satiavit[69]. » Et adhuc infra : « Egregores, Sethi progenies, errore ducti descenderunt, ac sibi mulieres de filiabus hominum, sive Caini desumpserunt, atque gigantes illos celebres generaverunt[70]. » Eadem narrat Africanus[71], ac præsertim Georgius Syncellus[72], et hanc opinionem ex apocrypho libro Enochi de Egregoris, cujus duo longa segmenta a Scaligero[73], atque etiam a Kirchero[74] deinceps transcripta exhibet, ortam esse testatur.

Putabat itaque Cedrenus, nomen, « Egregores, » filiis Dei ob patris sui Sethi eximiam oris venustatem, seu, ut ipse loquitur, « ob faciei splendorem, » impositum. At Clemens illud repetit ab ipsa etymologia Græci nominis ἐγρήγοροι, quod Latine *vigilantes* significat. Cur vero angeli ita vocarentur, ansam, uti quidam existimant, dederunt hæc Danielis verba : Καὶ ἰδοὺ *εἷρ* (Symmachi versio ἐγρήγορος), καὶ ἅγιος ἀπ' οὐρανοῦ κατέβη· « Et ecce vigil et sanctus de cœlo descendit[75]. » 45 Quod certe confirmari potest duobus Græcis scholiis, quæ in hunc locum Drusius retulit. Et primo quidem : Τὸ δὲ *εἷρ* οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐγρηγορὼς καὶ ἄγρυπνος ἑρμηνεύεται· altero autem : Ἀντὶ τοῦ *εἷρ*, Ο' *ἄγγελον* ἑρμήνευσαν, οἱ δὲ λοιποὶ *ἐγρήγορον*.

A Utrum autem Clemens ex hoc Danielis loco angelos « Egregores » cognominari collegerit, non certum omnino est et exploratum. Omnem vero extra controversiam esse debet illum iis, quæ protulimus, verbis, de iisdem, ac Danielem loqui angelis, qui Egregores ideo dicti sunt, quia semper vigilant, nec unquam dormiunt aut somno obruuntur.

At de angelis prævaricatoribus et feminarum corruptoribus atque adulteris, sic alibi Clemens scribit : « Angeli qui Dei reliquerunt pulchritudinem propter pulchritudinem quæ flaccescit, atque adeo e cœlis in terram ceciderunt[76]. » At de illis aliisque angelis in superioribus dissertationibus non semel disseruimus, atque in subsequenti adhuc dicetur[77]. De Egregoris vero præter auctores a nobis citatos legesis Suicerum tom. I *Thesaur.*, pag. 1003, ad vocem Ἐγρήγορος.

ARTICULUS II.

B *De hominis anima, et quæ ejus definitio, quis motus, utrum non aliter quam sensuum ministerio cogitet, an spiritualis sit et incorporea, cur triplex dicatur, ubi sedem suam posuerit, et cur sicca nuncupetur.*

Cujus naturæ et substantiæ sit hominis anima clare omnino et aperte Clemens edisserit : « Sciendum est non esse animam, quæ somno indiget; ipsa enim est semper mobilis : sed corpus quod quieti traditur, resolvitur, dum anima non amplius corporaliter operatur, sed per se ipsa operatur et cogitat. Quo fit, ut quæ sunt vera somnia, recte reputanti sint sobriæ animæ cogitationes; ut quæ ad corporis affectiones per consensum non trahatur, et ipsa sibi ipsi, quæ sunt optima, consulat. Animæ autem interitus est, si ipsa apud se omnino quiescat : et ideo Deum mente semper versans, per continuam consuetudinem corpori vigiliam inse- C rens, angelicæ exæquat hominem gratiæ, vitæ æternitatem, ex meditatione suscipiens[78]. » Expende, quæso, singula Clementis nostri verba, et vide an aliquis, seu antiquus, seu recentior philosophus, de hominis anima melius veriusque senserit. Humana, inquit ille, anima est, ἀεικίνητος αὕτη, « quæ semper movetur, » καθ' αὑτὴν ἐννοουμένη, « quæ per seipsam cogitat. » Nonne autem his verbis veram genuinamque animæ rationalis tradit definitionem, qua dicitur esse substantia per seipsam cogitans?

Cum autem subjungit illam semper esse *in motu*, quid aliud his verbis significat, nisi motum animæ ipsammet esse illius cogitationem, sine qua nunquam esse potest? Quapropter interitum animæ esse dicit, « si ipsa apud se omnino quiescat, » ψυχῆς δὲ ὄλεθρος τὸ ἀτρεμῆσαι αὐτῇ. Et id quidem ex Platonis schola videtur esse depromptum; quoniam hæc, teste Ambrosio, erat illius de anima definitio : « Quod ipsum se movet, et non movetur ab D alio[79]. »

Neque leviter, quæso, id prætermittas, quod tam perspicue idem auctor noster tradidit, animam sine ullo sensuum auxilio vel adminiculo per seipsam aliquando cogitare, tumque meliores magisque subtiles esse ejus cogitationes : « Dum anima non

[66] Pædag. lib. II, cap. 9, pag. 185. [67] Cedr. Hist. compen., pag. 8. [68] Gen. VI, 2. [69] Cedr. Hist., pag. 8. [70] ibid., p. 9. [71] African. exp. Syncel. Chron., pag. 19. [72] Syncel. Chron., pag. 11 et seq. [73] Scaliger. in Chron. Euseb., pag. 404. [74] Kircher. tom. II Œdip. Ægypt., 69 et seq. [75] Dan. IV, Sept. V, 13, Vulg. V, 10. [76] Pædag. lib. III, cap. 2, pag. 222. [77] infr. dissert. 2, cap. 8, art. 2. [78] Pædag. lib. III, cap. 9, pag. 187. [79] Ambr. epist. 34, pag. 922, et lib. II De fid. resurrect., § 126, pag. 1178.

Digitized by Google

amplius corporaliter operatur, sed per seipsa operatur, et cogitat..... et ipsa sibi ipsi quæ sunt optima consulat. » Quid ergo ab hac Clementis nostri doctrina magis alienum, quam tritum illud philosophicum axioma : « Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu. » Illud certe effatum vel ipsi incognitum fuit, aut ab illo plane penitusque proscriptum.

Denique ex his quis facillime non intelligat quam certo Clemens humanam animam incorporeæ ac plane spiritalis substantiæ esse crediderit?

Neque dixeris, velim, eum docere triplicem esse hominis animam : τριγενοῦς ὑπαρχούσης τῆς ψυχῆς. Ea quippe loquendi ratione tres tantum denotat animæ facultates, illasque sic distinguit : prima est, τὸ νοερὸν, ὃ δὲ λογιστικὸν καλεῖται· « Intelligentia, quæ ratiocinandi facultas appellatur. » Hæc autem est, inquit, interior homo, qui exteriori imperat et ipse a Deo agitur. Secunda est : Τὸ θυμικὸν θηριῶδες ὃν πλησίον μανίας οἰκεῖ. « Illa pars, quam iræ tribuunt, quæ est iracunda, haud ita procul a furore habitat. » Tertia denique : Πολύμορφον δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ τριτὸν, ὑπὲρ τὸν Πρωτέα τὸν θαλάττιον δαίμονα ποικίλον· « In varias autem formas se mutans, tertia est cupiditas, quæ plus quam Proteus marinus, dæmon varius[80], » etc.

Ex his autem liquet Clementi triplicem animam nihil esse aliud quam unam eamdemque animam spiritualem et rationalem, triplici facultate, seu, ut loquuntur philosophi ac theologi, tribus potentiis præditam.

Hæc quoque sententia rursum videtur desumpta ex Platone, de quo Cicero : « Plato triplicem finxit animam, cujus principatum, id est, rationem in arce posuit, et duas partes separare voluit, iram et cupiditatem, quas locis disclusit, iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit[81]. » An autem ibi Plato triplicem revera asseveret esse animam rationalem, vel tres tantum illius facultates distinguat, aliorum, quandoquidem ea quæstio nihil ad rem nostram facit, esto judicium.

Observabimus autem in hoc Clementem nostrum ab illo dissentire, quod animam in cerebro sedem suam posuisse affirmet : Ἐνθρονίζεται λογισμὸς ἐν ἐγκεφάλῳ· « Anima sedem suam collocat in cerebro[82]. » Nulli enim, ex his quæ dicta sunt, obscurum esse potest Clementem ibi de tota anima disputare; utpote quam spiritalem ac proinde simplicem, nec variis constare partibus persuasum omnino habuerit. De hac porro illius in corpore humano propria sede in sequenti dissertatione agetur.

Ex Heraclito tandem illud Clemens hausisse videtur, quod alibi docet eamdem hominis, qui potu ad sitim tantummodo, uti par est, explendam utitur, animam esse siccam, atque adeo optimam et sapientissimam : Αὐτὴ δὲ ψυχὴ ξηρὰ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη· « Ipsa autem sicca anima est sapientissima et optima[83]. » Apud Stobæum enim hanc legimus eamdem Heracliti sententiam : Αὔη ψυχή, vel ut alia fert lectio : Αὐγὴ ξηρὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. « Est autem anima sicca, sapientissima et optima[84]. » Postremus vero Clementinorum operum scholiastes varias in hunc ejusdem auctoris nostri locum, quem corruptum esse suspicatur, congerit observationes, quas facile qui voluerint, consulere poterunt; et nos indicasse sufficiat.

46 ARTICULUS III.

De Christianorum moribus, ac primum de more noctu ad laudes Deo concinendas surgendi, et quandiu ille duraverit : non totam noctem, multo minus interdiu dormiendum; quid eo tempore Christiani agere deberent.

Plura ad omnes promiscue Christianos spectantia narrat Clemens, quæ nostris haud prorsus indigna sunt animadversionibus. Nam ut varia quæ ad vitam pie et caste agendam passim ille tradidit, præcepta taceamus, adnotare in primis juvat Christianos noctu, quemadmodum jam diximus[85], ut Deo laudes concinerent, non semel, sed sæpe etiam, ut ipse ait, e lecto surrexisse : « Ita ergo dormitandum est, » verba illius sunt, « ut facile excitemur..... dormientis enim hominis nullus usus, quemadmodum nec mortui. Quocirca sæpe etiam noctu e lecto surgendum, Deusque laudandus; beati enim qui in ipsum vigilarunt[86]. » Neque dura tibi hæc lex videri debet. Priscis enim Ecclesiæ temporibus, in more Christianis positum erat, ut noctu ad fundendas Deo preces surgerent. Testis quippe hujusce consuetudinis locupletissimus est Tertullianus, qui ad uxorem suam hunc scribit in modum : « Latebisne tu... cum etiam per noctem exsurgis oratum[87]? » Ambrosius autem uxori et viro, ut noctu surgant, sic præcipit : « Simul ad adorationem nocte vobis surgendum est, et conjunctis precibus obsecrandus Deus[88]. » Alibi vero de semetipso : « Væ mihi est, inquit, si media nocte non surrexero ad confitendum tibi[89]. » Omnes denique Christianos alio in libro sic affatur : « Non satis est dies ad deprecandum; surgendum est nocte et media nocte. Ipse Dominus pernoctavit in oratione, ut te proprio ad deprecandum invitaret exemplo..... Non tibi dicit propheta ut tantummodo media nocte surgas, sed ut surgas nocte, et maxime nocte media; nocte enim surgendum præmisit dicens : « Memor fui nocte nominis tui, Domine... » adjunxit : « Ad confitendum tibi[90], » hoc est ut illo maxime tempore deprecari Deum et propria debeamus deflere peccata[91], » etc. Eadem ille eodem in opere non semel repetit[92] quæ hic describere necesse non est. Satis sit ea tibi a nobis indicari, ut inde et ex his maxime quæ descripsimus, intelligas hunc morem noctu ad Deum precibus exorandum surgendi, diu apud Christianos, et ad Ambrosii usque tempora obtinuisse.

Hieronymus enim ad Eustochium quoque scribebat : « Noctibus bis terque surgendum; revolvenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. »

An autem mos ille longo postea tempore perseveraverit, dictu difficillimum. Chrysostomus siquidem, teste Palladio, laicos ut vigiliis nocturnis in ecclesia operam darent hortabatur quidem; sed segniores negligentioresque clerici, totis noctibus dormire assuefacti, ægre molesteque id ferebant. « Fideles quoque laicos, » verba sunt Palladii, « exhortabatur vigiliis nocturnis in ecclesia insistere, uxores autem eorum domi manere interdiu orantes, ideo quod viris die otium non esset. Hæc omnia quosque negligentiores de clero contristabant, totis noctibus dormire consuetos[93]. » Ex his autem verbis colligere est jam antiquatam fuisse eam Christianorum noctu surgendi consuetudinem, ac viros tantum in ecclesiam noctu ire solitos; ut nocturnis officiis, a clero tunc decantandis, adesse possent. De his porro nocturnis officiis et vigiliis quæ pristino noctu surgendi mori successisse videntur, si quid scire aveas, adisis doctissimum cardinalem Bona[94], Thomassinum[95], et

[80] Pædag. lib. III, cap. 1, pag. 214. [81] Cic. lib. I Tuscul., pag. 169. [82] Pædag. lib. I, pag. 80. [83] Pædag. lib. II, cap. 2, pag. 156. [84] Stob. serm. 5 De temperant., pag. 74. [85] sup. hoc cap., art. 1. [86] Pædag. lib. II, cap. 9, pag. 185. [87] Tertul. lib. II Ad uxor., cap. 5. [88] Ambros. lib. I De Abrah., cap. 9, § 84. [89] lib. II Exposit. in Luc., § 76. [90] Psal. CXVIII, 55, 62. [91] serm. 8 in psal. CXVIII, pag. 1072. [92] serm. 7 in psal. CXVIII, § 3, et serm. 19, § 30. [93] Pallad. in Vita Chrysost., cap. 2. [94] Bona, De divina psalmod., cap. 4, § 1 et seqq. [95] Thomass. De eccles. discip., tom. I, part. I, cap. 35 et seqq.

Digitized by Google

alios qui de cursu et officio ecclesiastico aliquid memoriæ commendaverunt.

Ad vigilias autem nocturnas, quandoquidem delapsa est nostra oratio, unum adhuc, antequam finis illi imponatur, observabimus, scilicet Clementem nostrum præfracte negare Christiano licitum esse totam noctem, multo autem minus interdiu dormire : « Non oportet eos, inquit, qui inhabitantem et vigilantem intus habent rationem, tota nocte dormire [96]. » Deinde paulo post : « ... Longe autem abest ut permittatur interdiu dormire iis qui maximam noctis partem ad vigilias resecant [97]. » Quid autem Christiano noctis tempore agendum sit, si ab eo quæras, confestim audies : « Noctu autem maxime expergiscendum est, quando dies desinunt. Et huic quidem danda est opera litteris, illi vero ars hæc inchoanda est; feminas autem lanificium oportet ingredi [98]. »

ARTICULUS IV.

De aliis Christianorum moribus; quanta modestia ad ecclesiam accederent, et in ea versarentur; quorumdam ab illa discedentium abusus; de Christianorum salutatione, osculis, conviviis, mensis, agapis, balneis et vestimentis.

Ad alios autem Christianorum mores quod spectat, pulchre Clemens docet quomodo venire in ecclesiam deberent : « In ecclesiam autem venire oportet virum et mulierem, honeste indutos, non simulato incessu, silentium amplectentes, charitatem non fictam possidentes, castos corpore, castos corde, ad Deum rogandum aptos. Hoc amplius habeat mulier, semper tecta sit, nisi domi fuerit [99]. » Paulo post vero summam eorum in ecclesiis modestiam, gravitatem et honestatem Clemens noster magnopere commendat : « Oporteret tales in tota vita, et videri, et effingi eos qui Christo initiantur, quales se in ecclesiis ad gravitatem et honestatem componunt, et esse, non autem videri esse tales, adeo mites, adeo pios ac religiosos, adeo charitati deditos [1]. »

Sed eos ibidem acriter et merito castigat, qui ex ecclesiis discedentes, cum loco figuram, habitum et mores mutarent. Ex hoc siquidem pietatis loco egressi, deposita sanctitate vel potius sanctitatis larva : « Foris impiis modis et amatoriis canticis se oblectant, tibiarum cantu, plausu, temulentia et quovis cœno ac sorde oppleti [2]. » Non omnium procul dubio, sed aliquorum duntaxat Christianorum, adeo corruptos et depravatos mores Clemens ibi notavit. Non obscure autem significat illos in hæc vitia prolapsos idcirco quod ecclesia exeuntes, paganis aut aliis perversis hominibus sese adjungerent : « Nunc autem nescio quomodo una cum locis, figuram habitumque et mores mutant; non secus ac polypos dicunt petris quibus adhærescunt assimilatos videri quoque esse colore tales. Postquam itaque excesserunt e congregatione, deposita illa quæ in ea erat divinitus inspirata quasi sanctitate, multitudini cum qua versantur assimilantur [3]. » Duo autem hic animadvertenda sunt : primo hunc pravum morem et abusum non longo antehac tempore invectum; uti primis Clemens verbis clare significat : « Nunc autem nescio quomodo : » Νυνὶ δὲ οὐκ οἶδ' ὅπως.

Secundo inde liquet, hac Clementis nostri ætate, Christianis fuisse ecclesias, ἐν ἐκκλησίαις, quo illi confluentes, summa ac plane mirabili modestia divinis intererant mysteriis et sacra faciebant.

Vetus quoque Christianorum sese invicem salutandi consuetudo paucis a Clemente attingitur : « Nobis, inquit, finis est esse a tumultu et perturbatione alienos; et hoc sibi vult illud : Pax tibi, εἰρήνη σοί [4]. » His itaque verbis Christiani sese mutuo consalutabant.

De hac autem salutatione luculentum habemus Optati Milevitani testimonium : « Et non potuistis prætermittere quod legitimum est, utique dixistis : Pax vobiscum; cum Deus contra : Pax, et ubi pax? Hoc est dicere : Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas quod exterminasti? Salutas de pace, qui nou amas pacem. Hi, inquit, ædificant ruinosum parietem [5]. » Ad eumdem etiam morem alludere videtur Augustinus ad Generosum in hæc scribens verba : « Quid perversius et insanius, quam lectoribus easdem apostolorum epistolas legentibus dicere : Pax tecum, et ab ecclesiarum pace separari, quibus ipsæ epistolæ scriptæ sunt [6]? »

Minus profecto certum est utrum de hac Christiana salutatione loquatur Tertullianus, ubi hæreticos sic exagitat : « Pacem quoque cum omnibus miscent [7]. » Quorumdam enim opinio est hac Tertulliani voce, non salutationem, sed communionem et absolutionem; quemadmodum his Cypriani verbis : « Pax data lapsis [8], » significari. Quocirca hoc Tertulliani testimonium non ultra quam par est, urgendum esse censemus. Nobis enim satis est triplici Clementis, Optati et Augustini auctoritate planum fecisse omnibus, quam vetus et quam longo tempore hæc mutua Christianorum consalutatio fuerit in usu. Porro autem ille vetus salutationis modus ex Hebræis ad Christianos, teste Hieronymo, derivatus videtur. « Quod Græce, inquit ille, dicitur χαῖρε, et Latine, « ave, », Hebraico Syroque sermone appellatur « salomlac, » sive « solam immac, » id est : « Pax tecum [9]. »

Ad cujus porro salutationis, inquies, genus, id pertinet quod Clemens scribit : « Cæterum dilectorum quoque, τῶν ἀγαπητῶν, salutationes, qui volunt per res externas sese ostentare, ne minimam quidem habent gratiam [10], » etc. Respondemus nobis non plane obscurum videri Clementem ibi de Christianorum in via salutationibus facere sermonem. Nam cum non alius in his, uti diximus, libris scopus illius sit, quam Christianum sanctis morum præceptis imbuere; ibi certe ab hoc scopo suo, uti ex iis quæ præcedunt liquido intelligitur, minime aberrat. Itaque his ille verbis, ne in via sese invicem externis signis salutent, Christianis prohibet. Rationem hujus interdicti aliquis fortasse eam fuisse suspicabitur, ne Christiani hisce salutationibus religionis suæ professionem prodentes in capitis discrimen imprudenter venirent. At ex ipsiusmet tamen auctoris nostri textu haud absurde colligi potest ab illo pharisaicas tantum prohiberi salutationes, quibus quidam hypocritæ et prævaricatores Christiani sub illo, uti mox de osculis dicetur, amoris ac charitatis symbolo et pignore, verum odium et livorem dissimulabant tegebantque.

Christiani siquidem sese salutantes solebant porrigere osculum. Quod quidem, quia fraternæ charitatis et mutui amoris symbolum erat, a Clemente mysticum appellatur. Verum idem Clemens quosdam, sed tacito eorum nomine, jure quidem merito corripit, qui hunc pium sanctumque morem labefactantes, sub hoc amoris signo occultabant odia, ecclesiasque conturbabant : « Illi autem nihil aliud osculo quam ecclesias conturbant, cum ipsam non habeant intus amicitiam. Etenim hoc utique turpem movit suspicionem et maledicentiam, quod impudenter osculo uterentur, quod esse oportebat mysticum; id sanctum vocavit Apostolus [11]. » Quamobrem pius

[96] Pædag. lib. II, cap. 9, pag. 187. [97] ibid. [98] ibid. [99] Pædag. lib. III, cap. 10, pag. 255. [1] ibid., pag. 256. [2] ibid. [3] ibid. [4] Pædag. lib. II, cap. 7, pag. 173. [5] Optat. Milev. lib. III De schism. Donat., pag. 64 nov. edit. [6] Aug. epist. 53 nov. edit. [7] Tertul. lib. De præscrip., cap. 41. [8] Cyprian. epist. 16 nov. edit., pag. 37. [9] Hier. lib. I Com. in Matth., cap. 10, pag. 35. [10] Pædag. lib. III, cap. 11, pag. 257. [11] Pædag. lib III, cap. 11, pag. 256.

Digitized by Google

quidam scriptor ab Athenagora citatus, ut huic jamjam fortasse gliscenti, vel certe imminenti malo mederetur, aut præcaveret, Christianis edixerat : « Summa cautione communicandum est osculum, ut non aliter quam pia salutatio, vel potius adoratio quædam habeatur, quæ, si vel parum impura cogitatione inquinata fuerit, a vita æterna nos alienat [12]. » De his porro Christianorum osculis vide, si lubet, quæ nos in hunc Athenagoræ locum adnotavimus [13].

Hæc porro oscula, ut id obiter adhuc animadvertamus, in ecclesiis, teste Clemente nostro, impertiebantur. Unde haud absurde forsitan colligere quis poterit salutationes, de quibus ibidem ille loquitur, in iisdem factas fuisse ecclesiis. De aliis enimvero hæc paulo post habet : « Cæterum dilectorum quæque in via salutationes, qui volunt per res externas sese ostentare, ne minimam quidem habent gratiam. Si enim in aditu mystice Deum orare convenit, consequens fuerit proximum quoque, quem secundo loco jubemur diligere, similiter ac Deum mystice intus, amanter et benigne alloqui, occasionem redimentes [14]. » Denique Clemens ibidem osculum non satis pudicum componit cum nocivo phalangiorum morsu, de quibus Aristoteles lib. IX *Histor. anim.*, cap. 39, pag. 945; Plinius, lib. XI *Histor. natur.*, cap. 24, pag. 516, et lib. XXIX, cap. 4, pag. 692; Dioscorides, lib. II, cap. 57, et alii.

Nihil planius et explicatius, quemadmodum nihil magis evangelicis institutis conveniens et consentaneum, quam ea omnia quæ Clemens de Christianorum conviviis, prandiis, cœnis, epulis et mensis tradidit [15]. Clare etenim et perspicue ostendit quantæ debeant esse frugalitatis et sobrietatis, quam longe ab eis amandanda multiplex ciborum varietas; quam procul inde rejiciendæ delicatiores cibi et potiones, quam longe ab eis removenda condimenta, bellaria, aliaque gulæ irritamenta. Nec minus perspicue edisserit qui sint ad cœnam et convivia invitandi, quomodo cum eis agendum, quam modeste accumbendum mensi, qui sermones tunc miscendi, quid tandem ab omnibus præstandum.

His igitur prætermissis, ad illa minus obvia et communia accedamus, quæ ille de agapis memorat. In quosdam enimvero suæ ætatis Christianos eo potiori jure animadvertit, quo magis hæ agapæ, seu cœnulæ, vel prandiola ad fraternam charitatem nutriendam et augendam primitus instituta, ab aliquibus labefactata fuerant : « Audent, inquit, nonnulli agapen vocare, effrenata lingua utentes, nempe δειπνάρά τινα, quædam prandiola (vel potius cœnulas quasdam), nidorem et jus redolentia, pulchrum ac salutare Verbi opus, sacram agapen ollis nescio quibus et liquido jure dedecorantes, potuque, deliciis et fumo illud nomen maledicto persequentes. Falluntur existimatione, ut qui Dei promissum prandiolis, δειπναρίοις, se posse emere exspectaverint. Quæ enim lætitiæ causa fiunt congregationes, ipsi quoque recensentes et cœnulas, et prandia, et epulas, δειπνάριά τε, καὶ ἄριστα, καὶ δοχάς, hunc cœtum jure vocaverimus rationem sequentes. Has autem epulas, ἑστιάσεις, Dominus ἀγάπας, id est charitates, non vocavit [17]. » Quantum autem 48 hi a pristino Christianorum instituto desciverint si scire velis, audi Tertullianum : « Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit; vocatur enim ἀγάπη, id quod *dilectio* penes Græcos est. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum; siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam..... sed qua penes Deum major est contemplatio mediocrium..... nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse, ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire [18]. » Cæterum quod Clemens in his agapis præter olim constitutas pietatis et charitatis leges ait esse admissum, non omnes Christianos, sed tantum quosdam, τινές, hujus prævaricationis reos agit et exagitat. An autem hi catholici aut hæretici fuerint, dictu difficillimum. Ille enim alibi Carpocratianos arguit, qui exsecrandos detestabilesque cœtus suos agapen vocare audebant [19]. Sed cum laudato *Pædagogi* libro nihil fere in his Christianorum agapis notet aliud quam luxum et intemperantiam, id non tam ad hæreticos quam catholicos videtur spectare. Nemo quippe nescit jam a primis Ecclesiæ temporibus Corinthios a Paulo ideo corripi, quod in cœna sua, quam ille δεῖπνον appellat, quædam his non longe absimilia perpetrarent [20].

Balneorum usum Christianis quidem Clemens permittit, sed mulieribus munditiei et sanitatis, viris autem sanitatis tantum gratia; ita tamen ut ab omnibus habita ætatis, corporis et temporis ratione, moderatio, quæ valetudini et saluti nostræ opem ferat, semper adhibeatur. « Sumendum est, inquit, lavacrum mulieribus quidem mundationis causa et sanitatis, solius autem sanitatis causa viris [21]. »

Adolescentes autem arcet a balneis, quibus gymnasium, seu corporis exercitationem et motum sufficiendum esse decernit : « Adolescentibus sufficit gymnasium, etiamsi adsit balneum [22]. » Viris quoque ipse auctor est et suasor, ut hanc quoque exercitationem balneis anteponant. At omni penitus earum rerum usu recte quidem Christianis non interdicit, quas illis non prohibitas fuisse in nostris ad Ambrosium observationibus olim ostendimus [23].

Quidquid porro ad cæteros Christianorum mores pertinet, id ex superius data horum librorum analysi facile intelligitur. Si quid vero adhuc difficile, aut notatu dignum, occurrat, dabitur infra commodior, ne eadem repetamus, illius explicandi occasio.

Prætermitti tamen a nobis non potest ea omnia quæ a Clemente de Christianorum hominum vestimentis constituuntur, ex his Cyrilli Jerosolymitani verbis mirum in modum confirmari : « De vestitu autem is tibi simplex et tenuis esto, nec ad ornatum, sed ad necessariam tutelam paratus, ne luxe molliterque vestiaris; sed hieme calescas, et corporis pudenda tegas. Ne vero prætextu tegendæ turpitudinis vestibus operosis et accuratis in alteram turpitudinem incurras [24]. » Postremo quæ de Christianarum mulierum vestibus et ornatu Clemens præscribit, cum his componenda sunt, quæ de iisdem Tertullianus et Cyprianus tradidere [25].

[12] Athenag. Legat. pro Christ., pag. 36. [13] lib. II App., diss. 3, cap. 5, § 1. [14] Pædag. lib. III, pag. 257. [15] ibid. [16] lib. II Pædag., cap. 1, pag. 141. [17] ibid. [18] Tertul. Apolog., cap. 39. [19] lib. V Strom., pag. 430. [20] I Cor. IV, 11. [21] lib. III Pædag., cap. 9, pag. 240. [22] ibid., cap. 10, pag. 241. [23] Ambros. in lib. I De offic. ministr., c. 18, pag. 22. [24] Cyril. Jeros. catech. 4, pag. 34. [25] Tertul. lib. De coron. mil., c. 8; lib. II De cult. fem., c. 10; Cyprian. lib. De cult. virg.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De gentilium theologia variisque eorum superstitionibus

ARTICULUS I.

De idololatriæ et nefarii plurium deorum cultus origine et primordiis.

Ethnicæ religionis falsitatem ex impio falsorum deorum idolorumque cultu, variisque et nefariis gentilium superstitionibus, quemadmodum Christianæ professionis veritatem ex debita veri Dei adoratione sanctissimisque ejus legibus et institutis evidentissime Clemens noster demonstrat. Quapropter flagitiosissima et obscenissima quæque paganorum mysteria, atque ea etiam, quæ ob turpitudinem apud illos secretiora erant, mira eruditione perscrutari et retegere idcirco non veretur; ut exsecranda illorum turpitudine ante omnium oculos posita, et ab iis sicut olim ab ipso, uti narrat Eusebius, plane cognita, unumquemque salubri pudore suffusum, ab hac impia religione facilius avocaret ac deterreret [26]. Quo autem turpiora majorisque obscenitatis fuerunt illa gentilium flagitia, eo certe potiori jure plures satius esse ducent perpetuo ea omnia damnare silentio, quam ullam ipsorum in castis Christianorum animis refricare memoriam. Et nos quidem tam justæ piorum hominum sententiæ subscribendum ac sancto religiosoque eorum studio et proposito satisfaciendum esse putaremus, nisi plura in Clementis nostri operibus occurrerent, quæ Hervetus, tantorum in illa commentariorum scriptor, sibi plane incomperta fuisse confitetur. Ne tot igitur tamque salebrosa et difficilia loca quemquam ab his libris legendis amplius revocent, aut ea ab auctore nostro in ethnicæ religionis odium gratis ficta existimet, illa idcirco omnia, sive eidem Herveto minime nota et pervia, atque ab ipso male explicata, sive ab aliis ob summas difficultates intacta, notatu tamen digna, pro virili nostra parte investigare et enucleare conabimur.

Primum autem idololatriæ originem in sua adversus gentes *Admonitione* ubi pandit Clemens, illam septem modis, quos in ejusdem libri analysi sigillatim recensuimus, in varias orbis terræ partes invectam fuisse ostendit [27]. De iis autem plura jam a nobis alibi disputata sunt [28], quæ huic Clementis nostri opinioni lucem possunt haud parvam afferre. Verumtamen hic prætermittere non possumus egregia quædam cum Gregorii Nazianzeni, tum Ciceronis testimonia, quibus ea, quæ de variis illis idololatriæ primordiis Clemens noster enarrat, mirum sane in modum enucleantur et confirmantur. Gregorium itaque apud Christianos hæc in verba perorantem primo audiamus : « Deum natura quidem omnis rationis particeps appetit..... languens autem desiderio, ac male affecta, ægerrimeque hoc damnum ferens, secundam, ut dici solet, navigationem init; ut scilicet vel ad res eas, quæ sub oculorum sensum cadunt, oculos flectat, ac quampiam earum pro numine colat..... Hinc alii solem, alii lunam, alii siderum multitudinem, alii cœlum quoque ipsum una cum illis..... Alii rursus propter necessarium usum, terram, aquam, aerem, ignem..... Alii denique quidquid ex rebus aspectabilibus temere ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quæque eorum, quæ cernebant, pro diis sibi constituentes. Nec defuerunt, qui statuas ac figmenta divinis honoribus affecerint, primum quidem propinquorum et necessariorum..... post autem alienorum quoque, nempe ii, qui multis post eos sæculis exstiterunt, ignoratione videlicet primævæ illius naturæ..... Nonnullos etiam fuisse arbitror, qui summam alicujus potestatem omni observantia colentes, et corporis robur laudibus efferentes, ac formæ venustatem admirantes, eum tandem, quem honorabant, in deorum numerum ascripserint, ad hujusmodi imposturæ subsidium et patrocinium fabulas quasdam assumentes. Jam vitiosissimi quique vitia ipsa fœdosque affectus deos esse censuerunt, aut certe sub deorum nomine coluerunt, nimirum cædem, libidinem, temulentiam, reliquaque ejus generis, non æquam nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos partim in terra reliquerunt, partim infra terram occultarunt, hoc unum satis consulte, partim in cœlum evexerunt..... Ac deinde pro erroris libertate et licentia, figmento cuique nomen aliquod vel deorum vel dæmonum indiderunt, statuasque insuper erexerunt [29]. » Hæc Cicero in philosophicis suis operibus, ac præsertim in secundo libro *De natura deorum*, multo fusius et enucleatius prosequitur. Sed ne pluribus verborum Latini oratoris, quæ sane longissima sunt, molesta sit descriptio, ad ipsas ejus lucubrationes eos mittimus qui hæc voluerint curiosius indagare.

Quod si aliquem ea etiam, quæ a sacro Sapientiæ auctore [30] atque a Theodoreto [31] de idololatriæ origine variisque ejus fontibus traduntur, cum Clementis nostri dictis componere non pigeat; quantum inter se sint consonantia, facile perspiciet, et laboris sui minime pœnitebit.

Verum præter septem illos idololatriæ fontes, alios quosdam eodem in libro Clemens nobis aperuit. Ab illius enim initio de Orphei, Amphionis et Arionis cantu hæc habet : « Mihi itaque videntur et Thracius ille Orpheus, et Thebanus, et Methymnæus viri, non nisi deceptores fuisse, qui prætextu musicæ..... primi deduxere homines ad idola, atque adeo lapidibus et lignis, hoc est, simulacris et adumbrationibus agrestem excitavere consuetudinem [32]. » Vides sane primam idololatriæ originem ab auctore nostro in tres illos refundi cantores, qui primi pulchro suo cantu impiisque carminibus homines ad idolorum cultum trahentes, sua quasi manu deduxerunt : Τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τὰ εἰδωλα ἐχειραγώγησαν πρῶτοι.

Sed hanc paganorum impietatem in eodem libro paulo enodatius enucleat, ubi et cultus deorum, et simulacrorum templorumque primordia a prima sua origine sic repetit : « Venit mihi in mentem admirari quibusnam tandem opinionibus abrepti homines, qui sunt decepti, superstitionem et dæmonum cultum induxerint hominibus, sceleratos dæmones lege lata colere jubentes, seu Phoroneus, seu Merops, seu aliquis alius, qui eis posuerunt templa et altaria, etiam sacrificia eis primi obtulisse fabulose dicti sunt. Nam posterioribus quidem temporibus finxerunt deos, quos adorarent. Hunc certe Amorem vel Cupidinem, qui dicitur esse inter deos antiquissimos, nemo ante Charmum coluit, postquam adolescentulum quemdam dilectum sibi obtinuisset, cui cupiditatis suæ compos aram in Academia elegantiorem erexit. Ita morbi intemperantiam appellarunt Amorem, et salubrem Cupiditatem in deorum numerum retulere. Athenienses

[26] Euseb. lib. II Præpar., cap. 2, pag. 61. [27] Admon. ad gent. p. 16 et seqq. [28] lib. II Appar., dissert. 2, cap. 6, § 27. [29] Greg. Naz. orat. 34. [30] Sapient. XIII et XIV. [31] Theod. tom. IV De Græc. affect. curat., serm. 3. [32] Admon. ad Græc., pag. 3.

Digitized by Google

autem nec quis esset quidem Pan noverant, priusquam eis diceret Philippides. Merito ergo dæmonum cultus cum aliunde cepisset principium, fons fuit stolidi vitii. Deinde cum non fuisset rescissus, sed accepisset augmentum et magno fluxisset alveo, multos dæmones constituit sacrificans hecatombas, et conventus celebrans, et simulacra erigens, et templa ædificans [33]. » Tria ibi Clemens noster edisserit : primo initia impii dæmonum seu falsorum deorum cultus, secundo templorum eis dicatorum, tertio denique simulacrorum et statuarum originem.

Ac primo quidem, unde et a quo dæmonum seu deorum cultus ortum duxerit, non audet certo definire, nec id quidem ulli mirum videri debet. Nam septem, ut paulo ante diximus, ille modos refert, quibus hæc insana errantium hominum, falsos deos colentium, impietas in diversas mundi partes variis procul dubio temporibus irrupisse perhibetur. A quo autem et quando, vel ubi prior ex illis introductus sit, nec ille quidem ibi, nec quisquam alius nobis certo et perspicue patefecit demonstravitque. Scimus quidem opinionem de pluribus diis a Justino martyre et aliis quibusdam, ut alibi observatum est [34], in hæc Geneseos verba : « Et eritis sicut dii [35], » omnino refundi. Sed quando et ubi hic error disseminatus primum fuerit, nec ab illo, nec ab ullo alio definitum aut indicatum legimus.

Et vero Eusebius, primam deorum originem ex paganis scriptoribus diligentissime perscrutatus, narrat quidem Phœnices, ac paulo post Ægyptios, omnium primos fuisse qui divinitatem soli, lunæ et stellis adjudicavere, ac cæteris hominibus fuerunt hujusce impietatis et sceleris, ipso, ut ait ille, atheismo gravioris auctores [36]. Sed quo tempore Phœnices illi atque Ægyptii cœperint illam astris divinitatem ascribere, nullibi ipse nobis aperuit : « Phœnices, » verba sunt Eusebii, « et Ægyptios omnium principes soli, et lunæ, ac stellis divinitatem tribuisse vulgatum est, iisque solis rerum ortus interitusque causam assignasse. Deinde vero quæ passim et ubique jactantur deorum tam molitiones quam procreationes in hominum genus invexisse..... Nequaquam hic stetit eorum, qui postea secuti sunt, hominum de multitudine deorum error ; sed in altam improbitatis voraginem actus, impietatem peperit, ipso quoque negatæ divinitatis scelere graviorem. Atque hujus erroris Phœnices, ac paulo post Ægyptii auctores fuere [37]. »

Rursus autem ille, sed brevius : « Maneat igitur hunc omnium gentium de multitudine deorum errorem non nisi post longam ætatum seriem exstitisse, qui cum a Phœnicibus et Ægyptiis initium habuisset, ab iis in reliquas postmodum nationes ad ipsos usque Græcos sese propagavit [38]. » Quod quidem ille paulo post descriptis ex Philone Sanchoniathonis verbis rursum astruit et confirmat.

At quamvis Eusebius, inquies, nihil ibi de prima deorum origine dixerit, nonne in secundi *Chronicorum* libri procœmio hæc scripsisse legitur? « Itaque sine ulla ambiguitate Moyses et Cecrops, qui primus Atheniensium rex fuit, iisdem fuere temporibus..... Ille primus omnium Jovem appellavit, simulacra reperit, aram statuit, victimas immolavit, nequaquam istiusmodi rebus in Græcia unquam visis. » Addamus, si lubet, eadem quoque a Cyrillo Alexandrino [39] et aliis postea referri.

A **50** Sed antequam Cecrops Jovi nomen dedisset, certe apud Ægyptios et Phœnices jam a longo tempore impius de multitudine deorum error invaluerat. Neque id ex primo duntaxat Eusebii testimonio colligimus, sed ex ultimis etiam, quæ citamus, ejus verbis. Quid enim, amabo te, aliud iis sibi voluit, nisi hæc a Cecrope in Græciam fuisse primum introducta? Atqui Græci et alii falsa deorum nomina, ut idem Eusebius auctor est [40], Phœnicibus et Ægyptiis accepta referebant. Et vero ubi ille clarius et enodatius ex Sanchoniathone initia theologiæ Phœnicum explicat, planum utique facit diu ante Græcorum tempora hanc falsam deorum multitudinem a Phœnicibus fuisse introductam.

Eodem plane sensu Herodotus scribit se nuper atque heri didicisse an dii semper, vel unde, aut qua olim specie apud Græcos fuerint [41]. Prius vero dixerat Ægyptios venditasse se « primos duodecim deorum cognomina in usu habuisse, et ab illis Græ- B cos fuisse mutuatos [42]. » Sed quandonam id acciderit, ipse quoque penitus tacet.

Lactantius vero perhibet seu a Melisseo Cretensium rege, ut Didymus memoriæ prodidit [43], seu ab ipso Jove, ut tradidit Evehemerus, manasse deorum colendorum superstitionem. At ille paulo supra eumdem idcirco damnat Melisseum, quod ritus novos sacrorumque pompas excogitaverit. Ante illa igitur tempora alii deorum colendorum ritus, eodem Lactantio teste, jam alibi obtinuerant. Nullus itaque ex his, neque forsitan ex aliis scriptoribus nobis definite edisserit, qui aut quo tempore homines, a veri Dei cultu desciscentes, ipsis creaturis nomen Dei, ejusque naturam et honores ascribenda censuerunt.

Ejusdem tamen Lactantii aliorumque plurimorum cum antiquorum tum recentiorum scriptorum, atque in primis Cyrilli Alexandrini [44], atque etiam postea sancti Thomæ [45] ejusque sectatorum ea fuit opinio, nullam prima mundi ætate, hoc est, ante C diluvii tempora, fuisse idololatriam. Quid enim expressius et clarius his Lactantii verbis, quibus Cham, a Noe patre suo reprobatum, filiis suis primum ignorantiam reliquisse Dei sic narrat : « Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit ; quoniam princeps ejus et conditor cultum Dei a patre non accepit, maledictus ab eo. Itaque ignorantiam divinitatis minoribus suis reliquit..... Errant igitur qui deorum cultus ab exordio rerum fuisse contendunt, et priorem esse gentilitatem quam Dei religionem [46]? » Lactantius ergo aliique auctores a nobis citati putant veram unius Dei cognitionem, propter recentem creationis mundi memoriam, animis hominum ita fuisse infixam ; ut tum nullus mortalium a sincero Dei cultu et veneratione defecerit.

Verum huic sententiæ alii magno quidem numero, sed non iisdem omnes rationum momentis omnino refragantur. Nonnulli siquidem falsorum deo- D rum cultum tempore Enosi, qui Sethi filius fuit, primas radices egisse autumant. Illud autem inde probare nituntur, quia quod in vulgata Geneseos versione de eodem Enoso legitur : « Iste cœpit invocare nomen Domini [47], », illud paraphrasi Chaldaica non male redditum arbitrantur : « Tunc in diebus ejus supersederunt filii hominum ab invocando nomen Domini. » Quod quidem putant stabiliri ex ipso etiam Hebraico textu, quem sic aiunt esse vertendum : « Tunc profanatum est in invocando nomen Jehovæ. »

Sed his alii aperte et palam reclamant, contenduntque alium omnino esse Hebraici textus sensum, quem profecto unusquisque ex variis hujusce loci

[33] Admon. ad. Græc., pag. 28. [34] lib. II Appar., dissert. 2, cap. 6, § 27. [35] Gen. III, 5. [36] Euseb. lib. I Præpar. evang., cap. 6 et seq. [37] ibid. cap. 6, pag. 17. [38] ibid. cap. 9, pag. 30. [39] Cyril. lib. I Cont. Julian., pag. 10. [40] lib. I Præp. evang., c. 10. [41] Herodot. lib. II, § 53. [42] ibid. § 4. [43] Lib. I De falsa relig., pag. 130 et 131. [44] Cyril. Cont. Julian., p. 16, et lib. III, p. 110. [45] D. Thom. 2-2, q. 94, art. 2. [46] Lactant. lib. II De falsa relig., p. 214. [47] Gen. IV, 26.

Digitized by Google

interpretibus facile poterit assequi. Quapropter ii persuasum omnino habent aliis rationum momentis posse demonstrari ante diluvii tempora apud homines, multis infandisque sceleribus jamdudum inquinatos, falsorum invaluisse cultum deorum.

Primum enim, quia mos nominis Dei invocandi ab Enoso initium sumpsisse dicitur, hinc colligunt tum fuisse impios homines, qui illius ætate ac proinde longe ante diluvium creaturas pro diis habuerint. Deinde vero ante ejusdem diluvii tempus : « Omnis caro, ut loquitur Scriptura, corruperat viam suam super terram [48]. » Atqui his, inquiunt, verbis haud obscure insinuatur nullum esse peccati, quantumvis gravissimi genus, in quod pessimi et improbissimi homines non volutarentur. Cum idololatria itaque maximum sit peccatum, et in eam quoque prolapsos fuisse homines inde concludunt.

Neque porro allata a sancto Thoma recentis creationis mundi memoriæ ratio eos vel minimum moratur. Aiunt enim ex ea, si quid valeret, pariter demonstrari homines ob acerbissimi, quod Deus universali diluvio sumpserat, supplicii memoriam post plura tantum ab eo tempore sæcula ad falsi deorum numinis cultum inductos. Quantum autem id a veritate abhorreat, quis non videt?

Majoris autem apud illos ponderis foret citata Cyrilli auctoritas; nisi ipsa argumento, uti aiunt, plane negativo niteretur. Sic enim ille disputabat : « Omnes ab Adamo usque ad Noe nati mortales Deum natura unum et vere rerum omnium architectum ac dominum coluerunt. Traducitur enim nullus tanquam alios deos et dæmones impuros veneratus [49]. » Quod quidem ipsi ita persuasum fuit, ut illud alibi repetere non dubitaverit. « In sacris, inquit, litteris neminem penitus reperiemus eorum, qui id temporis exstiterunt deorum multitudinis criminibus implicatum [50]. » Verum huic ex solo Scripturæ sacræ silentio deductæ probationi, alii respondent, etsi nemo in illa hujus criminis reus expresse et signanter notetur, implicite tamen et generatim plures eo nomine, ut supra observatum est, argui et condemnari.

Contra tamen Eusebius pro certo, uti vidimus, ac plane indubitato ponit hunc omnium gentium de multitudine deorum errorem nonnisi post longam ætatum seriem a Phœnicibus et Ægyptiis initium duxisse, atque ab illis ad alias nationes, atque in primis ad Græcos derivatum. Quapropter quod ex Clemente nostro supra retulimus, homines ab Orpheo, Amphione et Arione primum ad idola, prætextu musicæ adductos, id ita intelligendum videtur, ut de Græcis hominibus, vel fortassis de aliquo ex septem modis, quibus homines, ut ipse narrat, ad idololatriam prolapsi sunt, debeat explicari. Illud quippe non solum ex his quæ a nobis hactenus disputata sunt, perspicue ostenditur, verum etiam ex ipsomet Eusebio, qui de Orpheo et Cadmo hæc plane et definite scribit : « Primum ex his Orpheum memorant, Hiagri filium, translata secum Ægyptiorum mysteria cum Græcis hominibus communicasse, Phœnicum autem religiones apud eosdem una cum ipsarum litterarum disciplina Cadmum intulisse [51]. » Eamdem porro esse Clementis mentem inde liquido conficitur, quod ille, ut jam observavimus, de primo falsorum deorum cultu nihil audeat pronuntiare. Sed quo obscurior est hujusce **51** erroris fons et origo, eo clarius patet quibus primum modis homines, relicto veri uniusque Dei cultu, creaturas ei stulte omnino et impie subrogarunt.

At etiamsi hæc omnibus facilia esse videantur, Hervetus tamen id quod de primo ex septem idololatriæ modis a Clemente nostro traditur, Phryges adorasse lunam, se nullibi, quantum meminisse poterat, legisse palam aperteque declarat [52]. Quid ergo? An eum fefellit memoria, vel Diodori Siculi *Historium* nunquam legisse dicendus est? Quid enim his illius verbis, quibus de lunæ et solis cultu disputat, clarius et expressius? Παραδέδοται δὲ τῆς θεοῦ ταύτης κατὰ τὴν Φρυγίαν γένεσις [53]. At si Phryges, ut ille ait, lunam in sua patria natam credidere, quis cultum aliquem ab illis eidem lunæ exhibitum fuisse inficiabitur? Sed argumentis id probare nihil sane opus est; quod quidem a Strabone diserte assertum videmus : « Est autem, inquit, hoc quoque templum lunæ, ut quod in Albanis est, et quod in Phrygia [54]. »

ARTICULUS II.

De primis deorum templis, et eorum origine.

Clementi nostro certiora non videntur templorum diis dicatorum, quam cultus eorum primordia. Falsitatis siquidem arguit illorum sententiam, qui primam templorum originem in Phoroneum seu Meropen refundendam esse putaverunt : « Seu Phoroneus, » verba sunt Clementis, « ille fuerit, seu Merops, seu aliquis alius, qui eis posuerunt templa et altaria, etiam sacrificia eis primi obtulisse fabulose dicti sunt. Nam posterioribus quidem certe temporibus finxerunt deos, quos adorarent [55]. » At Arnobius tamen initium templorum Phoroneo, aut Meropi, vel ut Varro testatur, Æaco, Jovis filio, tribuendum esse his definit verbis : « Templorum si quæris scire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur, at tradit in *Admirandis* Varro, Jovis progenies Æacus [56]. »

Quo autem tempore vixerit Phoroneus, si petas, ex ipsomet Clemente nostro audies : « Fuit autem in Græcia tempore quidem Phoronei qui fuit post Inachum, inundatio quæ fuit tempore Ogygis, etc... Acusilaus enim dicit Phoroneum fuisse primum hominum. Unde etiam poeta *Phoronidis* dixit eum fuisse patrem mortalium hominum. Hinc Plato in *Timæo*, secutus Acusilaum, scribit : Et cum vellet eos aliquando inducere, ut dicerent de rebus antiquis hujus civitatis, aggreditur dicere quæ sunt antiquissima de Phoroneo, qui dictus est primus, et de Niobe, et quæ fuerunt post diluvium [57]. » Idem Platonis testimonium refert Eusebius, qui Phoroneum Inachi et Niobe filium, aut, ut alii volunt, Niobe patrem anno post Abrahamum 210 vixisse perhibet [58]. Verum quod Acusilaus scribit illum primum fuisse hominem, fabula est plane ridicula et ab omnibus explosa. Scaliger vero in hunc Eusebii locum scite observat Græca Platonis verba pravum in sensum et a mente ejus plane alienum detorqueri.

Quæ autem fuerit ipsiusmet Eusebii de templorum origine sententia, si scire cupias, ille tibi apertissime declarabit nulla apud vetustissimos homines fuisse templa : « Ac primos quidem et vetustissimos, inquit, homines, nihil vel in templis exstruendis, vel in erigendis simulacris, operæ ac studii posuisse, cum necdum istæ pingendi, fingendi, cælandi, statuas efficiendi, ac ne domos quidem tectaque ædificandi, artes inventæ ac constitutæ essent, cuivis, opinor, rem apud se reputanti facile constabit [59]. » Lactantius vero quæ ab Eusebio de vetustissimis hominibus traduntur, ea de ipsis nominatim Ægyptiis et Hebræis per totum fere terrarum orbem dispersis sic ascribit : « Sed

[48] Gen. vi, 13. [49] lib. i Cont. Julian., p. 16. [50] lib. iii Cont. Julian., p. 110. [51] Euseb. lib. i Præpar. evang., c. 6, p. 17 et 18. [52] Clem. Admon. ad Græc., p. 16. [53] Diodor. lib. iii Hist., p. 155 et 134. [54] Strab. lib. xii Geogr., p. 557. [55] Clem. Admon. ad Græc., p. 28. [56] lib. vi Adv. gent. init. [57] lib. ii Strom., p. 321. [58] Euseb. in Chron. ad an. 210. [59] lib. i Præpar. evang., c. 9, p. 29.

Digitized by Google

omnium primi, » ita ille loquitur, « qui Ægyptum occuparunt cœlestia suscipere atque adorare cœperunt. Cæteri autem qui per terram dispersi sunt, admirantes elementa mundi, cœlum, solem, terram, mare, sine ullis imaginibus ac templis venerabantur, et his sacrificia in aperto celebrabant; donec processu temporum potentissimis regibus templa ac simulacra fecerunt, eaque victimis et odoribus colere instituerunt [60]. » Nulla igitur ille non modo ante diluvium, sed longo etiam post illud temporis intervallo testatur fuisse templa, nullasque deorum imagines. Ante jacta enimvero regnorum fundamenta, nullæ, illo teste, fuerant ædes diis sacræ, et quæ primum visæ, eæ non soli et lunæ, aut astris, seu quibuslibet aliis creaturis, quibus divina natura ab hominibus primum ascripta est, sed potentissimis regibus ædificatæ sunt.

Ab Herodoto tamen scriptum legimus hanc fuisse Ægyptiorum opinionem, « se primos diis, et aras, et simulacra, et delubra statuisse; quin etiam animalia in saxis sculpsisse; quarum rerum pleraque ita effecta opere demonstrabant [61]. » Et id quidem antiquissima Sanchoniathonis, cujus verba ex Philone Biblio retulit Eusebius, potest auctoritate haud absurde confirmari. Ex utroque enim narrat ille Phœnices et Ægyptios divinis honoribus eos affecisse, quos sibi plurimorum auctores bonorum esse persuasum habebant: « Ac templorum, inquit, usu, quæ jam ante constructa fuerant, hoc ad munus officiumque traducto, columnas insuper, statuasque ligneas ipsorum nomine consecrarunt. Καὶ εἰς τὸ χρεὼν καταστάντας ναοὺς μετασκευασάμενοι στηλάς τε καὶ ῥάβδους ἀφιέρουν ἐξ ὀνόματος αὐτῶν [62]. De Persis autem Herodotus ante citatum a nobis locum dixerat: « Neque statuas, neque templa, neque aras exstruere consuetudo est: quinimo hoc facientibus insaniæ tribuere, ob id, ut mea fert opinio, quod non, quemadmodum Græci, sentiunt deos ex hominibus esse ortos [63]. » Addit tamen illos Jovi, soli, lunæ, aliisque in loco mundo sacrificasse, certisque ritibus immolasse hostias.

Prima porro deorum templa, atque etiam simulacra ab Osiride, Jovis filio, apud Ægyptios primum condita fuisse, his verbis non obscure Diodorus Siculus significat: « Multi tradunt conditum ab Osiride parentibus Jovi et Junoni templum, magnitudine et structura nobile, fanaque insuper duo Jovi aurea, majus cœlesti, minus qui regnavit illic, patri suo, quem Ammonem vocant, dedicasse ipsum ferunt. Statuisse etiam aliis diis sacella ex auro, suis unicuique honoribus attributis, et sacerdotibus curæ sacrorum præfectis. In pretio autem singulari apud Osirim et Isidem habitos inventores artium, et qui utile quidpiam architectarentur. Ideo æris et auri officinis in Thebaide repertis, fabricata arma.... simulacra quoque et fana deum aurea elaborarent [64]. » Si contendas tamen Diodorum de aureis tantummodo loqui deorum templis, non audemus quidem tibi omnino repugnare. Verum quia ille de iis, quæ primum condita fuere, templis disputare videtur, nulla idcirco ex viliori **52** aliave materia, secundum vanam Ægyptiorum opinionem, apud eos prius excitata fuisse haud dubie significat.

Diogenis tamen Laertii ætate fama quorumdam sermone percrebuerat, delubra primum ab Epimenide, poeta et philosopho, diis esse constructa. In hujus enimvero philosophi vita hæc ille litteris mandavit: « Fertur primus agros expiasse, delubraque erexisse [65]. » At cum Epimenides, Lycurgo legislatori coævus, circa Olympiadem XLIV vixisse dicatur, is sane rumor de delubris, ab eo primum erectis, falsus esse convincitur.

A vero itaque ii forsitan minus recedunt, qui longe post receptam de pluribus diis opinionem, et fortasse post fundata stabilitaque prima regum imperia assignandam putant templorum originem et principium. Ea sane videtur esse Cypriani sententia, quam ille initio libri *De idolorum vanitate* sic declarat: « Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa; inde ad defunctorum vultus, per imaginem detinendos, expressa simulacra, quibus et immolabant hostias, et dies festos dando honores celebrabant; inde posteris facta sunt sacra, quæ primis fuerunt assumpta solatia [66]. » Si quis tamen velit antequam in regum, ut vidimus, honorem illa magnis sumptibus et magnificentia regali ædificarentur, quibusdam in locis, ac nonnullis deinde privatis in ædibus, quæ templa quoque appellata fuerunt, astris et primis, ut diximus, diis oblata fuisse sacrificia, idque certis validisque probaverit rationibus, nos suam in sententiam haud ægre pertrahet. Testatum etenim Varro facit editis quibusdam locis, et sub dio positis, ubi augures avium volatus observabant, impositum fuisse templi nomen: « Templum, » siquidem ait ille, « tribus modis dicitur, a natura, ab auspicio, a similitudine. Natura, in cœlo; ab auspiciis in terra; a similitudine, sub terra [67]. » At cum de templis secundi tantummodo generis quæstio esse possit, quid de iis idem Varro dicat, audiamus: « In terris dictum templum locus augurii aut auspicii causa, quibusdam conceptis verbis finitus..... In hoc templo faciendo arbores constitui fines apparet, et intra eas regiones, qua oculi conspicient, id est tuimur; a quo templum dictum et contemplare, ut apud Ennium in *Medea:*

Contempla, et templum Cereris ad lævam aspice.

Narrat etiam Aulus Gellius ab eodem Varrone traditum scriptis: « Non omnes ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse, » sed ea loca, quæ augures constituerant. Quamobrem postea addidit: « Propterea, et in curia Hostilia, et in Pompeia, et post in Julia, cum profana loca fuissent, templa esse per augures constituta [68]. » Legesis Jul. Cæsar. Bulengeri excerptum de templis ethnicorum.

ARTICULUS III.

Templa deorum esse mortuorum hominum sepulcra ubi de Immari tumulo, et utrum ille Eumolpi et Dairæ filius fuerit. De sepulcris filiarum Celei ac Hyperoches, et Laodices, atque etiam Clearchi, et Leucophrynes, ac Telmesii vatis, et regis Cyrinæ, citatisque auctoribus Leandrio et Zenone Mindio.

Sumptuosa porro et magnifica deorum templa cum summo apud gentiles essent in honore, idcirco Clemens noster, ut illos ab hoc errore avocet, evidentissime ostendit illa esse mortuorum hominum sepulcra: « Quæ quidem, inquit, nam nec ipsa præteribo, specioso quidem nomine templa dici, fuisse autem sepulcra, hoc est, sepulcra ipsa vocata fuisse templa. Vos autem vel nunc saltem dæmonum cultus et superstitionis obliviscamini, sepulcra colere erubescentes [69]. » Illud autem ibi non minus certa, quam longa inductione demonstrat. Quæ quidem Clementis probatio tanti ponderis Christianis scriptoribus visa est, ut illa non solum ab Arnobio [70], quemadmodum Hervetus recte observat, usurpata fuerit; sed totum etiam illud Clementis fragmentum ab Eusebio [71] et Cyrillo Alexandrino [72] totidem de-

[60] Lactant. lib. II De orig. erroris, pag. 215. [61] Herodot. lib. II, § 4. [62] Euseb. lib. I Præpar. evang., c. 9, 32 et 33. [63] Herodot. lib. I, § 131 et 132. [64] Diodor. lib. I Bibl., p. 9. [65] lib. I De vita et dogm. philos., § 112. [66] Cypr. lib. De idol. van. init. [67] Varro post init. lib. VI De ling. Latin. [68] Aulus Gell. lib. XIV, c. 7. [69] Admon. ad Græc., p. 29. [70] Arnob. lib. VI Adv. gent., p. 193. [71] Euseb. lib. Præpar. evang., c. 6, p. 71. [72] Cyril. Contr. Julian., lib. X, p. 342.

Digitized by Google

scriptum sit verbis. Theodoretus [73] quoque id, sed stylo suo ita retulit, ut incertum plane videatur utrum a Clemente potius quam Eusebio vel Cyrillo fuerit mutuatus. Quod quidem a nobis ideo animadvertitur, tum quia ab Herveto prætermissum est, tum præcipue quia ex Eusebio et Cyrillo variantes quædam colligi possunt lectiones, quibus auctoris nostri textus corrigi potest et illustrari.

Nam plura, quæ hos inter se auctores componenti facilia sunt, ut omittamus, id a nonnullis in Clementis textu corruptionis arguitur, quod de Immari sepulcro ibidem legimus : « Immarus filius Eumolpi et Dairæ, num fuit sepultus in ambitu Eleusinii, quod est sub arce [74]. » In textu namque Clementis qui Immarus, Ἴμμαρος, dicitur, hunc Hervetus ex Pausania Immaradum appellandum esse haud absurde probari posse arbitratus est. Hanc autem opinionem ex Cyrillo, si ejus legisset librum, pari quoque modo confirmare poterat. Corrigendus etiam Eusebii textus, ubi simili errore Ismarus, Ἴσμαρος, pro Immaro amanuenses librarii scripsere.

Quod autem apud Clementem sequitur : « Immarus autem filius Eumolpi et Dairæ : » Ἴμμαρος δὲ ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας, id quidam adhuc depravatum esse censent. Arnobius etenim Dairam Immarachi fratrem fuisse his testatur verbis : « Dairas et Immarachus fratres in Eleusini, vel potius in Eleusinii [75], ut apud Clementem nostrum Ἐλευσινίου, concepto, quod civitati subjectum est. » Verum Arnobii forsitan potius quam aliorum hic error est. Neque enim in solius Clementis, sed Eusebii etiam et Cyrilli textu constanter legimus : « Immarus seu Immaradus Eumolpi et Dairæ filius. » ὁ Εὐμόλπου καὶ Δαείρας. Ex Pausania autem discimus Immaradum revera Eumolpi filium fuisse : « Commissa inter Eleusinios et Athenienses pugna, hinc Erechteus rex Atheniensium, illinc Eumolpi filius Immaradus cecideruntque [76]. » Et paulo superius : « Habet autem et inter Eponymos locum suum Erechteus, qui Eleusinios prælio vicit, eorumque ducem Immaradum Eumolpi filium interfecit [77]. » Recte igitur Immaradus sive Immarus a Clemente nostro et aliis filius Eumolpi dicitur.

De sola itaque Daira potest esse aliqua contentio. Illam quippe idem Pausanias Mercurii potius quam Immaradi uxorem fuisse his verbis significat : « Eleusinem heroem, unde oppidum nomen habet, nonnulli Mercurio et Daira Oceani filia genitum putant [78]. » At id ille cum omnino incertum esse dicat, et plura de originibus suis ab Eleusiniis falso prodita affirmet, vero prorsus simile est quod ait Clemens Eumolpum ex Daira uxore sua Immaradum procreasse, hoc ex aliis scriptoribus ab ipso fuisse desumptum. Videsis 53 Murcium, lib. II *De regibus Atheniensium*, capite 8, ubi de Immaro, sicut et cap. 1 de Erichtonii sepulcro, cujus auctor quoque noster meminit, quædam observat.

Celei porro filias Eleusine sepultas ibidem Clemens memorat. Quæ autem illæ fuerint si rogaveris, idem Pausanias respondebit eas a Pampho et Homero Diogeneam, Panmeropen et Sæsaram cognominari [79].

Hervetus non audet asserere quorumnam Hyperboreorum uxores fuerint Hyperoche et Laodice, quas Clemens deinde « in Artemisio et in templo Delii Apollinis » humatas testificatur. Sed ille Herodotum procul dubio non legerat. Ab illo enim accepisset opinionem Deliorum fuisse eas ab Hyperboreis, ut sacra ad se in Delum deferrent, missas, ibi ex hac migrasse vita. Quam sane ob causam Delii harum sepulcrum virginum venerabantur : « Primum Hyperboreos, ait, misisse duas puellas, quæ ferrent hæc sacra, quas Delii aiunt Hyperochen et Laodicen, et cum his tutelæ gratia quinque ex suis popularibus, qui eas deducerent..... Cæterum his virginibus Hyperboreis vita functis in Delo, parentant puellæ Deliæ ac pueri tonsis utrique crinibus, quos puellæ quidem fuso involutos supra monumentum deponunt. Pueri autem ad quamdam herbam applicantes, et ipsi sepulcro imponunt. Est autem monumentum intra Artemisium ad sinistram intrantibus, oleaque supra ipsum est nata. Hoc honore ab incolis Deli afficiuntur hæ virgines [80]. » Quis autem non videt Clementem et celeberrimos illos scriptores, qui ejus postea descripserunt verba, sententiæque subscripserunt, non alio prorsus, quam ad hancce collineasse sive veram sive falsam Deliorum opinionem?

Porro autem obiter observandum Hyperochen et Laodicen a Clemente, Eusebio et aliis vocari τὰς Ὑπερβορέων γυναῖκας : ab Herodoto autem, παρθένους *virgines* et κόρας *puellas*. Quamobrem vox γυνὴ apud Clementem non uxorem, ut Hervetus, et alii interpretes putarunt, sed feminam simpliciter et virginem significat. In quærendis igitur earum maritis Hervetus oleum et operam omnino perdidit.

Videamus itaque an melius utrumque in explicandis subsequentibus Clementis nostri verbis insumpserit. Ait autem Clemens : « Leandrius dicit Clearchum fuisse Mileti sepultum in Didymæo. » Quid in nunc locum Hervetus? Subdubitat num Clearchus ille sit, cujus Pausanias, ubi de Leontisci statua loquitur, mentionem facit. At nihil aliud de eo Pausanias ibi memoriæ prodidit, nisi « Pythagoram Rheginum didicisse ferunt artem statuariam a Clearcho Rhegino Euchiri discipulo [81]. » Sed quid hæc, ut inter deos, quemadmodum narrat Clemens, sepultura ei daretur, faciebant?

Alium Suidas refert Clearchi nomine insignitum, qui apud Heracleotas « rerum potitus, crudelissimus fuit, et inexpugnabili superbia incensus, adorari se et cœlestium deorum honoribus honorari, divinos honores sibi haberi volebat et vestes diis familiares et illorum simulacris convenientes induebat [82]. » Attamen quia illum et Dei vindicta, et Chionis manu, ut tyranno patriam liberaret, necatum perhibet, quis crediderit tantæ crudelitatis hominem divina sepultura fuisse decoratum?

Certe is honos longe potiori jure debitus ac delatus videtur Clearcho, Græcorum duci, quem cum aliis ducibus obtruncari atque feris et avibus dilaniandum objici Artaxerxes jusserat. Ctesias enim, teste Plutarcho, publicis litteris consignavit hujusce « Clearchi cadaveri venti procellam cumulum terræ excitasse, atque injecisse corpori, idque contexisse; quo loco enato palmeto brevi eximium nemus excrevisse, ac locum eum inumbrasse. Itaque magna ductum pœnitentia regem, quod virum diis charum peremisset Clearchum [83]. » Quod quidem postea Alexander ab Alexandro, tanquam rem plane stupendam et dignam admiratione suis in libris brevius transcripsit [84]. Hunc autem Clearchum Mileti sepultum certo quandoquidem affirmari non potest, utrum de illo loquatur Clemens, definire non audemus. Non alia itaque de causa hæc a nobis proferuntur, nisi ut omnibus inde pateat quam vanis Hervetus conjecturis plerumque ducatur et indulgeat.

Neque porro ille nobis videtur legisse aut animadvertisse pro nomine Κλέαρχον, quod in Clementis nostri [85], et qui ejus verba exscripsit, Cyrilli Alexandrini textu exhibetur, apud Eusebium eorumdem Clementis verborum exscriptorem haberi Κλεόμαχον.

[73] Theodor. tom. IV, serm. 8, p. 597. [74] Admon. ad gent., p. 29. [75] loc. cit. [76] Pausan. lib. I Attic., p. 36. [77] ibid. p. 35 [78] ibid. p. 37. [79] Pausan. ibid. p. 36. [80] Herodot. lib. IV Melpom., c. 35. [81] Pausan. lib. VI Eliac., p. 481. [82] Suidas ad verbum Κλέαρχος, p. 1467. [83] Plutarch. in Vita Artaxerxis, p. 1020. [84] Alexand. ab Alexand. lib. VI Genial. dier, c. 14. [85] supr. cit.

Digitized by Google

Apud Theodoretum quoque eadem plane, nullo tamen auctore citato, ita repræsentantur : « Et Mileti Cleomachum, τὸν Κλεόμαχον, intus in Didymi templo situm esse auctor est Leander [86]. » Totidem itaque pro utroque nomine militant auctorum vel potius librariorum testimonia, parque et æqualis auctoritas. In quam ergo partem moveri debeamus, dictu certe difficillimum est. Attamen quia Clearchus Cleomacho longe clarior esse videtur, pro illius in Clementis nostri textu, retinendo nomine magis propendemus. Sua tamen unumquemque, quam potiorem probaverit, maneat sententia.

Cæterum Leandrius seu Leander, quem non hic solum, sed et alibi non semel testem citavit Clemens [87] idem esse creditur, ac is quem Diogenes Milesium appellavit [88]. De eo autem Vossius plura disputat [89], quæ cum omnibus obvia sint, iis describendis supersedendum arbitramur.

Age vero, et quid de aliis sepulcris seu templis Clemens tradiderit, examinemus : « Sed nec Leucophrynes monumentum ex auctoritate Myndii Zenonis hic prætermittendum est, quæ in templo Dianæ sepulta est Magnesiæ [90]. » Monet autem Hervetus Pausaniam Dianæ Leucophrynes, quæ Magnesiæ colebatur, meminisse quidem ; sed de Leucophryne, quæ in illius Dianæ templo sepulta dicitur, monumento nihil a se neque apud Pausaniam, neque apud Strabonem, aut quoslibet alios scriptores plane repertum.

Verumtamen præter citatum ab Herveto Pausaniæ locum, rursus alibi ejusdem Dianæ ille meminit [91] ; ita tamen ut utroque in loco non Dianæ templi, sed illius duntaxat simulacri mentionem faciat [92]. Strabo autem de hoc templo : « In ea, inquit, quæ hodie Smyrna, fanum Dianæ Leucophrynes, magnitudine quidem templi et multitudine donariorum Ephesio cedens, concinnitate autem et artificiosa delubri structura longe superius, magnitudine etiam omnia Asiatica superat, duobus exceptis, Ephesio et quod Didymus est [93]. » Deinde vero subjungit hunc locum, ubi tunc Smyrna sita erat, primum a Magnetibus, et postea a Magnesiis fuisse occupatum. Nulli itaque dubium esse potest sermonem hocce de templo a Clemente haberi. Denique præter Eusebium et Cyrillum Alexandrinum, qui ejusdem Clementis nostri 54 verba descripserunt, Theodoretus dixit : « Leucophrynem apud Magnesiam in Dianæ fano sepultam refert Zeno Myndius [94]. »

Quæ autem Leucophrynes ibi sepulta sit, si quis pelierit, ab Herveto audiet vero sibi videri simile eam esse mulierem, a qua cognomen Leucophrynis Diana accepit. Sed in animum quis sibi facile inducat sepulcrum mulieris templo Dianæ, quod antea conditum fuerat, suum dedisse nomen ? Ex loco Leucophryne prius cognominato, suam templum illud appellationem sumpsisse verisimilius alicui videbitur. In Græcis autem hujusce *Admonitionis* ad Græcos scholiis ad regii manuscripti codicis marginem descriptis legimus Λευκοφρύνη, Ἄρτεμις ἐν Μαγνησίᾳ ὀνομάζεται. Sed qua auctoritate id dicatur, non videmus. Hanc enim Clemens ab illa aperte distinguit.

Porro autem etiamsi quæ tandem fuerit illa Leucophryne certo nullus possit indicare, de Clementis tamen narratione, quam Zenonis Myndii testimonio confirmat, nulla sane est dubitandi ratio. Verum hujusce nominis octo a Diogene Laertio scriptores recensentur [95]. Quapropter quem ex his Clemens noster revera citaverit, eruditi disputant. Menagius vero hunc septimum esse putat, qui a Diogene grammaticus et plura epigrammata scripsisse perhibetur. Ille itaque hæc Arnobii verba : « Myndius profitetur, ac memorat Zeno, » transposita, et in hunc ordinem : « Zeno Myndius profitetur et memorat, » restituenda esse existimat. Verumtamen in prima lectione videtur procul dubio esse hyperbasis, seu hyperbaton, quod sæpe sæpius in Arnobii scriptis occurrit. Quamobrem nihil plane in textu, codicum omnium auctoritate firmato, mutandum est.

Quæ idem Arnobius ex Clemente nostro continenter subnectit, in iis longe potiori jure quædam librariorum menda esse suspicantur. In antiquis siquidem librorum ejus editionibus hæc legebantur : « Sub Apollinis arula, quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem non scriptis constantibus indicatur Agesarchi ? Ptolemæus Philopator, quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni sua, imo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse litterarum auctoritate declarat [96]. »

Sed qui ultimæ hujus libri editioni præfecti fuere, depravationis admoniti, locum illum ex genuino Clementis nostri, Eusebii et Cyrilli Alexandrini textu sic emendarunt : « Sub Apollinis Arula..... indicatur ? Ptolemæus Agesarchi de Philopatore, quem edidit primo Cyniram [97], » etc.

Et recte quidem. Clementis enim hæc ipsissima sunt verba : Οὐδὲ μὴν τὸν ἐν Τελμισσῷ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος, ὃν μνῆμα εἶναι, καὶ αὐτὸν Τελμισσέως τοῦ μάντεως ἱστοροῦσι· Πτολεμαῖος δὲ τοῦ Ἀγησάρχου ἐν τῷ α' τῶν περὶ τὸν Φιλοπάτορα, ἐν Πάφῳ λέγει ἐν τῷ τῆς Ἀφροδίτης ἱερῷ Κινύραν, καὶ τοὺς Κινύρου ἀπογόνους κεκηδεῦσθαι. « Sed neque prætermittendam Apollinis aram, quæ est in Telmisso, quam ipsam quoque scribunt esse monumentum Telmissi vatis. Ptolemæus autem filius Agesarchi, in primo eorum quos scribit de Philopatore in Papho, in templo Veneris sepultum esse ait Cinyram, et ejus nepotes. »

Nemini vero obscurus esse potest horum Clementis verborum sensus. De Telmisso autem vate Hervetus fatetur se nihil usquam legisse ; sed Telmissi oppiduli situm ex Strabone, et ex verbis solius Arriani a Cælio Rhodigino relatis accepisse ibi præstantissima esse mulierum, puerorumque vaticinia. Ecquid ergo ? Nunquid ille nihil de illo citatis Arnobii, Eusebii et Cyrilli Alexandrini testimoniis compertum habuerat ? Nunquid ille nunquam legerat hæc Theodoreti verba ? « Apollinis aram, quæ apud Telmessum est, Telmesii cujusdam vatis monumentum esse ferunt [98] ? » Nunquid tandem Ciceronis *De divinatione* libros non evolverat, aut ex memoria ejus illud penitus exciderat, quod in eorum primo de Telmisso, ejusque civibus scriptum occurrit : « Telmessus in Caria est : qua in urbe excellit aruspicum disciplina... Caria tota præcipueque Telmessus... in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt [99]. » Quamobrem Crœsus, Herodoto auctore [1], ad Telmissenses hujusce artis peritissimos consulendum misit. Quid vero, quod Tatianus, et post eum noster ipse Clemens, et Eusebius, ut alibi a nobis observatum est [2], « divinationem, quæ fit per somnia, » a Telmissensibus inventam perhibent ? Hæc itaque Hervetus, si attente legisset, in animum forsitan suum facile induxisset hunc Telmessum vatem, cujus sepulcrum a Clemente et aliis indicatur, ex his unum esse, qui aliis popularibus suis divinandi scientia sic antecelluit, ut ab eo nomen suum acceperint. De hoc porro vate in se-

[86] Theodor. tom. IV, serm. 8, p. 598. [87] lib. I Strom., p. 300, et lib. VI, p. 629. [88] Diogen. lib. I De vita philos. in Vita Thale. [89] Voss. lib. III De hist. Græc., p. 382. [90] Admon. ad gent., p. 29. [91] lib. I Attic., p. 24. [92] item lib. III Lacon., p. 100. [93] Strab. lib. XIV Geogr., p. 647. [94] Theodor. tom. IV, serm. 8, p. 598. [95] lib. VII De vita et dogm. philos. in Vita Zenonis. [96] lib. VI Adv. gent. post init. [97] loc. sup. cit. [98] Theodor. tom. IV, serm. 8, p. 598. [99] Cicer. lib. I De divinat., p. 27. [1] Herodot. lib. I, p. 32. [2] lib. II Apparat., dissert. 5, c. 2, § 6.

Digitized by Google

quenti dissertatione aliquid adhuc animadvertemus.

Ad Cinyram quod spectat, is filius erat Thyantis Cypri regis, qui post patrem suum tertius eadem in Cypri insula regnasse narratur. Clemens autem tradit illum « in Papho, » quod scilicet Cypri oppidum erat, « in Veneris templo » fuisse sepultum. At idem ipse Clemens alibi scribit hunc Cinyram, Veneris amasium, et eam in deorum extulisse album, et obscenissima illius mysteria in lucem protulisse[3]. Quis ergo negabit aliquam inde haud prorsus improbabilem conjecturam capi posse illud Veneris templum, ubi Cinyras sepulturæ mandatus dicitur, illius revera delubrum fuisse Veneris, cujus ille nefario amore flagraverat? De aliis denique quorumdam deorum sepulcris infra, cum se dederit occasio, adhuc disputabitur.

ARTICULUS IV.

De templis deorum, ac præsertim Bacchi et Serapidis igne combustis et eversis; num inde Clemens contra paganos recte argumentetur, atque aliqua initio Ecclesiæ templa Christianis fuerint?

Paganos a superstitioso templorum suorum cultu ut efficacius Clemens deterreat, argumentum ex funesto illorum incendio petitum adhibet : « Scio ego, inquit, ignem posse convincere et mederi superstitioni. Si cessare ab amentia velis, ignis ad lucem te deducet[4]. » Pulchre quidem, nec sane ineleganter. Quantum autem hac in argumentatione sit virium et roboris, mox videbimus.

Templa porro, quæ igne ultore et vindice eversa sunt, sic ille ibidem enumerat : « Hic ignis et templum, quod erat Argis, combussit una cum sacerdote Chryside, et id quod erat Ephesi, Dianæ secundum post Amazones, et Romæ sæpe depopulatus est Capitolium. Sed nec abstinuit a templo Serapidis Alexandriæ; Liberalis autem Dionysii Athenis templum diruit. Sed et Delphici Apollinis prius rapuit procella, deinde ignis sapiens temperansque delevit[5]. »

Plura sane in hunc locum præsertim ex Pausania adnotat Hervetus. At de templis Dionysii, seu Bacchi Eleutherensis, atque etiam Serapidis, ante Clementis **55** tempora, igne combustis, nihil unquam se legisse ingenue confitetur. Monet tamen ecclesiasticos scriptores, puta Rufinum, Socratem et Sozomenum, aliud templi Serapidis notasse incendium, quod scilicet, Theodosio Magno imperante, diu post Clementis ætatem contigisse memorant[6].

Eusebii itaque libros non satis attente legerat Hervetus, aut certe oblitus fuerat se quædam apud eum vidisse, quæ huic Clementis nostri loco lucem possunt afferre. Nam ante Theodosii imperium ita ille scribebat : « Ubi Delphicum illud templum est, apud Græcos omnes omnique memoria celebratum? Ubi Pythius? Ubi Clarius? Ubi Dodoneus? Nam Delphicum sane oraculum jam tertium a Thracibus incensum fuisse constans fama est... Idipsum Romano item Capitolio circa Ptolemæorum tempora contigisse prodit historia; quibus etiam temporibus Vestæ delubrum ibidem conflagrasse ferunt. Præterea Julii Cæsaris ætate grande illud et Olympiacum Græciæ simulacrum, quod Olympiæ videbatur, fulmine divinitus ictum esse, aliudque simul Jovis Capitolini templum incendio, Pantheum igne fulminis, Serapium Alexandriæ non absimili conflagratione haustum periisse tradunt[7]. »

Neque etiam sextum Arnobii librum Hervetus legerat, ubi plura et ad Clementis mentem propiora tradita sunt. « Cum Capitolium toties edax ignis assumeret, Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit?... Ubi Juno regina, cum inclytum ejus fanum, sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret? Ubi Serapis Ægyptius, cum consimili gradu jacuit solutus in cinerem cum mysteriis omnibus atque Iside? Ubi liber Eleutherius cum Athenis? Ubi Diana cum Ephesi? Ubi Dodoneus Jupiter cum Dodone? Ubi denique Apollo divinus cum a piratis maritimisque prædonibus et spoliatus ita est, et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congesserunt sæcula, ne unum quidem habuerit scripulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit *Menippeis*, ostenderet[8]? » Hæc Arnobius non tantum de Serapidis templo, ante Theodosii regnum exusto, verum etiam de Liberii seu Dionysii Eleutherensis fano litteris mandavit.

Ad hæc vero, ex eodem Arnobio discimus templum illud, quod Clemens « Argis una cum sacerdote Chryside » combustum memorat, fuisse Junonis Argivæ. Verumtamen uterque de cremata Chryside ab aliis plane dissentiunt. Thucydides siquidem illam ab hoc incendio evasisse testatur : « Et templum Junonis, inquit, eadem æstate in Argo combustum, cum Chrysis sacerdos lychnum quemdam posuisset ardentem prope infulas, et mox somno correpta esset; ita ut ignara ipsa omnia conceperint flammam et conflagraverint. Et Chrysis quidem statim noctu, metuens Argivos, Phliuntem fugit[9]. » Pausanias vero eam non Phliunta, sed Tegeam aufugisse tradit : « Et Chrysis quidem, at ille, digressa Tegeam, Minervæ supplex confugit[10]. » Quod quidem et alibi repetit, ubi hanc Minervæ ædem sacrum illuc confugientibus asylum fuisse perhibet[11]. Videsis præterea Meursium libro III *de archont. Athen.*, cap. 6. Diligentiam itaque Herveti, quomodo hæc fugere potuerint, alii videant.

Verum, inquies, quid Clemens ex horum templorum eversione et ruina contra paganos conficere potuit? Nunquid Christianorum templa et ecclesiæ his casibus obnoxia non fuere? Nonne aliqua, igne, flammis, incendio vastata, penitus corruerunt? At non Clemens solus, sed alii non pauci Christianæ religionis defensores eodem usi sunt argumento. Maxima autem illius vis ac pondus in eo sita erant, quod pagani crederent deos suos in templis, eorum nomini dicatis, tanquam in ædibus sibi propriis ita habitare, iisque circumscribi, ut in aliis aliorum deorum delubris aliisque in locis minime præsentes adessent aut commorarentur. Quamobrem Clemens et alii nostræ religionis apologistæ ex falsa illa paganorum opinione recte arguebant hæc templa frustra ab iis coli et honorari, quandoquidem dii illorum et non aliorum domini atque habitatores non potuerunt ea ab igne et incendio defendere ac tutari.

Validum itaque illud contra ethnicos telum in Christianos, qui Deum templis minime circumscriptum esse prædicabant, retorqueri non poterat. Clemens autem id alibi apertissime docet : « Annon enim recte et vere nullo loco circumscribemus eum, qui non potest circumscribi? Neque in templis manufactis concludimus eum, qui omnia continet[12]. » Quid vero, quod alio in libro[13] ubi scite observat Moysen permisisse unum tantummodo templum Deo ad illius mundique unitatem significandam exstrui, ibidem quoque addidit ab ipsomet Deo ne templa ædificarentur, fuisse penitus vetitum? Hanc autem doctrinam ille hauserat ex Apostolo, qui in sua apud Athenienses oratione hæc habuit verba : « Deus qui fecit mundum et omnia, *non in manufactis templis* habitat[14]. » Stephanus vero apud

[3] Admon. ad Græc., p. 10. [4] Admon. ad Græc., p. 35. [5] ibid. [6] Ruffin. lib. I Histor., c. 22; Socrat. lib. v, c. 17; Sozom. lib. VII, c. 15. [7] Euseb. lib. IV Præparat. evang., p. 134. [8] Arnob. lib. VI Adv. gent. ante fin. [9] Thucyd. lib. VIII. [10] Pausan. lib. I, p. 59. [11] idem lib. III, p. 85. [12] lib. VII Strom., p. 744. [13] lib. V Strom., p. 593. [14] Act. XVII, 24.

Digitized by Google

Judæos : « Salomon ædificavit illi domum, sed non Excelsus in manufactis habitat [15]. »

Novum autem huic Clementis argumento robur inde accedebat, quod pagani Christianis nulla esse templa objicerent exprobrarentque. Ipsorum enim, teste Minutio Felice, hæc erat objectio et querela : « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, nunquam palam loqui, nunquam libere congregari [16] ? » Arnobius vero : « In hac consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam, non altaria fabricemus, non aras [17]. » Denique ut Lactantium, aliosque prætermittamus, nonne Celsus Christianos hujus criminis reos egit? Audi, quæso, Origenem : « Posthæc Celsus ait nos ararum, statuarum, templorumque dedicationes fugere; ut occulti fœderis fidem sanciamus hac seu tessera [18]. » Neque id Origenes in sua etiamsi haud parum prolixa responsione negasse, sed potius concedere omnino videtur. Ex hac igitur paganorum persuasione liquet, quam validum sit telum a Clemente adversus eorum templa vibratum, et ex eorumdem templorum destructione ab eo deducta argumentatio.

Quid ergo ? argues, nunquid Christiani primis Ecclesiæ sæculis nulla, quo congregarentur divinisque vacarent officiis, templa habebant? Nonne illis ab ipso Ecclesiæ nascentis initio quædam erant loca, domus et ædes, atque, ut loquitur Paulus, ecclesiæ in quas ad sacra mysteria peragenda omnes cogebantur, suosque, ut alibi diximus [19], agebant conventus et synaxes? « Convenientibus, inquit Paulus, vobis in ecclesiam, audio scissuras... aut Ecclesiam Dei contemnitis [20] ? » Ita etiam Tertullianus suas primis Christianis fuisse ecclesias nominatim docet, asserit, et prædicat : « Tota die, ait ille, ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis, in 56 ecclesiam venire, de adversarii officina in domum Dei [21]. » Et libro *De virginibus velandis :* « Certe in ecclesia virginitatem suam abscondant, quam extra ecclesiam celant. Timent extraneos, revereantur et fratres, aut constanter audeant et in vicis virgines videri, sicut audent in ecclesiis [22]. » Tertulliano alii antiquissimi Ecclesiæ Patres magno numero consensuque unanimi concinunt et suffragantur. Atqui hæ, inquies, ecclesiæ, nonne vera Christianorum templa dici debuerunt? Ad hæc vero, ex ipsomet Clemente nostro supra vidimus suas Christianis ipsius tempore fuisse ecclesias, ad quas summa cum modestia non solum accedere, sed illis adesse, ab iis recedere, et ad sua redire debebant. Qua ergo ratione negari potuit sua primis Christianæ fidei sectatoribus fuisse templa?

Duplici responsione haud multum difficilis hujusce argumentationis nodus solvitur. Primum enim etsi Christiani ecclesias haberent, eo tamen sensu illas templa esse inficiabantur, quo ab ethnicis pro sumptuosis et magnificentissimis, quibus deos suos, ut supra observatum est, plane conclusos et circumscriptos putabant, ædibus usurpari solebat. Deinde vero iidem Christiani acerbissimis sævientium imperatorum temporibus nulla certa et stata, ad suas synaxes peragendas, habebant loca ; sed quovis in loco, in agris, in solitudinibus, in stabulis, navibus, carceribus, et quo poterant tempore cogebantur. Locupletissimus enimvero et omni exceptione major hujusce rei testis est Dionysius, qui in sua paschali epistola hunc scripsit in modum : « Multa quidem acerba, et ante hanc calamitatem nobis contigerunt. Primum enim nos urbe expulerunt. Cumque soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas pertulimus, ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit [23]. » At certe si Christiani his locis ecclesiæ nomen indidere, ea certe jure merito noluerunt, nec ea qua diximus significatione, nec ullo plane modo templa appellari, imo vero nec pagani templa esse existimabant.

Neminem porro illud movere debet, quod quidam ex citatis auctoribus non solum templa, sed nec aras, nec altaria primos apud Christianos fuisse inficientur. Quo enim sensu eorum verba intelligenda sint, a nobis alibi explicatum est [24].

CAPUT VIII

De paganorum simulacris, statuis et imaginibus.

ARTICULUS I.

De simulacrorum, statuarum et imaginum apud paganos origine, et quod initio Scythæ acinacem, Arabes lapidem, Persæ fluvium, alii lignum, Romani hastam adorarent, ac de ligneo Junonis Cythæroniæ et Samiæ simulacro.

Clitarchus apud Laertium [25] testificatur magos, tametsi deorum cultui sacrificiisque ac precibus vacarent, signa tamen statuasque repudiasse. Apud Theodoretum [26] vero illa Xenophanes arguit, Zeno prohibet, et Plato obscurius, nec sine timiditate condemnat. Sed his nequidquam obstantibus, ubique fabricata sunt falsorum deorum simulacra, statuæ et imagines. Utrum autem illa paganorum templis sint priora aut posteriora, in quæstionem potest quis jure haud plane immerito vocare. Ea enimvero, quæ de templorum primordiis supra retulimus, antiquorum scriptorum testimonia, sic cum templis simulacra permiscent et conjungunt, ut utraque eorumdem auctorum judicio, in mundum eodem pene modo et tempore introducta videantur. Ab illorum autem opinione ipse etiam Clemens noster non longe forsitan abfuisse creditur, ubi hæc scriptis tradidit : « Merito ergo dæmonum cultus, cum aliunde cepisset principium, fons fuit stolidi vitii..... simulacra erigens, et templa ædificans [27]. » Postquam igitur impius dæmonum cultus adolevisset, tunc homines iisdem diis et dæmonibus, non solum ædificare templa, sed simulacra etiam erigere cœperunt.

Celeberrimi tamen scriptores magno sane numero et consensu docent templa in deorum honorem longe prius fuisse constructa, quam ullæ eorum statuæ, ullave simulacra facta unquam fuissent. Testatur siquidem Lucianus nulla primitus in tem-

[15] Act. VII, 47, 48. [16] Minut. in Octavio, p. 10, in 4. [17] lib. VI Adv. gent. init., p. 189 in 4. [18] Origen. lib. VIII Contr. Celsum, p. 521. [19] lib. II Apparat., dissert. 2, c. 7, § 15. [20] I Cor. XI, 18 et 22. [21] De idol., c. 7. [22] De virgin. vel., c. 13. [23] Euseb. lib. VII Histor., c. 22. [24] lib. I Apparat., dissert. 7, c. 8, § 1. [25] Laert. in procem., § 6. [26] Theodor. tom. IV, serm. 4, p. 519. [27] Admon. ad Græc., p. 28.

Digitized by Google

plis Ægyptiorum, quos mortalium omnium primos falsorum deorum cultum induxisse perhibet, fuisse simulacra : « Et ab Ægyptiis, inquit, Assyrii doctrinam de diis acceperunt, et sacra templaque erexerunt, in quibus simulacra posuerunt et statuas dedicarunt. Antiquitus autem etiam apud Ægyptios absque simulacris et statuis templa erant [28]. » In templis autem Romanorum per 170 annos nulla penitus posita fuisse deorum simulacra, his Plutarchus verbis memoriæ prodidit : « Numa vetuit Romanis hominis vel bestiæ formam tribuere Deo. Neque fuit ulla apud eos ante vel picta, vel ficta imago Dei; sed primos centum septuaginta annos templa exstruxerunt et cellas diis, simulacrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus, neque aspirari ad Deum aliter quam mente posse [29]. » Quod quidem non solum a Zonara suis in *Annalibus* confirmatum legimus [30], sed a nostro etiam Clemente [31], et posthæc ab Eusebio : « Numa autem rex Romanorum erat quidem Pythagoreus; ex his autem quæ a Moyse tradita sunt adjutus, prohibuit Romanis ne homini et animali similem Dei facerent imaginem. Cum itaque centum et septuaginta primis annis templa ædificarent, nullam imaginem, nec effictam, nec depictam fecere. Occulte enim eis indicarat Numa quod id, quod est optimum, non alia ratione quam sola mente ulli licet attingere [32]. « Quamobrem Varro apud Augustinum dicit « antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse [33]. »

Tertullianus tamen his temporibus nulla quoque Romanis quemadmodum simulacra, ita nec templa fuisse hunc videtur significare in modum : « Et si a Numa concepta est curiositas superstitiosa, nondum tamen aut simulacris, aut templis res divina apud Romanos constabat, frugi religio, et pauperes ritus, et nulla Capitolia certantia cœlo, sed temeraria de cespite altaria, et vasa adhuc Samia, et nidor exilis, Deus ipse nusquam. Nondum enim tunc ingenia Græcorum et Tuscorum fingendis simulacris Urbem inundaverant [34]. » At ibi vir ille doctissimus templorum nomine nihil aliud haud dubie intellexit, nisi magnificentissima illa ædificia, infinitis sumptibus et impensis constructa, quibus, ut supra diximus, pagani et deos suos circumscribi, et Christianos penitus carere opinabantur. Hanc autem esse Tertulliani mentem et sensum, inde colligi potest quod ille de omnibus generatim nationibus ea alibi scripserit, **57** quæ de Ægyptiis tantum et Romanis alii scriptores a nobis citati tradiderunt : « Idolum, inquit ille, aliquandiu retro non erat, priusquam hujus monstri artifices ebullissent, sola templa et vacuæ ædes erant, sicut in hodiernum diem quibusdam in locis vetustatis vestigia permanent [35]. » Ad singula, quæso, eruditi auctoris verba paulisper attende. Primo dicit : « Priusquam artifices ebullissent; » ut se de statuis, seu idolis, humana aut alia forma effictis, sermonem facere significaret. Secundo addidit : « Sola templa, et vacuæ ædes erant, » et hoc loquendi modo templa omnia cum simulacris illis, tum aliis quibuslibet vacua fuisse haud obscure indicavit.

Nec alia sane videtur fuisse Clementis nostri mens et sententia. Etenim ubi de primis deorum templis disputat, hæc continuo subjungit : « Posterioribus quidem certe temporibus finxerunt deos, quos adorarent [36]. »

Neque dixeris illuc, uti ex subjecto Cupidinis exemplo colligitur, de priori simulacrorum genere loqui. Prius enim quam illorum sic humana effigie formandorum ac pingendarum etiam imaginum ars fuisset inventa, non pauci homines, teste ipso et Clemente nostro, symbolis quibusdam, quæ in nullo templo collocata erant, deos suos adorabant et venerabantur : « Ac Scythæ quidem, ait ille, antiquitus adorabant acinacem, Arabes autem lapidem, Persæ vero fluvium; et ex aliis hominibus qui erant adhuc antiquiores, lignea erigebant insignia, et columnas ponebant ex lapidibus; quæ etiam appellabantur ξόανα, eo quod eraderentur et expolirentur ex materia. In Icaro certe imago Dianæ lignea erat non elaboratum, et Cithæroniæ Junonis Thespiæ truncus excisus, et Samiæ Junonis, ut ait Æthlius, prius quidem erat tabula..... Romæ autem antiquitus statuam Martis fuisse hastam, ait Varro; cum nondum pervenissent artifices ad hoc speciosum quidem, sed improbum artificium [37]. » Rursum autem postea : « Solo ense apposito tanquam Marti sacrificare, est autem hoc Scytharum, sicut dicit Eudoxus in secundo *De ambitu*. Ex Scythis autem Sauromatæ, ut Icesius ait in opere *De mysteriis*, adorant acinacem [38]. » Clementi non solum subscribit Arnobius, sed illius etiam sensum, ac prope verba sic reddidit : « Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memorialia ut indicant scripta, informem Arabes lapidem, acinacem Scythiæ nationes, ramum pro Cinxia Thespios, lignum Icarios pro Diana indolatum, Pessimuntios silicem pro deum matre, pro Marte Romanos hastam, ut Varronis indicant *Musæ;* atque ut Æthlius memorat, ante usum disciplinamque fictorum pluteum Samios pro Junone [39]. »

Si quis autem ista singulatim expendere voluerit, is primo Ammianum Marcellinum de gladio Martis disserentem audiat : « Alani pene omnes sunt pulchri... nec templum apud eos visitur, aut delubrum, nec tugurium quidem culmo tectum cerni potest, sed gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque et Martem regionum, quas circumcursant, præsulem verecundius colunt [40]. » Alanos vero Scythiæ solitudines incoluisse paulo superius dixerat. Vides itaque quomodo hæ nationes, antequam ullum apud eas templum ædificaretur, Martem sub ensis et gladii symbolo coluerint.

Nec minus clare Jornandes eumdem gladium Scytharum regibus sacrum semper fuisse asseverat. Ubi enim qua ratione gladius ille a pastore quodam inventus, et ad Attilam delatus fuerit, ex Prisco sophista, Theodosii junioris æquali et historiæ Byzantinæ scriptore explicat, hæc totidem verbis scripto tradidit : « Addebat ei tamen confidentiam gladius Martis inventus, sacer apud Scytharum reges semper habitus, quem Priscus historicus tali refert occasione detectum [41], » etc.

Postquam autem delubra a Scythis constructa sunt, ii majora et solemniora acinaci, quam cæteris diis, teste Herodoto, sacrificia faciebant : « Sub sarmentorum congerie ferreus acinacis, qui singulis vetustus est, statuitur; idque est Martis simulacrum, cui annuas hostias offerunt cum aliorum pecorum, tum equorum, et plus huic acinaci, quam cæteris diis [42]. » Plura si velis, adi, si vacat, Pomponium Melam libro secundo, capite primo, Solinum capite vicesimo et alios.

De lapide, quem Clemens deinde Arabas adorasse memorat, hæc Suidas paulo explicatius prodidit : « Deus Mars apud ipsos (Arabas) colitur. Simulacrum autem eius lapis niger quadratus, nullam fi-

[28] Lucian. De dea Syria init., p. 1057. [29] Plutarch. in Vita Numæ, p. 65. [30] Zonar. lib. VII Annal., § 5, p. 322. [31] Clem. lib. I Strom., p. 304. [32] Euseb. lib. VIII Præpar. evang., c. 6, p. 410. [33] S. August. lib. V De civit., c. 31, p. 111. [34] Tertul. Apolog., c. 25. [35] Tertul. De idololat., c. 3. [36] Admon. ad Græc., p. 28. [37] ibid. p. 29. [38] ibid. p. 42. [39] Arnob. lib. VI Adv. gent. post init. n. 196. [40] Amm. Marcell. lib. III, p. 620. [41] in Hist. Goth. [42] Herodot. lib. IV Melpom., c. 62, p. 244.

Digitized by Google

guram incisam habens, altitudine pedum 4, latitudine 2. Innititur autem aurea basi : » Τὸ δὲ ἄγαλμα λίθος ἐστὶ μέλας, τετράγωνος, ἀτύπωτος, ὕψος ποδῶν δ', εὖρος δύο· ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου [43]. Suidæ porro Maximus Tyrius [44], aliique suffragantur.

Ex eodem Herodoto illud egregie stabilitur, quod subjungit Clemens, Persas fluviis divinos tribuisse honores. « In flumen, inquit ille, nec immeiunt, nec inspuunt, nec manus abluunt, nec denique simile quidpiam faciunt : sed flumina inter omnia religiosissime colunt. » Ἀλλὰ σέβονται ποταμοὺς τῶν πάντων μάλιστα [45].

Sed agedum, et cætera, si lubet, persequamur. Audi, quæso, quod Tertullianus de ligno, quod a Clemente nostro Dianæ symbolum dicitur, scriptum reliquerit : « Quanto distinguitur a crucis stipite, Pallas Attica, et Ceres Pharia, quæ sive effigie rudi palo et informi ligno prostat [46]? »

Duplex deinde ligneum Junonis Cythæroniæ et Samiæ simulacrum Clemens memorat [47]. At prius quidem illud esse putant, quod Dædalum appellatum est, et cujus fabula a Pausania [48] et apud Eusebium [49] a Plutarcho integra describitur.

Posterius Junonis Samiæ ligneum fuisse simulacrum Æthlii auctoritate probat Clemens noster; sed quo in libro illud dixerit nobis non indicat. At si de libro cui *De limitibus Samiorum* titulus est, quique eidem Æthlio ascribitur, Clemens loquatur, certe Athenæus in dubium vocat [50], num ab illo vere profectus sit. Quapropter Plutarchus apud Eusebium illud certiori, uti videtur, Callimachi testimonio, conficere videtur : « Quin et Samii quoque ligneam Junonis effigiem habuere, ut scribit Callimachus [51]. » Magnam procul dubio huic Clementis nostri loco lucem afferret illud Plutarchi segmentum, si ea quæ sequuntur, aut injuria temporis, aut librariorum incuria et desidia penitus deleta non fuissent. Ex eo tamen haud inepte illa stabiliri possunt, quæ ex Clemente nostro de symbolicis lignis, quemadmodum ex Pausania ea quæ de lapidibus ab ipso generatim traduntur [52].

Præterea hastam apud Romanos fuisse antiquitus Martis simulacrum narrat Clemens, testemque ille, sicut et Arnobius, citat Varronem. Quod quidem his Justini historici verbis firmari potest : « Per ea adhuc tempora, » scilicet regis Numæ, « reges hastas pro 58 diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam et ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluere; ob cujus rei memoriam adhuc deorum simulacris hastæ adduntur [53]. »

Quod autem ad columnas attinet, id ipsemet Clemens alibi fusius explicat [54] : « Priusquam accurate perfecteque tenerentur imaginum habitus, veteres columnas erigentes, eas colebant tanquam statuas; atque idcirco sic scribit qui fecit *Phoronidem* :

Callithoe clavem reginæ gestat Olympi,
A qua Junonis serto, pulchraque corolla
Argivæ quondam primum exornata columna est.

Quinetiam, qui fecit *Europiam* significat eam, quæ in Delphis est, Apollinis imaginem esse columnam, per hæc :

Ut decimamque duos primos, fructusque dicemus
Sedibus ex sacrosanctis, celsæque columna. »

Denique Pausanias : « Prope, inquit, absunt pilæ septem, priscorum opinor ritu erectæ, quas errantium septem stellarum signa esse aiunt [55]. » De hoc autem aliisque symbolicis ejusmodi deorum simulacris, adisis Vincentium Chartarium ab Antonio Verderio Latine editum, et Ger. Joan. Vossium, lib. IX *De idololat. orig. et progr.*, cap. 5.

Ex dictis liquet quæ fides habenda Cedreno qui de simulacrorum origine ex Eusebio Pamphili, uti ille ait, hæc litteris mandavit : « Ex stirpe Japeti Seruchus quidam exstitit orator Græci moris, et simulacrorum cultum instituit, ut Eusebius Pamphili scriptum reliquit. Is enim Seruchus, ac qui cum ipso erant, majores suos qui bellatores vel imperatores facinus aliquod forte ac memorabile fecissent, statuis honoraverunt, divinisque honoribus et sacrificiis coluerunt. Ac posteri cum ignorarent primum hoc fuisse consilium, ut eorum, qui generis sui auctores ac bonorum inventores fuissent, memoriam duntaxat colerent, istos tanquam cœlestes deos honoribus et sacris sunt venerati [56]. » Planum siquidem fecimus antequam simulacra hominibus seu diis fuissent posita, falsum deorum cultum fuisse introductum et divinos quibusdam symbolis delatos honores.

ARTICULUS II.

De simulacris ad hominum similitudinem effictis, Jovis Olympici, et Patarei, Apollinis itidem Patarei, Apollinis obsonatoris et hiantis, ac Junonis Tirynthiæ; de Palladio ex Pelopis ossibus facto, et apud Demophoontem deposito; de statua Herculis Tirynthii, Dianæ Munichiæ, Dionysi Morichi a Simone facta, Serapidis magni dæmonis, et Veneris Tanaidis.

Ad ea deinde tempora Clemens transit, quibus homines artem simulacrorum, ad ipsorummet hominum similitudinem effingendorum, « Multis, » ut ipse ait, « postea annorum curriculis didicerunt [57]. » Variis autem exemplis, ex quibus nonnulla Herveto incognita jam attigimus, ille demonstrat paganorum errores, torrentis instar, omnes mundi partes penitus inundasse.

Inductionem porro suam ab Jove Olympico, de quo superius a nobis disputatum est, ille inchoat [58]. Quapropter quædam tantum, quæ de eodem Olympico Jove retulit, hic observabimus. Ait enim primo simulacrum illud ex « belluæ Indicæ factum » ossibus [59]. Eo autem nomine elephantem procul dubio intelligit, ex cujus dente, nimirum ebore, Phidias hanc, teste Plinio [60], fecit Jovis Olympici statuam.

Quoniam autem is Phidias Atheniensis erat, hinc Clemens secundo dicit illud Jovis simulacrum esse « surdum opus manuum Atticarum. » Addit autem esse imaginis imaginem : « Olympicus vester imago imaginis, longe a veritate discrepans, est surdum opus manuum Atticarum [61], » εἰκόνος εἰκών, inquit, quia erat imago hominis, qui et ipse Verbi divini imago erat. Denique illud vocat « surdum opus; » quippe quod minime vivum et animatum esset. Hæc autem tot sunt rationum momenta, quibus Olympicum illud Jovis simulacrum, quod omnium facile præstantissimum habebatur, nec illepide, nec sine sale Attico irridet atque exagitat.

De eadem procul dubio Jovis Olympici statua prius Clemens dixerat : « Dionysius tyrannus junior, cum auream vestem Jovi abstulisset in Sicilia, ἐν Σικελίᾳ, jussit eum indui lana, facete dicens eam aurea esse meliorem, ut quæ esset et æstate levior et

[43] Suidas in verbo Θεὸς Ἄρης. [44] Maxim. serm. 38. [45] Herodot. lib. I, § 138, p. 59. [46] Tertul. Apolog., c. 16. [47] pag. 30. [48] Pausan. lib. IX Bœot., p. 284. [49] Euseb. lib. III Præpar. evang., c. 2. [50] Athen. lib. XIV Deipnosoph., p. 650. [51] Euseb. lib. III Præpar. evang., c. 8. [52] Pausan. lib. VII, p. 228, 229. [53] Justin. lib. XLIII post init. [54] lib. I Strom., p. 348. [55] Pausan. lib. III, p. 90. [56] Cedren. Hist. comp., p. 45. [57] Admon. ad Græc., p. 43. [58] ibid. p. 30. [59] ibid. [60] Plin. lib. XXXIV Hist. natur., c. 8, p. 108 et 110. [61] Admon. ad Græc., p. 62.

Digitized by Google

hieme calidior [62]. » At Cicero id non in Sicilia, sed in Peloponneso factum fuisse affirmat [63]. Sed non minima inter Victorium [64] et Lescaloperium ea de re est contentio. Nam hic a Ciceronis sui, ille a Clementis nostri stat partibus, et uterque variis conjecturis, ac ea potissimum, quæ ex fano Jovis Olympici, tam in Peloponneso quam in Sicilia condito petitur, suam conantur propugnare opinionem. Utriusque rationes in eorum libris, unicuique facile obviis, legas velim et ponderes. Sed vide, quæso, an conjectura inde deducta quod Dionysius Siciliæ regnum et tyrannidem occupaverit, aliis præponderare non videatur.

Neque silentio id omnino prætermittendum est, quod Clemens postea narrat [65], Phidiam in hujus statuæ digito scripsisse : Παντάρκης καλός, hoc est, Pantarces pulcher : cujus hanc reddit causam : « Non erat enim ei pulcher Jupiter, sed is qui ab eo amabatur [66], » scilicet Pantarces, qui, teste Pausania, Phidiæ in amoribus fuit. Sensus itaque Clementis esse videtur Phidiam, hac plane ambigua inscriptione, non ad Jovem, uti omnes putabant, sed ad suum allusisse amasium Pantarcem. Observa tamen hanc eamdem inscriptionem a Gregorio Nazianzeno Minervæ simulacro his duobus versibus attribui :

Καὶ Φειδίου τὰ παιδικὰ ἐν τῷ δακτύλῳ
Τῆς Παρθένου γραφέντα πάντ' ἀρκεῖ καλῶς [67].

Qui a Latino interprete sic redduntur :

Sic pusionis Phidias in annulo
Scripsit Minervæ subdolus nomen sui.

Nonnihil itaque hic locus habere potest dubitationis; eburneam siquidem Minervæ, quemadmodum Jovis statuam a Phidia factam, Plinius his memorat verbis : « Phidias præter Jovem Olympicum, quem nemo æmulatur, fecit et ex ebore æque Minervam, quæ est in Parthenone astans [68]. » Nobis autem vero videtur similius in Jovis, utpote hominis, potius quam Minervæ feminæ simulacro, Phidiam pueri amasii sui expressisse imaginem. Huc accedit, quod ipsa quoque Græca inscriptio magis Jovi quam Minervæ convenire videtur.

Duplex aliud scribit Clemens ab eodem Phidia factum fuisse « in Pataris Lyciæ [69], » tam ejusdem Jovis quam 59 Apollinis cum dicatis leonibus simulacrum. Sed de his Hervetus nihil a se ullibi repertum ingenue declarat. Verum Natalis Comes aliquid de Apolline Patareo invenit, quod deinceps ab ipso litteris consignatum est [70]. Giraldus vero hunc Apollinem ab aliquibus Lycium vocari scite quidem observat [71]. Illud enim hoc Clementis nostri loco, ubi simulacrum ejus Pataræ in Lycia positum dicitur, potest liquido confirmari. Denique Pausanias, non solum Apollinis, sed etiam Jovis Lycii ac templorum utrique dicatorum non semel meminit [72]. De Patareis autem illorum statuis, a Phidia nominatim fabrefactis, si nihil apud alios scriptores tibi occurrat, ne, quæso, mireris. Tot namque ab eodem Phidia factæ sunt deorum statuæ, ut iidem ipsimet auctores, quibusdam commemoratis, plures alias silentio prætermiserint. Hinc illa Prudentii carmina :

Miror quod ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum, et aras, ipse Phidias habet,
Fabri deorum, vel parentes numinum.

Qui si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Jupiter conflatilis [73].

De duabus aliis Apollinis statuis itidem Clemens loquitur : Πολέμων δὲ κεχηνότος Ἀπόλλωνος οἰδέν ἄγαλμα, καὶ ὀψοφάγου πάλιν Ἀπόλλωνος ἄλλο ἐν Ἤλιδι τιμώμενον. « Polemon autem hiantis Apollinis unum, et obsonatoris rursus Apollinis alterum novit simulacrum, quod colitur in Elide [74]. » Docet Giraldus a Polemone in epistola ad Atticum Apollinis obsonatoris fieri mentionem, eumque hoc nomine helluonem et obsoniorum devoratorem notari [75]. Eamdem fortasse ob rationem statuam, ore hiante, ipsi in Elide posita est. Observat tamen Suidas Athenis impositum olim nomen κεχηνότων, *hiantium*, propterea quod « Athenienses nugarentur, et sublimia cogitarent [76]. » Itaque suspicari quis posset hoc Apollinis simulacrum inde « hiantis » accepisse cognomen. Attamen quia Clemens illud obsonatoris statuæ adjungit, ad priorem interpretationem eum allusisse probabilius videtur.

Posthæc Clemens de Junonis Tirynthiæ simulacro hæc habet : « Demetrius autem in secundo *Argolicorum* statuæ Junonis Tirynthiæ et materiam pirum et artificem fuisse scribit Argum [77]. » Hervetus autem fatetur se de hac Junone Tirynthia nihil prorsus legisse, atque ab inferis excitandum esse Demetrium, si Clementi fidem habere nolimus. At si Hervetus non omnino eadem invenit atque a Clemente dictata, his tamen plane similia, a Plutarcho litteris commendata, apud Eusebium legere poterat : « Pyrus vero princeps Junonis Argolicæ templum posuisse fertur, et Callythiam filiam ejus sacerdotem fuisse, atque ex Tirynthiis arboribus sectam pirum silvestrem in elegantem ac politam Junonis imaginem configurasse [78]. » Quid enim Clementis orationi magis consonum ac conveniens? Ex inferis igitur non excitandus est Demetrius, at alios similis saltem narrationis vades et testes proferamus. Rursum a Clemente nostro, et postmodum ab Hieronymo citatur idem Demetrius [79] : et ab utroque libros antiquitatum Judaicæ gentis, quemadmodum Josephus, scripsisse dicitur.

Tum præterea Clemens quædam de Palladio, seu celeberrimo Pallantis simulacro narrat, quæ non minimam Herveto creaverunt difficultatem : « Multi, » inquit Clemens, « fortasse admirabuntur, si didicerint Palladium, quod appellatur Diopetes, ut quod cœlitus sit delapsum, quod Diomedes quidem et Ulysses feruntur Troja abstulisse, deposuisse autem apud Demophoontem, Pelopis ex ossibus factum esse..... Atqui Dionysium hujus rei auctorem in quinta *Cycli* parte afferre possum [80]. » At Hervetus Palladium, ex Pelopis ossibus constructum, se unquam alibi legisse ulla sine hæsitatione inficiatur.

Quid ergo sibi volunt ista Arnobii verba? « Quis ex reliquiis Pelopis compactum esse Palladium prodidit? Non vos [81]. » Recte quidem, arguet aliquis; sed id Arnobius ex Clemente hausit, nec plane diversus ab eo testis dici potest. Verum qua, obsecro, ratione id ille probabit? Certe Arnobius nulla penitus ullius scriptoris prolata auctoritate, illud paganis tanquam certissimum et ab ipsis concessum refert et objicit.

Esto tamen, et rem ita se habere concedamus. At alium porro testem confestim citabimus Julium

[62] Adm. ad Græc., p. 34. [63] Cicer. lib. III De nat. deor. et Lescalop. in eumd. loc., p. 684. [64] Victor. lib. XXI Variar. lect., c. 10. [65] p. 35. [66] Pausan. lib. V, p. 157, et lib. VI, p. 187. [67] Greg. Naz. tom. II, carm. 18, de virt., p. 217. [68] Plin. lib. XXXIV Hist. natur., c. 8, p. 110. [69] p. 30. [70] Natal. Com., lib. IV Mythol., c. 10, p. 561. [71] Girald. synt. VII Hist. deor. [72] Pausan. lib. I, p. 17; lib. II, p. 53; lib. IX, p. 26; lib. X, p. 269, etc. [73] libro Περὶ στεφάνων, hymn. 10. [74] p. 24. [75] Girald. synt. VII Hist. deor., p. 217. [76] Suidas ad voc. κεχηναίων. [77] pag. 30. [78] Euseb. lib. III Præpar. evang., c. 8, p. 99. [79] Clem. lib. I Strom., p. 337; Hier. De script. eccles., c. 48. [80] pag. 30. [81] Arnob. lib. IV Adv. gent. p. 143, in-4.

Digitized by Google

Firmicum, qui de eodem Palladio hæc memoriæ prodidit : « Palladii etiam quid sit nomen audite. Simulacrum est ex Pelopis ossibus factum; hoc avarus Scytha fecisse perhibetur. Jam quale sit, considerate; quod Scytha barbarus consecravit. Estne aliquid apud Scythas humana ratione compositum, et illa effera gens hominum, et crudeli atque inhumana semper atrocitate grassata, in constituendis religionibus rectum aliquid potuit invenire? Simulacrum hoc Trojanis avarus vendidit, stultis hominibus vana promittens. Vendebatur Deus, ut prodesset emptori; et emptor simpliciter adorabat quidquid paulo ante viderat subhastatum. Substantia autem simulacri ipsius ex ossibus Pelopis est? Si humana vis miseros homines ossa venerari, purioris saltem et castioris hominis reliquias collige. Accedat idolo quod facis, ex hominis virtutibus meritum. Pelops in deliciis amatoris fuit, et diu prostituti pudoris damna sustinuit. Sed nec adulto ei scelus defuit. Is enim, cujus familiam petebat, cum fraude proditoris occidit. Proditorem etiam ipsum perjuriis aggressus est, et ne promissa redderet præmia, hunc eumdem per abrupta præcipitia jactavit. En cujus electa sunt ossa, ut deus fieret, qui urbes et regna servaret [83]. » Totum hunc, etsi paulo longiorem, Firmici locum exscripsimus, ut liquido intelligas ea ex Clemente nostro non fuisse desumpta, atque Hervetum potuisse alibi quam in ejusdem Clementis operibus legere constructum ex Pelopis ossibus Palladium.

Cum Pausania autem id Hervetus pugnare putat, quod Diomedes et Ulysses a Clemente Palladium apud Demophoontem deposuisse dicuntur. Sed Pausaniæ verba, ad quæ Hervetus non mittit, prius audienda sunt; ut in quo hæc dissensio, quæ ab illo minime explicatur, sita sit, omnes intelligant. Sic autem ille [84] : « In eo foro, quod Palladium appellant, cædis causæ agitantur; atque in eo quidem primum Demophoontem causam dixisse nemo ambigit. Cujus vero is criminis reus fuerit, non satis inter omnes convenit. Diomedem quidem tradunt, Ilio capto, cum in patriam reveheretur, per noctem, viæ errore ad Phalerum appulisse. Ubi cum Argivi, qui cum eo erant, in agrum tanquam hostilem populabundi excurrerent, ut qui aliam, quam Atticam terram inter tenebras crederent, Demophoontem aiunt, et ipsum nescientem Argivorum eam classem esse, ad propulsandas populationes accurrisse. Cumque aliquot interfectis, Palladio erepto, domum abiret, ab ejus equo Atheniensem hominem, 60 cum parum is prospiceret subversum, elisumque interiisse. Demophoontem itaque alii ab ejus, qui interfectus fuerat, propinquis, alii vero ab Argivorum republica reum factum memorant. » In hoc itaque Clemens a Pausania dissentit, quod hic Palladium a Demophoonte vi ereptum, Clemens vero apud Demophoontem fuisse depositum dixerit. At quod deponitur, non vi eripitur. Sed quid inde? Nunquid falsi idcirco arguendus est Clemens? Minime quidem. Testis enimvero ab illo citatur Dionysius, quem alibi patria Argivum, atque hanc Palladii a Troja sublati historiam, seu potius fabulam ex professo narrasse perhibet [85]. Quis autem negaverit non minorem huic fidem habendam esse, quam Pausaniæ, qui illud obiter tantum attigit?

Quid vero, quod Polycenus Dionysio Clementique nostro his verbis patrocinatus est : « Demophoon cum Palladium accepisset, depositum a Diomede custodiebat. » Scimus quidem quosdam alios in Pausaniæ opinionem abivisse. Sed Clemens sane plures quoque habuit astipulatores, sententiæque suæ defensores et patronos. Legesis Meursium lib. III *De regib. Athen.*, cap. 6.

Effigiem vero « Herculis, quæ est Tirynthe, et Dianæ Munichiæ in Sicyone [86], » a duobus statuariis Scylle et Dipœno factam Clemens testificatur. Verum Hervetus id nusquam alibi occurrere non hæsitanter significat. Mirum sane quomodo Plinii libros non pervolutarit, aut in memoriam illius non redierint hæc doctissimi scriptoris verba : « Marmore sculpendo primi omnium inclaruerunt Dipœnus et Scyllis, geniti in Creta insula, etiamnum Medis imperantibus, priusquam Cyrus in Persis regnare inciperet, hoc est Olympiade circiter L. Ii Sicyonem se contulere . . . Protinus Sicyonem fames invasit ac sterilitas, mœrorque dirus. Remedium petentibus Apollo Pythius affuturum respondit, si Dipœnus et Scyllis deorum simulacra perfecissent, quod magnis mercedibus obsequiisque impetratum est. Fuere autem simulacra ea Apollinis, Dianæ, Herculis, Minervæ, quod e cœlo postea tactum est [87]. » Quid ad Clementini textus explicationem confirmationemque liquidius et enucleatius? Quapropter in nostris codicibus, Græca manu exaratis, corrigenda vox ἐκύλης, ac non solum cum Plinio, sed etiam Pausania Σκύλης, « Scyles, » legendum. De Dianæ porro Munichiæ festo die et templo videsis Fasoldum *De festis Græc.*, decad. 2, fest. 3; Meursium lib. V *Græciæ feriatæ*, atque Piræi I, c. 7 et 9.

In ultima vero Clementinorum librorum editione paulo ante legitur statuam « Dionysi Morychi [87] » esse opus Simonis, Σίμωνος, cognomine Eupalami. Sed in manuscriptis nostris constanter scriptum est Σίχωνος. Quæ autem vera sit et genuina Clemens lectio, dictu non ita facile. Qui enim priorem lectionem textui inseruere, hi eam inde probare conantur, quod Pausanias litteris consignaverit : « Olympica Phormis dona sunt equi duo, aurigæ totidem..... Alterum fecit Dionysius Argivus, Ægineta Simon alterum [88]. » Quid tamen prohibet quominus præter hunc Simonem alius fuerit Sicon statuarius cognomine Eupalamus, cujus, ut ait Clemens, mentionem fecerit Polemon?

Præter Pausaniam Plinius Simonis statuarii, quem et ab Xenophonte memoratum Harduinus observat, non semel meminit [89]. At cum Simonem simpliciter eum appellet, utrum is Ægineta vel Eupalamus fuerit, quis certo definire audeat?

Minorem profecto difficultatem ea habent, quæ Clemens de Serapidis seu, ut alii scribunt, Sarapidis effigie fusius disputat [90]. De illa quippe frequentissima varios apud scriptores mentio facta est. Sine animadversione tamen ratio prætermitti non debet, ob quam Clemens ibidem dixerit « Ægyptium Serapim. » Magna enim inter duos hujusce ætatis celeberrimos scriptores, Scaligerum et Vossium, contentione disceptatur, utrum eo nomine Serapis dicatur patrius vel inquilinus Ægyptiorum deus [91]. Taciti siquidem auctoritate fultus Scaliger [92], hoc nomen origine sua, non Ægyptium sed Sinopense fuisse contendit. Contra vero Vossius, qui sententiam suam his Clementis nostri subsequentibus verbis confirmare nititur : « Alii enim scribunt eum fuisse munus missum a Sinopensibus ad Ptolemæum Philadephum, qui eos fame laborantes, misso ex Ægypto frumento, obligavit; esse autem effigiem Plutonis, qui acceptam statuam posuit in promontorio, quod nunc appellant Racotim, ubi et Serapidis colli solet templum [93]. » Atqui si Serapidi, inquit Vossius, prius esset dicatum Alexandriæ sacellum, quam ejus effigies Sinope Alexandriam asportaretur, Alexandrini utique suum

[83] Jul. Firm. De errore prof. relig., p. 19, in-4. [84] Pausan. lib. I Attic., p. 27. [85] lib. I Strom., p. 321. [86] pag. 31. [87] Plin. lib. XXXVI, c. 4, p. 270. [88] pag. 31. [89] lib. I Æliac., p. 176. [90] Plin. lib. XXXIV Hist. natur., c. 8, p. 123 et 130. [91] p. 31. [92] Scalig. Anim. in Euseb., ad. an. 1750; Voss. lib. I De orig. et progr. idololat., c. 29. [93] Tacit. lib. IV Hist. [93] pag. 31.

Digitized by Google

Serapidem Sinopensibus acceptum referre non debent. Majus quidem esset hujusce argumenti robur et pondus, si Clemens hanc opinionem non aliquorum, sed omnium fuisse tradidisset. Quid autem de hac quæstione, quæ nec magni profecto est momenti, nec ad Clementem nostrum multum pertinet, statuendum sit, aliorum judicio permittimus.

Cur porro Clemens Serapim magnum dæmonem, μεγαλοδαίμονα, appellaverit, si scire aveas, id ex Porphyrio docebit te Eusebius, qui Serapim, non secus atque Hecatem improborum dæmonum principem esse, his explicat verbis : « Improbos dæmones, » inquit Porphyrius, « Serapi subditos esse haud temere suspicamur; quippe hanc ad opinionem non ejus tantum symbolis et insignibus adducti, sed etiam quod quæcunque vim eos conciliandi habent vel averruncandi, ad Plutonem omnia referuntur. Atqui idem prorsus, qui Pluto, Deus iste est, eoque maxime dæmonibus imperat, certaque symbola tribuit, quibus averti depellique possint [94]. »

A quo tandem quibusve in locis statua Veneris Tanaidis primum posita sit, sic alibi ex Beroso Clemens ostendit : « Artaxerxes Darii filius, et Ochi nepos, cum primus Veneris Tanaidis statuam erexisset, Babylone, et Susis, et Ecbatanis, et Persis, et Bactris, et Damasco, et Sardibus, eam ostendit esse colendam [95]. » At Hervetus negat quidquam prorsus de hac statua ullibi unquam a se repertum. Minus forsitan perdidisset et operæ et temporis, si quid ipsi de corrupto « Tanaidis » nomine suboluisset. Suspicione enimvero haud plane incerta movemur ibi « Anaitidis » pro Tanaidis legendum. Emendationem hanc nobis suggerit Strabo, ubi de Persarum moribus disputat : « Colunt, inquit, lunam Venerem, ignem..... Hæc in Anaitidis, et Omani delubris fiunt [96]. » Prius autem libro undecimo *Geographiæ :* « Persarum præfecti..... in campo petram quamdam aggere complentes, ita ut rotundi collis figuram referret, muro cinxerunt; ibique deæ Anaitidis, et eodem altari gaudentium deorum Amani et Anandrati Persicorum geniorum templum posuerunt [97]. » Medis quoque, et Armeniis, et Zelitis, hanc eamdem deam præcipuo in honore fuisse alibi testificatur. De illa etiam apud Plinium hæc legimus : « Aurea statua prima 61 omnium; nulla inanitate, et antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant helosphyraton in templo Anaitidis posita dicitur (quo sit situ terrarum nomen hoc significavimus), nomine gentibus illis sacratissimo [98]. »

Verum, inquies, urbs quædam Tanais nomine, iisdem auctoribus Strabone, Plinio, atque etiam Ptolemæo, a Græcis Bosphorum incolentibus ad flumen et paludem Mœotidem fuit condita. Quid ergo, argues, prohibet quominus ibi erecta sit aliqua Veneris effigies, cui ab ea urbe nomen Tanais fuerit impositum ? Nullam quidem nec nos hac in re repugnantiam videmus. Sed tibi probandum incumbit ibi revera positum fuisse Veneris simulacrum, quemadmodum Anaitidis statutum probavimus. Huc denique et illud in primis accedit, quod Agathias scholasticus ex eodem, atque Clemens, Beroso, ac insuper ex Athenocle et Symmacho ostendit Venerem a Persis fuisse Anaitidis nomine nuncupatam [99]. Quo sane testimonio nostra de adulterato apud Clementem « Tanais » verbo conjectura haud quidem parum firmatur et corroboratur [1].

ARTICULUS III.

De aliis statuis, quas pagani coluerunt, aut contumelia affecerunt, Furiarum, malæ Fortunæ, Jovis, et Veneris Cnidiæ.

Ubi et a quibus effictæ sint trium Furiarum figuræ, hunc Clemens refert in modum : « Severarum, quæ Athenis vocantur, dearum duas quidem fecit Scopas ex lapide, qui vocatur λυχνεύς, Calo autem eam quam narrant habere mediam, Polemonem in quarto eorum, quæ scripsit ad Timæum, ostendere aiunt [2]. » Hervetus ibi monet Pausaniam et Plinium fecisse quidem Scopæ Calonisque mentionem : « Sed quod Furiarum, inquit, imagines fecerint, neuter dicit. » Quid ergo his verbis sibi vult Hervetus? Nunquid hæc Clementis de Furiarum simulacris narratio ipsi ideo suspecta est, quia de illis Pausanias Pliniusque tacuerunt? At frustra sane et perperam. Plinius enim quamvis plures, quas Scopas fecerat, statuas commemoret, quasdam tamen alias sibi incompertas esse his declarat verbis : « Nunc vero præter supradicta quæque nescimus, Mars est etiam [3], » etc. Pausanias vero plurimas ejusdem opificis statuas tacito earum nomine et generatim tantum indicat, quas « Scopas, inquit, Parius cum in multis veteris Græciæ locis, tum vero in Ionia et Caria fecit [4]. » Quid igitur mirum si Clemens, Polemonis auctoritate fretus, has Furiarum statuas a Scopa effictas asseveret, quas vel Plinius ait sibi esse incognitas, vel Pausanias generatim tantum appellavit? Denique quia tot hominum et deorum statuas Scopas non secus ac Parrhasius imagines effinxerat, idcirco de illis hæc cecinit Horatius :

Quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
Hic saxo, liquidis ille coloribus,
Solers nunc hominem ponere, nunc deum [5].

Porro autem quod Clemens noster dixit : τῶν Σεμνῶν Ἀθήνῃσιν καλουμένων, « Severarum, » seu venerabilium, « quæ Athenis vocantur dearum, » illud auctoritate confirmari potest Pausaniæ, qui testatum fecit eas ab Atheniensibus Σεμνάς, ab Hesiodo Ἐριννῦς, a Sicyoniis Εὐμενίδας cognominatas fuisse [6]. Addit vero juxta Areopagum iis ædificatum templum, in quo procul dubio collocatæ fuerunt illæ statuæ, quarum Clemens noster mentionem facit.

Romanos autem ille haud illepide irridet, qui Fortunæ statuam in sterquilinio consecraverunt : « Romani autem, inquit, res maximas et præclare gestas Fortunæ attribuunt, et eam esse deam existimant, in sterquilinio eam dedicarunt, dignum deæ templum secessum tribuentes [7]. » Quem in locum scribit Hervetus se, cum omnia diligenter scrutatus esset, nihil de ea sordidissima dedicatione invenisse. Sed oleum et operam melius fortasse impendisset, si magis attento prius perpendisset animo de cujus Fortunæ simulacro Clemens disputat. Nulli enim dubium, uti putamus, esse potest, quin de Fortuna quæ ex bona facta fuerat mala ille loquatur, de ea scilicet de qua dixit Tullius : « Aram malæ Fortunæ Esquiliis consecratam videmus [8]. » At nemo nescit nullam esse ignominiam, nullum convicium, nullam contumeliam, qua Romani aliique pagani homines malam Fortunam non affecerint. Quis ergo miretur, si iidem Romani eam aliquando in sterquilinio dedicarint?

Quanto autem despicatui cætera etiam alia simulacra ipsismet paganis quandoque fuerint, nonnul-

[94] Euseb. lib. IV Præpar. evang., c. 23, p. 174. [95] pag. 43. [96] Strab. lib. XV Geogr., p. 732 et 733. [97] lib. XI, p. 512, 532; XII, p. 559. [98] Plin. lib. XXXIII Hist. nat., c. 4, § 24, p. 46. [99] Agath. lib. II De Justin. imper., p. 62. [1] pag. 30. [2] pag. 30. [3] Plin. lib. XXXVI Hist. nat., c. 5, p. 278. [4] Pausan. lib. VIII Arcad., p. 275. [5] Horat. lib. IV Carm., od. 8. [6] Pausan. lib. I Attic., p. 27, et lib. II Corin., p. 54. [7] pag. 33. [8] lib. III De natur. deor., p. 249.

Digitized by Google

lis Clemens exemplis manifestum deinde facit. Ac primo quidem : « Dionysius, inquit, tyrannus junior, ὁ νεώτερος, cum auream vestem Jovi abstulisset in Sicilia, jussit eum indui lana [9]. » Nulli quidem incognitum est illud Dionysii factum. Sed Hervetus vocem ὁ νεώτερος mendosam esse suspicatur : quandoquidem alii scriptores id Dionysio patri attribuunt. Verumtamen Clementi nostro subscripsit Arnobius, apud quem pariter legimus : « Dionysius ille, sed junior, cum velamine aureo spoliaret Jovem [10], » etc. In utriusque autem textum male ab imperitis librariis intrusam fuisse hanc vocem vix credibile est. An autem hæc statua in Sicilia, ut ait Clemens, vel in Peloponneso, quemadmodum Cicero tradidit, posita fuerit, et quid de ea quidam recentiores dixerint, jam a nobis supra observatum est [11].

Subjunxit ibidem Clemens noster : « Antiochus Cyzicenus cum egeret pecuniis, Jovis auream statuam, quæ erat magnitudinis quindecim cubitorum, fundi jussit, et ex alia viliori materia statuam illi similem laminis inauratam rursus reponi [12]. » At Hervetus palam profitetur sibi plane incompertum esse hunc Antiochum Cyzicenum, et qui illius mentionem fecerit invenisse neminem.

Te quidem miramur, Hervete, qui obvia omnibus non legeris, aut legisse non memineris hæc Arnobii verba : « Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum sustulisse, et ex ære bratteolis substituisse fucatum [13]. » Admirationem vero nostram id maxime auget, quod hujus Antiochi sermonem qui habuerint neminem dicas a te hactenus repertum. Nunquid ergo Justinum historicum nunquam legisti? Ex eo sane discere poteras quis ille fuerit, et quomodo a Grypho superatus [14]. Sed quia ille Cyricenus a Justino cognominatur, hunc fortasse non putasti esse Antiochum Cyzicenum. Sed falsam suspicionem levare et a te removere poterat Eusebii *Chronicon*, ubi de eodem viro scribitur : « Antiochus Cyzicenus, Grypho ejecto, Syriam obtinuit; ac rursus Gryphus, superato Cyzicено, eamdem recepit. Ita ex successione regnabant, adversum se invicem dimicantes [15]. » Et rursum paulo post : « Syriæ et Asiæ Antiochus Cyzicenus [16]. » Si ista tibi adhuc non sufficiant, adi Josephi libros *Antiquitatum* 62 *Judaicarum*, ubi totam hanc Antiochi Cyziceni historiam invenies [17].

Ex Veneris Cnidiæ exemplo demonstrat postea Clemens nihil sane illis deorum simulacris esse contemptius, summaque omnium despectione dignius : « Praxiteles, inquit, ut declarat Posidippus in libro de Cnido, Cnidiæ Veneris effingens simulacrum, Cratinæ quam amabat formam in ea expressit; ut haberent miseri unde amicam Praxitelis adorarent [18]. » Recte quidem hunc in locum observat Hervetus eadem ab Athenæo et Plinio, atque a Clemente nostro referri, sed utrumque cum illo pugnare, quippe qui non Cratinæ, sed Phrynes expressam in hac statua imaginem testificentur [19]. Verum satis Herveto esse non debebat nodum ostendere difficultatis, nisi illius quæreret solutionem. Ex ipso autem Athenæo, qui ibidem plura probat fuisse Phrynes nomina, poterat fortassis illam accipere. Hinc enim haud absurde quis colliget, ei quoque Cratinæ fuisse aliquando nomen. Et vero Athenæum et Clementem nostrum de eadem muliere loqui inde patet, quod uterque eumdem Posidippum testem citaverit.

Neque dicas huic solutioni ea adversari, quæ de ipsamet Phryne Clemens continenter adjecit : « Cum floreret autem Phryne meretrix Thespiaea, pictores omnes Veneris imagines ad Phrynes pulchritudinem imitatione referebant, sicut lapicidæ apud Athenienses Mercurios Alcibiadis instar repræsentabant [20]. » Athenæus siquidem docet duas fuisse Phrynes, quarum prior ex Apollodoro Saperdion, posterior Clausigelota nuncupabatur; ex Herodico autem alteram σηστόν, alteram Thespicam, θεσπιχήν vocari, et « usque adeo divitem, inquit, ut Thebarum mœnia exstructuram se esse polliceretur, si ascriberetur Alexandrum Magnum diruisse, Phrynem vero scortum refecisse [21]. » Quid ergo vetat quominus utriusque Phrynes meminerit Clemens, prioremque Cratinam appellaverit?

Alcibiades porro, quem Clemens cum Phryne conjungit, Atheniensium fuit imperator. Frequens autem illius apud varios scriptores memoria, sed præcipue apud Justinum historicum, Cornelium Nepotem et Plutarchum, qui integram ejus historiam litteris consignavit [22].

ARTICULUS IV.

De quibusdam obscenis simulacris et gestibus Philenidis, de impotenti Pygmalionis in statuam amore, de cujusdam equæ simulacro, et Dædali vacca, ac simiis nec cerea nec lutea similitudine deceptis.

Simulacra statuæque deorum quanto omnibus horrori esse debeant, ex obscenis turpissimisque illorum figuris Clemens noster prorsus convincit. Planum etenim facit quanta illi impudentia cubilia thalamosque pictis exornarent tabulis, quibus nuda Venus, aliorumque deorum stupra, adulteria, ac Panici, hoc est dii silvestres, seu parvi minutique quidam Panes repræsentabantur [23]. Quid vero, quod stupendæ prorsus obscenitatis phallos [24], atque alia insanissimæ turpitudinis et petulantiæ simulacra tam ille quam alii plurimi ejusdem ætatis scriptores paganis objicere et exprobrare non dubitaverunt [25]? Sed hæc, quorum commemoratio ad eorumdem paganorum animos ab impiis superstitionibus suis efficacius deterrendos tunc necessaria erat, nunc perpetuo damnanda sunt silentio, nec memoria illorum, quæ nimis forsitan quibuslibet Christianis nota sunt, scriptis nostris refricanda est. Quamobrem obiter tantum monebimus huic Clementis nostri loco lucem aliquam a Suetonio ejusque scholiaste Casaubono posse afferri, quemadmodum ex Athenæo et Martiale quivis cognoscere potest, quid sibi Clemens voluerit, cum ait « figuras gestusque Philenidis, æque ac certamina Herculis » a paganis depingi [26].

Præterea vero neque idem Clemens noster, neque Arnobius veriti sunt omnium ante oculos ponere quam nefario et impotenti amore quidam incredibilem in his statuis libidinem explere tentaverint [27]. Sceleratum autem et amentem Pygmalionem Cypri regem Clemens [28] aliique quidam memorant, cujus cæcum et indomitum luxuriæ ardorem fusius Naso cecinit [29]. Plinius vero et Maximus de illo juvene, cujus nomen Clemens et alii omnibus esse ignotum fatentur, verba fecerunt [30].

Locum hunc Valerii Maximi Hervetus haud dubie non legerat. Ex subsequentibus enimvero illius

[9] pag. 34. [10] lib. VI Adv. gent., p. 205, in-4. [11] sup. art. 2. [12] pag. 34. [13] Arnob. lib. VI Adv. gent., p. 205, in-4. [14] Justin. Hist., lib. XXXIX. [15] Euseb. in Chron. ad. an. 1904. [16] ad an. 1906. [17] Antiq. Jud., c. 17 et 18. [18] pag. 35. [19] Athen. lib. XIII Deipnos., pag. 501; Plin. lib. XXXIV Hist. nat., c. 8, pag. 121, et lib. XXXVI, c. 5, p. 274. [20] pag. 35. [21] Athen. loc. cit. p. 591. [22] Justin. Hist. init. lib. V; Corn. Nep.; Plutarch. tom. III, in Vita Alcibiadis, p. 191. [23] pag. 40. [24] pag. 22. [25] pag. 40. [26] Sueton. et Casaub. in Tiber., pag. 78 et 218; Athen. lib. VIII, Deipnos. pag. 335; Mart. lib. VII epigram. 63. [27] pag. 38. [28] pag. 38. [29] Ovid. Metam., lib. X, fab. 8. [30] Plin. lib. XXXVI Hist. nat, c. 4, § 5; Valer. Maxim. lib. VIII, c. 11; Admon. ad Græc., p. 38.

Digitized by Google

verbis ea didicisset, quæ de commemorato a Clemente cujusdam equæ simulacro sibi minime explorata esse declarat. Utriusque autem scriptoris verba, si ea audire velis, hæc sunt : « Quiete, » inquit Clemens, « stetit equus, columba minime est perturbata, et penna stetit otiosa. Vacca Dædali, quæ ex ligno confecta fuerat, cepit taurum agrestem, et coegit bestiam ars, quæ eam deceperat, amantem inire mulierem [31]. » Eodem plane modo Valerius Maximus : « Quo excusabilior est error equi, qui visa pictura equæ hinnitum edere coactus est, et canum latratus aspectu picti canis incitatus; taurusque ad amorem et concubitum æreæ vaccæ Syracusis nimiæ similitudinis irritamento compulsus [32]. » Observat autem Valerii commentator imaginem illius equæ fuisse celeberrimi Praxitelis opus. Quia vero Clemens noster de Dædali quoque vacca sermonem fecit, addamus si lubet, id quod Gregorius Nazianzenus « adversus mulieres ambitiosius se adornantes, » de vaccæ mira effigie cecinit :

Credo equidem artificem olim decepisse juvencum,
Qui vaccam e trabibus finxerat egregiam.
Πείθομαι ὡς ποτε ταῦρον ἀνὴρ σοφὸς ἥπαφε [τέχνῃ,
Χρώμασι μορφώσας δουρατέην δάμαλιν [33].

Multis porro observatum legimus illius Dædali vaccæ imaginem a Myrone effictam, de qua plures ab Harduino citati [34], atque etiam Ovidius :

Et similis veræ vacca Myronis opus [35].

Nota autem omnibus est de vacca Dædali fabula, quæ a Diodoro Siculo lib. IV *Biblioth.*, pag. 277, et a Natali Comite libro VII, cap. 16 *Mytholog.*, et aliis descripta est.

Subnectit Clemens simias hac arte non decipi : « Jam illi, inquit, qui simias nutriunt et exercent, mirantur quod nec cereæ, nec luteæ similitudines, quamvis ornamenta accedant, eos fallant [36]. » Nihil Hervetus ea de re ullibi reperisse se ultro profitetur. Sed hoc illi facile condonandum est. Nam ex citato a se Plinii loco, quem a librariis corruptum legerat, nihil quod ad rem suam faceret elici posse haud plane immerito arbitratus est. Verumtamen ille Plinii locus, ab Harduino restitutus, potest Clementis nostri sententiam confirmare. Ibi quippe Plinius ait : simias « mira solertia, visco inungi, laqueisque calceari imitatione **63** venantium, tradunt : Mucianus et latrunculis (gallice *aux échecs*) lusisse, fictos cera icones usu distinguente [37]. » In antiquis vero editionibus hæc verba, quæ nec ab Hervetо, nec ab ullo alio intelligi poterant, sic legebantur : « Fictis cera nuces visu distinguere, » Clemens autem cum de cereis similitudinibus, quemadmodum Plinius disserat, a vero fortasse is non prorsus aberrare videbitur, qui illum ibi ad hunc latrunculorum ludum, de quo plura Souterius ac Senffiebus disputant [38], allusisse dixerit. Quidquid sit, si simiæ fictis cera latrunculorum, qui humana aliquando forma repræsentabantur, imaginibus falli non potuerunt, cur non et aliis fictis falsisque similitudinibus? Ex his autem recte omnino et apposite contra paganos Clemens concludit : « Vos autem vel simiis deteriores eritis, dum lapideis, et ligneis, et aureis, et eburneis simulacris et picturis animum adhibetis [39]. »

ARTICULUS V.

Utrum Christiani, primis Ecclesiæ temporibus quasdam imagines, statuas et simulacra habuerint, vel id ipsis divina lege prohibitum fuerit, et utrum pagani ipsasmet statuas et imagines adorarent.

Ab impio autem imaginum et simulacrorum cultu, quam alieni essent omnes Christiani, his sane perspicuis minimeque ambiguis verbis, Clemens declarat : Ἡμῖν δὲ οὐχ ὕλης αἰσθητῆς αἰσθητόν· νοητόν δὲ τὸ ἄγαλμά ἐστιν (codices manuscripti addunt, νοητὸν οὐκ ὕλης αἰσθητόν ἐστιν τὸ ἄγαλμα), ὁ θεὸς ὁ μόνος ὄντως Θεός. « Apud nos autem nullum e materia sensile simulacrum; sed qui sola percipitur intelligentia, Deus, qui solus verus est Deus [40]. » Ibi Latinus interpres et alii hujus operis editores notatum a nobis manuscriptorum additamentum, tanquam spurium et adulterinum haud immerito rejecere.

Et certe illo sublato, hic apertus omnino videtur esse Clementis sensus; nulla plane apud Christianos fuisse simulacra nullasque in eorum templis imagines. Quamobrem Arnobius scribit paganos iisdem Christianis vitio criminique vertisse quod nullum haberent ullius dei aut numinis simulacrum : « In hac enim, inquit, consuestis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam [41]. » Unde etiam Cæcilius apud Minutium Felicem Octavio aliisque omnibus Christianis objecit : « Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra [42]. Cui confestim Christianorum nomine Octavius respondet : « Putatis autem nos occultare, quod colimus, si delubra et aras non habemus. Quod enim simulacrum Deo fingam, cum si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum [43]. » Iisdem quoque armis in Christianos pugnabat Celsus, ejusque telum haud absimili modo Origenes retudit [44].

Respondebunt fortasse aliqui ab his scriptoribus confutari paganos, qui quidem quia deorum suorum simulacra, palam omnibus exposita, impio cultu venerabantur, hoc Christianis crimini dabant, quod nulla « deorum, » ut ait Arnobius, aut saltem Dei sui « nota, » quemadmodum Minutius Felix loquitur, id est, proposita in publico simulacra haberent. Quod sane tametsi citati auctores paganis facile concessissent, non negabant tamen Christianos aliquas Christi Domini, aut aliorum quorumdam, puta, sanctissimæ ejus matris apud se et secreto retinuisse imagines.

At quando Clemens quidem nullum omnino apud istos simulacrum fuisse affirmat, hinc profecto alii ingenue confitentur, juxta Clementis aliorumque sententiam primis nascentis Ecclesiæ temporibus, ac plurimis saltem in locis eosdem Christianos, ne paganis falsæ criminationis et infirmioribus fratribus suis idololatriæ ansam occasionemque præberent, ab omni imaginum simulacrorumque usu penitus abstinuisse. Ubi autem sublatum est idololatriæ periculum, usus pictarum imaginum priusquam statuarum in Ecclesiam introductus est. Ex pictis vero imaginibus illæ tempore longe recentiores sunt quibus Dei rerumque incorporearum, quam aliæ quibus Christi et sanctorum effigies exprimitur.

Neque ullum porro volunt hac responsione turbari ac moveri. Is quippe imaginum usus tantæ, inquiunt, non est necessitatis, ut nulla illius unquam potuerit fieri intermissio. Imagines siquidem inter ea numerantur, quæ ἀδιάφορα sunt, et indifferentia, nec ad ipsam, uti loqui amant, religionis nostræ substantiam et essentiam omnino pertinent. Qua-

[31] Adm. ad Græc., p. 39. [32] Valer. Max. loc. cit. [33] Gregor. carm. 63, p. 150. [34] Harduin. in lib. XXXIV Plin. Hist. nat., c. 8, p. 112. [35] Ovid. lib. I de Pont., ep. 1, v. 34. [36] p. 39. [37] Plin. lib. VIII Hist. nat., c. 54, p. 241. [38] Souter. lib. De aleatorib., c. 4 et seqq.; Senffleb. lib. De alea veter., c. 12. [39] ibid. p. 39. [40] p. 34. [41] lib. VI Adv. gent., p. 189, in-4. [42] Minut. Fel. in Octavio, p. 10, in-4. [43] ibid. p. 36. [44] Orig. lib. VIII Cont. Cels. post init.

Digitized by Google

propter in Ecclesiæ potestate situm est, ut earum usum, prout æquius judicaverit, aut recipiat et admittat, aut removeat et amandet.

Sed jam aliquem audire nobis videmur, qui objiciet Clementem nostrum apertissime declarare imaginum statuarumve usum non solum primis Ecclesiæ temporibus intermissum fuisse, sed divina etiam lege omnino prohiberi, ne quod unquam a Christianis fieret simulacrum, ullave similitudo, aut imago. « Nobis enim, inquit ille, est aperte vetitum artem fallacem exercere. Non facies enim, inquit propheta, cujusvis rei similitudinem, eorum quæ sunt in cœlo, et quæcunque sunt in terra infra [45]. » Quamobrem ille alibi Pythagoræ de nulla in annulis insculpenda deorum imagine præceptum eadem Moysis lege confirmat : « Rursus autem non esse gestandos annulos, neque deorum imagines esse in eis insculpendas, præcipit Pythagoras; sicut Moyses multis ante sæculis aperte legem sanxit, nullam oportere sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam imaginem, simulacrumve facere; ut sensilia minime attenderemus, sed ad ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentia [46], » etc. Quid ergo, arguet ille, hæc Clementis verba aliud sonant, nisi Moysis lege vetitum omnino fuissé, ne qua unquam fieret sive ipsius Dei, sive alius cujuslibet rei imago et simulacrum?

Novum autem huic objectioni inde robur accedit, quod Clemens ibidem significat, Hebræos huic divinæ legi ita fuisse obsecutos, ut nullum in templo suo simulacrum posuerint [47]. « Quoeirca Ægyptiorum quoque sacerdotum, inquit, sapientissimi Minervæ ædem sub dio constituerunt, ut Hebræi qui templum posuerunt absque simulacro. Sunt autem qui Deum colentes facta cœli, οὐρανοῦ, effigie quæ astra continet, eum adorant; cum nostra quidem certe dicat Scriptura : « Faciamus hominem « ad imaginem et similitudinem nostram [48]. » Ibi Hervetus pro οὐρανοῦ legendum putat ἀνθρώπου. Verum quid vetat, quominus οὐρανοῦ nomine designetur *Uranus*, sive, ut Latini loquebantur, *Cælum*, quod humana effigie astra continente pingi solebat. Sed nihil inde contra imaginum adversarium, qui contendet Clementem nostrum non solum ibi, sed aliis adhuc pluribus in locis apertissime declarare omnes omnino imagines divina lege proscriptas fuisse et prohibitas [49].

64 Neque sibi ille opponi patietur positas fuisse in Jerosolymitano templo cherubinorum figuras, alis suis arcam veteris testamenti velantes [50]. Contendet enim Clementem non credidisse illas fuisse imagines, sed quædam duntaxat symbola, quibus « spirituum glorificantium » quies, quemadmodum eorum alis, de quibus legendus est Kircherus, ministeria et sublimes dexterarum simul et sinistrarum potestatum operationes significabantur [51].

Eamdem quoque de interdictis quibuslibet imaginibus fuisse Tertulliani mentem et sententiam his ille adhuc probare conabitur ipsius verbis : « Idolum tam fieri quam coli Deus prohibet. Quanto præcedit, ut fiat, quod coli possit; tanto prius est, ne fiat, si coli non licet. Propter hanc causam ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ, lex divina proclamat : Ne feceris idolum. Et conjungens : Neque similitudinem eorum, quæ in cœlo sunt, et quæ in terra, et quæ in mari. Toto mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei [52] » Quid sit autem illud, de quo disputat, idolum, sic ille definit : « Neque interest an plastes effingat, an cælator exsculpat, an phrygio detexat; quia nec de materia refert an gypso, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum. »

Verum tota Clementis et Tertulliani disputatio, hoc solo innititur Decalogi præcepto : « Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cœlo est desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra [53]. » Omnis itaque difficultas in hujusce mandati explicatione versatur. At quamvis Philo Judæus [54], Josephus [55], aliique antiquiores Judæi doceant hac lege omnes prorsus imagines et similitudines, omnesque penitus statuas et quælibet manufacta simulacra interdici, recentiores tamen Judæi, nostrique doctiores theologi censent non omnem prorsus, ut de Justino martyre alibi diximus [56], imaginum usum hac eadem lege prohiberi, sed earum tantummodo quibus numen aliquod aut quædam divinitas repræsentatur. Quam quidem sententiam nec infirmis nec levibus probant rationum momentis.

Primum enim cum hoc Decalogi præcepto ea tantum quæ ad Dei cultum spectant comprehendantur, nihil aliud illo vetitum est, nisi ut nulla rei creatæ imago, nullum simulacrum, aut idolum pro vero Deo, et adversus eum, ac quasi per illum divinitas sit expressa, ab ullo habeatur, colatur et adoretur.

Deinde vero quandoquidem Deus ipse et ænei serpentis figuram exhiberi et cherubim sculpi præceperit, inde profecto colligitur non omnibus omnino rerum creatarum imaginibus et simulacris, sive etiam symbolis, vel symbolicis similitudinibus exprimendis hac lege interdici.

Atque hanc sane fuisse Clementis Tertullianique opinionem eo facile probatur, quod Clemens, ubi Christianis « fallacem » simulacrorum exprimendorum « artem exercere » prohibitum scribit; ibi paganos refellat, qui statuas et figuras pro veris diis habebant et colebant, aut saltem iis veros deos repræsentari arbitrabantur. Quemadmodum ergo illud jure quidem meritissimo proscriptum, ita nihil aliud Christianis omnibus ibi asserit esse interdictum. Quamobrem continuo subjungit, id nisi esset vetitum : « Revera Cererem Praxitelis, et Proserpinam, et Iacchum mysticum deos existimaremus, vel Lysippi artes, vel manus Apellis, quæ divinæ existimationis figuram præbuere materiæ [57]. » Neque alio plane sensu, uti a nobis observatum est, ille alibi dixit Pythagoram a Moyse didicisse nullam in annulis insculpendam deorum imaginem [58]. Ibi enimvero cum de solis deorum imaginibus a Pythagora commemoratis disputet, eas recte arguit Moysis lege prohibitas. Quid vero de aliis imaginibus esset statuendum, quandoquidem id ad rem suam non faciebat, nihil ille nisi de veri summique Dei effigie pronuntiat. Nullam etenim illius, ne divina majestas contemptui haberetur effingendam esse corpoream imaginem his, quæ ibidem subnectit, verbis definivit : « Ut Dei enim majestas, inquit, vilis et contempta reddatur, efficit quæ est in promptu videndi consuetudo; et quæ intelligentia percipitur essentiam colere per materiam, est eam per sensum vilipendere. Quocirca Ægyptiorum quoque sacerdotum sapientissimi Minervæ ædem sub dio esse constituerunt, ut Hebræi qui templum posuerunt absque simulacro [59]. » At Clemens ibi, ut vides, et in aliis plerisque omnibus si attente expendantur, supra citatis illius locis de summæ et spiritualis Dei naturæ, minime autem de rerum corporearum, puta Christi, et aliorum imaginibus disserit.

[45] Orig. lib. VIII cont. Cels. p. 41. [46] lib. V Strom., p. 559. [47] ibid. [48] Gen. I, 26. [49] lib. V Strom., p. 584. [50] lib. VI, p. 687; lib. VII, p. 714; lib. V, p. 564. [51] Kircher. lib. V Obel. Pamph., c. 3, p. 402. [52] Tertul. lib. De idololat., c. 3, 4. [53] Exod. XX, 4. [54] Philo lib. Quis divin. hæres., p. 504, et lib. De Decal. [55] Joseph. lib. VIII Antiq., et lib. XVIII et lib. De bello Jud. [56] lib. II Appar., dissert. 2, c. 7, § 22. [57] pag. 41. [58] lib V Strom., p. 509. [59] ibid.

Digitized by Google

Ad Tertullianum quod spectat, non alia procul dubio, si tamen eum sibi semper constitisse dixeris, fuit illius opinio. Contra Marcionem enim ostendit serpentis ænei et cherubinorum effigie nihil de Mosaica lege derogatum : « Similitudinem, ait, vetans fieri omnium, quæ in cœlo, et in terra, et in aquis, ostendit et causas, idololatriæ scilicet substantiam cohibentes. Subjicit enim : Non adorabitis ea, neque servietis illis. Serpentis autem ænei effigies postea præcepta Moysi a Domino, non ad idololatriæ titulum pertinebat, sed ad remediandos eos qui a serpentibus infestabantur. Et taceo de figura remedii. Sic et cherubim et seraphim aurea in arcæ figuratum exemplum, certe simplex ornamentum, accommodata suggestui, longe diversas habendo causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur [60]. » His ille verbis aperte docet non omnes prorsus imagines ipso legis Mosaicæ edicto prohiberi, sed eas duntaxat, quibus falsi cujusdam numinis, aut Dei exhibebatur figura vel hominibus adoranda proponebatur.

Quid vero, quod ille ipsemet Tertullianus ubi post suam ad Montani partes defectionem in catholicos acrius invehitur, pervagatum apud eos imaginum usum agnoscit, nec eum tamen damnare ausus est? « Cui ille, si forte, inquit, patrocinabitur pastor, quem in calice depingis [61]. » Quantas, Deus bone, adversus catholicos ille tragœdias excitasset, quantis eos vexasset verborum contumeliis et conviciis, si divinam legem hisce imaginibus credidisset infringi et perrumpi!

Neque etiam illas eadem lege damnari ii crediderunt, qui, teste Eusebio, tandiu ante ipsius tempora apud Cæsaream Philippi, quam Paneada vocant, æneam mulieris, sanguinis profluvio ægrotantis, et Christi Domini, a quo illa sanata est, effigiem servaverunt. Quæ autem et qualis ea effigies fuerit, si scire velis, ex Eusebio ipso accipe: « Juxta domum illius æneæ mulieris effigies stare dicitur, columnæ lapideæ imposita, genibus flexis, protensisque manibus, instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide **65** decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipsa basi ignota quædam nasci dicitur planta, quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre aiebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo urbem illam ingressi, ipsam conspeximus [62]. » At quid, amabo te, insigne illud miraculum aliud clamat, nisi utramque illam effigiem et statuam ipsimet Deo fuisse plane penitusque probatam? Quod autem Deo probatur, id certe dici non potest legi ejus adversari. Non enim hujuscemodi approbationibus et miraculis ille res illicitas et a se prohibitas unquam comprobavisse legitur.

Insurget tamen nescio quis fortasse iconomachus, et objiciet Eusebium adjecisse imagines Petri et Pauli, atque etiam Christi Domini a paganis, ἐθνικῇ συνηθείᾳ, « gentili consuetudine » asservatas [63]. Sed quid hæc ad Christianos? Nunquid quia pagani cum aliis deorum suorum imaginibus has impio sane abusu posuisse dicuntur, idcirco Christiani, qui statuam mulieris illius et Christi Domini apud se retinuere, ejusdem impietatis condemnandi sunt? Nemo, opinor, sanæ mentis homo id dixerit. Quis enimvero non videt Christianos alio A sane consilio et alio prorsus more et ritu has retinuisse et servasse Christi mulierisque statuas et imagines?

Eadem facilitate illud diluitur, quod tibi rursus quis objiciet Carpocratianos, quippe qui Christi imagines servarent, erroris et hæresis ab Irenæo aliisque Ecclesiæ Patribus insimulatos. Non enim ideo præcise, ut alibi ostendimus [64], vapulant, quod has habuerint apud se imagines; sed quia illas occulte cum aliis philosophorum imaginibus asservatas gentilium more colerent et adorarent. Orthodoxi vero homines Christi martyrumque imagines eo duntaxat more et modo conservabant ac venerabantur, quo illum ab apostolis, ut scribit Basilius, traditum et nulla lege vetitum noverant : « Unde, » inquit Basilius, « et characteres imaginum eorum, » scilicet apostolorum et martyrum, « honoro et adoro; præcipue cum hoc traditum a sanctis apostolis, et non prohibitum sit; quin et B in omnibus ecclesiis nostris ostendatur depictum [65]. »

Plura alia illius usus, quo imagines ab antiquis Christianis pie, nec contra divinam legem servabantur, exempla huc congerere nostri non est instituti. His etenim, quæ hactenus retulimus, plenissime ostenditur nunquam Clementi nostro in mentem venisse, ut Christi et aliorum imagines, statuas et simulacra lege divina omnino prohibita et interdicta asseveraret. Cæterum cur, quave ratione Christiani primis aliisque Ecclesiæ temporibus imagines retinuerint, et quem eis cultum detulerint, alius postmodum nobis dabitur opportunior disputandi locus. Interea vero consule, si lubet et vacat, Estium in librum III *Sent.*, dist. 9, § 4, et dist. 36, § 10 et 11; Petav. tom. IV, part. II *Theolog. dogm.*, lib. XV, cap. 6, 13, 14 et seq.; Thomass. *Theolog. dogm.*, de incarnat. Verbi, lib. XII, cap. 9 et seq.; Bellarmin. et alios.

C Unum porro, priusquam ad alia gradum faciamus, hic observare juvat, Clementem cum paganis serio et sæpius expostulare quod ii simulacra ipsa, in quibus falsam quamdam divinitatem inesse putabant, non magna sine impietate adorarent: « Adorant, ait ille, ii qui deos faciunt, non deos et dæmones, mea quidem sententia, sed terram et artem, quod quidem est simulacra..... superstitiosi adoratores lapidum [66]. » Neque id porro ex nefario tantum eorum usu demonstrat, sed ipsamet quorumdam gentilium auctoritate philosophorum, quibus hæc insana illorum consuetudo incognita esse non poterat : « Tuum audi philosophum Heraclitum Ephesium, » ita Clemens loquitur, « insensibilem simulacrorum truncum exprobrantem. Et his vota faciunt idolis perinde ac si quis loquatur cum ædibus. Annon enim prodigiosi sunt, qui lapides adorant! Deinde vero cum et præ foribus eos statuunt, perinde ac vivos et efficaces? Mercurium tanquam Deum adorant, sed ἀγυιέα, hoc est viæ vicinæque D præfectum, janitorem statuunt. Si enim tanquam insensibiles injuria afficiunt, cur adorant ut deos? Si vero existimant eos esse sensus participes, cur eos janitores constituunt [67]? »

Aliis autem pluribus locis, quibus eadem Clemens repetit et inculcat [68], huc proferendis supersedendum esse duximus. Quæ etenim hucusque disputavimus, ea, uti putamus, abunde sufficiunt; alia vero facilia sunt, et omnibus obvia.

Si quis tandem probaverit Clementem alicubi docuisse statuas et imagines a paganis, non ut deos et divinitatem continentes, sed tanquam deorum similitudinem exprimentes adorari, is profecto nihil inde promovebit. Qui enim simulacra hunc in modum adorant, ii, ut alibi demonstravimus [69],

[60] Tertul. lib. II Adv. Marcion., c. 22. [61] lib. De pudic., c. 10. [62] Euseb. lib. VII Hist., c. 18. [63] Euseb. ibid. [64] Appar. lib. II, dissert. 1, c. 3, art. 3, § 2. [65] Basil. epist. 205, ad Julianum Apost. [66] pag. 34. [67] pag. 33. [68] pag. 61. [69] lib. II Appar., dissert. 3, c. 5, § 6.

Digitized by Google

iisdem imaginibus et simulacris non verum Deum, sed falsos fictitiosque deos, et homines aliquando flagitiosissimos exhiberi et repræsentari arbitrabantur.

CAPUT IX.

De paganorum diis et deabus, sacrificiis et mysteriis.

ARTICULUS I.

De multiplici Jove, de Agamemnone Jove, et Staphylo qui illius meminit, de Jove in formicam converso, de Jovis, sicut hirci Tmuitarum inexplebili libidine, de Martis in vincula conjecti, atque etiam Homeri patria, de Apolline Sminthio, de Æsculapio ejusque sepulcro, de Neptuno medico et Saturno in Sicilia sepulto, ac de Dionysi corde a Pallade sublato.

Ab his deorum simulacris et imaginibus ad ea jam veniamus quæ de ipsismet diis a nostro Clemente, vel obscurius vel brevius, strictiusque dicuntur, atque explicatione aliqua aut confirmatione indigent. Pro certo autem primum ille ponit quæcunque pagani de diis suis prodiderunt, ea falsa omnino esse et commentitia ; vel si vere facta sint, hæc non deorum esse, sed hominum quorumdam, qui sibi haud vulgarem aliquam nominis et famæ celebritatem sceleribus et flagitiis pepererant : « Plurima quidem, aiebat ille, vobis de diis ficta et fabulose sunt tradita. Quæcunque autem facta esse putantur, ea de hominibus turpibus et qui petulanter ac flagitiose vixerunt scripta sunt [70]. »

Illud vero ne quis temere et inconsiderate ab illo prolatum crederet, certa eorum, qui majores dii vocabantur, inductione demonstrat. Manifestum etenim ibidem facit tres a paganis fingi Joves, sex Apollines, plures Æsculapios, Mercurios et Vulcanos. Nec minus evidenter ostendit eosdem ethnicos tantum inter se de Martis patria dissidere, quantum de variis deorum suorum præliis, vulneribus, stupris, 66 adulteriis aliisque sceleribus uno omnes ore consentiebant.

Quis autem fuerit triplex Jupiter, explicat his verbis Cicero : « Principio Joves tres numerant ii qui theologi nominantur, ex quibus primum et secundum natos in Arcadia ; alterum patre Æthere... alterum patre Cœlo.... tertium Cretensem Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur [71]. » Ciceroni subscribit Arnobius [72], et Lactantius [73]. At Epiphanius aliter : « Non unus, inquit, aut alter Jupiter, sed tres quatuorve fuerunt. Quorum unus Saturnius est ille, qui ad Caucasum montem patrem suum in profundum demersit. Alter Latiaris dictus est, a quo gladiatores originem acceperunt ; tertius Tragœdus, qui manum combussit [74]. »

Denique Tertullianus non tres tantum, aut quatuor, sed trecentos ex Varrone dicit fuisse Joves : « Romani styli Diogenes Varro trecentos Joves, seu Jupiteres dicendum est, sine capitibus inducit [75]. »

Ex iisdem procul dubio Jovibus ille unus erat, quem Clemens Agamemnonem vocari et a Spartanis coli ita ex Staphylo memorat : « Agamemnonem certe quemdam Jovem in Sparta coli refert Staphylus [76]. » Sed Hervetus de utroque cum Staphylo tum Jove Agamemnone nihil prorsus ullibi se invenisse ingenue fatetur. Quis itaque non mirabitur ab illo vel non lecta, vel oblivione omnino deleta hæc Athenagoræ ab ipso *Apologiæ* suæ exordio verba? « Agamemnonem Jovem et Philonem, Tyndari filium, Lacedæmonii venerantur. »

Quis autem fuerit ille Jupiter, haud ita facile definiri potest. Quidam enim ex Athenagoræ, cui certe et Clementem nostrum adjungere poterant, citata auctoritate probari posse putant, hunc fuisse Agamemnonem mortalem, qui a Spartanis Jovis cognomine insignitus pro deo habitus est. Aliis autem visum est ipsummet Jovem ab iis Agamemnonem, sicut a Sapphone Hectorem et a Simonide Aristarchum appellari, et hoc quidem nomen idcirco ipsi forsitan tributum putant, quo ejus perseverantia vel etiam æternitas significaretur. Observant siquidem eruditi homines græce Ἀγαμέμνων dici quasi ἄγαν μένων, id est *perseverans* : sed de hac conjectura aliorum esto judicium. Videsis Joan. Meursium lib. I *Miscellan. Laconicor.*, cap. 4.

Ad Staphylum quod attinet, tam frequens illius apud Athenæum aliosque a Vossio et Harduino citatos auctores fit mentio, ut id Herveti diligentiam fugere non debuerit [77].

Neque etiam ignorare ille debebat Jovis in formicam, sub cujus forma ex Eurymedusa, Clitoris filia, Myrmidonem genuit, stupendam mutationem æque ab Arnobio atque a Clemente nostro narrari. De illa siquidem hæc sunt ipsissima Arnobii verba : « Jupiter ipse rex mundi..... modo in aurum versus... et quod omnia genera contumeliarum transiliat, in formiculam parvam ; ut Clitoris videlicet filiam Myrmidonis redderet apud Thessalos matrem [78]. » Porro autem Eurymedusa a quibusdam mater Gratiarum esse perhibetur.

Quo plures fuerunt Joves, eo minus certe mirandum, si Jupiter Calvus, de quo Clemens ait : « Annon Calvus Jupiter Argis [79], » Hervetо adhuc ignotus fuerit. Et vero Vossius recte animadvertit non unum, sed multos fuisse Joves Argivos, quorum quidam Argis regnasse dicitur [80]. A vero itaque is fortasse non multum recedet, qui unum ex his illum esse crediderit, qui Calvus a Clemente appellatur.

Summi autem et Maximi Jovis indomitam atque effrenatam libidinem sic alibi Clemens insectatur : « Explebatur itaque mulieribus non minus, quam hircus Tmuitarum capris [81]. » Quis autem fuerit ille hircus candide et simpliciter Hervetus se nescire denuntiat. Sed id ab Hieronymo poterat magno sane sine labore edoceri. Ille enim narrat Tmuis fuisse Ægypti urbem, quæ ab hirco, quem ejus incolæ venerabantur, suum nomen sortita est : « Nam pleraque, ait ille, oppida eorum, » scilicet Ægyptiorum, « ex bestiis et jumentis habent nomina, Κυνῶν a cane, Λεῶν a leone, Θμοῦις lingua Ægyptia ab hirco, Λυκῶν a lupo ; ut taceam de formidoloso et horribili crepe, et crepitu ventris inflati, quæ Pelusiaca religio est [82]. » Ex inexplebili porro hujus hirci libidine Junius ortum esse putat hoc adagium, ὁ Θμυιτῶν τράγος, *Tmuitarum hir-*

[70] Appar. dissert., p. 17. [71] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 247. [72] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 155, in-4. [73] Lactant. lib. I De fals. relig., c. 14, p. 66. [74] Epiphan. Ancorat., § 108, p. 108. [75] Tertul. lib. I Ad nation., c. 10. [76] pag. 24. [77] Athen. lib. II Deipnos., p. 45 ; Voss. lib. III De hist. Græc., p. 416 ; Harduin. in indic. auctor. a Plin. citat. [78] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 145. [79] pag. 24. [80] Voss. lib. I De orig. et progr. idololat., c. 14, p. 59. [81] pag. 20. [82] Hieron. in cap. XLV Isa.

Digitized by Google

cus. Adi si velis ipsum Junium, sed illius aut typographi corrige errorem, quo Clementem nostrum citat de Apolline disserentem, cum tamen de Jove ipso, deorum atque hominum patre, loquatur [83].

Varias de Martis patria opiniones Clemens hæc protulit in verba : « Ille, ut dicit quidem Epicharmus, erat Spartanus. Sophocles autem eum Thracem facit ; alii autem Arcadem, Ἀρκάδα. Hunc, τοῦτον, autem Homerus dicit vinctum fuisse tredecim mensibus [84]. » Ad hunc Clementis locum Arnobius respexisse fertur, ubi scripsit : « Quis Spartanum fuisse Martem? Non Epicharmus auctor vester? Quis in Thraciæ finibus procreatum? Non Sophocles Atticus, cunctis consentientibus theatris? Quis mensibus in Arcadia tribus et decem vinctum? Non Melæ fluminis filius [85]? » Tria autem potissimum ab Herveto hic observantur. Et primo quidem, nullum neque ab Arnobio, neque a Clemente indicari, qui Martem ex Arcadia oriundum dixerit. Deinde vero in dubium omnino revocat, utrum Arnobius Homeri sensum assecutus sit. Homerum denique Melæ fluvii fuisse filium ullibi se unquam legisse plane negat.

Sed ut ab ultimo incipiamus, quamvis non minima fuerit veterum scriptorum de Homeri patria et parentibus dissensio, vulgaris tamen opinio est eum juxta fluvium Meletem a matre editum, atque idcirco ipsi primitus Melesigenis, ac posteaquam oculis captus est, Homeri impositum nomen. Ad hanc autem narrationem Arnobius ut alluderet, eo lubentius illum Melæ seu Meletis fluvii filium appellavit, quod furtivo matris concubitu et incerto patre progenitus diceretur. Neque te terreat fluvii nomen. Nam antiqui fluvios non modo animatos et mortali etiam corpore compositos, sed multa de eorum amoribus credulæ posteritati tradiderunt. Si plura scire velis, adi Suidam et eos qui Homeri historiam editis illius operibus præmisere, in primis vero Leonem Allatium, qui peculiarem confecit de ejusdem Homeri vita librum.

Quod autem secundo observat Hervetus, certe ibi Arnobium non plane immerito arguit erroris, quod ex Homero Martem tribus et decem mensibus in Arcadia vinctum dixerit. Ubi quippe poeta de Martis vinculis disputat, nullam ibi Arcadiæ facit mentionem. Quapropter hæc Arnobius non ex Homero [86], sed ex depravato quodam Clementis nostri codice, ubi vox Ἀρκάδα a subsequenti τοῦτον non satis distincta erat, delibasse videtur. Et re quidem ipsa in regiæ Bibliothecæ manuscripto codice post vocem Ἀρκάδα **67** non punctum, sed virgula tantummodo subscribitur. Sed hic error ex ipso Homeri apographo, unde id a Clemente desumptum est, debet emendari.

Contra vero, inquiet aliquis, cum Homerus locum ubi Mars in vincula conjectus est, tacuerit, hoc Arnobius in Arcadia contigisse aliquo fortassis ex auctore didicerat. Recte quidem, si id haud incertis rationum momentis aliquando probetur.

Ad Martis denique patriam quod spectat, plures sane nationes eum sibi vindicare voluerunt. Quid ergo mirum si Arcades de hac, uti putabant, gentis suæ gloria ausi fuerint cum aliis nationibus et populis contendere ac decertare? Omnibus autem id ita notum esse Clemens existimabat, ut testibus citandis sui aliquid consumere temporis inutile et superfluum duxerit.

Apollinem Sminthium posthæc sic exagitat et deridet Clemens : « Polemo refert eos, qui habitant circa Troadem, colere mures qui sunt in his regionibus, quos ipsi appellant σμίνθους, quoniam corrodebant chordas arcuum suorum hostium, et Sminthium Apollinem ab illis muribus appellarunt [87]. » Nonnulla de hoc Apolline ex Eustathio et Cælio Rhodigino notat quidam Hervetus : sed nonne Aristoteles ex Polycrate eodem ac Clemens noster his collineat verbis : « Dicit Polycrates in mures, quia opem tulissent corrodentes nervos [88]. » Videsis Vossium, lib. III *De orig. et progr. idolol.*, cap. 75, pag. 567. Apollinis autem Sminthii meminere non solum Pausanias et Strabo, sed Homerus *Iliad.* I ; Macrobius lib. I *Saturnal.*, cap. 17 ; Ælianus lib. VIII *Histor. animal.*, cap 10 ; Arnob. lib. III *Adv. gent.*, pag. 119 ; Lactant. lib. I *De vera religione*, cap. 7 ; Ammian. Marcell. lib. XXII, cap. 8. Denique Ovidius illum his versibus celebrat :

Consulitur Smintheus, lucoque obscurus opaco,
Hos non immerito reddidit ore sonos [89].

Nodum in scirpo quæsivisse videtur Hervetus, ubi de Æsculapio, quem Clemens fulmine ictum in finibus Cynosuridis jacere testatur, hæc animadvertit : « Cynosuridis meminit quidem Strabo, et Pausanias ; sed quod in ejus finibus sepultus sit Æsculapius, ne verbum quidem [90]. » Quid enim, amabo te, ad Clementini illius loci explicationem his Ciceronis verbis luculentius? « Æsculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum invenisse primusque vulnus obligavisse dicitur ; secundus secundi Mercurii frater. Is fulmine percussus dicitur humatus esse Cynosuris. Tertius Arsippi et Arsinoe, » etc. Quæ quidem Oratoris [91] verba si legisset Hervetus, vel ex ejus memoria si non excidissent, ab hac certe se abstinuisset animadversione. Videsis, si lubeat, Lescalopierii in hunc Ciceronis locum illustrationes.

Minus certe id notum est quod de Neptuno medico atque etiam de Saturno ibidem Clemens subjunxit : « Philochorus autem dicit medicum in Teno coli Neptunum, Saturnum autem situm esse in Sicilia, et eum illic fuisse sepultum [92]. » Qui præter Philochorum mentionem illorum fecerit, Hervetus nullum fuisse putat. Sed nihil inde de Philochoro ejusque auctoritate minuitur. Nam præter celeberrimum Neptunum, Jovis fratrem Saturniique filium, tot prope alii, ut rite docet Vossius, fuerunt Neptuni, quot principes insulares. Nullus itaque dubitandi locus est quin in Teno, quæ ex Cycladibus insulis una fuit, Neptunus quidam medicus olim coleretur.

Trita vero et communis est memorati a Clemente fabula Saturni, qui regno a Jove filio suo pulsus, « cum jactatus esset per omnes terras, » ut loquitur Lactantius, « persequentibus armatis, quos ad eum comprehendendum vel necandum Jupiter miserat, vix in Italia locum in quo lateret invenit. » Quod quidem ab innumeris propemodum non solum ethnicis et Christianis scriptoribus Minutio Felice, Arnobio, Tertulliano, Cypriano refertur, sed ab Ovidio etiam [93], atque his a Virgilio canitur versibus :

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis,
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis
Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuisset tutus in oris [94].

[83] Jun. Adag. cent. 3; adag. 99. p. 1074. [84] p. 18. [85] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 143, in-4. [86] Homer. Iliad. V, p. 87. [87] pag. 25. [88] Aristot. tom. II, lib. II Rhetor., c. 24. [89] Ovid. lib. VI Fastor., v. 425. [90] pag. 18. [91] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 248. [92] pag. 642. [93] p. 18. [94] Voss. lib. I De orig. et progr. idololat., c. 15. [95] Lactant. lib. I De falsa relig., c. 14 et 15. [96] Minut. Fel. in Octav., p. 24; Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 143, in-4 ; Tertul. Apol., c. 10, lib. II Ad nation., c. 12; Cyp. lib. De idol. van. init. ; Ovid. lib. I Fastor., carm. 133 et seqq. [97] Virgil. Æneid. lib. VII, vers. 319 et seqq.

Digitized by Google

ubi autem Saturnum summa in pace regnasse, aureumque sæculum ob maximam regionis illius fertilitatem huc adduxisse veteres finxerunt. Eamdem sane ob rationem in Sicilia factam aut occultatam ab eo falcem, atque idcirco Drepanum vocatam, alii fabulantur. Inficias igitur quis iverit vero penitus esse simile aliquos hanc quoque propter rationem in animum sibi facile induxisse, ibi Saturnum aliquandiu vixisse, et post mortem sepulturæ mandatum. In hujus autem opinionis confirmationem illud forsitan haud immerito proferri potest, quod refert Macrobius, Saturnum post id temporis non comparuisse, erectaque in ejus honorem a Jano altaria : « Cum inter hæc subito Saturnus non comparuisset, excogitavit Janus honorum ejus augmentum, ac primum terram omnem ditioni suæ parentem, Saturniam nominavit. Aram deinde cum sacris tanquam Deo condidit, quæ Saturnalia nominavit [96]. » Subjungit tamen aliorum, teste Varrone, fuisse opinionem Pelasgos « vastatis Siculiensibus incolis, » occupasse regionem, « decima parte prædæ secundum responsum Apollini consecrata, erectis Diti sacello, et Saturno ara, cujus festum Saturnalia nominaverunt. » Ex quibus liquido colligas quanta facilitate aliqui sibi persuaderi permiserint in Sicilia positum esse Saturni sepulcrum.

Nemo sane nescit vulgarem Dionysi seu Bacchi fabulam, qua ille a Titanibus membratim discerptus et dilaceratus fingitur. At Hervetus monet mirum ubique de eo esse silentium, quod Clemens subnectit : « Minerva quidem, quæ Dionysi cor abstulit, appellata est Pallas ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est a vibrando, seu torquendo, eo quod cor vibret seu torqueat [99]. » Illud tamen a Vive et Natali Comite explicatum invenies [1]. Et vero fatetur Hervetus Orpheum in quodam deperdito poemate olim cecinisse Palladem Dionysi, immaturo matris suæ Semeles partu in lucem editi, cor adhuc palpitans ad Jovem illius patrem detulisse : « Sed hæc, inquit, meræ sunt prorsusque incredibiles fabulæ. » Optime quidem. Verum illa quantumvis falsa et incredibilis fabula, ad explicandam hanc Clementis nostri cum paganis expostulationem sufficiebat. Quo enim magis absurda esse dicitur, eo certe acrior et æquior est illius criminatio.

Hi porro, de quibus egimus, aliique primi ordinis, majoresque, uti aiebant, gentium dii cum omnibus quibuscunque magis horrendis nefandisque criminibus et flagitiis, quæ pagani neque negare, neque dissimulare poterant, perditi fuissent, invictissime profecto Clemens inde concludit eos ab iisdem paganis nec coli posse nec adorari. Ne vero illi se non primos majoresque deos, sed dæmones colere responderent, hujusce vanæ futilisque defensionis viam 68 sic eis præcludit : « Si sunt itaque dæmones ligurritores et scelerati, possunt etiam aperte inveniri in civitatibus dæmones indigenæ, qui honores sibi vindicant. Apud Cythnios quidem Edemus, apud Tenios Callistagoras, apud Eleos autem Anius, apud Lacones Astrabacus. Colitur et quidam Heros Phalereis in puppi [2]. » Qui autem hi fuerint ab Herveto si quæsieris, ille tibi hunc respondebit in modum : « Undenam hæc nomina sumpserit Clemens, an ex archivis civitatum quas nominat, an ex historicis qui perierunt, ingenue fateor me nescire. » Quædam tamen ex iis invenies explicata a Vossio, qui in Clementis textu pro voce « Anium » suspicatur « Alium » legi debere [3]. Conditores siquidem urbium deorum albo ascribi solebant. Atqui Eliorum urbs ab Alio condita est. De hac autem Vossii conjectura judex esto et arbiter, ac perpende utrum « Heros Phalereis in puppi » is ipse sit Androgeus de quo Pausanias, ubi de Phalero disserit, hæc memorat : « Sed exstat et Androgei Minois filii ara, sub Herois tantum nomine; sed Androgei esse norunt, qui priscas patriæ res diligentius exquirunt [4]. » Denique decantati de hominum custodia dæmonibus commissa versus, quos Clemens tacito auctoris nomine ibi et alibi refert ac refellit, Hesiodi sunt [5]. Sed in ejus editione pro δαίμονες ἀθάνατοι, uti in Clementis textu habetur, legimus ἀθάνατοι Ζηνός, haud absimili sensu. De hac porro dæmonum custodia in sequenti dissertatione agemus [6].

ARTICULUS II.

De Bacchi orgiis, de sacrificiis quibus homines immolabantur, de Cereris mysteriis, ac de Eetione, et Melampode, de arcanis Themidis, seu ejusdem Cereris symbolis, et de Anacharsi, qui civem suum Cereris mysteria imitantem interfecit.

Non alio quoque animo, quam ut paganos ad veri Dei cultum adducere posset Clemens noster, illis adhuc objecit crudelissima atque obscenissima Bacchi orgia, eaque vehementissime insectatus est. Quæ quidem etsi nemini sint incognita, Hervetus tamen ullibi se id legisse abnuit, quod ait Clemens, hæc mysteria « crudarum carnium esu celebrari. [7] » Ab illo itaque lecta non fuerunt, aut non satis diligenter examinata neque Epiphanii mox laudandi, neque hæc Arnobii verba : « Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen *omophagiis* Græcum est, in quibus furore mentito et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis [8]. » Quid magis apposite ad Clementis nostri Græcam locutionem, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς χρεωνομίας? Si quem vero alium antiquiorem atque etiam ethnicum auctorem desideret, ipsi Theodoretus dabit Empedoclem, cujus verba sic retulit : « Festa vero et sacrificia, seu dies nefastos et horribiles, in quibus caro cruda comeditur, ἐν αἷς ὠμοφαγίαι, et distractiones corporum fiunt, jejuniaque et planctus, multis autem in locis et obscena verba, aliæque fiunt insaniæ agentium se cum turbatione, cervicisque jactatu, nulli deorum consecrari dixerim, sed malis dæmonibus avertendis peragi; ut solatio sint pro cæde hominum, qua illis quondam sacrificabatur [9]. » His adde illum Clementis nostri locum ab Eusebio integrum totidem verbis referri [10].

Ex illo itaque Hervetus aliud, sibi quoque incompertum, discere adhuc poterat homines insana illa mysteria celebrantes, fuisse serpentibus coronatos [11]. Si tamen alium adhuc testem sibi citari postulet, audiat Epiphanium : « Sunt et alii Dionysiaci, qui Curetum sacris, et carnium divisioni, χρεωνομίαν μυοῦντες, initiari solent, coronati serpentibus, evantes, et ova, ova vocitantes, hoc est Evam illam quam serpens decepit invocantes [12]. » Porro autem ibi legitur vox χρεωνομία, quemadmodum apud Clementem nostrum : et illud « coronati serpentibus, » ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, haud absimili modo apud Epiphanium, τοὺς ὄφεις ἀνεστεμμένοι, habetur.

Sed hæc immanis belluæ potius quam hominis feritas alia eorumdem paganorum longe sæviore superabatur. Scribit quippe Clemens in Bacchi sacrificiis homines, ut Dosidas testificatur, ipsi

[96] Macrob. lib. I Saturnal., c. 7. [99] pag. 12. [1] Vives in lib. XVIII August. De civit., c. 8; Natal. Com. lib. IV Mythol., c. 5, p. 299. [2] p. 26. [3] Voss. lib. I De orig. et progr. idololat., c. 13. [4] Pausan., lib. I, p. 1. [5] Hesiod. Ἔργα poet. Græc., p. 448. [6] dissert. seq., c. 8, § 2. [7] pag. 9. [8] Arnob., lib. V, p. 169, in-4. [9] Theodor. tom. IV serm. de orac., p. 625. [10] Euseb. lib. II Præpar. evang., c. 3, p. 62. [11] Admon. ad Græc., p. 9. [12] Epiphan. Adv. hæres. expos. fid., § 10, p. 1092.

Digitized by Google

mactatos [13]. Sed Hervetum forsitan miraberis, qui hoc, præter Dosidam, a nullo alio litteris consignatum asserit. Nam ut Theodoretum, qui, loco paulo ante a nobis citato, crudelissimi hujus sacrificii meminit, prætermittamus, totum illud Clementis nostri de veteri hominum diis immolandorum consuetudine fragmentum non solum Eusebius retulit, sed idem quoque a Chiis et Tenediis factum esse his memorat verbis : « Quid porro magis dæmonem sapiat, quam illa vel Omadii Bacchi crudelitas, cui membratim homines a Chiis discerptos esse ferunt, vel alterius apud Tenedios, quem similiter hominum cæde placabant [14] ? »

Quid vero quod Cyrillus Alexandrinus idem omnino ac Clemens noster ita tradidit? « Quinetiam Lesbios Bacchi aram cruore virorum imbuisse [15]. » Neque prætermittendus est Plutarchus, qui quidem quo tempore et qua occasione apud Lacedæmonios, teste Aristodemo, virgo cœperit ac desierit immolari, sic enarrat : « Pestilentia Lacedæmonem urgente, divinitus significatum est cessaturam luem, si pro more generosam immolent virginem. Helena autem cum esset aliquando sorte ducta et ornata produceretur, aquila advolans gladium arripuit, et in armentum referens buculæ imposuit; quo factum est ut cæde abstineretur [16]. » Atque ibidem addicit cur apud Falerios virgo quotannis Junoni litaretur. Sed in quibusdam regionibus ferus ille mos aut tardius aut citius, uti supra ex Empedocle vidimus, abrogatus est [17].

Ex his porro Cyrilli et Plutarchi verbis, atque ex variis auctoribus, Porphyrio, Philone, Dionysio Halicarnassensi, et Diodoro Siculo, ab Eusebio citatis [18] ea mirum in modum confirmantur, quæ de impio illo ac penitus inhumano hominum diis immolandorum more Clemens noster scriptis prodidit. Præter hos autem scriptores poteris adhuc, si velis, consulere Tertullianum *Apologet.* cap. 9, *Scorpiac.* cap. 7; lib. II *ad Nation.*, cap. 76 ; Lactantium lib. I *De falsa religione*, cap. 21, Theodoretum *De Græc. affect. curat.* serm. 7, pag. 589; Polyd. Vergilium lib. V *De inventione rerum*, cap. 8; Natal. Comitem lib. I *Mythol.*, cap. 17; Vossium lib. *De orig. et progr. idololat.*, cap. 14. Quod denique Erectheum Atticum et Marium Romanum filias suas diis immolasse Clemens perhibet [19], id quidem ex Plutarcho in *Parallelis* pag. 310, recte stabilitur. Sed de Erectheo Meursius lib. II *De regibus Atheniensium* plura disputat.

De aliis autem Bacchi mysteriis, seu Bacchanaliorum ritibus, a Clemente ibidem commemoratis, præter citatos auctores legesis singularem Joannis **69** Nicolai de iis commentationem, et Petri Castellani de festis Græcorum syntagma. At obiter animadvertenda sunt hæc ejusdem Clementis nostri verba, quibus exsecranda illa mysteria insectatur et explodit : « Nunc autem iis qui initiantur, est incontinentiæ sacra nox loquens, et ignis qui lucet in facibus vitia et animi perturbationes arguit. Exstingue ignem, o sacerdos, revereare lampades, o tu qui facem geris. Tuum Iacchum lux arguit [20], » etc. De illis enim prius Cicero hunc locutus fuerat in modum : « Quid ergo aget Iacchus, Eupolmidæque nostri, et augusta illa mysteria, siquidem sacra illa nocturna tollimus?.... Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit [21]. »

Corybantum quoque orgia a Clemente nostro ita exagitantur : Καβείρου; δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντας, καὶ τελευτὴν Καβειρικὴν καταγγέλλουσι· « Cabeiros autem dum Corybantes appellant, mortem quoque Cabeiricam annuntiant [22]. » Verum Meursius pro τελευτὴν autumat legendum esse τελετὴν, *initiationem* [23] quia de Cabeirorum mysteriis ibi Clemens disputat. Sed quid probibet quominus Clemens dixerit mortem tertii fratris, cujus ibi quoque meminit, in illis mysteriis annuntiari? Non igitur tam facile rejicienda est editorum lectio, quam manuscriptorum minime spernenda auctoritas confirmat. De his porro mysteriis lege ejusdem Meursii lib. IV *Græciæ feriatæ*.

Alia matris deorum, aut Cybeles, aut Cereris orgia, non minus quam Bacchi impia et obscena mysteria, quinam instituerint, sic Clemens explicat : « Pereat ergo qui hujus fraudis fuit princeps et auctor hominibus, sive Dardanus qui matris deorum ostendit mysteria, sive Eetion qui Samothracum suggessit orgia et sacra mystica, sive Phryx ille Midas qui didicit ab Odryso, deinde iis qui ejus parebant ditioni fraudem tradidit artificiosam [24]. » Hervetus autem non solum hæc infanda mysteria ab his, quos Clemens indicat fuisse instituta, alibi nunquam se invenisse ait, sed de Eetione nihil quidquam ullibi legisse confitetur.

Quid igitur? Eusebiumne, qui hæc Clementis verba a se descripta sibi adoptavit et suo calculo comprobavit, ducet pro nihilo [25] ? At si ea tam parvi fecerit, aut ab uno eodemque auctore profecta dixerit, Arnobium audiat de Mida et Dardano loquentem : « Quis Phrygiam matrem, cujus esse conditor judicatur vel Midas Dardanus? non cum Annibal Pœnus res Italas raperet, et terrarum exposceret principatum, et nosse et scire cœpistis, et memorabili religione sancire [26] ? » Diodorus etiam Siculus scribit Phryges Pessinunte in urbe magnificum Cybeli exstruxisse templum, solemnesque ei instituisse immolationes et cultus : « Diligenter, inquit, hanc rem adjuvante rege Mida [27]. » Quod quidem ex Arnobio haud obscure confirmatum videmus. Nec multum a Clemente nostro et Arnobio [28] Dionysius Halicarnasseus de Dardano discrepat, qui Idæum Dardani filium, « in montibus, qui nunc ab eo Idæi dicuntur, matri deorum templo exstructo, orgia et initiationes instituisse testificatur [29]. »

Plures porro Eetionis nomen sortiti sunt, quorum unus fuit pater Andromaches, et Hectoris socer, de quo Homerus ita cecinit lib. VI *Iliad.*, v. 395 :

Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος.
Ἠετίων ὃς ἔναιεν Ὑποπλάκῳ ὑλήεσσῃ,
Θήβῃ Ὑποπλακίῃ Κιλίκεσσ' ἀνδρεσσιν ἀνάσσων.

Andromache filia magnanimi Eetionis,
Eetion, qui habitabat in Hypoplaco silvosa :
In Thebe, sub monte Placio sita, Cilicibus viris imperans.

De eodem quoque illud est Ovidii nulli incogniti carmen :

Eetioneas implevi sanguine Thebas [30].

Alterius Eetionis mentionem facit Herodotus, aitque eum Labdam uxorem habuisse, et ex ea genuisse Cypselum, qui juxta Pythium oraculum Corinthi postea regnavit [31]. Quis autem ex his duobus, vel utrum aliquis alius sacrorum Cybeles mysteriorum auctor a Clemente dicatur, nemo facile divinabit. Et vero id quidem ille ut certum omnino et minime dubium affirmare non ausus est.

Quamobrem et aliam eadem de re opinionem sic

[13] Epiph. Adv. hæres., expos. fidei, p. 27. [14] Euseb. lib. IV Præpar. evang., c. 16, p. 157, 163. [15] Cyrill. cont. Julian., t. VI, lib. IV, p. 128. [16] Plutarch. in Paral. l. II, p. 314. [17] Theodor. loco cit. [18] Euseb. lib. IV Præpar. evang., c. 16. [19] pag. 27. [20] pag. 14. [21] Cicer. lib. II De legib., p. 337. [22] pag. 12. [23] Meurs. lib. IV Græc. feriat. [24] pag. 10. [25] Euseb. lib. II Præpar. evang., c. 5, p. 63. [26] Arnob. lib. II Adv. gent., p. 95, in-4. Diod. Sicul. lib. III Biblioth., p. 135. [28] Arnob. lib. VII Adv. gent., p. 253. [29] Dionys. Halicarn. lib II Antiq. Roman., p. 57. [30] Ovid. Metam. lib. XII, fab. 3. [31] Herodot. lib. V, p. 327.

Digitized by Google

paulo post Clemens retulit : « Melampodem autem filium Amynthaonis alii dicunt ex Ægypto in Græciam transtulisse festum Cereris, luctum qui laudibus celebratur[32]. » Negat tamen adhuc Hervetus id, etiamsi diligenter investigavisset, se invenire unquam potuisse. Ubi illud quæsierit plane nescimus. Nulli autem dubitamus eum nihil ea de re quæsivisse apud Eusebium, a quo, ut diximus, totus ille Clementis nostri locus describitur[33]. Neque etiam illud in Tertulliani *Apologetico* quæsivit; aut certe non tanta atque Pamelius diligentia, hæc, quæ ibi leguntur, verba perpendit : « Orpheus Piericæ, Musæus Athenis, Melampus Argis, Trophonius Beoticæ, initiationibus homines obligaverunt[34]. » Recte enim observat Pamelius ibi Tertullianum de eodem disputare Cereris festo, cujus ab Eusebio, addere debebat, et a nostro Clemente mentio facta est. Ferunt autem hunc Melampum, seu Melampodem, Amynthaonis et Doryppes filium, fuisse augurem et medicum. Illius porro Pausaniam, Homerum, Virgilium, aliosque non infrequenter meminisse nemo nescit.

Quod porro Clemens de his impiorum mysteriorum auctoribus nihil certo definiat, id nemini mirum esse debet. Lucianus siquidem Phrygas et Samothraces illa ab Atte Lydio, primo eorum inventore et quasi architecto, accepisse haud dubitanter asseverat[35]. Alii vero eorum institutionem Erectheo, alii Musæo, alii denique ipsimet Cereri acceptam referebant, de quibus legendus est Meursius lib. *De Cerere Eleus.*, cap. 2.

Nemini tandem incognita sunt infanda illa Cereris orgia et mysteria, quæ ad sempiternam ethnicæ turpitudinis memoriam Clemens ac, post eum, Arnobius fuse recenset[36]. Nam ea ab innumeris propemodum scriptoribus ethnicis et Christianis, antiquis et recentioribus divulgata sunt[37]. Si quis tamen ea sigillatim explanata legere velit, is adeat Natalem Comitem lib. IX *Mythol.*, cap. 5; Vossium lib. I *De orig. et progr. idolol.*, cap. 20, et lib. II, cap. 52, 53 et 54; et Meursium toto pene libro *De Cerere Eleusina;* Fasoldum *De festis Græc.*, decade 2; Petrum Castellaneum *De festis Græc.* Ex his autem discet adhuc per « potum bilis, » πόμα χολῆς, quem Hervetus se non satis intelligere dicit, nihil aliud a Clemente nisi Cereris iram et furorem significari[38].

Paucis præterea monitum te esse volumus hoc carmen :

Taurus pater draconis, et pater tauri draco[39],

70 quod Clemens tacito auctoris nomine citavit, Tarentino cuidam ab Arnobio attribui[40]. Hoc autem de Tarentino Suidas et Vossius disputaverunt[41].

Orphei quoque de Cerere, raptam Proserpinam inquirente, hæc Clemens ait se transcripsisse carmina :

Sic dixit, vestes tollens, omnemque figuram
Corporis ostendit turpem, spectabat Iacchus[42], etc.

Nonnulli autem putant fœde corruptum esse hunc Clementis nostri locum, ac medicam ei manum afferre conantur. At eos in primis torquet nomen Iacchi, quod in alienam prorsus historiam perperam intrusum esse existimant. Quod quidem haud incerta probari posse putant auctoritate Arnobii, qui nomen illud omnino prætermisit. Sed huic doctorum hominum conjecturæ plane adversantur et manuscripti nostri codices, et Eusebius, qui eosdem Græcos versus ex Clemente nostro retulit, idemque nomen Ἴαχχος exhibet. Et vero contendunt A alii genuinam veramque esse in Clementis nostri textu lectionem, depravatumque ab librariis fuisse hunc ipsiusmet Arnobii versum :

Quas cava succutiens Baubo manu, nam puerilis
Olli vultus erat.

Pro « Baubo » etenim reponi volunt « Bacchus. » Nullum enimvero dubitandi locum esse credunt, quin Bacchus in turpissimo illo, quem poetæ impudici finxerant, affuerit Cereris Baubonisque comitatu. Sed de Arnobio alibi dicendum erit.

Ad eadem porro Cereris sacra, quæ Eleusinia vocabantur, Clemens referre videtur Thesmophoria, perinde ac si unus idemque festus dies, idemque mysterium et sacrum fuissent. Ubi enim de Eleusiniis disserit, hæc ille totidem verbis disputat : « Vis etiam tibi narrem quomodo flores collegerit Proserpina, ejusque calathum, et raptum a Plutone, et hiatum terræ, et sues Eubulei, quæ devoratæ B fuerunt a deabus; propter quam causam in Thesmophoriis Megarensium more porcos expellunt. Hujus fabulæ diem festum mulieres varie concelebrant, Thesmophoria, Scirophoria, multis modis raptum Proserpinæ tragice decantantes[43]. » Verum Meursius ibi Clementem nostrum erroris accusat, quippe qui Thesmophoria cum Eleusiniis, quæ plane diversa erant, præpostere omnino confuderit[44]. « Nam Eleusinia, inquit ille, instituta fuerant in Cereris raptam Proserpinam quærentis, et tunc acceptarum frugum memoriam; Thesmophoria vero ob leges ab ea acceptas. » Arnobium quoque et Theodoretum, quibus et longe plures alios adjungere potuisset, similis erroris insimulat. Sed non omnibus fortasse rationes ejus tanti videbuntur ponderis, ut contra tot tantorumque virorum auctoritatem, communi fere omnium consensu receptam, singulos quosque in suam adducat opinionem. Si qui tamen illius argumentis vincantur, ipsi subscribant, per nos licet.

C Omnes porro una mente consentiunt matronis aliquot dies, antequam Thesmophoria agerent, servandam fuisse castitatem. Quod quidem confirmari potest quadam Theanus Pythagoricæ responsione, quam ipsemet Clemens noster protulit, ita tamen ut plurimis morem hunc nescientibus obscura videri posset : « Rogata, inquit, Theano quoto die mulier post congressum cum viro ad Thesmophorium venire possit : A proprio quidem, statim subjunxit, nunquam ab alieno[45]. » Nulla enim penitus fuisset istud ab hac muliere philosopha quærendi causa, nisi mulieres ante illum diem festum caste et integre vivere debuissent. De hac autem Theano in sequenti dissertatione cap. 18, art. 4.

Miratur porro Hervetus qua tandem ratione Clemens de Eleusiniis, seu Cereris festo die disputans, in Themidis delapsus fuerit sermonem : « Quin etiam Themidis arcana symbola, origanum, lucerna, ensis, pecten muliebris[46], » etc. Summum D enimvero de his Themidos arcanis symbolis ait esse apud omnes silentium. Sed nesciebat vir doctus hoc Themidis cognomen cum aliis pluribus eidem Cereri a Porphyrio ascribi : « Et quoniam, inquit, vis præterea divinandi quædam inerat, Themin ipsam nominarunt, quasi singulis τὰ τεθειμένα, hoc est, res fato constitutas eventurasque prænuntiet. Atque hunc in modum vim illam terræ tot symbolorum varietate explicatam venerantur, ac virginis quidem, Vestæque nomine, quatenus ea centrum universi complectitur; Parentis, quatenus animantibus alimenta suppeditat; Opis, quatenus lapides generat, montibusque proeminet; Cereris, qua-

[32] Herodot. lib. v, p. 10. [33] lib. II Præpar. evang., c. 3, p. 63. [34] Tertul. Apolog., c. 21. [35] Lucian. De dea Syria, p. 1061. [36] p. 10, 11, 14. [37] Arnob. lib. v Adv. gent. [38] p. 11. [39] Ibid. [40] Arnob. lib. III Adv. gent. [41] Suidas ad verbum βίνθων; Voss. De poet. Græc., c. 8, p. 61. [42] pag. 13. [43] p. 11. [44] Meurs. lib. IV Attic. lect., c. 21. [45] lib. IV Strom., p. 522. [46] pag. 14.

Digitized by Google

tenus virentia germina procreat ; ad extremum Themidis, quatenus fundendis oraculis usui est [67]. »

Tantæ porro impietatis cum essent Cereris mysteria, hinc Clemens viro illi, qui civem suum apud Cyzicenos ea imitantem sagittis confoderat, plurimum gratulatur : « Multa bona regi Scytharum eveniant, quicunque fuerit Anacharsis. Is civem suum, qui matris deorum sacra quæ fiunt apud Cyzicenos, in Scythia imitabatur... sagittis confodit, ut qui et ipse effeminatus evasisset apud Græcos, et femininum morbum alios in Scythia doceret [68]. » Hervetus autem et Casaubonus vocem « Anacharsis » huc in Clementis textum præpostere introductam arbitrantur. Et ille quidem, quia Clemens his verbis, « quicunque fuerit, » ὅστις ποτὲ ἦν, quis Scytharum rex esset, sibi incognitum fuisse significat. Hic vero, quia Laertius scribit ipsummet Anacharsim eo quod Græcas leges, vel Græca mysteria apud Scythas vellet introducere, a fratre suo Scytharum rege interemptum [69]. Laertio adjungamus Herodotum, qui narrat illum a solio Scytharum rege, illiusque, ut quidam aiebant, patruele tum sagitta necatum, cum in Scythia mysteria Cereris Cyzicenorum more perageret [70].

At si hæc, uti videtur, veritati sint magis consentanea, non idcirco vox « Anacharsis » ex Clementino textu amputanda est ; sed solius ultimæ litteræ mutatione legendum est, « Anacharsim, » Ἀνάχαρσιν, eique voci postpositum in Græco textu punctum præponendum est. Hac enim levissima librariorum amanuensium aut typographorum emendatione Clemens nullo modo a Laertio et Herodoto dissidebit, nisi in iis forte quæ illi dubia et incerta esse ultro confitentur.

ARTICULUS III.

De paganorum deabus, de quinta Minerva, de alia Minerva ab Ornyto vulnerata, et Polemone qui illius meminit, de alia Minerva quæ ventilabris colebatur, de Venere quæ Phaoni paravit insidias, de Venere Τυμβωρύχῳ, *de Diana Chelitide, Condylitide et Podagra.*

De deabus illud potissimum nobis occurrit, quod a Clemente brevi certaque inductione probatur, eas non magis quam deos castas fuisse et pudicas. Quod autem ibi Clemens de illarum stupris, adulteriis, aliisque flagitiis memorat, id Hervetus **71** omnibus iis, qui poetas legunt, facile obvium esse scite quidem admonet

Attamen ille quod Clemens de quinta Minerva tradidit, eam patris a se impie mactati, pelle tanquam vellere ornatam indi alibi se nunquam legisse profitetur [71]. Non legerat itaque Julii Firmici Materni *De errore profanarum religionum* librum, ubi hæc expresse habentur : « Quinque Minervas fuisse legentibus vobis tradit antiquitas... Quinta Pallante patre et Tritonide matre orta est, quæ patris appellata nomine, Pallas est ab hominibus nuncupata. Hæc, parricidalis amentia furoris et vesanæ temeritatis instinctu, patrem Pallantem crudeli morte jugulavit. Nec simplici patris morte contenta, ut diutius malis suis frueretur, et ut de morte patris crudelius triumpharet, exuviis corporis ejus ornata est ; ut parricidii facinus ex crudeli ostentatione publicaret [72]. » Idem quoque Isaacius Tzetzes in Lycophrinem scribit, cujus etiam verba a Natali Comite descripta sunt [73]. Ibi autem iste de quinque Minervis disputat, sicut et Cicero lib. III *De nat. deor.*, pag. 504 ; Arnob. lib. IV *Advers. gent.*, pag. 135 ; Vossius libro II *De orig. et progr. idol.*, cap. 42. Denique Epiphanius plures quidem observat fuisse Minervas, quas non singulatim, sed ita recenset : « Quod ad Minervam pertinet, nec illa simplex ; sed ejusdem nominis complures enumerantur. Nam alia vaga et ad Tritoniam paludem oberrans fuit. Secunda Oceani filia, alia Saturni, ut cæteras omittam [74]. »

Non facilius Herveto illud videtur, quod de quadam ex his quinque Minervis Clemens prodidit : « Polemo autem dicit etiam Minervam fuisse vulneratam ab Ornyto [75]. » De hoc etenim cum Polemone tum Ornyto fatetur nihil sibi occurrisse, nisi apud Strabonem, qui cujusdam Polemonis, sed ut ipsi videtur, poetæ, atque idcirco ab hoc, de quo agitur, plane diversi mentionem fecit. Mirum sane quomodo Hervetus, tantæ eruditionis vir, hæc Justini martyris verba non legerit : « Polemon in *Græcanicarum rerum* libro [76]. » Sed mirabilius profecto illum non vidisse, quod Casaubonus et Vossius apprime viderunt, hunc auctorem non solum alibi a nostro Clemente, et sæpius ab Athenæo, sed etiam a Cyrillo Alexandrino aliisque pluribus laudatum [77].

Ex hoc autem Polemone refert Clemens Minervam ab Ornyto fuisse vulneratam ; Arnobius vero ex nostro, ut aiunt, Clemente : « Non virginem, inquit, ab Ornyto cæsam, cruentatam, vexatam, Polemonis vestri indicant scripta [78] ? » Plures porro, uti vidimus, cum fuerint Minervæ, quænam hæc dici debeat, quisve ille, a quo vulnerata est, Ornytus, præter Polemonem quisnam tradiderit dictu haud ita facile.

Narrat alibi noster Clemens Minervam, Jovis filiam, coli statutis ventilabris, στατοῖσι λίκνοις [79]. De his autem ventilabris, seu cribris et vannis, cum nihil Herveto succurrerit, idcirco ibi suspicatur legendum στατοῖσι ὕμνοις. Verum tam vana est illius conjectura, quam inutilis Clementini textus emendatio. Animum enimvero non satis ille advertit frequentissimum in Bacchi et Minervæ aliorumque deorum, ut scite observat Vossius [80], mysteriis non modo fuisse vannorum, seu ventilabrorum usum ; sed quædam insuper a Clemente ibi citari veteris poetæ, taciloque ejus nomine, carmina, quæ a Plutarcho referuntur. Quod quidem curioso lectori indicasse satis esse putavimus.

Quid autem, quod Hervetus adhuc se illud plane ignorare ait, quod de Venere ibidem Clemens memorat ? « Venus Phaetonti paravit insidias, » καὶ Φαέθοντα, al. Φάωνα ἑλόχα [81]. At Athenæus de Veneris in Phaonem amoribus hæc ex Cratino memoriæ prodidit : Κρατῖνος δὲ φησὶ Φάωνος ἐραθεῖσαν τὴν Ἀφροδίτην ἐν καλαῖς θριδακίναις αὐτὸν ὑποκρύψαι· Μαρσύας δὲ ὁ νεώτερος ἐν χλόῃ κριθῶν· « Cratinus inquit, Venerem, cum Phaonem deperiret, in pulchris lactucis eum abdidisse ; Marsias vero junior in segete virentis ordei [82]. » Idem quoque ab Æliano narratur, sed ibi hæc continenter subjungit : « Alii dicunt eum portitorem fuisse, et hoc officium subiisse. Venisse autem aliquando Venerem trajicere volentem, atque illum nescientem quænam esset libenter prompteque recepisse, magnaque diligentia, quo voluerat, eam avexisse. Pro quibus meritis alabastrum ei cum unguento dea donavit, quo unctus Phaon omnium hominum speciosissimus evasit [83]. » Quis itaque jam non videat has esse insidias, quas Clemens Phaoni a Venere

[67] Euseb. lib. III Præpar. evang., c. 11, p. 110. [68] pag. 14. [69] Diogen. lib. I De vitis et dogm. philos. [70] Herodot. lib. IV, p. 215. [71] pag. 17. [72] Jul. Firm. De error. profan. relig., p. 21. in-4. [73] Natal. Com. lib. IV Mythol., c. 5, p. 299. [74] Epiphan. in Ancor., § 109. [75] pag. 23. [76] Justin. Cohort. ad gent., p. 9. [77] Casaub. lib. VI Animadv. in Athen., c. 5 ; Voss. lib. I De Hist. Græc., c. 18. [78] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 144, in-4. [79] pag. 61. [80] Voss. lib. II De orig. et progr. idolol, c. 14. [81] pag. 21. [82] Athen. lib. II Deipnos., p. 69. [83] Ælian. lib. XII Var. hist., c. 15.

Digitized by Google

paratas asserit? Quamobrem in textu Clementis, sicut et Arnobii, qui hunc locum delibasse videtur [64], non vox « Phaeton, » ut ait Theodorus Canterus, sed « Phaon, » reponenda est.

Veneris porro hujus, quæ non solum vitæ primordiis, sed illius etiam fini credebatur præesse, varia erant cognomina. Quatenus enim vitæ præfecta erat, Diana, Lucina, Alma, Venus, aliisque nominibus vocabatur. Præposita autem morti et parentalibus, Λιβιτίνη atque Ἐπιτυμβία, teste Plutarcho, appellata est. Ipsissima siquidem hæc sunt illius verba : « Cur quæ ad funera pertinent in templo Libitinæ vendunt, quam eamdem esse cum Venere censent... eo movebantur caducum esse quod esset natum, una eademque dea et ortibus et interitibus præsidente. Nam Delphis quoque Veneris Sepulcralis (Epytimbiam ipsi dicunt) est imaguncula, ad quam evocant eorum manes quibus libant [65]. » Rursum vero alibi : « Pontifices justa funebria, quibus opus est, præscribunt, quos edocuit Numa... colerent præ cæteris eam, quam appellavit Libitinam, deam præsidem eorum, quæ defunctis sunt feralia peragenda, sive ea Persephone, sive potius, ut arbitrantur Quiritum eruditissimi, Venus sit, haud male uni virtuti numinis rationem ortus et excessus ascribentes [66]. » Parentalibus itaque cum præesse putaretur, hinc Argivi eam quoque effodiendis sepulcris præfectam arbitrantes, Τυμβωρύχον, ut loquitur Clemens, nuncupavere, atque eo nomine venerati sunt. Sed præstat illius audire verba : « Mitto autem, inquit, Argivos, qui colunt Venerem Τυμβωρύχον, id est quæ sepulcra effodit (ut et Argivi et Lacones), et etiam Spartani Dianam colunt Chelytidem, quoniam tussire ab eis vocatur, χελύττειν [67]. » A vero forsitan is non prorsus aberraverit, qui hanc Tymborychon Venerem eamdem opinabitur esse ac Sepulcralem, seu Epitymbiam, ad quam, ut Plutarchus narrat, defunctorum manes evocabantur. De hac Venere Epitymbia et Libitina consule, si lubet, Giraldum *Histor. deor.*, syntag. 13, pag. 385; et Cælium Rhodig. *Var. lect.* lib. XXIX, cap. 18, ac Vossium lib. II *De orig. et progr. idolol.*, cap. 27, pag. 223.

Superiora porro Clementis nostri verba huc idcirco attulimus, quoniam nonnullis ista, « ut et Argivi et Lacones, » in textum intrusa et superflua videntur. Sed is sane admodum antiquius error est. Nam in utroque manuscripto codice, tum recentiore, tum antiquiore, eadem plane occurrunt, cum hac tamen interpunctione, Τυμβωρύχον θρησκεύουσιν Ἀργεῖοι καὶ Λάκωνες, **72** καὶ Χελύτιδα δὲ Ἄρτεμιν. Quæ quidem vel sola interpunctio oscitantiam librariorum omnibus utique manifestam facere potest. Hervetus tamen hæc ad Dianam referenda esse arbitratur.

Verum minime sibi compertum esse ait, quæ sit illa Diana Chelytis, et cur χελύττειν tussire significet. Ab Henrico autem Stephano observatum est verbum χελύσσομαι, seu χελύττομαι, a nomine χελὺς derivatum, idem Latine sonare atque *expectoro, extussio, eructo* [68]. Quamobrem Diana illa Chelytis, eadem procul dubio ac luna esse videtur. « Humor enim, » ut inquit Plutarchus, « a luna diffusus, cum aggravet corpora, tussim excitat [69]. » Spartani itaque Dianam Chelytidem, seu lunam, ut hanc a seipsis tussim arceret, non secus atque alios malorum depulsores deos venerabantur.

Alias quoque tres Dianas sic paulo superius Clemens memorat : « Dianam quæ vocatur ἀπαγχομένη, hoc est *suffocata*, colunt Arcades, ut inquit Callimachus in *Aetiis*. Culta est etiam Methymnæ alia Diana Condylitis, sic appellata a pugno. Est enim Podagræ alterius Dianæ templum in Laconica, ut ait Sosibius [70]. » Refert autem Pausanias in sua *Arcadia* cur Diana, quæ prius a Condyleæ vico Condyleatis vocabatur, postmodum Apanchomene appellata sit [71]. Sed ab hac diversam esse Clemens ait Dianam Condylitidem : Καὶ Χονδυλίτις ἐν Μηθύμνῃ ἑτέρα τετίμηται Ἄρτεμις. Hæc ille nec plura. Quod igitur in Latina versione legitur : « Sic appellata a pugno, » id non Clementis est, sed interpretis glossema. Quapropter non minus fortasse probabilis eorum videbitur conjectura, qui eam ab incolis Methymnæ, quæ, ut ait Strabo, urbs Lesbiorum erat, sic nuncupatam dixerunt, quod cuidam muliebri morbo mederi crederetur [72]. Eadem quoque forsitan ratione Laconibus Podagra dicta est, quia persuasum habebant homines, podagra laborantes, ab ea posse sanari. De hac autem et Chelytide Diana, aliisque quas Spartani colebant, videsis Joannem Meursium *Miscell. Laconic.* libro primo, cap. 2.

ARTICULUS IV.

De diis averruncis, seu malorum depulsoribus, et humanis affectibus in deorum numerum relatis; de Jove et Hercule Ἀπομυίῳ, de Febre, Pavore, Pallore, Morbo, Pœna, Supplicio, Somno et Morte; item de Metu et Amore, Gaudio et Spe, Contumelia et Impudentia.

In his, quas de Diana non sine aliqua hæsitatione proposuimus, conjecturis si qua tibi appareat verisimilitudo, in illarum confirmationem haud prorsus inepte afferre poteris, quæ Clemens de diis averruncis, seu malorum depulsoribus hunc scribit in modum : « Elei Jovi Ἀπομυίῳ sacrificant; Romani autem Ἀπομυίῳ Herculi, id est muscarum depulsori, et Febri et Pavori sacrificabant, quos ipsos quoque ascribunt in numero eorum qui erant cum Hercule [73]. » Non alia quippe de causa tantis honoribus hæc numina pagani prosecuti sunt, nisi ut divina eorum ope et auxilio vel hæc mala ipsis non nocerent, vel ab illis omnino liberarentur. Quod ex mox dicendis clarissime patebit.

Primum enim de Jove Ἀπομυίῳ sic Pausanias disserit : « Proditum est Herculem, Alcmenæ filium, Jovi porricientem, cum muscas abigere non posset, vel quod ei tunc primum in mentem venerit, vel quod tralatitium fuerit, Abactori muscarum (Ἀπόμυιον Elei appellant) hostiam mactasse : cum perlitatum esset, omnes repente muscas trans Alpheum evolasse [74]. » Qui autem a Pausania vocatur Ἀπόμυιος, hunc Plinius vocat Myagron, vel Myodem : « Elei, inquit, invocant Myagron deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente, quæ protinus intereunt, quam litatum est ei deo [75]. »

Falsum autem in eo Clementem Aldrovandus putat, quod Romanos Herculi Ἀπομυίῳ sacrificasse crediderit; quandoquidem non Herculi, sed Jovi Ἀπομυίῳ sacra faciebant. Verum Solinus narrat Romæ in Boario foro positum fuisse sacellum Herculi, qui « Myiagrium deum dicitur imprecatus [76]. » Quamobrem Salmasius hunc in locum observat, etiamsi nullus eo nomine appellatus, Romæ fuisset Hercules [77], ex hoc tamen facto fieri potuisse, ut Hercules Ἀπόμυιος cognominatus sit.

Neque forsitan hæc conjectura ab omni prorsus abest verisimilitudine. Nam Solinus illud ex iis

[64] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 146, in-4. [65] Plutarch. Quæst. Rom., p. 269. [66] idem in vita Numæ, p. 67. [67] Admon. ad Græc., p. 24. [68] Henr. Steph. in Thesaur. ling. Græc. [69] Plutarch. lib. III Sympos., quæst. 10, p. 658. [70] pag. 24. [71] Pausan. lib. VIII Arcad., p. 254. [72] Strab. lib. XIII Geogr., p. 616. [73] Admon. ad Græc., p. 24. [74] Pausan. lib. V Æliac., p. 161. [75] Plin. lib. X Hist. nat., c. 28, p. 418; lib. XXIX, c 6, p. 702. [76] Solin. initio Polyhistor., p. 2. [77] Salm. p. 19 Exercit.

Digitized by Google

hauserat Plinii verbis : « Romæ in ædem Herculis in foro Boario nec muscæ, nec canes intrant [78]. » Hinc ille potuit, sicut et Jupiter Ἀπομυῖος, seu Myagrii cognomine appellari. Sed id certo affirmare quis audeat? De Pisatidibus porro muscis, tempore quo Olympia festum celebrabatur, fiebantque sacrificia, sponte ultra Alpheum flumen discedentibus, videsis Ælianum lib. v *De animal.*, cap. 17.

Facilius itaque et certius illud est quod de Febre ibidem Clemens subnectit. Nobis enimvero testis est Cicero templum eidem Febri tanquam vero deo a Romanis constructum : « Quis tantus error, » ait disertissimus orator, « ut perniciosis etiam rebus, non modo nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur? Febris enim fanum in palatio, et ædem larum, et aram malæ Fortunæ in Esquiliis consecratam videmus [79]. » Eadem Plinius, Ælianus, Augustinus, aliique litteris mandaverunt [80].

Quam autem ob causam divini illi honores Febri delati fuerint, sic Valerius Maximus edisserit : « Et cæteros quidem deos ad benefaciendum venerabantur. Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte vici longi exstat; in eaque remedia, quæ corporibus ægrorum annexa fuerant, deferebantur [81]. »

Febri Pavorem seu Timorem, non secus ac Clemens noster, connectunt Augustinus [82] et Minutius Felix : « Pavorem Tullus Hostilius, » inquit iste, « atque Pallorem; mox a nescio quo Febris dedicata [83]. » Quæ quidem Cyprianus totidem verbis repetit [84]. De solo autem Pavore et Pallore Lactantius : « Pavorem, inquit, et Pallorem Tullus Hostilius figuravit et coluit [85]. » Cujus hanc Titus Livius reddidit rationem : « Tullus in re trepida, » contra Albanos dimicando, « duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori, equidem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in prælium jubet; nihil trepidatione opus esse [86]. » At Varro apud Augustinum ridicula hæc numina sic exagitat, atque explodit : « Hostilius Pavorem atque Pallorem teterrimos hominum affectus, quorum alter mentis territæ motus est, alter corporis nec morbus quidem, sed color [87]. » Quid ergo insulsius et ineptius eorum genealogia, quam Hesiodus hoc pandit carmine :

. . . . . Αὐτὰρ Ἄρηϊ
Πυριτόρῳ Κυθέρεια Φόβον καὶ Δείμὸν ἔτικτεν [88].
. . . . . Sed Marti
73 *Clypeos dissecanti Venus Timorem et Metum*
[peperit.

Febrim vero ex matre deorum quidam, Augustino teste, ortam garriebant : « Utrum etiam dea Febris ex illa nata sit, viderit Æsculapius pronepos ejus. Sed undecunque nata sit non, opinor, audebant eam ignobilem dicere dii peregrini deam civem Romanam [89]. »

Non mirum igitur, quod alibi scribit idem noster Clemens, paganos in deorum numero Morbum, Pœnam et Supplicium, atque etiam Somnum et Mortem reposuisse [90]. Quam quidem incredibilem insanientium hominum socordiam pulchre et luculenter Plinius ridet et proscribit : « Innumeros quidem credere, atque etiam ex virtutibus vitiisque hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut (ut Democrito placet) duos omnino Pœnam et Beneficium majorem ad socordiam accedit . . . Itaque nomina alia aliis gentibus, et numina in iisdem innumerabilia reperimus, inferis quoque in genera descripta, morbisque et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. [91]. De Morte autem hæc Virgilius cecinit :

Multa boum circa mactantur corpora Morti,
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes [92]. . . .

De his autem fusius disputant Alexander ab Alexandro lib. I *Genial. dier.*, cap. 13; Natalis Comes lib. III *Mytholog.*, cap. 13 et 14; Vossius lib. VIII *De ort. et progr. idolol.*, libro III, cap. 2, et libro VIII, cap. 6.

Neque porro hæc a poetis tantum ficta perperamque excogitata, ab aliis vero rejecta ac penitus repudiata putaveris. Planum etenim Clemens noster facit omnes humani animi affectiones, etiam omnino corruptas et vitiosissimas, et philosophis in deorum ascriptas ordinem : « Jam vero quidam ex philosophis, » ita loquitur Clemens, « ipsi quoque post poeticos earum, quæ sunt in nobis, affectionum figuras et simulacra constituunt, nempe Metum et Amorem, et Gaudium et Spem; sicut certe priscus quoque Epimenides, qui Contumeliæ et Impudentiæ erexit altaria [93]. » Quam merito quidem jure hæc ille paganis vitio vertat et exprobret, cum ex variis eorum auctoribus, tum præsertim ex his Ciceronis verbis discere est : « Tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua sic appellatur, ut ea ipsa vis nominetur deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dicatas videmus proxime a M. Æmilio Scauro : ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata. Vides Virtutis templum? Vides Honoris, a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum? Quid Opis? Quid Salutis? Quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. Quo ex genere Cupidinis, et Voluptatis, et Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium; quanquam Valerius aliter existimat : sed tamen ea ipsa vitia naturam vehementius sæpe pulsant [94]. » Hæc autem non solum ab eo alibi confirmantur [95], sed etiam a Gregorio Nazianzeno, qui totum hunc Clementis nostri locum disertissime corroborat, mirumque illustrat in modum : « Jam vitiosissimi quique vitia ipsa fœdosque affectus deos esse censuerunt, aut certe sub deorum nomine coluerunt, Iram nimirum, Cædem, Libidinem, Temulentiam, reliquaque hujus generis, non æquam nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos partim in terra reliquerunt, partim infra terram occultarunt (hoc unum satis consulte), partim in cœlum evexerunt [96]. » Plura de ridiculis illis deorum numinibus si scire aveas, adi Epiphanium in *Ancor.*, § 105, pag. 105; Vossium lib. VIII *De orig. et progr. idololat.*, cap. 9 et seqq.; Lescalopierii in allata Ciceronis verba animadversiones, et Meursium lib. I *Miscellan. Laconic.*, cap. 6.

De Contumeliæ tandem et Impudentiæ templo quod Clemens tradidit, illud a Cicerone tam persp-

[78] Plin. loc. cit., p. 419. [79] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 249. [80] Plin., lib. II Hist. nat., c. 7; Ælian. lib. XII Hist. var., c. 11; S. August. lib. II De civit., c. 14, et lib. III, c. 12 et 25. [81] Valer. Maxim. lib. II, c. 5. [82] August. lib. IV De civit., c. 15. [83] Minut. Felix in Octav., p. 25, in-4. [84] Cypriani init. lib. De vanit. idolor. [85] Lactant. lib. I De falsa relig., c. 20, p. 105. [86] Tit. Liv. lib. I de Tull. Host. [87] August. lib. VII De civit., c. 10, p. 471. [88] Hesiod. Theog., p. 418. [89] August. lib. III De civit., c. 12. [90] pag. 64. [91] Plin. lib. II Hist. nat., c. 7, p. 142. [92] Virgil. lib. XI Æneid., vers. 197 et seqq. [93] pag. 16. [94] Cicer. De nat. deor., lib. II, p. 223. [95] lib. III De nat. deor., p. 246, et lib. II De leg., p. 336. [96] Greg. Naz. orat. 34, p. 750.

Digitized by Google

cue litteris consignatum est, ut ab eo desumptum videri posset: « Nam illud, inquit, vitiosum Athenis, quod Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliæ fanum et Impudentiæ. Virtutes enim non vitia consecrare decet [97].» Hinc vulgare proverbium, « Dea impudentia,» de quo scite Erasmus *Adag. Chiliad.* III, cent. 1, adag. 65.

ARTICULUS V.

De animalibus et piscibus, quæ Ægyptii, aliique populi venerabantur; de phagro et mœote, quos Ægyptii; de mustela, quam Thebani; de ove, quam Samii; de columbis et piscibus, quos Syri colebant.

Recte quidem Clemens illos omnes, ut ipse ait, Græcos, seu paganos homines, qui deos vitiis et sceleribus infames venerabantur, atque vitia ipsa pro diis habebant, Ægyptiis, qui pisces, feras, aliaque vilissima terræ animantia coluerunt, pejores esse dicit et nequiores. Nihil enim crimine et vitio deterius. Quæ autem et qualis fuerit illa Ægyptiorum superstitio, ut clarius auctor noster patefaceret, varios diversorum hujusce gentis populorum cultus haud indiligenter perscrutatur. Idem argumentum Cicero, Porphyrius, et qui ejus fragmenta retulit Eusebius, Minutius Felix, Epiphanius, Strabo, Vossius, aliique quamplurimi fuse prosecuti sunt [98]. De iis itaque tantum agemus, quæ Herveti, ut ipsemet fatetur, diligentiam fugerunt. Primo igitur ait se nullum invenisse qui cum Clemente Evenitas Ægypti populis ascribat, atque ab illis phagrum coli scriptis tradiderit. Sed non animadverterat vir ille eruditus librariorum amanuensium incuria corruptum esse auctoris nostri textum, atque ita emendandum: Σέβουσι δὲ αὐτῶν Συηνῖται φάγρον τὸν ἰχθῦν· « Ex his Syenitæ colunt piscem phagrum [99].» Syenitæ enim hunc piscem, ut narrat Ælianus, honorabant: Τοὺς ἰχθῦς τοὺς φάγρους Συηνῖται μὲν Αἰγυπτίων ἱεροὺς νομίζουσι. « Inter Ægyptios Syenitæ pisces phagros pro sacris habent [1].» Rationem autem non solum ille ibidem affert, sed etiam Plutarchus: Συηνῖται δὲ φάγρον. Δοκεῖ γὰρ ἐπιόντι τῷ Νείλῳ συνεπιφαίνεσθαι, καὶ τὴν αὔξησιν ἀσμένοις φράζειν αὐτάγγελος ὁρώμενος. « Syenitæ etiam phagrum: videtur enim una cum Nilo apparere, ejusque exoptatum incrementum conspectus ipse nuntiare [2].»

Ex eodem quoque Æliano Hervetus accipere poterat pisci mœoti, ut ait Clemens noster, eosdem honores ab iis exhiberi, qui Elephantinam habitabant. Citato quippe a nobis loco addit ille: Οἱ δὲ οἰκοῦντες **74** καλουμένην Ἐλεφαντίνην τοὺς μαιώτας. « Qui vero regionem nomine Elephantinam incolunt, mœtas venerantur.»

Præterea sicut phagri piscis Strabo [3], ita et mœotis, nec non ejusdem phagri Athenæus his verbis meminit: « In Nilo generantur et piscium aliæ multæ species, omnes lautissimæ, ac præcipue coracini in multa divisi genera, et quos meiotas vocant, ab Archippo in piscibus his verbis memoratas meiotas... phagrus, oxyrrinchus [4].» De his porro præter eos, qui de piscibus data opera disputavere, lege, si vacat et lubet, Vossium lib. IV *De orig. et progr. idololat.*, c. 51.

Vix a nobis, ac ne vix quidem quis impetrare possit, ut citatos paulo ante Æliani libros ab Herveto lectos esse credamus. Ex iis enimvero facile A didicisset, quod tamen se ignorare dicit, et a nostro Clemente sic narratur: « Thebani colunt mustelas propter ortum Herculis [5].» Quid namque ad explicandum illum Clementis nostri locum, his ejusdem Æliani verbis liquidius desiderari potest? « Thebani natione quidem Græci, risu obruendi, qui mustelam religiose venerentur, et dicant hanc nutricem fuisse, vel non fuisse quidem nutricem; sed cum Herculem Alcmena parturiret et parere non posset, hanc prætercurrentem parturiendi vincula dissolvisse, eoque esse factum in lucem ut Hercules expeditius exiret.» Sic autem ipsemet Ælianus Græce: Θηβαῖοι σέβουσιν, Ἕλληνες ὄντες, (ὡς ἀκούω) γαλῆν, καὶ λέγουσί γε Ἡρακλέους αὐτὴν γενέσθαι τροφὸν, ἢ τροφὸν μὲν οὐδαμῶς· καθημένης δὲ ἐπ' ὠδῖσι τῆς Ἀλκμήνης, καὶ τεκεῖν οὐ δυναμένης, τήνδε παραδραμεῖν, καὶ τοὺς τῶν ὠδίνων λῦσαι δεσμούς, καὶ προσελθεῖν τὸν Ἡρακλέα, καὶ ἔρπειν ἤδη [6]. Fabulam istam cecinit Ovidius [7], de qua quilibet Vossium consulere poterit [8]. B

Vides itaque hæc Æliani commentaria ab Herveto non fuisse unquam pervolutata. Quod quidem si alio tibi velis argumento probari, illud continuo tibi sequentia ejusdem Clementis de ovis cultu verba suppeditabunt. Ait enim: « Neque vero oblivisear Samiorum, qui ovem colunt, ut dicit Euphorion [9].» Negat autem Hervetus id posse alibi usquam inveniri. Apud Ælianum tamen id non solum invenire est, sed illius quoque causam, quæ ibidem ex Aristotele ab ipso profertur: Τιμῶσι δὲ ἄρα Δελφοὶ μὲν λύκον, Σάμιοι δὲ πρόβατον... Σαμίοις δὲ καὶ αὐτοῖς τοιοῦτο χρυσίον ἱερὸν κλαπὲν πρόβατον ἀνεῦρε, καὶ ἐντεῦθεν Μανδράβολος ὁ Σάμιος τῇ Ἥρᾳ πρόβατον ἀνάθημα ἀνῆψε. « Lupum Delphi colunt, Samii ovem venerantur... Samiis item aurum furto sublatum ovis invenit. Quare Mandrabulus Samius Junoni ovem consecravit [10].» Vides igitur Samios, his testibus, ovem revera coluisse, hujusque cultus causam fuisse auri furto a Samiis sublati inventionem. C

Verum si hæc indefesso Herveti studio et sedulitati exciderunt, in eo certe Clementis mentem assecutus est [11], cum ad notam omnibus Dercetus fabulam ex Diodoro Siculo et Giraldo ea referenda esse censuit [12], quæ de Syris eorumque in columbas et pisces cultu continenter subnectit: « Qui colunt Phœniciam Syrorum, alii columbas, alii vero pisces tam impense colunt quam Elei Jovem.» Sed in opinionis suæ confirmationem poterat hoc præclarum adjungere Athenagoræ testimonium: Θυγάτηρ ἡ τῆς Δερκέτους Σεμίραμις, λάγνος γυνὴ καὶ μιαιφόνος, ἔδοξε Συρίᾳ θεός· καὶ διὰ τὴν Δερκετὼ καὶ τὰς περιστερὰς καὶ τὴν Σεμίραμιν σέβουσι Σύροι· τὸ γὰρ ἀδύνατον, εἰς περιστερὰν μετέβαλεν ἡ γυνή. Ὁ μῦθος παρὰ Κτησίᾳ. « Filia Dercetus Semiramis, libidinosa et sanguinaria mulier, Syriæ deæ nomine culta est, et propter eamdem Dercetum columbas et Semiramin honorant Syrii; in columbam enim, quod fieri non potest, mutata est, ut nugatur Ctesias [13].» Utrumque autem Clementis et Athenagoræ locum a Vossio [14], variis ex auctoribus ab eo citatis, egregie illustratum invenies. His adde, si velis, etiam Ciceronem, qui de Syrorum in pisces, imo et de Ægyptiorum in omne bestiarum genus veneratione sic scribit: « Piscem Syri venerantur; omne fere genus bestiarum Ægyptii consecraverunt [15].» Quem in locum adisis Lescalopierii illustrationes. D

[97] Cicer. lib. II De leg., p. 336. [98] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 210; Porphyr. apud Euseb. lib. III Præpar. evang., c. 4, p. 93, 94; Euseb. ibid. c. 5, p. 93; Minut. in Octavio, p. 52; Epiphan. Ancor., § 105, c. 106, p. 106; Strab. lib. XVII, p. 812; Voss. lib. III De orig. et progr. idolol., c. 74. [99] pag. 25. [1] Ælian. lib. X De animal., c. 19. [2] Plutarch. lib. De Iside et Osir., p. 353. [3] Strab. lib. XVII Geogr., p. 823. [4] Athen. lib. VII Deipnosoph., p. 312. [5] p. 25. [6] lib. XII Hist. animal., c. 5. [7] Ovid. Metam., lib. IX, fab. 6. [8] Voss., De orig. et progr. idolol., c. 76. [9] p. 25. [10] Ælian. lib. XIII De animal., c. 40. [11] p. 25. [12] Diodor. lib. II Bibl., p. 65; Girald. synt. 2 Hist. deor. [13] Athenag. Legat. pro Christ., p. 33, ap. Justi. [14] Voss. l. II De orig. et progr. idolol., c. 23. [15] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 331, in-f.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

De regibus et privatis hominibus, deorum numero ascriptis, de Ceyce et uxore ejus Alcyone, de Ptolemæo quarto et Mithridate, de Menecrate medico, de Alexarcho et Nicagora, de Philippo rege et Demetrio.

Ex his, quæ hactenus retulimus, impiis hominum erroribus, fabulis, delirationibus factum esse putat Clemens [16], ut reges ac privati etiam homines persuasum habuerint deorum ordini se impune ascribendi factam sibi fuisse potestatem. Et vero ut de Alexandro Magno, quod nullus nescit, taceamus, Ceyx Trachiniorum rex, ut scribit Clemens noster [17], suam propter nobilitatem, opes, et corporis formam, diis se æquiparare ausus, seipsum Jovem, et Alcyonem, uxorem suam, Junonem appellari voluit. De eo post Polycetum disputat Natalis Comes [18], et suspicatur inde ortam Ceycis et Alcyonis in aves conversorum fabulam, quam fuse Ovidius prosequitur [19]. Nec id te moveat, quod hic Ceycem Luciferi, Clemens autem Æoli filium dixerit. Non una enim fuit scriptorum de Ceycis parente opinio, nec eadem omnes de eo tradiderunt.

Narrat deinde Clemens [20] Ptolemæum quartum ac Mithridatem Dionysi dei nomine appellatos. Prioris autem meminit Eusebius [21] et alii, posterioris autem Cicero hæc in verba : « Mithridatem deum illum patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Dionysum, Bacchum, Liberum nominabant [22]. »

Privatos inter homines, qui divinitatem usurpaverant, primum Clemens ponit Menecratem medicum, qui Jupiter cognominatus est [23]. Is patria Syracusanus, et medicus professione, propterea quod homines sacro morbo laborantes sanaret, Jovem se esse jactitabat. Testes tantæ dementiæ si quosdam tibi dari velis, Athenæum illico, Ælianum, Suidam, et si necesse habeas, Casaubonum, ac plures alios citabimus [24].

Nec minus arrogans et insanum fuit Alexarchi grammatici facinus, qui seipsum in Solis similitudinem effingere non dubitavit [25]. Testatum autem Athenæus fecit Alexarchum, Cassandri Macedoniæ regis fratrem, ad ejusdem fratris sui duces hæc scripsisse in verba : « Alexarchus bellator primipilos Solis filios salvere jubet [26]. » An autem idem cum ejusdem nominis grammatico fuerit, aliorum esto judicium. Interea vero ex eodem Athenæo planius disces, quis sit ille Nicagoras, quem Clemens nomen Mercurii sibi arrogasse ibidem testatur [27]. Quæ quidem quomodo Hervetum fugerint, non immerito forsitan miraberis.

Apud Diodorum Siculum [28] legimus Philippum, regem Macedoniæ et Alexandri Magni patrem, se ob magnitudinem imperii, in duodecim deorum, tanquam 75 ejusdem divinitatis participem, numerum aggregari voluisse. Nihil itaque mirum est, si Athenienses nefaria, ut ait Clemens [29], adulatione illum in Cynosarge, quod Herculis gymnasium erat, præceperint adorari. Pausanias vero memoriæ prodidit Athenis fuisse delubrum Herculis, haud dubie in memorato a nobis ex Plutarchi auctoritate gymnasio, ab alba cane Cynosarges appellatum [30]. In hoc igitur templo Athenienses Philippum, ibi procul dubio posita ejus statua, adorari decreverunt. De Cynosarge porro videsis Suidam atque Erasmum *Adagior.* chil. III, cent. 1, adag. 70, p. 605.

Testis adhuc nobis est Clemens non minores Demetrio, quam Philippo, honores ab Atheniensibus delatos fuisse : « Demetrium quoque ipsum, inquit, deum vocantes et ubi ex equo descendit, Athenas ingrediens, est templum Demetrii Καταβάτου, hoc est descensoris [31]. » Eodem pene modo Plutarchus scribit : « Locum etiam, ubi primum descenderat de curru, consecraverunt, posueruntque ibi aram, quam Demetrii Catabatæ, id est desultoris nominavere [32]. »

Lamiæ vero meretricis, quam Clemens ab eodem Demetrio perdite amatam ait [33], mentionem Athenæus ac Diogenes Laertius fecerunt. At isti, sicuti Plinius, addunt ab Atheniensibus positas huic Demetrio trecentas sexaginta statuas, ab iis tamen paulo post dejectas, venditas, submersas, concucatas, in frusta concisas, ac penitus obtritas [34].

CAPUT X.

De paganorum oraculis, ludis et certaminibus.

ARTICULUS I.

De oraculorum apud paganos defectu, de lebete Thesprotæo, de Gerandryo, et Jovis Ammonis oraculo, de Castalio, et Colophonis, Clarii, Didymæi et Amphiarai fonte; de capris et corvis ad divinandum exercitatis.

Falsitatem ethnicæ religionis non ex illis tantummodo insulsis, planeque absurdis paganorum erroribus et insanis obcæcatarum mentium opinionibus demonstrat Clemens, verum etiam ex eorum, quæ cæteris omnibus pluris faciebant, oraculorum defectu. Quapropter ad omnes eorum impietates variasque superstitiones, suo adversus gentes in libro radicitus exstirpandas, ab hoc veluti illorum capite, aggreditur [35]; ut, eo amputato, monstrosa omnia portentosi corporis membra facilius corruant et destruantur. Quidquid porro adversus hæc paganorum oracula brevi inductione disputat, illud totum totidemque verbis ab Eusebio descriptum, atque a Gregorio Nazianzeno Theodoretoque confirmatum et illustratum quilibet invenire poterit [36]. Nec minimam quidem lucem eidem loco afferunt Plutarchus *De oraculorum defectu*, et *De Pythiæ oraculis*, rursum vero Eusebius lib. IV *Præpar. evang.*, c. 2 et seq. Item Leo Allatius *De engastrimytho*, Servatius Galleus *De Sibyllis et earum oraculis*, denique alii seu veteres seu recentiores, nostræque ætatis scriptores.

Quapropter Hervetus quosdam ex illis, non quidem ætate sua posteriores, sed longe superiores, et sibi facile obvios, si vel unquam semel, vel sal-

[16] p. 35. [17] ibid. [18] Natal. Comes, lib. VIII Mythol., c. 16. [19] Ovid. lib. XI Metam., fab. 10. [20] ibid. [21] Euseb. in Chron. ad art. 1936. [22] Cicer. orat. 24, pro Flacco. [23] p. 36. [24] Athen. lib. VII Deipnos., p. 389; Ælian. lib. XII Var. hist., c. 51; Casaub. lib. VII Animadv. in Athen., c. 10, p. 515. [25] ibid. [26] Athen. lib. III Deipnos., p. 98. [27] ibid. lib. VII, p. 289. [28] Diodor. Sic. lib. XVII in fin.; Plutarch. in vita Themist., init. [29] Clem. ibid. p. 36. [30] Pausan. lib. I Attic., p. 17. [31] pag. 36. [32] Plutarch. in vita Demetr., p. 893. [33] ibid. [34] Athen. lib. XIII Deipnos.; Plin. lib. XXXIV Hist. nat., c. 6, p. 99. [35] Admon. ad gent., p. 2. [36] Euseb. lib. II Præpar. evang., c. 3; Greg. Naz. orat. 3 et 4 in Julian.; Theodoret. tom. IV Græc. affect., serm. 10, de orac., p. 623 et 632.

Digitized by Google

tem attentius legisset, inde utique didicisset lebetem Thesprotæum ab ære Dodonæo, non solum ab Eusebio, Clementis excerptore[37], sed etiam a Theodoreto, quemadmodum ab ipsomet Clemente distingui. Quid vero, quod Billius his Gregorii Nazianzeni verbis : « Non jam quercus loquitur, non jam lebes vaticinatur[38], » utrumque eodem plane modo, ac ipsa Clementis nostri oratione, secerni arbitratur? Neque vero constat lebetem Thesprotæum idem omnino fuisse atque æs Dodonæum : sed persuasum nonnulli habuerunt aliquod inter utrumque intercessisse discriminis. Qua quidem re consulendi sunt Suidas ad verbum Δωδωναῖον χαλκεῖον, atque Erasmus *Adag.* chil. 1, centur. 1, prov. 7, p. 23. Illud tamen a nobis dissimulari non potest, quod etiamsi Clemens ac Theodoretus de lebete Thesprotæo et ære Dodonæo, paucis quibusdam verbis interpositis, loquantur; non inde tamen sequitur aliquod inter utrumque discrimen constitui. Non semel enim iis usuvenit, ut de una eademque re, interjectis quandoque nonnullis verbis, revera disputaverint.

Deinde Clemens Gerandryon, quod Jovis Ammonis oraculum esse aiunt, suo tempore evanuisse ulla sine hæsitatione affirmat[39]. Nec immerito quidem. Nam Strabo, qui Augusti et Tiberii ætate florebat, celeberrimum olim illud Ammonis oraculum fere desertum, aliaque ejuscemodi vaticinia plane neglecta his declarat verbis : « Multis a nobis de Ammone dictis id tantum adjicimus, veteribus et divinationem universam et oracula in summo fuisse honore, nunc eadem admodum negligi; Romanis in Sibyllæ oraculis et Etrusca divinatione per extispicia, auguria et servationes de cœlo acquiescentibus. Itaque Ammonis oraculum fere desertum est, quod in honore quondam fuerat[40]. » Plutarchus vero circa Trajani tempora Ammonium inducit de Ammonis oraculo dicentem : « Nunc quidem videtur emarcessere[41]. » Cui respondet Cleombratus tum omnia, quæ in iis locis erant, duobus tantum aut tribus exceptis, defecisse oracula. At nemo dubitat ea omnia et Christi adventu, et apostolorum prædicationibus abrogata penitus fuisse et antiquata. Unde Prudentius, Theodosio Magno imperante, sic cecinit :

Nec responsa refert Libycis in gentibus Ammon.

Quid porro sibi velit Hervetus, nescimus, cum in hæc subsequentia Clementis verba : « Silentio certe mandatus est fons Castalius[42], » observat Pausaniam hujus quidem meminisse fontis[43], sed quod « fuerit divinatorius » nihil prorsus dixisse. Vero autem putat esse simile huic fonti, quia non procul esset a Delphis, vim quoque divinandi ei attributam. Sed quorsum hæc tam inutilis observatio? Quid namque clarius illis, quæ Hervetus nunquam legisse videtur, Luciani verbis? « Qui hoc ullo pacto fieri possit, Mome, neque præsente nobis tripode, neque thymiamatis, nec fonte augurali, cujusmodi est Castalia[44]? » Nec minus perspicue Ammianus Marcellinus : « Curiosior Julianus, inquit, novam consilii viam ingressus est, venas fatidicas Castalii recludere cogitans fontis, quem obstruxisse Cæsar dicitur Adrianus mole saxorum ingenti, veritus ne ut ipse præcinentibus aquis capessendam rempublicam comperit, etiam alii similia docerentur, ac statim circum humata corpora statuit exinde transferri eo ritu, quo Athenienses insulam purgarent Delon[45]. » Scimus quidem id ad Castaliæ fontem, qui in Syria prope Daphnem Antiochiæ ab aliquibus cum Suida et Sozomeno referri[46]. Sed præterquam quod Clemens 76 nullum nominatim fontem appellat, certe alii plures hoc de fonte Castalio, seu Castalino, radices Parnassi montis irrigante, contendunt esse intelligendum. Cæterum nulli dubium esse potest, quin Clemens noster de eodem, quo Gregorius Nazianzenus, Theodoretus et alii scriptores, Castalio fonte disputaverit.

Ad Colophonis vero fontem, quem ibidem obsoluisse Clemens dicit, quomodo olim oracula et responsa redderentur, sic dilucide planeque Cornelius Tacitus explicat : « Non femina illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis et ferme Mileto accitus sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit; tum in specum ingressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum, edit responsa, versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit; et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitium cecinisse[47]. » De hoc fonte Tertullianus scribit : « Lymphaticos efficit Colophonis scaturigo dæmoniaca[48]. »

Plinius quoque non solum hujusce fontis fecit mentionem, sed etiam Clarii et Didymei[49]; Cicero autem[50], Diodorus Siculus[51] et alii plures, Amphiarai, de quo hæc canit Horatius :

. . . . . Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa excidio[52]. . . . . .

Herveto ea longe difficiliora videntur, quæ Clemens de capris corvisque postea narravit : « Ad harum præstigiarum mercaturæ societatem adducuntur capræ, quæ sunt ad divinationem exercitatæ, et corvi qui hominibus responsa dare ab hominibus docentur[53]. » At Græcus Clementis scholiastes, nondum editus, illum ad Carani, primi Macedonum regis, historiam allusisse arbitratur. Quod quidem his exponit verbis : Καρανῷ τῷ Ποιάνθους υἱῷ ἐξ Ἄργους μέλλοντι ἀποικίαν στέλλειν ἐπὶ Μακεδονίαν εἰς Δελφοὺς ἐλθόντι ἔχρησεν ὁ Ἀπόλλων·

Φράζεο, δῖε Καρανέ, νέῳ δ' ἐμὸν ἔνθεο μῦθον·
Ἐκπρολιπὼν Ἄργος τε καὶ Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Χώρει πρὸς πηγὰς Ἁλιάκμονος, ἔνθαδ' ἂν αἶγας
Βοσκομένας ἐσίδῃς πρῶτον· τότε τοι χρεών ἐστιν
Ζηλωτὸν ναίειν αὐτὸν γενεάν τε προπάσαν.

Ἐκ δὴ τοῦ χρησμοῦ προθυμότερος γενόμενος Κάρανὸς σύν τισιν Ἕλλησιν ἀποικίαν στειλάμενος, ἐλθὼν εἰς Μακεδονίαν ἔκτισε πόλιν καὶ Μακεδόνων ἐβασίλευσε, καὶ τὴν πρότερον καλουμένην Ἔδεσσαν πόλιν, Αἰγας μετωνόμασεν ἀπὸ τῶν αἰγῶν· ᾠκεῖτο δὲ τὸ παλαιὸν ἡ Ἔδεσσα ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Λυδῶν, καὶ τῶν μετὰ Μίδου διακομισθέντων εἰς τὴν Εὐρώπην. Ταῦτα Εὐφορίων ἱστορεῖ ἐν τῇ ἱστορίᾳ καὶ τῷ Ἰνάχῳ. « Carano Pœantis filio cum Argos coloniam in Macedoniam deducturus esset, venissetque Delphos, oraculum Apollinis respondit :

Ausculta, divine Carane, meisque attendito verbis :
Linque Argi Græcique lares, ubi femina semper
Pulchra fuit, vade ad fontes Aliacmonis, atque
Pascentes capras ubi primum videris, illic
Siste gradum, primusque istic tu vivito felix.

« Alacrior hoc oraculo factus Caranus, cum Græcis aliquot deducta in Macedoniam Colonia, ibi urbem condidit, primusque apud Macedonas imperio potitus, urbem, quæ prius Edessa vocabatur, mutato

[37] ibid. p. 9. [38] Greg. Naz. orat. 4, adv. Julian., p. 307. [39] ibid. p. 9. [40] Strab. lib. XVII Geogr., p. 813. [41] Plutarch. De orac. defect., p. 411. [42] p. 9. [43] Pausan. lib. XX Phocic., p. 274. [44] Lucian. Dial. Jupiter tragœ., p. 693. [45] Ammian. lib. XXII, p. 328. [46] Suid. ad verb. Κασταλία; Sozom. lib. III Hist., c. 19, p. 626. [47] Tacit. lib. II Annal., de Germ., p. 266 edit. Paris. 1622. [48] Tertul. lib. De anim., c. 50. [49] Plin. lib. V Hist. nat., c. 29, et lib. VI, c. 16. [50] Cicer. lib. I De divinat., p. 270, et lib. II De nat. deor., p. 214, et l. III, p. 247. [51] Diodor. Sic. l. III Biblioth., p. 186 et seq. [52] Horat. Carm., lib. III, od. 16. [53] pag. 9.

Digitized by Google

nomine Ægeam a *capris* voluit appellari. Olim vero Phryges et Lydi, cæterique qui cum Mida in Europam trajecere, Edessam incolebant. Hæc Euphorion in historia et Inacho. » Idem a Justino historico, iis tamen quæ ab Apollinis oraculo dictata fuerunt plane prætermissis, paulo enodatius scriptum est [84]. Verum cum de capris ad divinationem exercitatis Clemens loquatur, quis illum ad hanc Carani caprarumque seu veram seu fictam historiam allusisse crediderit?

Ad Clementis vero mentem ea fortassis propius accedunt, quæ Diodorus Siculus de invento a capris Delphico oraculo ex vetusta, ut ait, fabularum traditione perhibet [85]. Sæpius enim accidisse dicit, ut si ex pascentibus capris aliqua ad voraginem, ubi fani Delphici aditus postea patuit, semel aspexisset, tum illa « mirum in modum exsultaret, et vocem ab usitata prius dissonam emitteret. » Si quis tamen usurpatum a Clemente ἠσχημένας αἶγες, « capræ exercitatæ, » non his proprie, sed aliis humana arte ad divinandum exercitatis convenire contendat, huic plane penitusque repugnare non audemus. Attamen cum illæ capræ divinitus, ut paganorum more loquamur, edoctæ et institutæ dici videantur, non jure forsitan immerito quis conjiciet hanc fabulam, apud paganos adeo celebrem, ibi a Clemente nostro refelli atque exagitari.

Pluribus forsitan verisimile illud non censebitur, quod de corvis, ab eodem Clemente commemoratis, observat idem illius Græcus scholiastes : Βοιωτοὶ πολεμούμενοι ὑπὸ Αἰολέων, ἔλαβον χρησμὸν, εἰ δεῖ πολεμεῖν. Ὁ δὲ Ἀπόλλων εἶπεν αὐτοῖς· Ὅτ' ἂν ἴδητε λευκοὺς κόρακας, τότε πολεμήσατε. Κατά τινα δὲ καιρὸν νέοι τινὲς κατὰ παιδιὰν γυψώσαντες κόρακας ἀφῆκαν ἵπτασθαι. Νομίσαντες Βοιωτοὶ τοῦτο τὸν χρησμὸν δηλοῦν, ἐξελθόντες ἐπολέμησαν, καὶ ἀπώλοντο. Ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, *Εἰς κόρακας*, ἀντὶ τοῦ, εἰς ἀπολείαν. Καὶ οὕτω μαντικοὶ κόρακες ἐνομίσθησαν. « Bœotii, ab Æolibus bello lacessiti, oraculum consuluerunt, utrum ipsis bellum suscipere expediret. Apollo autem eis respondit : Cum corvos albos videritis, tunc bellum gerite. At elapso quodam temporis intervallo pueri per lusum corvos a se gypso illitos dimiserunt. Credentes autem Bœotii hanc esse oraculi explicationem, inito certamine cæsi sunt. Inde proverbium : *Ad corvos*, hoc est, ad perniciem. Postea vero corvi habiti sunt augurales. » Aristophanis siquidem interpres, ab Erasmo in ejusdem proverbii expositione citatus, rem aliter narrat [86].

Verum quocunque tandem modo illa se habuerint, huc sane non videtur collineasse Clemens; quippe qui de corvis ab hominibus responsa dare institutis disputet. Porro autem cum vix ulla esset avis, ex qua pagani plura sive ab ortu solis volante, sive ab occasu, seu a dextris, seu a sinistris, seu alio quovis modo auguria agerent, haud dictu facile est de quibus intelligendus sit hic Clementis nostri locus. Non claris siquidem verbis ab eo dicitur quomodo corvi, an simulata voce humana, aut aliis signis responsa hominibus reddiderint. De his autem auspiciis consule, si vacat, Aldrovandum lib XII *Ornithologiæ*, cap. 1, pag. 709 et seqq.; Tiraquellum in Alexandri ab Alexandro lib V *Genial. dier.*, cap. 13, pag. 499, etc., Julium Cæsar. Bulenger. lib. *De oraculis et vatibus*, ac præcipue cap. 5, 6, 9, 128 et 150; Joannem Antonium Venereum lib. *De oraculis et divinat. antiquorum*, et Plutarchi librum *De oraculorum defectu*, tom. II, pag. 409 et seqq.

77 ARTICULUS II.

De turpibus apud paganos ludis et certaminibus Pythiis, Isthmiis, Nemeis et Olympicis; de mysteriis in Sagra et Alimunte.

Quam turpis, impia et absurda apud paganos fuerit ludorum certaminumque Pythiorum, Isthmiorum, Nemeorum, atque Olympicorum origo, paucis Clemens aperit [87]. Quæ autem ibi scribit, hæc et ab Eusebio de verbo ad verbum sunt transcripta, et nulli, uti putamus, incognita esse possunt. Verumtamen si ea fusius tibi explicari volueris, adi Natalem Comitem, qui longam de eorum unoquoque, sicut Fasoldus et Meursius de Olympicis, disputationem instituit [88]. Prætermittere tamen non possumus illa Helladi apud Photium de iis ludis certaminibusque verba : « Primo quidem instituta fuerunt Panathenæa; deinde Eleusinia mortuo Pelia certamina Thessali instituerunt; post Isthmia in honorem Melicertæ; inde ab Hercule Olympica; dehinc Nemea, mortuo Archemoro; postremo post casum Cirrhæ Pythia instituta sunt [89]. » Ipsemet vero Clemens noster in primo *Stromatum* libro docet Isthmia a Glauco propter Melicertam post elapsos a Moysis principatu 296 annos fuisse constituta [90]. De his porro aliisque supra memoratis ludis et certaminibus adisis Guilelmum Loya, qui chronologicam eorum seriem duobus abhinc annis Oxonii divulgavit.

Magnam porro difficultatem Herveto ea creaverunt, quæ Clemens addidit : « Quæ vero in Sagra mysteria, et quæ in Alimunte Atticæ, circumscripta sunt Athenis, mundi autem sunt probrum et dedecus, et certamina, et phalli Baccho consecrati [91], » Palam enim et aperte ille ipsemet declarat se horum mysteriorum, Atticæ finibus circumscriptorum, mentionem qui fecerit scriptorem invenisse nullum.

Sed ipsi neque satis diligenter exploratum videtur utrum Clementis nostri textus integer aut depravatus esset, neque mysteria Cereris Eleusinæ et Bacchi satis compérta. Nam Græca auctoris nostri verba sic in editis leguntur : Ἀλλὰ τὰ μὲν ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια, καὶ τὰ ἐν Ἀλιμοῦντι τῆς Ἀττικῆς, Ἀθήνησιν περιώρισται, αἴσχος δὲ κοσμικὸν, οἵ τε ἀγῶνες καὶ οἱ φαλλοὶ οἱ Διονύσῳ ἐπιτελούμενοι. Clarum vero et perspicuum est ibi plura turpia et obscena ethnicorum mysteria a Clemente nostro jure ac merito vexari atque proscribi.

Sed priora verba adulterationis postulat Meursius, qui pro ἐπὶ Σάγρᾳ μυστήρια legendum esse contendit ἐπὶ Ἄγρᾳ μυστήρια [92]. Nec plane quidem immerito. Nam emendationem suam ille probare nititur cum Stephani, tum Eustathii auctoritate; et illius quidem de Agra dicentis : « Agra et Agræ locus, singulariter et pluraliter. Est autem Atticæ ante urbem, in quo parva mysteria celebrantur. » Eustathii vero, qui in Homeri *Iliad.* II hæc animadvertit : « Nomen Agra est et Agræ, ubi parva agebantur mysteria, quæ dicuntur in Agris. » Quamobrem censet idem ipse Meursius Clementem de minoribus Cereris Eleusinæ mysteriis, quæ Agræ celebrabantur, esse intelligendum.

In manuscriptis tamen Græcis nostris codicibus eadem omnino lectio atque in editis constantissime exhibetur. Neque dicas, velim, id factum esse solita librariorum oscitantia et hallucinatione. Etenim in notulis ad marginem adjectis *illud* ad explicandam vocem Σάγρᾳ scholion legitur : Πόλις τῆς Ἰταλίας, ἀφ' ἧς καὶ ἡ παροιμία· Ἀλημότερα

[84] Justin., Hist. init. lib. VII. [85] Diodor. Sic. lib. XVI Histor., p. 523. [86] Erasm. Adag. [87] pag. 21. [88] lib. V Mythol., c. 1, 2, 3, 4; Fasold. De festis Græc., decad. 1, fest. 1; Meurs. Græciæ ferial. lib. V. [89] Phot. Biblioth. cod. 279, p. 1590. [90] lib. I Strom., p. 335. [91] pag. 21. [92] Meurs. De Cer. Eleus., c. 6.

Digitized by Google

τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Quod quidem adagium a Cicerone confirmatur, explicaturque : « Nam de Sagra Græcorum, ait, etiam est vulgare proverbium : qui quæ affirmant, certiora esse dicunt, quam illa quæ apud Sagram [63]. » Strabo autem nobis insuper unde ortum sit illud proverbium, sic evolvit : « Post Locros sequitur Sagra fluvius, quem feminino genere efferunt : ad eum est templum Castorum. 200,000 Locrenses cum Rheginis de 103,000 Crotoniatarum pugna commissa victoriam reportarunt. Atque hinc aiunt tractum contra fidem rei derogantes : Veriora sunt hæc rebus apud Sagra gestis [64]. »

Sed ibi, uti certe vides, non de urbe sed de fluvio loquitur. Atque ut Plinium taceamus [65], Cicero quoque idem prius dixerat : « Cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo prælio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiæ memoriæ proditum est [66]. » Atqui hæc mysteria, de quibus Clemens noster disputat, in urbe potius quam ad fluvii ripas peracta fuisse quis negaverit? Vero igitur similior videtur Meursii correctio quam manuscriptorum quantumvis veterum lectio, quæ ex amanuensi quodam librario, cui Sagra magis quam Agra nota erat, fortasse prodiit.

De aliis autem mysteriis, quæ Alimunte fieri solebant, isthæc Herveto incognita Arnobius litteris consignavit : « Pudor me habet Alimontia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem patris, phallos subrigit Græcia [67]. » Verum multi haud dubie suspicabuntur hæc non aliunde quam ex Clemente nostro fuisse delibata. Si res autem ita se habeat, quæret sane aliquis utrum Arnobius verum auctoris nostri perceperit sensum, et vera dixerit. Ab illo siquidem Alimuntia et Bacchi mysteria confunduntur, quæ videntur a Clemente nostro non obscure distingui. Sed illa si a se invicem Clemens secernat, Alimuntia certe a proribus Agræ fieri solitis minime distinxisse plurimis procul dubio videbitur. Quapropter haud ægre nobis persuadebit aliquis Clementem de iisdem, quæ tam Alimunte quam Agræ celebrari consueverant, loqui Cereris Eleusinæ mysteriis, nisi alius quispiam ipsum toto illo in loco non de aliis quam obscenissimis Bacchi phallis sermonem fecisse demonstret.

CAPUT XI.

Philosophorum et poetarum ethnicorum de diis primisque rerum principiis opiniones, et de iis quos atheos nuncupaverunt.

ARTICULUS I.

De prima philosophorum classe, qui unum aut plura elementa dixerunt prima esse principia rerum; de opinione Thaletis, Anaximenis, Diogenis Apolloniatis, Parmenidis, Hyspasi Metapontini, Heraclitii, et Empedoclis; ubi et de Macedonibus ac Sarmatis.

Ne quis absurdissimas, de quibus hucusque disputavimus, desipientis humani ingenii opiniones, vel potius immania ac fœdissima humanarum opinionum monstra, ab infimæ tantum plebis aut imperiti vulgi hominibus asserta et propugnata fuisse causaretur; idcirco Clemens ad omnia philosophorum, de primis rerum principiis, seu de Deo **78** ipso, documenta invicte refellenda aggreditur, eaque a veritate et recta ratione penitus abhorruisse demonstrat [68]. Manifestum itaque facit philosophos, qui ignem vel aquam primum principium constituerant, illud a Persis, aut Sarmatis, aut magis accepisse, quemadmodum ex eadem philosophorum opinione indoctum vulgus Vulcano ac Neptuno divinitatem attribuere postea edoctum est. Quid enim, ait Clemens, Vulcanus, nisi ignea; quid Neptunus, nisi humida quædam substantia?

Sed agesis, et attento nobiscum perpende animo quanta sinceritate et diligentia ille varias eorumdem philosophorum opiniones recenseat, easque impugnet, refellat, et funditus evertat. Tres autem potissimum eas distinguit in classes, quarum prior illorum est, qui prima rerum principia vel in uno vel in pluribus elementis statuenda esse falso crediderunt. A Thalete autem Milesio, qui aquam, et ab Anaximene pariter Milesio, qui aerem primum principium esse arbitrabantur, exordium duxit [69]. At de utroque illo philosopho nos alibi disputavimus [70].

Diogenem vero Apolloniatem Anaximenis opinioni subscripsisse non dubitanter asseverat. Et recte quidem. Nam de hoc eodem Diogene pulchre Cicero : « Quid aer, inquit, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei [71]? » Attamen Diogenes Laertius hunc eidem aeri mundos infinitos et infinitum inane addidisse testatur : « Diogenes Apollothenidis filius, Apolloniates fuit, vir physicus et eloquentia in primis clarus..... Quæ autem opinatus est, sunt ista : Elementum esse aerem, mundos infinitos, et inane infinitum, densumque aerem ac rarescentem mundos gignere. Nihil ex eo quod non sit, fieri; neque in id quod non sit, corrumpi [72]. » Verum si ex aere mundi gignantur, solus ex ejus opinione aer, minime vero mundi etiam infiniti elementum primumque principium dici debent. Quod quidem ex iis liquidius perspici potest, quæ Plutarchus apud Eusebium de eadem Diogenis sententia memoriæ prodidit : « Diogenes Apolloniata aerem elementum ponit, moveri autem universa, et infinitos esse mundos affirmat. Cæterum ejusmodi somniat eorum molitionem; scilicet cum universum ita moveretur, ut rarius hic, alibi densius fieret, ubicunque major densitas contingeret, ibi convolutionem quamdam effecisse, tum similem in modum cætera; quæ autem omnium levissimæ partes essent, eas regione superiori occupata, solem produxisse [73]. » Porro autem Augustinus addit eum docuisse sine divina ratione, cujus aer compos est, ex eo nihil posse fieri : « Aerem quidem dixit, » Augustini verba sunt, « rerum esse materiam, de qua omnia fierent; sed cum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset [74]. »

Pergit Clemens, et deos a Parmenide ignem et terram introductos perhibet. Idem a Laertio antea traditum legitur : « Parmenides, inquit, Pyretis filius, Eleates, Xenophontis auditor fuit; tametsi

[63] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 241. [64] Strab. lib. VI Geogr., p. 261. [65] Plin. lib. III Nat. hist., c. 10. [66] Cicer. lib. II De nat. deor., p. 214. [67] Arnob. lib. V Adv. gent. [68] pag. 42 et 43. [69] pag. 42. [70] lib. II Appar., dissert. 2, c. 7, § 29. [71] Cicer. lib. I De natur. deorum, p. 200. [72] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philosoph., § 57. [73] Euseb. lib. I Præpar. evang., c. 8, p. 25. [74] Aug. lib. VIII De civit., c. 2.

Digitized by Google

eum Theophrastus in epitome Anaximandrum audivisse tradat . . . . . Primus hic terram globosam dixit, et in medio sitam, duoque esse elementa, ignem et terram ; illum opificis, hunc materiæ tenere ordinem . . . . . Floruit Olympiade sexagesima nona [75]. »

Nobis tamen aliquis forsitan objiciet unum tantum principium, scilicet ignem ab eodem Parmenide constitui. Nonne enim, inquiet ille, id Cicero his memorat verbis? « Parmenides ignem, qui moveat terram, quæ ab eo firmatur [76]. » Respondet Aldobrandinus Parmenidem de principio efficiente duntaxat loqui, et quia terram ab igne formari adjecit, aliud ab ipso indicari principium [77]. Sed hac responsione nodus difficultatis potius secari videtur, quam solvi ; nisi dixeris terram ab igne, sicut materiam, ut aiunt, a forma sic effingi, ut ab eo suam speciem et figuram accipiat. Hac quippe explicatione facilius intelliges, ignem, sicuti dixit Laertius, opificis et terram materiei tenere ordinem. Sed nostrum forsitan in hocce parum sibi constantis hominis errore enucleando frustra teritur tempus. Plures siquidem alios deos, vel deorum potius monstra, ab illo ipso Parmenide invecta sic alibi docet Cicero : « Parmenides commentitium quiddam coronæ similitudine efficit, Stephanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit cœlum, quem appellat Deum. In quo neque figuram divinam, neque sensum quisquam suspicari potest. Multa ejusdem monstra, quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem, cæteraque generis ejusdem ad Deum revocat, quæ vel morbo, vel somno, vel oblivione, vel vetustate delentur. Eademque de sideribus, quæ reprehensa jam in alio, in hoc omittantur [78]. » Denique præter Aldobrandinum aliosque Laertii scholiastas, poteris Vossium consulere [79], atque etiam Lescalopierium, qui hanc Parmenidis coronam in bonam partem explicare conatur.

Non alium Hippaso Metapontino et Heraclito Ephesio præter ignem Deum fuisse nobis Clemens postmodum auctor est. Simili quoque modo hanc utriusque philosophi opinionem exponit Plutarchus [80], et ex Plutarcho Eusebius : « Heraclitus et Hippasus Metapontinus (verba sunt Plutarchi) ignem omnium esse rerum principium perhibuerunt. Omnia enim dicunt ex igne nasci [81]. » At in Diogenem Laertium, qui de utroque separatim disputat [82], legesis Menagii aliorumque observationes. Nos vero de Heraclito et Empedocle, quem huic Clemens subjunxit, ac de illorum sententiis sermonem alibi fecimus [83]. Quapropter obiter hic monebimus quod Clemens adjunxit, et Hervetus sibi incompertum esse declarat, Macedones et Sauromatas ignem coluisse ; illud a Vossio tam diserte explanari, ut inde huic Clementis nostri loco non minima lux afferatur [84].

ARTICULUS II.

De secunda classe philosophorum, qui aliquid elementis sublimius dixerunt esse primum rerum principium, de opinione Anaximandri, Anaxagoræ, Archelai, Leucippi, Metrodori, Democriti, Heraclidis, et de utriusque idolis, seu imaginibus ; utrum Metrodorus fuerit Heracliti discipulus ; de opinione Alcmæonis, Xenocratis, Chalcedonii, Stoicorum, Aristotelis, Theophrasti, et Epicuri.

Secunda philosophorum in classe Clemens eos collocat, qui aliquid sublimius præstantiusque elementis primum statuerunt esse rerum omnium principium. Tres autem eis duces præficit, Anaximandrum, Anaxagoram et Archelaum, qui primo pro principio infinitatem habuerunt, ita tamen, ut duo posteriores mentem illi præesse voluerint [85]. Quamobrem ille alibi de Anaxagora : « Primus, ait, Anaxagoras mentem rebus adhibuit [86]. » Emendatius vero hanc illius opinionem narrat Cicero lib. I *De natur. deor.*, pag. 199, et lib. IV *Academic. quæst.*, pag. 33 ; Diogenes Laertius lib. II *De vitis et dogm. philosophorum*, in quem videsis Menagii aliorumque varias animadversiones ; Plutarch. lib. I *De placit. philosoph.* ; Tertull. lib. *De anima*, cap. 12 ; Eusebius lib. X *Præparat. evangel.*, pag. 504. De illis tandem tribus philosophis nos quoque alio in libro quædam perstrinximus [87].

Hos autem apud Clementem nostrum excipiunt Leucippus et Metrodorus Chius, qui duplex esse principium, scilicet plenum et inane, opinabantur [88]. Clemens tamen id tanquam omnino certum et exploratum asserere non audet. Ibidem enim addidit ὡς ἔοικεν, « ut videtur. » Tullius vero ulla absque hæsitatione hanc fuisse Leucippi opinionem, seu potius errorem affirmat [89] ; quamvis illa paulo aliter a Diogene Laertio hunc exponatur in modum : « Universum infinitum ait : hujus partem plenam esse, partem inanem ; et elementa ait, mundosque ex iis infinitos esse, et in illa dissolvi [90]. » Plutarchus quoque Metrodorum huic omnino suffragari apud Eusebium aperte significat [91].

Utrum autem idem ille Metrodorus in hac sententia diu perseveraverit, in dubium haud immerito vocari potest. Quædam etenim illius verba a Cicerone citantur, quibus nos scire aliquid præfracte negabat : « Metrodorus Chius, » ita loquitur Cicero, « initio libri, qui est de natura : Nego, inquit, scire nos, sciamusne aliquid, an nihil sciamus, ne idipsum quidem nescire, aut scire, scire nos, nec omnino, sitne aliquid, an nihil sit [92]. » Unde Laertius de eodem Metrodoro : « Hic se nec id quidem scire dicebat, quod nihil sciret [93]. » Menagius tamen hæc in Laertii textum a male feriato quodam scriptore intrusa idcirco suspicatur, quod ibi de Metrodori dogmatibus sermo non esset. At cum ex Cicerone constet hunc fuisse Metrodori errorem, nullius certe momenti est hæc Menagii ratio. Quid enim prohibet, quin Laertius, ubi in philosophi illius mentionem incidit, hanc absurdam ejus opinionem obiter crediderit esse notandam? Ut ut sit, Aristocles apud Eusebium refert eumdem Metrodorum iis adhuc subscripsisse, qui somniaverant, « cujusmodi quidlibet appareat, ejusmodi etiam illud esse. De cæteris affirmari a nobis certo nihil posse [94]. » Nec morari quemquam debet tanta tamque stupenda hocce in philosopho inconstantis animi levitas. Quid enim mirum si hic aliique philosophi, a veritate toto cœlo aberrantes, in tam varias sibique adeo repugnantes sententias abierint?

Majorem difficultatem Herveto ea sane habere videntur, quæ Clemens de Democrito continenter subnectit : « Ab his autem duobus, » Leucippo et Metrodoro, « mutuata adjecit simulacra, seu rerum species, τὰ εἴδωλα, Democritus Abderitanus [95]. » Fatetur siquidem Hervetus hunc, ut Aristoteles perhibet, pleno et inani corpora insectabilia, quæ atomi dicuntur, adjunxisse. An autem Democritus ea ita

[75] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philosoph., § 21. [76] Cicer. lib. IV Academ. quæst., p. 47, init. [77] Aldebr. in civit. Laert. locum. [78] Cicer. lib. I De natur. deorum, p. 199. [79] Voss. lib. De philos. lect., c. 7. [80] Plutarch. lib. I De plac. philos., p. 877. [81] Euseb. l. XIV Præpar. evang., c. 14, p. 748. [82] Laert. lib. VIII De vitis et dogm. philos., § 84, et lib. IX, § 1 et seq. [83] Appar. lib. II, dissert. 2, c. 7, § 29. [84] Voss. lib. II De orig. et progr. idolol., c. 64 et seq. [85] pag. 43. [86] lib. II Strom., p. 364. [87] lib. II Apparat., loc. cit. [88] ibid. [89] Cicer. lib. IV Academ. quæst., p. 33. [90] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philos., § 30 et 31. [91] Euseb. lib. I Præpar. evang., c. 8, p. 24. [92] Cicer. lib. IV Acad. quæst., p. 24. [93] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philos. in Vita Anaximandri, § 28. [94] Euseb. l. XIV Præpar. evang., c. 20, p. 766. [95] pag. 43.

Digitized by Google

vocaverit, vel Clemens ludificans ea appellaverit εἴδωλα, a se certo affirmari posse inficiatur. Sed quid his Ciceronis verbis clarius et luculentius? « Democriti atomi, inane, imagines, quæ idola nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus [96]. » Alibi vero : « Quem tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, ejus et imaginem, ut Democrito videtur. Unde profectam imaginem? A corporibus enim solidis, et a certis figuris, vult fluere imagines [97]. » Eadem porro non solum ab illo aliis in libris, sed etiam ab Augustino traduntur [98]. Ex quibus colligi potest idem a Laertio his etsi paulo obscurioribus verbis significari : Ὁρᾷν δὲ ἡμᾶς κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις, « intueri nos incidentibus rerum imaginibus [99]. » Porro autem Clemens Heraclidem Ponticum ad illam Democriti opinionem accessisse scribit : « Heraclides Ponticus alicubi ad Democriti abripitur simulacra [1]. » Et hunc quidem suos puerilibus fabulis infecisse libros testis nobis est Cicero [2].

Quod autem ibidem Clemens Democritum a Leucippo et Metrodoro suam opinionem desumpsisse addidit, negotium forsitan alicui facesset. Etenim non solum Suidas [3], sed ipsemet Clemens alibi scribit Metrodorum fuisse Democriti auditorem [4]. Quapropter Menagius alium Suidæ locum, ubi sic habetur : Ἀλεξάνδρου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Χίου οὗ διδάσκαλος ἦν Μετρόδωρος ὁ Ἀβδηρίτης [5], censet esse emendandum, ibique legendum ἦν Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης. Ita sane persuasum omnino habebat Democritum fuisse Metrodori Chii præceptorem. Non id tamen adeo certum erat, ut nullus plane relictus esset dubitandi locus. Laertio enim si fidem habemus, variæ erant de ejusdem Metrodori magistro opiniones : « Metrodorum alii, inquit, Nessum Chium, alii Democritum audisse tradunt [6]. » Cæterum quamvis Democritum audierit Metrodorus, nihil tamen vetat, quominus præceptor, rejecta priore sententia, aliam deinceps, quam veriorem putabat, discipuli opinionem amplexus sit.

Incompertum sibi adhuc esse scribit Hervetus unde Clemens noster acceperit Alcmæonem Crotoniatem docuisse astra, utpote quæ sint animata, revera esse deos. Nihil siquidem ait ea de re a Diogene Laertio, vel Plutarcho traditum. Quid ergo sibi voluit Laertius, cum de eodem Alcmæone scripsit : « Lunam hanc sempiternam habere naturam dixit [7]? » Quis, amabo te, sempiternam potest habere naturam, nisi Deus ipse, vel qui divina natura præditus est?

Sed si hæc Herveto non sufficiant, adeat Ciceronem, et eum longe clarius expressiusque de hac Alcmæonis opinione loquentem audiat : « Crotoniates autem Alcmæo, qui soli et lunæ reliquisque sideribus, animoque præterea divinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus immortalitatem dare [8]. » Hæc certe Hervetum quomodo fugerint, quis non miretur?

Progrediamur, et Clementem nostrum de aliis philosophis disputantem sequamur : « Xenocrates, inquit, fuit hic Carthaginensis, septem quidem deos planetas, octavum vero, qui ex his omnibus constat, mundum tacite significat [9]. » In nostris cum editis, tum manu exaratis codicibus habetur Καρχηδόνιος, Hervetus tamen legendum putat Χαλκηδόνιος, quandoquidem Laertius hunc Chalcedonensem, Χαλκηδόνιον, fuisse scribit. Et Casaubonus quidem observat, in antiquis Laertii libri editionibus verbum Καρχηδόνιος repræsentari, sed omnino mendose, eique Χαλκηδόνιος, quod Menagius in regio Laertii codice reperiri monet, esse substituendum. Hac autem codicum varietate ac dissensione quid statuendum sit si quæras, a Cicerone forsitan id discere poteris, qui Xenocratem Chalcedonium sic appellat : « Speusippum sororis filium Plato philosophiæ quasi hæredem reliquit : duos autem præstantissimos studio atque doctrina Xenocratem Chalcedonium, et Aristotelem Stagyritem [10]. » Ciceroni vero Ælianus, Suidas et Theodoretus aperte suffragantur [11].

80 Neque opponas velim, ab ipsomet Clemente nostro Xenocratem loco citato, et al bi Καρχηδόνιον cognominari : ab illo enim alicubi Χαλκηδόνιος etiam vocatur [12]. Illius porro de octo diis sententia a Cicerone, jam laudato, hunc exponitur in modum : « Xenocrates deos octo esse dicit, quinque eos, qui in stellis vagis nominantur, unum qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cœlo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus Deus; septimum solem adjungit, octavamque lunam : qui quo sensu beati esse possint, intelligi non potest [13]. »

Sed hunc Ciceronis locum Hervetus non magis intellexisse videtur, quam ea, quæ de Stoicorum opinione Clemens continenter subnectit : « Sed nec prætermittam Stoicos, qui omnem quantumvis vilem et abjectam materiam dicunt Deum pervadere, qui aperte suam philosophiam afficiunt dedecore [14]. » Recte quidem, inquit Hervetus, si Stoici Deum corporea forma, secus autem si, ut probabilius ipsi videtur, incorporeo et spirituali modo res omnes pervadere crediderint. Clementem itaque falsi insimulat, ac Stoicos ab illo immerito reprehensos fuisse opinatur.

Siccine ergo Hervetus, cum hæc scriberet, eorum oblitus fuerat, quæ Clemens in suis *Stromatum* libris tam constanter postea asseruit? « Quinetiam Stoici non recte dicunt Deum, cum sit corpus, vilissimam pervasisse materiam. » Alio autem in libro : « Non est Deus humana forma præditus, ut audiat, neque ei sensibus est opus, ut placuit Stoicis, maxime auditu et visu; non posse enim unquam aliter apprehendere [15]. » Nunquid igitur et ibi Hervetus Clementem erroris et lapsus postulabit? Ejusdem ergo erroris postulet Aristoclem, qui de Stoicis hæc in septimo *De philosophia* libro memoriæ prodidit : « Rerum elementum, uti Heraclitus, ignem esse volunt, ejus vero principia materiam, atque Deum, ut Plato; verum hoc discrimine, quod Stoici ambo illa, tam efficiens quam patiens, corpora esse dicant; Plato contra primum illum effectorem incorporeum auctorem esse statuat [16]. » Erroris quoque et eos accuset, qui apud Ciceronem aiunt omnia a Stoicis ad ignem vim referri [17]. Unde etiam Plutarchus : « Stoici, inquit, communius Deum pronuntiant esse ignem artificiosum, via ingredientem ad mundi procreationem, qui mundus in se contineat omnes seminales formas, ex quibus singula fato nascantur. At spiritum quidem per totum penetrare mundum, nomina autem a materiæ, quam pervadit, sumere mutationibus. Ad hæc Deum esse mundum, stellas, terram, supremum autem omnium deorum esse mentem, quæ est in æthere [18]. »

[96] Cicer. lib. II De finib. bon. et mal., pag. 42. [97] lib. II De divinat., pag. 299; lib. I De natura deorum, pag. 200, et 212, 294. [98] August. epist. 119, ad Diosc., pag. 340. [99] Laert. lib. IX in Vita Democriti. [1] pag. 44. [2] Cicer. lib. I De natura deorum, pag. 200. [3] Suidas ad verbum Δημόκριτος. [4] Clem. lib. I Strom., pag. 301. [5] Suidas in verbo Ηὐρύων. [6] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philos. in Vita Anaxarchi. [7] Laert. lib. IX De vitis et dogm. philos., § 83. [8] Cicer., in libro I De natura deorum, pag. 199. [9] pag. 44. [10] Cicer. lib. I Academ. quæst., pag. 6. [11] Ælian. lib. XIII; Var. hist., § 9; Theod. t. IV, p. 529. [12] Clem. lib. II Strom., p. 419, et lib. V, p. 590 et 604. [13] Cicer., in libro I De natura deorum, p. 200. [14] pag. 44. [15] Clem. Strom. lib. I, pag. 295, et lib. VII, p. 720. [16] Euseb. lib. XV Præpar. evang., c. 14, p. 816. [17] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 244. [18] Plutarch. lib. I De placit. philos., c. 7, p. 881.

Digitized by Google

Neque tamen una erat Stoicorum hæc de æthere sententia. Nam celeberrimus inter illos Cleanthes, quod alii ætheri, id, ut testis est Cicero, soli tribuebat : « Zenoni et reliquis fere Stoicis æther videtur summus Deus, mente præditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quasi majorum est gentium Stoicus, Zenonis auditor, solem dominari et rerum potiri putat [19]. » At porro ii, qui supremum Deum et spiritum et mentem sive in æthere, sive in sole esse arbitrabantur, hunc tamen igneam atque adeo corpoream substantiam dicebant. Et certe quamvis ex iis acutiores aliqui supremum Deum nihil nisi incorporeum spiritum existimassent, non idcirco tamen erroris arguendus erat Clemens noster, qui Stoicis eam ascripsit opinionem, qua fere omnes revera ducebantur. Videsis Justum Lipsium et Lescalopierium, qui Stoicos hoc errore, quem plerique omnes illis attribuunt, aliquantulum liberare conatur [20].

Tum deinde Clemens variam fluxamque, ac plane inconstantem Aristotelis de Deo sententiam merito explodit [21]. Quæ quidem a Cicerone paulo liquidius explicatur : « Aristoteles, inquit, in tertio de philosophia libro, multa turbat, a magistro Platone uno dissentiens; modo enim menti tribuit omnem divinitatem; modo mundum ipsum Deum dicit esse, modo quemdam alium præficit mundo, eique eas partes tribuit, ut replicatione mundi quadam motum regat, atque tueatur; tum cœli ardorem Deum dicit esse, non intelligens cœlum mundi esse partem, quæ alio loco ipse designavit Deum [22]. »

Quod autem Clemens adjecit : « Qui usque ad lunam ejus definit providentiam; » illud sane his confirmatur Ambrosii verbis : « Aristoteles asserit usque ad lunam ejus descendere providentiam [23]. » Quæ quidem sententia ipsi adhuc, ut in nostris in illum Ambrosii locum observationibus demonstratum est, a Laertio vindicatur [24]. Scimus quidem plures hujusce principis philosophorum discipulos multa in illius scripsisse defensionem. An vero eum sibi semper constitisse, et recte de Deo sensisse probaverint, aliorum sit judicium.

Neque majorem Theophrasti, quam familiaris ejus Aristotelis, in sua sententia constantiam fuisse hunc Clemens scribit in modum : « Eresius autem ille Theophrastus, familiaris Aristotelis, alicubi quidem cœlum, alicubi vero spiritum, Deum esse existimat [25]. » In eamdem Theophrasti levitatem et mobilitatem haud segnius Cicero invehitur : « Nec vero, ait ille, Theophrasti inconstantia ferenda est; modo enim menti divinum tribuit principatum, modo cœlo, tum autem signis sideribusque cœlestibus [26]. » Quis porro fuerit ille Theophrastus, si scire velis, Laertium consule, Vossium, et alios [27].

Epicuro nullam plane fuisse Dei providentiam recte quidem postea Clemens asserit [28], idque assensu suo comprobat Ambrosius : « Nihil, inquit, Deum curare de nobis Epicurei dicunt [29]. » De hoc autem Epicuri impio errore vide, si lubet, nostras in hunc Ambrosii locum observationes.

ARTICULUS III.

De tertia classe philosophorum, qui de Deo veriora docuerunt; de Platone, Antisthene, Xenophonte, Cleanthe, et Pythagora, ejusque sectatoribus.

Ad eos deinceps Clemens venit philosophos, qui a nullo homine Deum vel cognosci, vel divinam ejus naturam explicari posse, vel qui tandem unum tantummodo Deum esse docuerunt [30]. Primum autem omnium accersit Platonem, qui ait Deum inventu omnino esse difficilem, aut si ab aliquo inveniatur, ab eo non posse explicari. Illi autem hæc Plato dixerit, ex Cicerone accipies : « In *Timæo* patrem hujus mundi nominari negat posse, in *Legum* autem libris quid sit omnino Deus, inquiri oportere non censet [31]. »

Quamvis autem id verum sit, ostendit tamen Clemens non idcirco a veri desistendum investigatione Dei, quem omnes, ac ii in primis qui doctrinæ et litteris operam navant, unum esse vel etiam invitii fateantur necesse est. Etenim ipsemet Plato recte in *Timæo* docuit eum esse non modo omnium regem et causam, sed veritatis quoque mensuram. Addit autem **81** Clemens ab Hebræis Platonem hausisse non solum hoc veræ religionis documentum, sed alias quoque divinas leges; de quibus jam in superiori libro aliquid perstrinximus [32], et adhuc infra dicendum erit.

Secundus post Platonem verus divinæ naturæ assertor a Clemente nostro advocatur Antisthenes, de quo ita ille : « Antisthenes non hoc quidem cynicum cogitavit, sed ut qui esset Socratis familiaris, dicit Deum nulli esse similem; quare nemo eum potest discere ex imagine [33]. » Quod quidem Ciceronis auctoritate stabiliri potest et corroborari : « Antisthenes in eo, inquit, libro qui *Physicus* inscribitur, populares deos multos, naturalem unum esse dicit [34]. » Eadem fere apud Minutium Felicem legimus [35]. Cur autem Clemens ibi adjecerit : « Non hoc cynicum cogitavit, sed ut qui esset Socrati familiaris, » si quis a nobis sciscitetur, huic respondebimus illud ab eodem Clemente alibi perspicue his enucleatum esse verbis : « Socratem cum audivisset Antisthenes, sectam introduxit Cynicam [36]. » Et id sane ex Laertio disertissime astruitur [37], quamvis nonnulli in dubium vocaverint num ille revera sectæ Cynicæ princeps fuerit et auctor. Sed de hac philosophorum secta ejusque parente dicetur in sequenti dissertatione, cap. 17, § 1.

Xenophon autem, pergit Clemens, tametsi Socratis cicutam timeret, Antistheni nihilominus revera patrocinatus est [38]. De Deo enim hæc palam et aperte scriptis tradidit : « Qui omnia movet, et quieta efficit, magnus quidem est, et aperte potens, sed cujusmodinam sit forma, non apparet [39]. » Cicero tamen hæc non illius, sed Socratis nomine dicta memorat : « Xenophon facit in iis, quæ a Socrate dicta retulit, Socratem disputantem formam Dei quæri non oportere, eumdemque et solem, et animum deum dicere; et modo unum, tum autem plures deos [40]. » Sed sub his, atque ob veneni timorem obscuris, loquendi modis vera illius et ex Sibyllæ carminibus, sicuti ait Clemens [41], deducta de Deo sententia, non ita latitabat, ut ab aliis saltem peritioribus facile agnosci non posset. Adi Lescalopierii in citatum Ciceronis locum notas et animadversiones.

Audacior Xenophonte fuit Cleanthes, Pisadæus, vel potius, ut ex Laertio et Plutarcho discimus [42], Assius, Ἄσσιος, nimirum Assu, Troadis, ut ait Strabo, urbe oriundus. Testatum quippe facit Clemens illum quid de Deo sentiret non celasse, et versibus, a se ibidem transcriptis, suam de illo divinisque ejus perfectionibus et attributis publice aperuisse sententiam [43]. At ne quid tamen dissimule-

[19] Cicer. lib. IV Academ. quæst., p. 34. [20] Lips. lib. I Physiol. Stoic., c. 8; Lescalop. in § 58, lib. II Cicer. De nat. deor. [21] pag. 44. [22] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 200. [23] Ambros. lib. I De offic., c. 13. [24] Laert. lib. V De vitis et dogm. philos., § 32. [25] pag. 44. [26] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 200. [27] Laert. lib. VIII De vitis et dogm. philos. in ejus vita; Voss. De philos. sect., c. 17. [28] pag. 44. [29] Ambros. lib. I De offic. min., c. 13. [30] pag. 45. [31] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 200. [32] lib. II Appar., dissert. 2, c. 7, § 3. [33] pag. 46. [34] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 200. [35] Minut. Felix in Octav. [36] Clem. lib. I Strom., p. 301. [37] Laert. lib. VI De vitis et dogm. philos., § 2. [38] Laert. lib. II De vitis et dogm. philos., c. 5. [39] p. 46. [40] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 200. [41] ibid. [42] Laert. lib. VII De vitis et dogm. philos.; Plutarch. lib. De exsilio, p. 605. [43] pag. 47.

Digitized by Google

mus, contra Cicero non minoris hunc Cleanthem ipsum, quam Xenophontem arguit levitatis et inconstantiæ : « Cleanthes qui Zenonem audivit, tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturæ menti atque animo hoc nomen tribuit; tum ultimum et altissimum, atque undique circumfusum, et extremum omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominetur, certissimum Deum judicat. Idem quasi delirans in iis libris, quos scripsit contra voluptatem, tum fingit formam quamdam et speciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit astris, tum nihil ratione censet esse divinius [45]. »

Sed quamvis Cleanthes hac verborum potius quam animi volubilitate censuerit cæcæ et pertinaci vulgi imperitiæ esse cedendum, id tamen non prohibet, quominus ille de Deo ea dilucide planeque scriptis aliquando tradiderit, quæ vera esse sentiebat. Et vero ipse saltem Clemens noster hoc ita persuasum habuit ut illio in libro [46] eadem Cleanthis carmina, ex quodam illius de Deo poemate, tanquam certa et ab eo vere profecta rursus citaverit.

Denique quid a Pythagora ejusque sectatoribus recte de Deo decretum definitumque fuerit, sic a Clemente nostro exponitur : « Pythagoræ sectatores dicunt Deum quidem unum esse, non ita tamen, ut quidam opinantur, quasi sit extra mundi administrationem, sed totus in ipsa, in toto circulo, speculator totius generationis, universorum contemperatio, qui semper est, et suas facultates deducit ad opus, omnium operum in cœlo illustrator, pater omnium, mens, et animatio totius circuli, omnium motus [47]. » Brevius Cicero illud Pythagoræ dogma de Deo sic enarrat : « Pythagoras qui censuit Deum animum esse, per naturam rerum omnem intentum, et commeantem, ex quo nostri animi carperentur; non vidit distractione humanorum animorum discerpi et dilacerari Deum; et cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram : quod fieri non potest [48]. » Duas in hac Pythagoræ sententia partes distinguit Cicero. Prima est Deum esse animam, qui toti mundo rebusque omnibus insistus sit, et infusus; altera vero, animum hominis esse divinum, et aliquam ipsiusmet Dei portionem. At Cicero posteriorem illam Pythagoræ assertionem sic refellit, ut priorem tacito suo assensu confirmare videatur. Ex quibus haud difficiliter intelligas, id veritati prorsus esse consentaneum, quod de Pythagoreis, qui omnibus magistri sui documentis mira plane animidemissione acquiescebant, Clemens prodidit. Denique Pythagoræ sententia pulchre explicatur a Minutio Felice in *Octav.*, pag. 20, in 4; Lactant. lib. I *De falsa religione*, cap. 5; Salvian. lib. *De gubern. Dei*, etc.

Cæterum hæc Clemens philosophorum testimonia a se selecta dicit : quæ quidem etiam morosioribus cum sufficere debeant, credidit ab aliis pluribus in medium deinceps proferendis esse abstinendum.

ARTICULUS IV.

De poetis qui veriora de Deo cecinerunt, aut paganorum deos irriserunt, de Arato, Hesiodo, Euripide, Sophocle, Orpheo, Menandro, et Metragyrtis, de Homero, rursumque de Euripide, qui Herculem virides ficus cum carnibus comedisse tradit.

Post hæc Clemens a philosophis, qui se sapientiæ studiosos et veritatis indagatores esse jactitabant, stylum ad poetas convertit; eosque quamvis fabulis falsisque narrationibus decantandis vix unquam non occupatos, vera tamen de Deo aliquando cecinisse ostendit [49]. Orditur autem ab Arato, quem Eusebius olympiade CXXVII, anno 1745, floruisse testatur [50]. Citata porro a Clemente ejus carmina initio poematis, Φαινόμενα inscripti, reperies [51]. Ex hoc autem eodem illius poemate, ut alibi idem auctor noster testatur [52], illud ab Apostolo decerptum est [53] : « Ipsius et genus sumus. » Celeberrimi vero hujus effati non infrequens apud antiquos recentioresque scriptores memoria. De eo illiusque auctore legesis Hieronymum, Ciceronem, et Lescalopierii in eumdem Ciceronem observationes, Vossium, et alios [54].

82 Nec infrequentior Hesiodi, a Clemente ibidem laudati, mentio. Is teste Eusebio olympiade IV, anno 1125 « secundum quosdam clarus habetur [55]. » Quem in locum videsis Scaligeri notas. Adi etiam Vossium libro *De poetis Græcis*, ubi de ejus ætate disputat [56]. Ad hæc vero mentionem illius, uti nos alibi observavimus [57], fecerunt Justinus Martyr, Theophilus Antiochenus, Irenæus, aliique quamplures, quos inter Lactantius libr. I *De vera religione*, capite 5, quid in illius de Deo opinione verum sit ostendere nititur. Denique ejus Θεογονία et Ἀργοναύτικα cum aliis Græcorum poetarum operibus typis excusæ sunt.

De Euripide autem, Sophocle et Orpheo, quos deinde Clemens laudavit, alibi satis disputavimus [58]. Obiter tamen animadvertendum relata ab eodem Clemente nostro Sophoclis et Orphei carmina apud Justinum Martyrem citata reperiri [59].

Aliud quoque Clemens narrat fuisse poetarum genus, qui divinæ veritatis virtute fracti penitus et superati, deos suos non sine irrisione quandoque insectati sunt. Talem ille ait fuisse Menandrum, qui Metragyrtas, id est ridiculos Cybeles, seu matris deorum sacerdotes, ejus nomine stipem ostiatim cogentes irridet et exsibilat [60].

De hoc Menandro, cujus posteriores versus in libro *De monarchia Dei*, paulo ante laudato, transcripta sunt, nos alibi disseruimus [61]. Ridiculum vero Metragyrtarum morem sic Tertullianus facete proscribit : « Et majestas quæstuaria efficitur; circuit cauponas religio mendicans; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet deos nosse gratis, venales sunt [62]. » At Cicero refert hos sacerdotes suo tempore ad paucos tantum dies, ne animos superstitione implerent, hanc collegisse stipem [63]. Augustinus vero, etiamsi hujusce consuetudinis incognitam sibi esse originem fateatur, illam tamen paulo antequam libros *De civitate Dei* scriberet, apud Carthaginenses adhuc viguisse testatur : « Jamque de mollibus eidem Matri magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu femineo, per plateas vicosque Carthaginis etiam a populis unde turpiter viverent, exigebant, nihil Varro dicere voluit, nec uspiam me legisse commemini [64]. » Sed de hoc turpi sacerdotum Cybeles quæstu ejusque origine fusius disputat Vossius lib. IV *Institut. orator.*, cap. 6, § 4, et l. II *De orig. et progr. idol.*, c. 53, pag. 303.

Neque porro sola Menandri auctoritate, verum

[45] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 201. [46] Clem. lib. V Strom., p. 602. [47] pag. 47. [48] Cicer. lib. I De nat. deor., p. 199. [49] pag. 47. [50] Euseb. in Chron. [51] Arat. tom. I poet. Græc., p. 619. [52] lib. I Strom., p. 315. [53] Act. XVII, 28. [54] Hieron. lib. I Comm. in cap. I Epist. ad Tit.; Cicer. lib. IV Academ. quæst.; lib. II De nat. deor., p. 229; Voss., De poet. Græc. c. 8, p. 63. [55] Euseb. in Chron. [56] Voss., De poet. Græc. c. 2. [57] lib. II Appar., dissert. 4, c. 1, § 2; dissert. 6, c. 1, § 2. [58] lib. II Appar., p. 253 et seq., 571. [59] Justin. Mart. Cohort. ad gent., p. 15 et De monarch. Dei, p. 204. [60] pag. 49. [61] lib. I Appar., dissert. 2, c. 5, § 3. [62] Tertul. Apolog., c. 13. [63] Cicer. lib. I De leg., p. 338. [64] Aug. lib. VII De civit., c. 26.

Digitized by Google

etiam Antisthenis, de quo paulo ante sermonem fecimus [64], id Clemens probavit.

Pergit ille, et deos ab Homero et Euripide derisos adhuc fuisse docet. De utroque jam satis a nobis, uti putamus, disputatum est. Quapropter de posteriore hæc tantum animadvertemus : primo citata illius a Clemente carmina ab auctore libri *De monarchia Dei* non sine aliqua lectionum varietate describi [65].

Deinde vero Hervetus nos admonet se nullam penitus habere recordationem illius, quod ex eodem Euripide narrat Clemens Herculem fuisse insatiabilem : « Quippe qui in convivio virides ficus comedebat cum carnibus, multa inepta latrans, et quæ vel barbaro talia viderentur [66]. » Addit tamen Hervetus Herculem ab Athenæo ingluviei voracitatisque alicubi notari [67]. Alium itaque ejusdem Athenæi locum non videtur legisse, ubi de eodem Hercule hæc scribit : « Obsophagos igitur nos appellamus, non eos qui bubulam comedunt, qualis fuit Hercules, qui cum bubula carne ficis recentibus vescebatur [68]. » Neque etiam legerat, aut meminerat se aliquando legisse Plutarchum, qui eodem ferme modo, « Nam obsonivoros, inquit, et obsoniorum cupidos vocamus, non quod bubulis carnibus delectantur, ut Herculem, qui post carnem virides ficus edit [69]. » Si hæc enim Hervetus legisset, aut in ejus memoriam rediisset, ab illo procul dubio fuissent citata, aut inlicata.

ARTICULUS V.

De iis, quos pagani atheos nuncupaverunt, et eo nomine exagitaverunt, de Evemero, seu Evehemero, Nicagora, Diagora, Hippone, Theodoro, Pellæo Leonte, et Heraclito.

Quosdam alios Clemens exstitisse ait, qui quamvis veritatem nondum attigissent, quia tamen omnes paganorum de diis opiniones falsas esse suspicati fuerant, aut agnoverant, eorumdem paganorum non fugerunt invidiam, et ab eis atheorum nomine sunt appellati atque exagitati. Quinque autem ex illis sic recenset : « Evemerum Agrigentinum, et Nicanorem, Νικάνορα, sive Nicagoram Cyprium, et Diagoram, et Hipponem Melium, et illum post hos Cyrenæum, cui nomen erat Theodorus [70]. » Adnotat Hervetus longe minus frequentem Nicanoris Cyprii et Hipponis Melii, quam aliorum apud scriptores sive sacros sive profanos fieri mentionem. Arnobius tamen eos omnes, quibus et sextum addit Pellæum Leontem, sic nominatim appellat : « Et possumus quidem hoc in loco omnes ipsos nobis, quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agraguntino Evemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit, vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenensi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt [71]. » De Diagora autem, Theodoro et Evemero ita Plutarchus : « Philosophorum quidam, ut Diagoras Milesius, Μιλήσιος, » sic enim eum vocat, « Theodorus Cyrenæus et Evemerus Tegeata, Τεγεάτης, omnino negaverunt esse deos, et Evemerum etiam Callimachus Cyrenæus intulit, in iambis scribens :

Venite frequentes ante muros in fanum,
Ubi qui vetustum ex ære tonantem formavit,
Senex loquax cum libris impiis friget [72].

Hos dicit, quos composuit, non esse deos docens. » Deos porro Cicero a Diagora Melio [73], de quo nos alibi [74], et a Theodoro Cyreniaco penitus sublatos esse asseverat. At de Evemero sic ille : « Ab Evemero, inquit, et mortes et sepulturæ demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse religionem videtur, an penitus totam sustulisse [75]? » Alia de eo si velis testimonia, adisis Diodorum Siculum, ab Eusebio lib. II *Præpar. evang.*, cap. 2, pag. 59, citatum; item Minutium Felicem in *Octavio*, Lactantium lib. I *De falsa religione*, pag. 62; Augustinum lib. VI *De civit.*, cap. 7, et lib. VII, cap. 26.

Plura de Theodoro Diogenes Laertius [76], Vossius, aliique quam bene multi memoriæ prodiderunt. Epiphanius vero scribit [77], illum propterea quod Deum negaret, aliis ut furarentur, pejerarent, aliena raperent, **83** nec pro patria morerentur, fuisse auctorem [78]. Quapropter Hervetus inde colligit a Clemente nostro hac in re Epiphanium penitus dissentire, quod ille eumdem Theodorum in eorum numero ponat, quos moderate ac continenter vixisse haud dubitanter affirmat. Quid autem, si hæc Clementis verba : « Qui moderate ac continenter vixerunt [79], » non ad Theodorum et illos quos nominibus suis appellat, sed ad ea quæ subjunguntur, καὶ τινὰς ἄλλους, sint referenda? Certe nulla erit Clementem inter et Epiphanium dissensio.

Quo autem cunque modo res se habeat, observabimus Vossium de Nicagora disputasse quidem, sed ab illo lecta non fuisse, aut ex memoria ejus excidisse, quæ de eodem Nicagora Clemens nocter tradidit [80].

Denique si Græco ejusdem Clementis scholiasti fidem habeamus, Cratinus Hipponis meminerat; nam de illo hæc ad Clementini textus marginem adnotavit : Τοῦ δὲ Ἵππωνος καὶ αὐτοῦ ὡς ἀσεβοῦς γενομένου μέμνηται ὁ Κρατῖνος. Hic porro fuit veteris comœdiæ poeta, cujus memoria, uti probat Vossius, apud varios scriptores celebratur [81].

De duobus ibidem tacito auctoris nomine Clemens loquitur [82] : quorum alter nempe Heraclitus omnes universim deos, alter vero, scilicet Diagoras, Herculem non sine contumelia et conviciis consectati sunt. Eadem ab Epiphanio, sed non sine textus illius corruptione, referuntur [83]. In illo siquidem pro Ἡράκλητος Αἰγύπτως, legendum est Αἰγυπτίοις. Is etenim natione Ephesius, non Ægyptius erat; sed quæ ille ibidem dixisse fertur, hæc, uti scite Clemens noster perhibet, Ægyptiis dixerat.

Dubium autem Herveto videtur, utrum ille ipse sit Heraclitus philosophus, quem alibi Clemens Ephesium vocat [84], additque « noctivagis, magis, lenis, Bacchis et mystis » mortem fuisse vaticinatum [85], alibi vero paganis exprobrasse vana deorum suorum simulacra omni sensu esse destituta. Neque enim Hervetus putat Heraclitum philosophum potuisse vatem appellari. Addamus, si lubet, non parum fortasse huic conjecturæ inde accedere roboris et firmamenti, quod plures a Laertio [86], ac postea a Menagio recenseantur [87], qui idem Heracliti nomen sortiti sunt. Verumtamen cum nullus ex illis, nisi philosophus patria Ephesius fuisse dicatur, vero sane similius est Clementem non de alio, quam de isto fecisse reipsa mentionem. Et vero quid vetat, quominus ille, qui falsos paganorum deos repudiabat, etiamsi professione sua vates non esset, mortem variis eorum cultoribus vaticinatus sit?

[64] super. hoc §. [65] apud Justin. Mart., p. 107 et 108. [66] pag. 30. [67] Athen. lib. X Deipnosop. [68] idem ibid., l. VII, p. 276. [69] Plutarch. l. IV Sympos., p. 667. [70] pag. 15. [71] Arnob. lib. IV adv. gent., p. 147, in-4°. [72] Plutarch. lib. I De plac. philos., p. 880. [73] Cicer. lib. I De natur. deorum, p. 204. [74] lib. II Appar., p. 571. [75] Cicer. lib. I De natur. deorum, p. 212. [76] Laert. lib. II De vitis et dogm. philos. in Vita Aristippi. [77] Epiph. in Expos. fid., p. 1089. [78] Voss., De philos. sect., c. 9. [79] p. 15. [80] Voss. l. IV De hist. Græc., p. 519. [81] Voss., De poet. Græc., p. 30. [82] p. 15. [83] Epiph. in Anchor., § 106, p. 1089. [84] pag. 13. [85] pag. 33. [86] Laert. l. IX De vitis et dogm. philos. [87] Menag. in hunc Laert. locum.

Digitized by Google

CAPUT XII.

De paganorum moribus.

ARTICULUS I.

De virorum luxu et mollitie, atque eorum in primis, qui barbam, comam, pilosque tondebant, ubi de Scythis et Germanis; quando barba radi cæperit, de Diogenis hanc in rem dicterio, ac de iis qui alienis capillis utebantur, vel pilos comasque tingebant, ac de mulierum supercilia quoque pingentium fuco.

Quanta esset sua ætate apud paganos non solum corruptio opinionum, sed incredibilis etiam vitæ morumque depravatio, passim Clemens graphice describit, atque eam, uti par est, arguit, totisque ingenii sui nervis et viribus confutat ac funditus destruit. Ac primum quidem viros vehementissime objurgat, qui non minus effeminate quam mulieres luxu et mollitie perditi erant. In illos autem maxime invehitur, qui barbam, pilos comamque radebant, et more plane meretricio tondebantur : « Plenæ sunt, inquit, civitates iis, qui effeminatos hos picant, radunt et vellunt. Officinæ autem ubique constructæ et apertæ sunt, et hujus meretriciæ fornicationis artifices multum pecuniæ lucrantur ab iis, qui seipsos pice oblinunt, et pilos vulsoribus quoquo modo præbent vellendos[88]. » Eumdem pravum morem Seneca his verbis redarguit : « Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam, aut intervellunt, qui labra pressius tondent et abradunt, servata et submissa cætera parte, qui lacernas corporis improbi sumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quidquam, quod hominum oculis transire liceat. Irritant illos, et in se advertunt, volunt vel reprehendi, dum conspiciuntur[89]. » Tertullianus vero : « Propriasque, inquit, præstigias formæ et hic sexus sibi agnoscit, barbam acrius cædere, intervellere, circumdare capillum, disponere, etiam colorare canitiem, primum quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cætera pulveris cujusdam asperitudine levigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere[90]. » Ibi eximius ille Africanus scriptor plura hominum vitia paucis perstringit, quæ fusius Clemens insectatus est.

Docet quippe eruditissimus auctor noster rectæ rationi penitus adversari, si vir barbam deponat, ac tondeatur, et picetur. Nec mirum sane. Ex Chrysippo enim narrat Athenæus « Alexandri temporibus radendæ barbæ consuetudinem inolevisse, ævoque priore hoc fuisse inusitatum, cum tibicen famosus ille Timotheus prolixa barba tibias inflaret, et Athenis observatum sit, non admodum vetustum esse illum, cui primo abrasa est : ideo Κόρσην fuisse cognominatum[91]. » Hunc quoque morem primitus non fuisse, ac quando, unde, et a quibus ille in Italiam invectus sit, ita Varro scriptis tradidit : « Omnino tonsores primum in Italiam venisse ex Sicilia dicuntur, post Romam conditam anno quadringentesimo quinquagesimo quarto, eosque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse assignant antiquorum statuæ, quod pleræque habent capillum et barbam magnam[92]. » Quæ quidem ex Varrone refert Plinius, iisque addit : « Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens. Divus Augustus cultris semper usus est[93]. » Videsis Tiraquelli in Alexand. ab Alexand., lib. v *Genial. dier.*, cap. 18, adnotationes; ubi etiam de Scytharum Germanorumque coma, cujus Clemens ibidem meminit[94], quædam haud inscite observat.

At obiter notabimus a Clemente eosdem populos et Κελτούς et Γερμανούς appellari. Utrosque tamen a se invicem, sed non longe dissitos fuisse Strabo testificatur : « Statim trans Rhenum, Ρήνου, post Κελτικούς, Celticos populos, orientem versus sita loca Γερμανοὶ incolunt, a Gallis parum differentes, si feritatis, corporum magnitudinis et fulvi coloris excellentiam spectes[95]. »

Porro autem Clemens ibidem refert hoc Diogenis, cum venderetur, in quemdam, cui tonsa erat barba, adolescentem dicterium : « Veni, adolescens, eme tibi virum. » Sed illud paulo aliter a Laertio et Athenæo 84 traditur : « Videns, » inquit Laertius, « aliquando adolescentulum effeminari : Non pudet, ait, deterius quam naturam ipsam de teipso statuere? Illa enim te virum fecit, tu te cogis mulierem fieri[96]. » Athenæus autem ita ex Chrysippo : « Diogenes conspecto quodam, cui nudatum sic mentum fuerat : An naturæ vitio vertis, inquit, quod te virum genuerit, non feminam[97]? »

Neque porro minus acriter alios homines Clemens castigat, qui alienis capillis utebantur, vel pilos, canosque, ut colorem mutarent, tingere, vel ungere solebant : « Fieri, inquit, non potest ut veram ostendat animam, qui caput habet adulterinum[98]. » Quod quidem effatum unus ex Clementis nostri scholiastibus Archidami apophthegmate et Tertulliani testimonio præclare confirmat[99].

Prius autem auctor noster mulieres hanc ob rem citius canescere dixerat : « Desipientes mulieres, quæ canos tingunt, capillos autem ungunt, celerius canescunt, propter ea quæ desiccant aromata[1]. » At quo teste et vade hæc canitiei causa probari possit, si quæras, citatum ab Athenæo Aristotelem tibi illico proferemus : « Aristoteles doctissimus in naturalibus quæstionibus, hoc excutit, cur magis canescant, qui unguento caput illiniunt. An quod unguentum propter odorem exsiccet squaloresque arefaciat? Squalor enim canitiem efficit. Nam sive canities pilorum sit ariditas, sive caloris inopia, siccitate omnia marcescunt. Quamobrem iis, qui pileo caput tegunt, canities acceleratur; quia humor absumitur, alendo pilo destinatus[2]. » Scimus quidem Dalecampio observatum aliam a medicis canitiei causam afferri, pituitosum scilicet pili alimentum, et nimium capitis humorem[3]; sed Clemens ad opinionem suam stabiliendam hoc Aristotelis, vel aliorum similis auctoritatis scriptorum testimonium sibi sufficere haud immerito arbitratus est. Et vero Casaubonus putat hæc a Clemente nostro ex ipsomet Aristotele deprompta fuisse ac transcripta[4].

Porro autem vix aliud quid majorem in vituperationem ab eodem Clemente nostro videtur adduci, quam muliebrem fucum, variaque earum figmenta, quæ ille ab ipsismet ethnicis poetis plane damnata esse ostendit[5]. Quod autem de pictis superciliis ibidem ab eo adjicitur, hoc ab aliis scriptoribus con-

[88] Pædag. lib. III, c. 3, p. 223. [89] Senec. epist. 114, p. 448. [90] Tertul., l. De cult. fem., c. 8. [91] Athen. lib. XIII Deipnos., p. 565. [92] Varro, lib. II De re rust., c. ult. [93] Plin. lib. VII Hist. natur., c. 59, p. 107. [94] Pædag. lib. III, p. 227. [95] Strabo, lib. VII Geogr., p. 290. [96] Laert. lib. VI De vita et dogm. philos. de Diog. Cyn. [97] Athen. lib. XIII Deipnos., p. 565. [98] Pædag. lib. III, c. 2, p. 223. [99] Tertul. lib. De spect., c. 23. [1] Pædag. lib. II, c. 8, p. 179. [2] Athen. lib. XV Deipnos., p. 692. [3] Dalecamp. in hunc Athen. loc. [4] Casaub. in lib. XV Athen., c. 13. [5] lib. II, cap. 8; lib. III, c. 2.

Digitized by Google

firmatum reperies apud Casaubonum in lib. XII *Athen.*, cap. 7, pag. 840. De pravo autem Romanorum sive barbam pilosque radendi, sive fucum adhibendi more, legesis Meursium *De luxu Romanorum*, cap. 3.

ARTICULUS II.

De Lacedæmoniorum et Atheniensium, aliorumque hominum vestibus, earum colore, tinctura, membranulis, animalibus in purpura, de crocoto, de calceis, sandaliis et crepidis; de muræ nulis et annulis, eorumque ac potissimum Polycratis et Seleuci signaculis, et a quibus annuli, et quomodo a prima origine induti fuerint.

Quam diversæ essent Lacedæmoniorum ab Atheniensibus induendarum vestium consuetudo et institutiones, hæc Clemens scribit in verba : « Laudo et admiror Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes et aurum mundum gestare permisit... Contra autem Atheniensium magistratus, qui civilem vitæ formam expulerant, loci quasi et conversationis virilis obliti, aurum gestabant, et talaribus tunicis amiciebantur, crobulo, quod est vestimenti genus, aureo induebantur, adjunctis cicadis ornati, ortum suum revera terrestrem cinedico quodam fastu et arrogantia monstrantes [6]. » Neque ibi tantum Clemens hujus Lacedæmoniorum instituti, sed in alio etiam opere sic meminit : « Unguentum et purpuram veteres Lacedæmonii dolosas quidem vestes, et dolosas unctiones recte reputantes et nominantes [7]. » Monet Hervetus plures pravi illius Atheniensium moris mentionem fecisse; sed qui de meliori Lacedæmoniorum consuetudine scriptis aliquid prodiderit, nullum a se inventum auctorem. Ab illo tamen non multum abesse videtur Plutarchus, non solum in Lycurgi Vita, sed etiam ubi de Laconicis institutis hunc habet sermonem : « Permanebant absque toga, et unicam in annum sumebant tunicam, squalidi corpora, et plerumque lavacris unctioneque abstinentes [8]. » Nec minus perspicue Xenophon : « Non magni pretii veste, sed corporis egregia constitutione ornantur [9]. » Thucydides quoque de utrisque, cum Lacedæmoniis, tum Atheniensibus, atque etiam de Ioniis hæc narrat : « Inter Græcos primi Athenienses ferrum deposuerunt, et ex illo soluto vitæ genere in lautius transierunt. Nec multum tempus est, ex quo seniores eorum, scilicet beati, ferre desierunt lineas tunicas, cicadasque in seriem aureas, ac cincinnos in plexilem modum concinnatos. Unde apud Ioniam quoque seniores propter cognationem viguit hic cultus. Modica autem veste ad præsentes usque mores usi sunt Lacedæmonii, et cum cæteris rebus, tum præcipue in victu locupletiores vulgo sunt similes [10]. » Quid mirum igitur, si tantæ modestiæ et frugalitatis homines solis meretricibus floridas vestes induere aurumque gestare permiserint? Quid porro quod Xenophon vestem puniceam solis Lacedæmoniorum militibus a Lycurgo concessam testatur? « Vestem, ait, eos puniceam habere voluit; existimabat enim genus hoc vestis minime cum muliebri commune quidquam habere [11]. » Cæterum Athenæus idem expresse Syracusiis, quod Clemens Lacedæmoniis tribuit : « Philarchus libro vicesimo quarto *Historiarum* cum jam scripsisset lege sancitum fuisse apud Syracusios, ne auro feminæ se ornarent, ne vestes aut florido colore tinctas induerent, aut quibus attexta assutave esset purpura, nisi quæpiam prostibulum, aut vulgare se scortum esse profiteretur [12]. »

Lacænas tamen virgines propterea Clemens immodestiæ alibi redarguit, quod earum veste genu non tegeretur : « Neque enim, inquit, sicut Lacænas virgines supra genu vestiri honestum est; nullam enim partem feminæ nudari decorum est [13]. » Quam vera autem et justa esset illa Clementis accusatio, hoc Julii Pollucis testimonio confirmari potest : « Virginum tunica vocabatur, quam dissolventes usque ad alas quasdam juxta inferiorem fimbriam crura exerebant, maxime Spartanæ, quas ob hoc Φανομηρίδας nominaverunt [14]. » At de his, aliisque Spartanorum vestibus legesis Cragium *De republ. Lacedæm.*, libro tertio, tab. G, et Meursium lib. I *Miscellan. Laconic.*, cap. 15 et 19.

Pergit Clemens : « Atqui posset quidem honeste dici urbana et faceta illa vox quæ dicta est ei, qui dixerat : Pulcher cubitus : At non publicus : et tibi pulchræ sunt tibiæ, dicenti : Sed solius mei mariti; et, Speciosa facies : : ed est ejus tantum, qui me uxorem duxit [15]. » Cujus vero fuerit ea vox, ipsemet Clemens alio in 85 opere edisseruit : « Quid vero? Non Theano Pythagorica eo processit philosophiæ, ut ei qui ipsam curiose aspexerat, et dixerat : Pulcher cubitus, responderit : Sed non publicus. »

Quæ quidem ex his fortasse desumpta sunt Plutarchi verbis : « Theano tunica se amiciens, cubitum exeruit, et dicenti cuidam : Pulcher cubitus, respondit : Atqui non est publicus [16]. »

At cum plures Theanus nomine, uti Suidas Vossiusque adnotaverunt [17], fuerint insignitæ *mulieres*, dubium sane est, quænam illa sit, de qua post Plutarchum Clemens loquitur. Nam si paulo attentius animadvertas illam ab ipso Clemente Pythagoricam appellari, dubitandi tibi fortasse locus non erit, quin hic dici debeat ipsiusmet Pythagoræ uxor, quæ hoc cognomine reapse nuncupata est. Verumtamen illud quibusdam non minus apte convenire videbitur alteri Theano Metapontinæ, quam idem Suidas plurima de Pythagora apophtegmatisque Pythagoreorum, ac de virtute scripsisse testatur. Nobis nihilominus facilius persuadebitur hæc *effata* et responsa profecta esse a priore Theano, Pythagoræ uxore, de qua nos in sequenti dissertatione plura disputabimus.

Præterea Clemens poetæ cujusdam testimonio probat mulierem, quæ « immoderato studio tenetur, et a Deo et a pudico conjugio excidisse, quemadmodum Argiva illa meretrix, Eriphyle inquam,

Auri quæ pretium sumpsit pro conjuge charo [18],

Quæ autem dicenda sit illa Eriphyle, et a quo Clemens hunc versum acceperit, disces ex Pausania, qui hujusce Eriphyles historiam, seu fabulam narrat, additque : « Homerus vero illud, quod Eriphylæ donatum fuit in *Odyssea* aureum dicit fuisse [19] :

Ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα [20].

Ex Homero itaque hoc delibavit Clemens, quod ab ipso alibi repetitum legimus [21].

De vestibus autem ipsis sive simplicibus, sive tinctis, variisque earum coloribus, multa ibidem congerit auctor noster, quæ quidem explicatione aliqua si cui indigere videantur, is adeat Julium Pollucem lib. VII *Onomast.*, cap. 13 et seq., necnon Alexandrum ab Alexandro lib. V. *Genial. dier.*, ejusque commentatorem Andream Tiraquellum; atque etiam de Sardiniaca tinctura Erasmi *Adagia*, chiliad. 2, centur. 8, adag. 99, p. 548; Lazarum Baysium, Octavium Ferrarium, Albertum Rubenium *De re vestiaria*, Stanislaum Kobierzyckium *De luxu Rom.* lib. II, in *Thesauro antiq. Rom.* t. VI et VIII; Casaub. *Comm. de re vestiaria*, et in lib. XIII Athenæi, et alios.

[6] Pædag. lib. II, c. 10, p. 199. [7] lib. I Strom., p. 294. [8] Plutarch. p. 257. [9] Xenoph. De Lacedæm. repub., p. 682. [10] Thucyd. in præfat. belli Peloponn. [11] Xenoph. De Lacedæm. repub., p. 687. [12] Athen. lib. XII Deipnos., p. 521. [13] Pædag. lib. II, c. 10, p. 204. [14] Pollux, lib. VII Onom., c. 15, p. 338. [15] lib. IV Strom., p. 522. [16] Plutarch. Præcept. conv., p. 142. [17] Suid. ad verb. Θεανώ; Voss. De poet. Græc., c. 4, p. 22. [18] ibid. p. 202. [19] Pausan. lib. IX Bœot., p. 515. [20] Homer. lib. II Odyss., p. 156. [21] Clem. lib. II Strom., p. 388.

Digitized by Google

Sed paulo accuratius a nobis examinandum est, quod Clemens paulo ante dixerat, et Herveto videtur difficillimum : « Quæ purpura tincta sunt, » inquiebat auctor noster, « et hæ animalium quæ vento feruntur deliciæ, et ille unguentis delibutus crocotus, et suspiciendarum membranularum, καὶ τῶν ὑμενίνων τῶν περιόπτων, pretia ingentia, et variegatæ vestes, quæ in purpura habent animalia, cum ipsa arte valere jubenda sunt [22]. » Etenim Hervetus ipse hunc in locum : « Quænam sint, inquit, illæ pretiosæ membranulæ, non satis intelligo, nec quæ in purpura habent animalia, nisi forte eas intelligat vestes, quæ acu texuntur a phrygionibus. » Silburgius vero post vocem ὑμενίνων subaudiendum putat ἱματίων, ita ut Clemens eo loquendi modo vestes tenues ac subtiles significare voluerit. Aliis autem quemadmodum Herveto videtur eodem verbo membranulas, id est pelles quasdam tenues et delicatas designari. Non male forsitan, nisi vox Græca ὑμένινος potius adjectivum quam substantivum esset nomen, quod idem ac membranaceus vel membraneus sonat. Utut sit, non magni certe momenti est hæc quæstio. Non obscurus siquidem est sensus Clementis, qui ibi aperte disputat de maximi pretii vestibus, quæ tanta arte sive ex quibusdam pelliculis, sive ex alia materia laboratæ, adeoque tenues et subtiles erant, ut intertextæ florum animaliumque figuræ undique cerni possent.

De animalibus porro quæ secundam Herveto creaverunt difficultatem, isthæc ad quæ ille forsitan non satis animum adverterat, apud Julium Pollucem legimus : « Distincta, inquit, tunica est, animalia aut flores intertextos habens ; belluata tunica dicitur, aut animalibus interstincta [23]. » Quid enim ad solvendam Herveti difficultatem promptius magisque expeditum ?

Ab eodem denique Herveto, aut saltem ab eorum qui in hos Clementis libros scholia ediderunt, monendus obiter erat lector citatum ab ipso ibidem ex comœdia carmen :

Cinctæ crocotis atque fucatæ sedent [24];

ex Antiphone fuisse desumptum.

Quæ autem eodem capite a Clemente nostro de purpura scripto prodita sunt, his certe præter Plinium [25] lucem afferre possunt Pausanias lib. III *Laconic.*, pag. 104, et lib. X *Phocic.*, pag. 355; Athen. lib. III *Deipnosoph.*, pag. 88 et seq.; Jul. Poll. *Onom.* lib. I, cap. 4; Cassiodorus lib. I *Variar.*, epis. 2; De amorginis quoque et bysso, idem Jul. Pollux lib. XVII *Onom.*, cap. 16 et 17; Pausanias lib. V *Eleac.*; Plinius libro XIX *Histor. natur.*, cap. 1, pag. 564.

Cujus porro coloris debeant esse vestes, Clemens noster ex Platone, quem optimum ait fuisse Moysis imitatorem, sic demonstrat : « Moysis imitator longe optimus Plato illam texturam admittit, cui non amplius operis est adhibitum quam pudica mulier postulet. Albi vero colores honestati conveniunt. Alibi quoque dicit : Et in textura non adhibere tincturas, præterquam ad ornamenta belli. Pacificis ergo hominibus, id est Christianis, et lucidis album convenit [26]. » Duplex ibi Platonis testimonium Clemens retulit, sed neutrum se in ejusdem philosophi scriptis invenisse Hervetus declarat. Posterius tamen, quod sic habetur : Καὶ ἐν ὑφῇ βάμματα μὴ προσφέρειν ἀλλ' ἢ πρὸς τὰ πολέμου κοσμήματα, totidem verbis in duodecimo illius *De legibus* libro occurrit [27]. At prius a nobis etsi diligentissime, frustra tamen quæsitum, ab aliis nisi ex quibusdam deperditis ejusdem philosophorum principis operibus desumptum sit, forsitan invenietur. Cæterum de albo vestium colore quædam in nostris ad Ambrosium notis olim observata sunt [28]. »

Multa adhuc Clemens de gemmis, pretiosisque lapillis, qui vestibus, præcipue mulierum, interseri solebant, congessit. Horum autem poteris explicationem petere ex Athenæo lib. III *Deipnosoph.*, pag. 93 et seqq.; Plinio lib. IX *Histor. natur.*, cap. 35, ac præcipue lib. XXXVII, cap. 4 et seqq.; Alberto Magn. lib. II *De mineral.*; Isidor. lib. XVI *Origin.*, cap. 6, 7 et seqq.; Marbodæo lib. *De pretios. lapid.*

Neque porro in solo pretiosi mollisque vestimenti ornatu, sed in calceis etiam et sandaliis incredibilis plane micabat paganorum luxus, a Clemente nostro ita proscriptus : « Valere ergo jubendum est aureorum et gemmeorum sandaliorum vana artificia cum **86** crepidis Atticis et Sicyoniis, cothurnisque Persicis et Etruscis [29]. » De variis calceorum generibus plura Julius Pollux et Tiraquellus suppeditabunt, quæ ad hunc Clementis nostri locum facilius intelligendum facem tibi præferent [30]. Sed prætermitti non debet cum Plutarchi tum Plinii testimonium, quo iisdem pene verbis « Agnomen Teium, Alexandri Magni præfectum, aureis clavis suffixisse crepidas, » asserunt [31]. Neque mirum id videbitur iis, qui apud Valerium Maximum legerint Antiochum et magnam exercitus ejus partem aureos clavos crepidis subjectos habuisse : « Cujus cæcam, » ipsa sunt Valerii verba, « et amentem luxuriam exercitus imitatus, magna ex parte aureos clavos crepidis subjectos habuit [32]. » De calceorum luxu videsis Stuchium lib. II *Antiquitat. conviv.*, cap. 27; Albertum Rubenium lib. II *De re vestiar.*, cap. 1 et seqq.; Octav. Ferrar. *Anal. de re vestiar.*, cap. 21.

Perstringit quoque Clemens vana nimisque sumptuosa muliebris mundi ornamenta, « et aureas » in primis « murænulas [33]. » Hæ autem quid essent, si scire aveas, audi Hieronymum : « Aurum colli, quod quidem murænulam vulgus vocat, quod scilicet metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur [34]. » At de muliebris mundi nominibus, consule Julium Pollucem [35], ex quo etiam illa, quæ ibidem Clemens ex Nicostrato et Aristophane retulit, possunt confirmari. Vide etiam Joannem Meursium, *De luxu Romanorum* cap. 5, ubi plura inserit de annulis, de quibus jam aliquid dicendum.

Qui autem, et quo digito, ac quam ob causam induendi sunt ii annuli, postquam Clemens edisseruit, hæc de annuli signaculis continuo adjecit : « Sunt autem nobis signacula columba, vel piscis, vel navis, quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua usus est Polycrates, vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus [36]. » Hervetus ibi quidem observat Herodotum et Strabonem, quibus et Ciceronem et Valerium Maximum conjungere poterat, de annulo Polycratis plura quidem scriptis mandasse [37] : sed cum ii de insculpta eidem annulo lyra musica tacuerint, suspicatur hiulcum et mancum esse hunc Clementis locum, ac librariorum incuria omissum Pyrrhi nomen, de quo Plinius, postquam de Polycrate locutus est, « Ha-

[22] Pædag. lib. II, c. 10, p. 201. [23] Jul. Pollux, lib. VII Onom., c. 13, p. 338. [24] Antiphon. in Lysistrata, p. 542. [25] Plin. lib. IX Hist. nat., c. 36, p. 337. [26] Pædag. lib. III, c. 11, p. 244. [27] Plat. tom. II, p. 956. [28] in lib. Ambros. De offic., c. 19, p. 23, tom. II. [29] Pædag. lib. II, c. 11, p. 205. [30] Poll. lib. VII Onom. c. 22; Tiraquell. in Alex. ab Alex. lib. V Genial. dier., c. 38, p. 533. [31] Plutarch. in Vita Alex. Magn. p. 688; Plin. lib. XXXIII Hist. nat., c. 3, p. 33. [32] Valer. Maxim., lib. IX, c. 4. [33] Pædag., lib. II, c. 12, p. 209. [34] Hier. epist. 15 ad Marcellam. [35] Pollux, Onom. lib. V, c. 16, et lib. VII, c. 22. [36] Pædag. lib. III, c. 11, p. 246. [37] Herodot. lib. III, § 40 et 42; Strabo lib. XIV Geogr., p. 638; Cicer. lib. V De finib., p. 114; Valer. Maxim., c. 11, § 11.

Digitized by Google

buisse, inquit, traditur achaten, in qua novem Musæ et Apollo cytharam tenens spectarentur [38]. » Verum præterquam quod Herveti conjecturæ omnes manu Græca exarati codices magno consensu adversantur, cui credibile fiet concessum Christianis unquam fuisse hujuscemodi annulum a Clemente nostro, qui ullam idolorum faciem annulis imprimi plane, penitusque iis interdictum esse ibidem asseveranter affirmat? Itaque nobis facilius probabitur annulo Polycrati insculptam, ut testatur Clemens, revera fuisse lyræ musicæ imaginem, atque eo maxime, quod huic opinioni nullus plane auctor unquam refragatus sit.

De Seleuci autem annulo præter citatum ab Herveto Justinum, audi Ausonium lib. *De claris urbibus*, § 2, de Antiochia et Alexandria sic canentem :

Illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit anchora signum,
Qualis inusta solet generis nota, certa per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Videsis etiam Tiraquelli commentarios *De nobilitate*, cap. 6, § 20.

Cæterum si quid ad clariorem Clementis interpretationem de annulo ejusque gestandi origine, quomodo, a quibus, quo digito, et quam ob causam sit induendus, scire desideres, adisis Plinium lib. xxxiii *Histor. natur.*, cap. 1, pag. 6; lib. xxxvii, cap. 1, pag. 355 et seq.; Macrobium lib. vii *Saturnal.*, cap. 13; Aulum Gellium lib. x *Noct. Attic.*, cap. 10; Polydorum Vergilium lib. ii *De invent. rer.*, cap. 22; Alexandrum ab Alexandro lib. ii *Genial. dier.*, cap. 19, et ejus scholiasten Tiraquellum.

ARTICULUS III.

De superba domorum apud paganos supellectile, ubi de gaunace seu gaunape, ac potissimum de variis vasorum generibus, de thericleo calice, cantaro, lebronio, lepasta, psyctere, œnochoe, et aliis alabastrinis, atque minus honestis, ac de iis quorum in balneis usus erat.

Non impar nec minor erat paganorum in tota domorum suarum supellectile, quam in vestibus vanitas et superbia : « Sellæ, » inquit Clemens, « argenteæ, pelves et acetabula, scutellæ, et catini, et præterea vasa aurea et argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia vero ad alios usus, quos me pudet dicere, ex sectili cedro, thyo, ebenoque, et ebore instructi, tripodes, lectique argentei pedes, et ex ebore compacti, auroque interspersæ, et testudine variatæ cubilis valvæ, et stragulæ vestes purpureæ, et aliorum colorum paratu difficilium, insolentium deliciarum argumenta [39], invidiæ mollisque ignaviæ insidiosa commoda sunt omnia amandanda. » Ita sane pius et religiosus auctor noster nimis profusum ac pene immensum paganorum luxum penitus rejicit et explodit.

Nec minori severitate rursus ille proscribit « stratorum magnificentiam, pulvinos auro intertextos, auroque variegatas glabras vestes, stragulas puniceasque xistides, et pretiosissimas gaunacas, τοὺς γαύναχας, et poetica purpurea pallia, vestesque superne molles ac delicatas, et cubilia vel ipso somno molliora [40]. »

Hanc porro, ac multis vix pene credibilem, nisi forte apud nostræ ætatis Christianos parem, vel fortasse etiam in religionis nostræ dedecus majorem videremus, supellectilis magnificentiam olim Seneca paulo fusius redarguerat [41]. Ad illum autem, quia paulo prolixior est ejus sermo, te mittimus, et ad variorum in illius verba observationes, atque etiam ad Guilelmum Stuchium lib. ii *Antiquitat. convival.*, cap 15, et Stanislaum Kobierzyckium *De luxu Romanorum*, lib. ii, cap. 7.

Interim vero mirare Hervetum, qui nec quid sint gaunacæ, nec ullibi usquam de illis aliquid se legisse nos commonefaciendos operæ pretium duxit. Nam frequens gaunacarum apud varios auctores atque etiam Latinos poetas mentio facta est. Duplicis autem, teste Suida, erant generis : « Genus, inquit, pallii, quod et Persidem vocant. Alii vero sisyram thymetidem, quod est simile morychi sagmati; sagma vero ipsa teli theca. » Docet vero Turnebus hac voce stragulas, aut operimenta altera parte villosa, aut pallii genus significari [42]. Porro autem Plinius alicubi gausapæ mentionem his verbis fecisse legitur : « Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. 87 Gausapa patris mei memoria cœpere; amphimalla, nostra, sicut villosa etiam ventralia. Nam tunica lati clavi in modum gausapæ texi nunc primum incipit [43]. » At si gausape idem ac gaunace fuerit, de illius quoque usu Horatius hæc cecinit :

His tibi sublatis, puer alte cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit [44].

Videsis præterea Ovidium lib. ii *De art. amand.*, Martialem lib. xiv *Epigram.*, Persium, etc. Sed præcipue legendus est Octavius Ferrarius parte ii, lib. i, *De re vestiaria*, cap. 7 et 8.

Quæ autem fuerint, et quomodo pretiosa ad bibendum vasa seu pocula vocarentur, Clemens sic enarrat : « Valeant ergo thericlei calices, antigonides canthari, labronii, et lepastæ, et poculorum genera innumerabilia, trullæ præterea, et psycteres, et œnochoæ [45]. » Qui autem, et qua forma, quave ex materia facti essent thericlei calices, docet Athenæus, atque ex Theophrasto addit eos ex « terebintho tornari, quos a fictilibus nemo discernat. Eos calices fama est a Corinthio ficulo Thericle factos; unde et impositum nomen Aristophanis comici sæculo..... Alii tradunt thericleum poculum dictum, quod in eo sculptæ ferarum pelles essent [46]. » Plura adhuc apud eumdem Athenæum de his poculis, quorum incerta penitus origo est, videre poteris [47]. Rursus vero alibi ille eorum meminit, et Plinius lib. xvi *Histor. natur.*, cap. 4, pagina 470; Erasmus *Adag.* chiliad. 3, centur. 3, proverb. 53, et Casaubonus in priorem Athenæi locum lib. x, cap. 11, pag. 791. Sed illud omitti a nobis non potest, quod apud Plutarchum de Pauli Æmilii triumpho legimus, tertio die quo ille triumphavit, asportata suo ordine, « Antigonidas, seleucidas, thericleos, vasaque aurea, quibus uti in conviviis Perseus solebat [48]. »

Julius Pollux eorumdem facit thericleorum calicum mentionem, sicut et antigonidum, quos codices nostri, manu Græca exarati, ab Antigonide illorum inventore cognominari, ac inferius in rotundum, superius vero in acumen desinere adnotarunt [49].

Multa vero ex variis scriptoribus de cantharo, lebronio et lepasta Athenæus ejusque commentator Casaubonus congerunt [50]. Lepastæ iterum meminit Athenæus his Anaxandridis verbis : φιάλην τε λεπαστήν· sed ea sic Casaubonus corrigi voluit, φιάλην τε καὶ λεπαστήν, « phialam et lepasten [51]. » Julius vero Pollux : « Quod autem lepaste non pocu-

[38] Plin. lib. xxxvii Hist. nat., c. 1, p. 356. [39] lib. ii, c. 3, p. 160. [40] ibid., c. 9, p. 184. [41] Senec. lib. vii De benefic., c. 9. [42] Turneb. lib. xxii Advers., c. 21. [43] Plin. Hist. nat. lib. viii, c. 48, p. 228. [44] Horat. lib. ii Serm. satyr. 8, v. 10. [45] ibid. p. 160. [46] Athen. lib. xi Deipnosoph., p. 470 et seqq. [47] idem l. v, p. 199. [48] Plutarch., in Vita Pauli Æmilii, p. 275. [49] Pollux l. v Onom., 16. [50] Athen. lib. xi, p. 473 et 486; Casaub., c. 6 et 10. [51] Athen. lib. iv, p. 151, et Casaub. in hunc locum.

Digitized by Google

lum modo, sed vini fusorium vas sit, manifeste Aristophanes in *Gerytade* tradit : « Circumfer lepa- « steu[b] . »

Existimarunt quidam psycterem esse poculum, alii vero vas magnum, quo lavabant pocula, vel vinum refrigerabant. « Psycter, » inquit Suidas, « vas ubi pocula lavantur. » Athenæus quoque alicubi psycterem grande vas fuisse testatur : « Psycteres centum sexaginta, quorum maximus amphoras sex, minimus duas capiebat..... Psycteres viginti duo, quorum maximus triginta capiebat, minimus unam[83]. » Verumtamen ille psycterem ipsismet poculis ita annumerat : « Ulpianus in psycetere vinum poposcit, quod biberet ..... Fuerunt autem inter vasa ad propitiationes illas parata et psycteres, et alia pocula. » Vides itaque varii generis fuisse psycteres, alios majores, et minores alios, ac proinde hos ad potandum, alios ad lavandum, vinumque, si velis, refrigerandum idoneos aptosque revera fuisse. At vero si quis Platonem in *Convivio* disputantem audiat, is facile intelliget psycteres etiam majores ad bibendum fuisse adhibitos. Ipsius enim hæc sunt verba : « Jube mihi, Agatho, poculum, si quod magnum adsit, huc afferendum : sed nihil opus est; imo feras huc, puer, psycterem, ψυκτῆρα, illum, qui plures quam octo cotylas, ὀκτὼ κοτύλας, capit. Cum vas illud implevisset, prior ipse bibit, deinde Socrati infundi jussit, et simul ait : Adversus Socratem, convivæ, doli nihil prosunt. Quantumcunque enim quis jusserit, tantum ebibet, neque ebrium illum tamen idcirco videbitis[84]. »

Ex Polluce denique discimus psycterem alio nomine a pluribus δῖνον, ab aliis autem ἀκρατοφόρον, meroforum, appellari : « Cæterum psycter, » ait ille, « vulgaris est, quem et dinon nominaverunt, in quo merum continebatur, plurimi vero eum meroforum nuncuparunt, neque fundum habet planum ad astragalos[85]. »

Quamvis autem Hervetus nihil de οἰνοχόαις apud Athenæum reperiri dixerit, de his tamen hæc legimus illius desumpta ex Cratete verba : « Congii, ut est dictum, pelicæ nominabantur. Vasis figura prius fuit Panathenaicis similis, quo tempore pelicæ nuncupabantur : postea vero ad instar œnochoes formatæ sunt, quales nunc festis his diebus adhibentur, et quales olpas nominarunt, ad infundendum vinum illis utentes[86]. » Nec semel illius mentionem a Polluce factam legimus[87].

Alia Clemens scribit fuisse vasa, « ad alios usus, quos pudet dicere[88]. » Duplicis autem erant generis, priora ad vomitum, de quibus Julius Pollux et alii; posteriora autem hoc Martialis carmine notata :

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro[89].

Plinius de Antonio, hæc ex Messala scripto tradidit : « Messala orator prodidit Antonium triumvirum aureis usum in omnibus obscœnis desideriis etiam Cleopatræ[90]. » Quamobrem Tertullianus : « Etiam ad spurca instrumenta, inquit, auri et argenti demens copia deservit[91]. »

Prius vero noster Clemens quamdam mulierum superbiam perstringit, quæ sæpius alabastris ad bibendum immodeste utebantur : « Mulieres honesti ac decori memores, ne labra latis calicibus diffundentes dilatato ore disrumpantur, admodum angustis in ore alabastris indecore utentes, capita reflectunt, colla autem non, ut mihi quidem videtur, honeste denudant[92], » etc. Hervetus ex Cælio Rhodigino hunc in locum observat alabastrum vas quidem esse unguentarium, sed de alabastro poculo nihil a se unquam alibi repertum esse candide confitetur. Verum non ex hoc solo recentissimo scriptore sumendum erat de unguentario vase, alabastro testimonium; quandoquidem de illo Clemens noster hæc aperte tradidit : « Scio quod cum unguenti alabastrum ad sanctam cœnam mulier attulisset, unxit pedes Domini[93]. » Nec minus dilucide Athenæus : « Circumferentibus, inquit, pueris unguenta in alabastris, et aliis vasis aureis. » Iis, si velis, adjungamus et Epiphanium, qui scribit alabastrum unguenti esse ampullam vitream, « quæ libram unguenti capit[94]. » Quem in locum Petavius adnotat alabastrum ex sui generis lapide, non ex vitro fieri. Non plane quidem immerito. Testatur siquidem Dioscorides alabastrum esse lapidem, qui alio nomine onyx appellatur[95]. Huic Plinius suffragatus est his verbis : « Onychem etiam tum in Arabiæ montibus nec usquam alicubi nasci putavere nostri veteres, sudines in Germania, potoriis **88** primum vasis inde factis, dein pedibus lectorum, sellisque..... Hunc aliqui lapidem alabastrite vocant, quem cavant ad vasa unguentaria quoniam optime servare incorrupta dicitur[96]. » Quod quidem Plinii testimonium data opera retulimus; utpote quo haud difficulter solvi potest proposita ab Herveto difficultas. Planissime enim inde liquet vasa, ex alabastro sive onyche facta, duplicis fuisse generis, quorum alia unguentaria vasa reapse erant, alia vero pocula, de quibus haud dubie ex Posidonio philosopho hæc refert Athenæus : « Adfuerunt et onychini scyphi acervatim congesti ad eos usque, qui duas cotylas caperent[97]. »

Porro autem non in domibus tantum, sed etiam in balneis, uti ait Clemens, erant « vasa innumerabilia aurea et argentea, quorum hæc quidem ad propinandum, illa vero ad vescendum, alia autem ad lavandum circumferuntur[98]. » Singula autem horum vasorum nomina recenset Julius Pollux lib. x *Onom.*, cap. 20. Ac plura de iis legere est apud Joannem Meursium *De luxu Roman.*, cap. 7 et 8.

ARTICULUS IV.

De paganorum balneis, an mobiles et suspensæ, virisque ac mulieribus communes, de corporis exercitatione et ludo pro balneis concesso, de infinita propemodum servorum et ancillarum multitudine, de cinædis, et quid sit ἐπικναλδισμα, *de batalis et hilotis.*

At quandoquidem in balnearum sermonem incidimus, agedum, et videamus quid de illis auctor noster litteris mandaverit : « Domus, inquit, artificiose compactæ, perspicuæ, quæque circumferri possunt[99]. » Existimat autem Hervetus ibi Clementem loqui de balneis pensilibus, quas Macrobius et Valerius Maximus a Caio Sergio Orata primum factas prodiderunt[100] : sed quæ sint eæ pensiles balneæ, nullo dicit ex auctore se comperisse, nisi forte eædem sint, quas Vitruvius « suspensuras caldanorum » appellat. Hujusce tamen scriptoris interpretes opinantur illis verbis non pensiles balneas, sed earum pavimentum seu planum significari. At præter citatos ab Herveto auctores, Plinius certe pensilium balnearum meminit : « Sergius Orata,

[83] Poll. lib. x Onom., c. 20. [84] lib. II Deipnos., p. 58. [85] Plato in Sympos., tom. III, p. 213 et seq. [86] Poll. lib. VI Onom., c. 16. [87] Athen. lib. XI Deipnosoph., p. 495. [88] Poll. lib. I, c. 1, § 25; lib. X, c. 20. [89] ibid. lib. II, c. 3, p. 160. [90] Martial. lib. I, epigr. 38. [91] Plin. lib. XXXIII Hist. nat., c. 3, p. 33. [92] Tertul. De habit. mul. [93] ibid., p. 158. [94] Pæd. lib. II, c. 8, p. 175. [95] Epiphan. De ponder. et mensur., p. 182. [96] Dioscorid. lib. V, c. 110. [97] Plin. lib. XXXVI Hist. nat., c. 7 et 8, p. 293 et seq. [98] Athen. lib. XI Deipnos., p. 495. [99] Pædag. lib. III, c. 5, p. 252. [100] Pædag. lib. III, c. 5, p. 231. [100] Macrob. lib. III Saturn., c. 15; Valer. Maxim. lib. IX, c. 1.

Digitized by Google

seu Aurata, primus pensiles invenit balneas [71]. » Alibi vero : « Asclepiadem adjuvere multa..... tum primum pensili balnearum usu blandientem [72]. » Seneca quoque : « Quædam, inquit, nostra demum prodiisse memoria scimus..... ut suspensuras balnearum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul et summa foveret æqualiter [73]. » Quæ porro ac cujusmodi essent hæ balnearum suspensuræ, seu pensiles balneæ, neque una est omnium opinio, neque id explicatu facile est. Quidam enim aiunt balneas primum solo instructas, postea suspensas, et a terra paululum sublatas, ut elapso humore calor diutius perseveraret. Censent alii eas super fornices et hypocausta exstructas, ut igne supposito per tubos calefierent. Postremo nonnulli eo nomine ipsa labra a laquearibus suspensa, et levi motu huc illuc agitanda interpretantur. Videsis quæ de iis Lipsius scripsit Balthazari Robiano epist. 75, centur. 3. Nec te cum alia Senecæ epistola [74] pigeat ea componere, quæ Clemens noster de antiquis balneis posteritati commendavit. Cæterum ille de balneis loquitur forsitan prioris generis, vel certe ita suspensis, ut varia in loca possent circumferri.

Quamvis autem Clemens apertissime dixerit : « Viris et feminis communia aperta sunt balnea [75]; » suspicatur tamen Hervetus id ita esse intelligendum, ut bina fuerint ædificia, sibi invicem conjuncta et copulata. Sed clariora sunt Clementis nostri verba, quæ possint hunc in sensum detorqueri. Et certe Hervetus ex Cypriano discere poterat balneas quasdam, sed abusu plane intolerabili, fuisse viris mulieribusque communes : « Quid vero, quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt? Quæ cum viros atque a viris nudæ vident turpiter ac videntur, nonne ipsæ illecebram vitiis præstant? Nonne ad corruptelam et injuriam suam desideria præsentium sollicitant et invitant [76]? » Hieronymus autem Jovinianо ejusque discipulis probro et crimini vertit, quod ejuscemodi balneas adirent : « Post præconium tuum et balneas, quæ viros pariter et feminas lavant, omnis impatientia, quæ ardentem prius libidinem quasi verecundiæ vestibus tegebat, nudata est et exposita; quæ ante in occulto erant, nunc in propatulo sunt. Ostendisti tales discipulos, non fecisti [77]. » Denique præter Plinium a nobis citatum, et rursus lib. xxv *Natur. histor.*, cap. 7, pag. 490, de balneis fusius disputant Mercurialis lib. I *De arte gymnastica*, cap. 10; Alexander ab Alexandro lib. x *Genial. dier.*, cap. 20, et ejus scholiastes Tiraquellus; Galenus lib. x *De methodo medendi*, cap. 10, et alii, quos, si lubet, consulere poteris.

Pro balneis porro Clemens adolescentibus concedit gymnasium, seu corporis exercitationem; viris autem luctam, aliasque corporis sui exercendi rationes, atque etiam pario globo, sive ludo pilæ, quam pheninda vocabant, animum relaxare [78]. Quis sit autem hic ludus, a quo inventus, et unde sit dictus, narrat Athenæus lib. I *Deipnosoph.*, cap. 2, pag. 14 et 15; Julius Pollux, lib. VII *Onom.*, cap. 23, pag. 441; Erasmus chil. 3, centur. 1, adag. 99, pagina 612. Porro autem is ipsemet ludus videtur esse, qui a Suida φεννὶς appellatur, et ab ipso breviter explicatur.

In alium præterea Clemens insurgit paganorum luxum, iis procul dubio omnibus, quæ hactenus retulimus, non magis tolerandum, nempe infinitam propemodum servorum et ancillarum, quorum ille nomina et officia recenset, turbam et multitudinem [79]. Nihil autem illum ibi nisi veritati plane consonum protulisse disces ab Athenæo et Julio Polluce, apud quos etiam, si quid tibi in Clementis sermone difficile et spinosum occurrat, enodatum invenies et complanatum [80].

Quasdam quoque mulieres insolentis plane fastus et arrogantiæ Clemens ibidem condemnat, quæ a Gallis aliisque famulis in lectica, humeris sublata, per civitatum vicos et plateas, ut omnibus videndas se præberent, publice portabantur [81]. Quam altas autem radices pravus ille mos egerit, ex his Senecæ verbis conjice : « Rusticus inhumanus, ac malevolus, et inter matronas abominandæ conditionis est, si quis conjugem in sella prostrare vetuit, et vulgo admissis inspectoribus vehi undique perspicuam [82]. » Sed de his plura videsis apud Justum Lipsium tom. I, lib. I *Electorum*, cap. 19, ubi de lecticis disputat, quemadmodum Stanislaus Kobierzyckius lib. II *De luxu Roman.*, cap. 3, 4 et 5.

Præter hanc famulorum multitudinem ad mulieres **89** adhuc : « Intro, » inquit Clemens, « confluunt cinædorum turbæ, lingua effrenati, scelerati corpore pariter atque oratione, ad ministeria impudica viriles, adulterio deservientes, impudice ridentes, et susurrantes, et fornicatorium ac cinædicum ad lasciviam sonum per nares edentes, impudicis verbis et figuris delectare conantes, et ad risum, qui est fornicationis præcursor, provocantes [83]. » Turpissimos et infames illos viros graphice depinxit Julius Pollux, quem, si lubet, legere poteris [84]. Athenæus vero « Cinædos, aiebat, illos vocatis, aut qui unguenti nonnihil olent, aut veste amicti sunt utcunque lautiore [85]. » Observat autem Lipsius illos tunicas cum manicis habuisse, non secus ac meritricias togas, ut veste sua possent ab omnibus cognosci [86].

De his Clemens dixit, ἐπιψοφοῦντες ἐπικιναίδισμα. At Hervetus nullibi hanc vocem sibi occurrisse professus, arbitratur ea significari impudicum quemdam sonum, qui ab his cinædis, ut alios ad libidinem provocarent, naribus edebatur. At certum est κιναίδισμα apud Eustathium cinædicam significare obscœnitatem, atque adeo voce ἐπικιναίδισμα majorem impudico sono denotari. Cum itaque de Græcæ hujus vocis significatione constet, ubi in aliis scriptis inveniatur, haud valde curandum est. Quis enim nescit plura esse ejusmodi composita verba, quæ Græci scriptores fingendi potestatem sibi dederunt?

Porro autem hi cinædi quibusdam fortasse iidem prorsus fuisse videbuntur, ac ii quos Clemens paulo superius, ubi de hominibus depilatis disserit, βατάλους, batalos appellat. « Imo vero, inquit, non viri, sed batali, et feminelli dicendi sunt, quorum voces sunt compressæ et graciles, vestis autem cum tactu tum tinctura ipsa est effeminata. Ex moribus autem externis aperte arguuntur hi homines, ex amictu, calceatu, figura, habitu, tonsu, aspectu [87]. » Attamen si quis contendat ea voce eunuchos, mulierum famulatui adjunctos, atque earum voluptati sæpe sæpius servientes debere intelligi, huic haud multum reluctabimur [88]. Etenim illi non effeminata tantummodo veste, sicut cinædi, sed etiam voce ab aliis viris discernebantur. Neque etiam iis repugnabimus, qui ex cinædis plures eunuchos fuisse pro-

[71] Plin. lib. IX Hist. nat., c. 54, p. 359. [72] lib. XXVI, c. 3, p. 445. [73] Senec. epist. 90, pag. 570. [74] idem epist. 86, p. 348 et 340. [75] lib. III Pædag., c. 5, p 231. [76] Cypr. lib. De habit. virg. [77] Hieron. lib. II Adv. Jovin. circ. fin. [78] Pædag. lib. III, c. 10, p. 241 et 242. [79] Pædag. lib. III, c. 4, p. 229. [80] Athen. lib. VI Deipnosoph., p. 263 et seq., et 272; Pollux lib. VI Onom., c. 1, 7, et 17, et lib. VII, c. 32. [81] loc. cit., p. 229 et seq. [82] Senec. lib. I De benefic., c. 9, p. 15. [83] Pædag. lib. III, c. 4, p. 230. [84] Poll. lib. VI Onom., c. 30. [85] Athen. lib. XIII Deipnos., p. 505. [86] Lips. *tom I*, lib. IV Lect. antiq., c. 8. [87] Pædag. lib. III, c. 3, p. 227. [88] ibid. c. 4.

Digitized by Google

baverint. Verum, quid vetat quominus triplex illi fuerint perditorum genus hominum, quos etiam Clemens noster satis aperte distinguere videtur?

Ab his autem omnibus longe diversi erant εἵλωτες, hilotæ, Lacedæmoniorum servi, quos domini sui, ut Clemens post Plutarchum memorat, cogebant inebriari [89]; ut pueros et adolescentes, viso eorum exemplo, a turpi ebrietatis vitio avocarent. « Qui Spartæ, ait Plutarchus, phiditiis præerant, unum aut tres hilotas meri plenos et ebrios producebant: ut adolescentibus demonstrato quid re esset ebrietas, ad temperantiam servandam eos consuefacerent [90]. » Rursus de iisdem alio disputat in libro, quem sicut et Cragium lib. I *De republica Lacedæmon.*, cap. 11 et 12, et Meursium lib. II *Miscell. Laconic.*, cap. 6 et 7, consulas, per nos licet.

ARTICULUS V.

De variis vini generibus, quæ in paganorum conviviis ministrari solebant, et de aqua Choaspia, de nationibus ebrietati obnoxiis, de gladiatoribus mensarum asseclis, de ventridæmone helluonum præside, de ventriloquo.

Non solo Lacedæmoniorum, de quorum sobrio victu Cragius et Meursius disputant [91], exemplo, sed scriptorum quoque plurium cum profanorum tum sacrorum auctoritate, ac diversis etiam rationum momentis probat Clemens non modo fugiendam ebrietatem, atque immoderatum vini usum; verumetiam perspicue convincit a nullo requirenda esse varia, quæ in conviviis ministrari solebant, vini genera. « Non est ergo, inquit, vinum Chium magna cura requirendum, si absit, nec Ariusium, si non adsit..... et Thasium odoriferum, et bene spirans Lesbium, et quoddam suave Creticum, et dulce Syracusium, et Mendesium quoddam Ægyptiacum, et insulare Naxium, et aliquod aliud fragrans ex Italia [92]. » De vino Chio, Thasio et Lesbio disserunt Athenæus lib. I *Deipnosoph.*, pag. 28 et 32; Plin. *Histor. natur.*, lib XIV, pag. 135, 136, 144 et 145; Horatius vero lib. III, od. 19:

Quo Chium pretio cadum
Mercemur.....

Et rursum epod. 9:

Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia.

Mendæum vinum, Cratino et Hermippo auctoribus, eximie commendat Athenæus [93]. At illud fortasse idem erat ac Mendesium, quod quidem ab Mendes Ægypti urbe nomen traxerat. Narrat paulo post idem Athenæus vinum Naxium ab Archilocho cum nectare conferri [94]. De Cretico autem Plinius: « Passum a Cretico Ciliclum probatur, et Africum, et in Italia finitimisque provinciis [95]. » Sed fusius de vinis Italicis ibidem Athenæus, sicut et Martialis in *Xeniis*, ac de aliis vini generibus Casaubonus et Harduinus in citatos a nobis Athenæi Plinique libros, aliique sermonem instituunt.

Quid vero, quod non solo vino coercebatur immoderata hominum intemperantia, sed usque ad aquam protendebatur? « Forte, ait Clemens, etiam aquam sunt importaturi, quemadmodum stulti reges. Choaspes fluvius est Indiæ sic dictus, cujus est ad potum optima aqua Choaspia [96]. » Sed id ab Herodoto clarius explicatum invenies. « Portatur, inquit, aqua ex flumine Choaspe, Susa præ- A tereunte, ex quo uno ex omnibus fluminibus rex (Cyrus) potat [97]. » Nec minus perspicue Plinius: « Parthorum reges ex Choaspe et Eulæo tantum bibunt, et eæ (aquæ) quamvis in longinqua comitantur eos [98]. » Laudatum porro Herodoti locum citat Athenæus, ubi de variis et optimis aquæ generibus disserit [99].

Nationes vero ebrietati magis obnoxias sic Clemens notavit: « Ebrietate autem maxime utuntur Scythæ, Celtæ, Iberi et Thraces, quæ universæ sunt bellicosæ gentes [1]. » Illud autem Clemens ex Platone desumpsit [2]. Quod enimvero ibidem subnectit: Καὶ καλὸν, καὶ εὔδαιμον ἐπιτήδευμα ἐπιτηδεύειν νηνομίκασι, id totidem verbis ab eodem Platone dictum invenitur. Videsis Ælianum lib. II *Var. histor.*, § 40.

Rogabit aliquis utrum ad has vel alias gentes spectet 90 is Clementis nostri sermo, quo superius de mensarum asseclis et helluonibus disputando, in B spurcissimo eorum grege expresse annumerat « adulatores et gladiatores, et immane genus parasitorum; ventris voluptate hi quidem rationem, illi vero amicitiam, alii autem vitam ipsam vendentes [3]. » At id definire non ita facile esse arbitramur. De crudelissimo siquidem Clemens videtur loqui gladiatorum in conviviis certamine, de quo quidam poeta cecinit:

Quinetiam exhilarare viris convivia cædæ
Mos olim, et miscere epulis certamina dira
Certantum ferro, sæpe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis [4].

Porro autem immanissimum illud plusquam ferinæ crudelitatis in conviviis certandi genus Campanis a Strabone tribuitur: « Eo, inquit, luxus progressi sunt, ut convivas ad cœnam promisso gladiatorum in singulas personas pari vocarent [5]. » Eadem quoque Livius memoriæ prodidit [6]. Quapropter nonnulli opinantur hunc sævum barbarumque morem C ab hac gente suam duxisse originem, atque ad alias postea fuisse transmissum.

Cæterum nonnihil his prorsus absimile de memoratis a Clemente nostro gentibus idem Strabo sic enarraverat: « Quidam ad ebrios vocatus, seipsum in rogum injecit. Hæc illis communia sunt cum Celtis, Thracibus et Scythis [7]. » Viderint alii utrum colligi inde possit gladiatores in conviviis apud easdem nationes fuisse quoque admissos, ac de eadem inter epulandum apud Thraces pugna intelligenda sint hæc Horatii carmina:

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est: tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis [8].

Plura de hoc gladiatorum certamine videsis apud Lipsium lib. I *Saturnal. serm.*, cap. 6.

D Non omnino autem asseveranter affirmare ausi sumus Clementem de hoc inhumanissimo certaminum more loqui. Etenim si quis illum de gladiatoribus, qui, ut magis robusto et valido corpore ad manus pugnamque venirent, fortioribus cibis saginari solebant, esse intelligendum recte probaverit, nostrum haud ægre assensum extorquebit. De iis siquidem ita scripsit Cyprianus: « Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet. Impletur in succum cibis fortioribus corpus, et arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat [9]. »

[89] Pædag. lib. III, c. 8, p. 238. [90] Plutarch. lib. Adv. Stoic., p. 1067, et lib. De Laconic. institut., p. 239. [91] Crag. lib. III De repub. Lacedæm., tabul. 5; Meurs. lib. I Miscell. Laconic., c. 8. [92] Pædag. lib. II, c. 2, p. 156. [93] Athen. lib. I Deipnos., p. 29. [94] ibid. p. 30. [95] loc. cit., p. 139. [96] Pædag. lib. II, c. 1, p. 157. [97] Herodot. lib. I, § 18, p. 78. [98] Plin. lib. XXXI Hist. nat., c. 3, p. 788. [99] Athen. lib. II Deipnos., p. 45. [1] loc. cit. [2] Plat. lib. I De leg., p. 637. [3] Pæd. l. II, c. 1, p. 143. [4] Silius, De bello punico lib. XI, v. 51 seqq. [5] Strab., lib. V Geogr., p. 250. [6] Livius, l. IX. [7] Strab., l. III, p. 164. [8] Horat., l. I Carm., od. 27. [9] Cypr., tract. I ad Donat.

Digitized by Google

Attamen de priori gladiatorum genere explicandam esse Clementis mentem nobis videtur verosimilius.

Neque porro abs re nostra penitus alienum esse duximus huc referre quæ a Laertio de athletis memoriæ prodita sunt. Ex iis etenim, et quæ prior eorum vivendi ratio, et a quo immutata fuerit, planum omnibus fiet et perspicuum : « Fertur, inquit, Pythagoras primus athletas aluisse carnibus, antea, ut in tertio commentario ait Favorinus, caricis siccis et mollibus, et tritico solitos corpora nutrire, ut ait idem Favorinus in octavo *Omnimodæ historiæ*. Alii vero Pythagoram, alium quemdam Aliptem, athletas ita solitum nutrire, dicunt, non hunc [10]. »

Denique Clemens omnibus his ganeonibus et helluonibus dicit præesse ventridæmonem, κοιλιοδαίμονα. Ils autem, inquit, qui ad luxum mensarum propensi sunt, et suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon helluo maximus, quem ego non verebor appellare ventridæmonem, dæmonum omnium pessimum et perniciosissimum. Is autem est revera B similis ei, qui dicitur ventriloquus [11]. » A Casaubono animadversum est parasitas in Eupolidis dramate κοιλιοδαίμονας appellatos, sed hoc verbum a Clemente nostro pro dæmone ganeonum præside « nove » usurpari [12].

De ventriloquo autem legesis Leonis Allatii de engastrimytho syntagma. Denique his quæ Clemens de helluonibus et gulæ ventrisque vitio deditis hominibus scripsit, lucem aliquam non solum Stobæus, sed et Basilius atque Ambrosius afferent [13].

ARTICULUS VI.

De coronarum origine, earumque in conviviis usu, de mortuos coronandi more, et hanc in rem Sophoclis et Sapphus testimoniis; cur coronæ Christianis prohibitæ, et de floribus.

Invaluerat in paganorum conviviis aliud vitium, vel potius, ut Clementis nostri verbis loquamur, « Usus coronarum ad comessationem, et in vino C proterviam comparatus effluxit [14]. » Coronas autem illas, ex floribus contextas, priscis hominibus incognitas fuisse ibidem Clemens docet, et primam coronarum omnium originem sic explicat : « Cæterum nec apud antiquos quidem Græcos fuit ullus adhuc coronarum usus. Neque enim proci, nec qui luxuriosam vitam agebant Phæaces, eis usi sunt. In certaminibus autem primo fuit donum athletarum, secundo autem plausus et excitatio, tertio foliorum conjectio, ultimo autem fuit corona, cum Græciæ post tempora Medica magna ad delicias facta esset accessio [15]. » Plinius paulo enodatius coronarum edisserit primordia et inventionem : « Antiquitus nulla, inquit, nisi Deo dabatur corona. Ob id Homerus cœlo tantum eas et prælio universo tribuit; viritim vero ne in certamine quidem ulli. Feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera. Postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis. Novissime et in sacris certaminibus usurpatæ, in quibus D hodieque non victori datur, sed patriam ab eo coronari pronuntiatur. Inde natum est, ut etiam triumphaturis conferrentur, in templis dicandæ; mox ut et ludis darentur. Longum est nec instituti operis disserere quisnam Romanorum primus acceperit, neque enim alias noverant quam bellicas [16]. » Draco tamen Corcyræus apud Athenæum testatur Janum, ut fama erat, fuisse coronarum repertorem [17]. Sed de his plura legi poterunt apud Suidam A ad verbum Περιαγειρόμενοι, Isidorum lib. XIX *Origin.* cap. 30; Polydorum Vergilium lib. II *De inventor. rer.*, cap. 17; Stukium lib. *Antiquit. conviv.* cap. 16, et Plinium lib. XV *Hist. nat.*, c. 1, p. 225.

De convivarum autem coronis audi, si lubet, Valerium Maximum de civitate Spartana sic loquentem : « Audierunt inde lautitiam et immodicos sumptus et omnia non necessariæ voluptatis genera fluxisse, primosque lonas unguenti coronarumque in convivio dandarum, et secundæ mensæ ponendæ consuetudinem haud parva luxuriæ irritamenta reperisse [18]. » Frequens porro apud antiquissimos scriptores de illo coronarum usu sermo. Nam præter citatos ab Athenæo Phylenidem, Apollodorum, Ælium, Asclepiadem [19], et a Plinio Menesitheum, Callimachum 91 et Theophrastem [20], quorum aliqui libros de coronis ediderant, hæc de illis habet Tertullianus : « Plura quærentibus omnia exhibebit Claudius Saturninus. Nam est illius de coronis liber, et origines, et causas, et species, et solemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem non alicujus capiti invenies consecratum [21]. » Quia tamen horum antiquissimorum auctorum scripta jam a longo tempore perierunt, si ex iis, quæ etiamnum exstant, aliqua velis consulere, præter jam a nobis paulo ante laudatos scriptores adi Athenæum l. XV, c. 5 et seqq., *Deipnosoph.*, p. 673 et seqq., et in eum Casauboni animadversiones lib. XV, c. 5 et seqq.; Jacobum Philippum Thomassinum, lib. *De tesseris hospitalitatis*, cap. 18, atque Stanislaum Cobierzyckium, qui plura non solum de iis, sed de summo etiam conviviorum luxu disputat lib. II *De luxu Roman.*, cap. 10 et seq.

Nec vivos tantum, sed etiam deos seu homines mortuos pagani coronabant : « Mortuos quoque, inquit Clemens, coronant, quo nomine reipsa suo testimonio idola mortua esse asserunt. Qui enim bacchantur, nec absque coronis orgia sua celebrant; postquam autem flores circumposuerint, postremo mirandum in modum incenduntur [22]. » Ethnicos itaque arguit Clemens, quod impia vanaque superstitione ipsi mortua deorum suorum simulacra atque exsecranda idola coronarent. Quam vera autem esset hæc Clementis accusatio, disces ex his Plinii verbis : « Et jam tunc coronæ deorum honos erant, et larium publicorum privatorumque, ac sepulcrorum et manium [23]. » Quem in locum videndæ Harduini observationes. Quo circa Tertullianus non minori severitate, quam Clemens noster, hunc pravum morem reprehendit et exagitat : « Quid tam indignum Deo, quam quod idolo? Quid tam dignum idolo, quam quod et mortuo? Nam et mortuorum est ita coronari [24]. » Minutius quoque Felix : « Nec mortuos, ait, coronamus. Ego vos in hoc magis miror quemadmodum tribuatis aut sentienti facem, et non sentienti coronam, cum et beatus non egeat, et miser non gaudeat floribus [25]. »

Omnem igitur coronarum usum ea de causa Clemens vetitum esse ostendit, « quod, » ut ipse loquitur, « corona sit dedicata simulacris [26]. » Illud autem cum Sophoclis tum Sapphus auctoritate probat : « Sophocles certe narcissum antiquam magnorum deorum coronam appellavit, id dicens de terrestribus : Sappho autem coronat musas rosa :

Non es rosarum Pieriarum particeps [27] : »

[10] Laert. l. VIII De vitis et dogm. philos. c. 1, in vita Pythag. [11] Pæd. l. II, c. 1, p. 148. [12] Casaub., l. III Animad. in Athen., c. 20, p. 197. [13] Stobæ., serm. 17 De incontin.; Basil., homil., et Ambr. l. De Elia et jejun., c. 10 et seq. [14] Pæd. lib. II, c. 8, p. 179. [15] ibid. p. 181. [16] Plin., lib. XVI Hist. nat., c. 4, p. 227. [17] Athen., lib. XV Deipnos., p. 692. [18] Valer. Max., lib. II, c. 6, § 1. [19] Athen., lib. XV, Deipnos., p. 675 et 676. [20] Plin., lib. XXI Hist. nat., c. 30. [21] Tertul. lib. De coron. mil. c. 7. [22] Pæd., lib. II, c. 8, p. 181. [23] Plin., lib. XXI, Hist nat., cap. 3, p. 108. [24] Tertul., lib. De coron. milit., c. 10. [25] Minut. in Octav., p. 43. [26] ibid. p. 181. [27] ibid.

Digitized by Google

Quamvis autem Hervetus Clementi nostro, hæc ita citanti, fidem derogare non videatur, monet tamen se allata ab eo utriusque scriptoris, quorum non amplius exstant libri, testimonia non invenisse. Verum si hæc in deperditis eorum scriptis reperire non potuit, certe illa ipsa apud alios antiquos scriptores inventu difficilia non erant. Citatum enimvero a Clemente non modo Sapphus, sed prævium etiam Sophoclis testimonium sic Plutarchus refert: « Sane musis consecratam fuisse roseam coronam memini me legere in Sapphonis versibus, quibus indoctam quamdam mulierem ita alloquitur :

Te simul letum rapiet, jacebis,
Nec suo quisquam celebrabit ore;
Particeps non es quoniam rosarum Pieriarum[28]. »

Et hæc quidem in quibusdam Clementinorum operum scholiis adnotata sunt. Mirum itaque, cur a nullo alio similiter observatum fuerit aliud Sophoclis testimonium ab eodem Plutarcho iis verbis ibidem proferri : « Dixerunt et narcissum, quia torporem, qui *narce* Græcis est, nervis incutiat, gravedinemque torpidam. Unde et Sophocles eum veterem magnorum deorum coronam appellat, nimirum manium[29]. » De Sapphus porro ætate, ut id obiter dicamus, hæc Eusebius in *Chronico* ad annum 1414 tradidit : « Sappho et Alcæus poetæ clari habentur. » Quem in locum videsis Scaligeri animadversiones.

Denique Tertullianus eadem severitate, qua Clemens, coronarum usum Christianis interdixit : « Cæterum in capite quis sapor floris? qui coronæ sensus? nisi vinculi tantum, quo neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam est florem capite sectari, quam sonum nare[30]. » Cur vero Christiani ejusmodi coronas penitus rejicerent et aspernarentur, ita Minutius Felix edisseruit : « Sane quod caput non coronamus, ignoscite. Auram boni floris naribus ducere, non occipitio capillisque solemus[31]. »

Unam tamen iisdem Christianis coronam Clemens lubenter concedit : « Pulchra, inquit, amaranti corona ei est reposita, qui se recte gesserit. Hunc florem terra ferre non potest, cœlum solummodo eum potest producere[32]. » His Clemens verbis ad amarantum allegorice alludit, quippe qui, ut Plinius ait, « postquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reviviscit, et hibernas coronas facit. Summa ejus natura in nomine est, appellato, quoniam non marcescat[33]. » Sensus itaque auctoris nostri est eos, qui se recte in hac vita gesserint, coronam amaranti, id est, nulli unquam corruptioni obnoxiam in cœlo reportaturos. Quo etiam sensu ab apostolorum principe dictum legimus : « Percipietis immarcessibilem, ἀμαράντινον, gloriæ coronam[34]. » Quæ porro de floribus tradidit Clemens, illustrari ea possunt a Plutarcho lib. III *Sympos.*, cap. 1 et 2; Plinio lib. XXI *Histor. natur.*, cap. 18 et seq., lib. XVI, cap. 34; Mathiolo in Dioscoridem lib. I, cap. 102, lib. II, cap. 175, lib. IV, cap. 117 et 155.

ARTICULUS VII.

De unguentorum abusu, et variis illorum generibus, ubi de bacchari, et metallio, de pulsis ex urbibus unguentariis, et lanarum infectoribus, quomodo unguento et allio utendum, ac de puerorum recens natorum expositione, et de lege Scantinia.

Non solum autem pene incredibili florum desiderio pagani tenebantur; sed tanta tamque insatiabili unguentorum cupiditate in primis mulieres flagrabant, ut nova in dies excogitarent, nec infinita eorum varietate possent expleri. Quamobrem Clemens noster : « Horum, inquit, unguentorum sunt infinitæ differentiæ, brinthium, metallium, et regium, plangonium et psagdæ Ægyptiæ,... baccharis, Cyprium, nardus[35], » etc. Disputat de his unguentis, præter Plinium lib. XIII *Natur. histor.*, cap. 1, Dioscoridem et Mathiolum, aliosque, Athenæus lib. XV *Deipnosoph.*, p. 688, 689, 690, prius vero l. XII, p. 553, ubi de bacchari hunc exhibet Cephisodori versum :

Seorsum autem pedibus mercator baccharim.

92 Plinius autem monitos nos facit baccharim a quibusdam « nardum rusticum » appellari[36].

At quod in Græco Clementis textu μετάλλιον legitur, et manuscripti nostri Græci a metallo dictum observant, ἀπό τινος μετάλλου οὕτω καλουμένου, hoc nonnulli amanuensium incuria depravatum, tamque in editis quam in manuscriptis codicibus μεγάλιον et μεγαλίου reponendum existimant. Conjecturam vero suam confirmare conantur hac Plinii auctoritate : « Postea multo post tempore successit propter gloriam appellatum megalium ex oleo balaximo, balsamo, calamo, junco, xylobalsamo, casia, resina[37]. » Sed Athenæus hujus unguenti nomenclationem, teste Sosibio, ab Megalo quodam, quem alii Siculum, alii Atheniensem fuisse tradiderunt, ortam esse sic testificatur : « Sosibius in *Similitudinibus* refert megaleium nuncupatum a Megalo Siculo; Atheniensem eum fuisse quidam dicunt[38]. » Huic sententiæ Julius Pollux, Suidasque et alii sponte subscripserunt[39]. Verumtamen Hesychius atque etiam Helladius in Photii *Bibliotheca*, ubi nonnullas unguentorum species recenset, ad Clementini textus, Græcorumque illius codicum manuscriptorum lectionem, propius accedit : Μεταλεῖον ὅπερ εὗρε Μέταλος Συρακούσιος, « Metalium quod Metalus Syracusius reperit[40]. » Quia tamen non eodem prorsus modo hæc vox ab illis, atque a Clemente nostro scripta occurrit, inde haud absurde colligas illos aliosque a nobis hactenus laudatos scriptores de uno eodemque unguento locutos esse.

Inexplebilis porro illa unguentorum cupiditas eo usque paganos invaserat, ut teste ipsomet Clemente nostro, unguentarii, quibus pleræque civitates oppletæ erant, ab illis tantum, « quæ bonis legibus et institutis reguntur, » pulsi ejectique fuerint; « atque adeo ipsi etiam floridarum lanarum infectores[41]. » Hunc autem in locum scribit Hervetus bene se illius meminisse, quod apud Plinium legitur P. Licinium Crassum et Julium Cæsarem censores anno Urbis DLXV edixisse « ne quis venderet unguenta exotica, » sed ipsius ex memoria sua penitus effluxisse quænam civitates unguenta, unguentorumque artifices et floridarum lanarum infectores expulerint. Itane vero tam facile oblitus illius fuerat, si tamen ab ipso lectum aliquando sit, quod apud Athenæum hisce verbis scriptum habetur : « Lacedæmonii unguentarios Sparta ejecerunt, quod oleum corrumpant; et lanarum infectores, quod candorem lanæ oblitterent. Solon sapiens legibus suis vetuit viros unguenta vendere[42]? » Quapropter Clemens noster in alio opere hæc litteris consignavit : « Unguentum et purpuram veteres Lacedæmonii repudiant, dolosas quidem vestes, et dolosas unctiones recte reputantes

[28] Plutarch., lib. II Sympos., p. 646. [29] ibid. p. 647. [30] Tertul., lib De coron. milit., c. 5. [31] Minut. in Octav., p. 43. [32] Pæd. lib. II, c 8, p. 182. [33] Plin., lib. XXI Nat. hist., c. 8, p. 123. [34] I Petr. v, 4. [35] Pæd. lib. II, c. 8, p. 177. [36] Plin. lib. XII Hist. nat., c. 12, p. 19, et lib. XXI, c. 16, p. 115. [37] Plin. lib. XIII Hist. nat., c. 1, p. 53. [38] Athen. lib. XV Deipnos., p. 690. [39] Poll. lib. VI Onom., c. 19, p. 296, Suidas ad vocem Μεγαλεῖον. [40] Phot. Biblioth. cod. 279, p. 1586. [41] Pædag. lib. II, c. 8, p. 177. [42] Athen., c. 15, p. 686.

Digitized by Google

et nominantes [43]. » His porro, si lubet, adjiciamus Lysiæ oratoris verba, quibus Æschinem Socraticum, arti unguentariæ sese tradere volentem, sic insectatur : « Pulchrum scilicet beatæ vitæ finem, et philosopho dignum is constituit artem unguentariam, Socratis philosophiæ convenientem, qui usum unguentorum vituperavit, cum et legislator Solon artem illam exercere viros omnes vetuerit [44]. »

Cæterum non omnibus omnino unguentis Clemens vult Christianis esse interdictum : « Sed unguento, inquit, tanquam medicamento et auxilio utendum est, ad vires languentes excitandas, et ad catarrhos, et ad refrigerationes, et ad fastidium [45]. » Eamdem plane ob causam de allio alicubi dixit Ambrosius : « Allium sumatur pro medicamento, non pro cibo ; sumatur ab ægrotantibus, non ab epulantibus [46]. » Scilicet hæc prima generalisque Clementis aliorumque sanctorum Patrum lex fuit, ut legitimo rerum tantummodo necessariarum usu Christianis concesso, eos ab omni prorsus voluptatis sensu et illecebra arcerent.

Quantum vero ab hac veræ religionis norma abessent pagani, perspicue Clemens ostendit [47], ubi data occasione, in summam sui temporis luxuriam, qua illi in omne etiam effrenatissimæ libidinis genus legum suarum permissu impune sese volutabant, acerrime invehitur. Ibi autem, atque iterum alio in loco crudelissimum illorum morem exagitat [48], quo pueros suos domi natos exponebant, cum vilia mancipia, et thersitas, id est, summæ deformitatis homines, atque psittacos, simias, aliaque non sine magno sumptu alerent animalia [49]. Tam horrendæ penitusque inhumanæ crudelitatis facinus iisdem paganis alii quoque Patres sæpius exprobrarunt. Justinus quippe martyr sanctissimus : « Nos, inquit, pueros etiam recens natos exponere improborum dicimus esse hominum [50]. » Tertullianus vero : « In primis filios exponitis, suscipiendos ab aliqua prætereunte misericordia [51]. » Minutius quoque Felix : « Merito igitur incestum penes vos sæpe deprehenditur..... dum etiam domi natos alienæ misericordiæ frequenter exponitis [52]. » Lactantius similiter : « Qui natos ex se pueros aut strangulant, aut si nimium pii fuerint, exponunt [53]. » Et alio in libro : « Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, et quantum in ipsis est, crudelius necant quam si strangulassent..... Tam igitur nefarium est exponere quam necare. » Adi præterea Justum Lipsium t. II, centur. 1, epist. 85, ad Dionys. Usserium, et Godefridi observationes in cod. Theodos., tom. I, lege 1 et 2, De expositis, pag. 445 et seq.

Quo autem modo, et quibus notis pueri exponerentur, manifestum faciunt variorum animadversiones in illud Terentii carmen :

Abi tu, cistellam Pythias domo effer cum mundi [54].

Longe his æquiores erant antiqui legislatores Romani, de quibus Clemens noster : « Admiror veteres Romanorum legislatores; ii muliebre et effeminatum vitæ studium odio habuerunt, et corporis cum femina consuetudinem præter naturæ legem terræ infodi ex lege justitiæ æquum existimarunt [55]. » Lex autem illa, quam Hervetus nullibi se legisse declarat, a quibusdam Scantinia esse putatur. Qua quidem de lege disputat Antonius Augustinus ab uno aliquo Clementis nostri scholiaste laudatus, et præterea Prudentius, qui de illa quoque sic cecinit :

Sed credo magni limen amplector Jovis.
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Juliæ,
Luet severam victus et Scantiniam,
Te cognitore, dignus ire in carcerem [56].

Prius vero Juvenalis :

Quod si vexentur leges ac jura, citari
Ante omnes debet Scantinia [57].....

Eo autem nomine nonnulli legem a Scantinio ejus auctore appellatam volunt; alii a C. Scantinio Capitolino, qui cum stuprum filio Marcelli inferre tentasset, **93** ea damnatus est. Narrant autem Plutarchus et Valerius Maximus quomodo Scantinius ille, etsi tribunus plebis, uno tantum illo juvene teste ac solo verecundo ipsius silentio scelus prodente accusatus, ab omnibus merito condemnatus fuerit [58].

Contra vero, inquiet aliquis, quomodo hæc a Clemente nostro lex citari potuit, quæ nullam penitus capitis, a lege Julia in adulteros postmodum decretam, sed modicæ tantummodo pecuniæ, ut quidam aiunt, pœnam indixerat? At huic responderi potest hanc legem in illud crimen revera latam fuisse, quod a Clemente notari videtur. Deinde vero Juvenalis et Prudentius, a nobis jam citati, non obscure innuunt hac Scantinia lege multo graviorem quam paucæ cujusdam tenuisque pecuniæ multam irrogari. Videsis præter jam laudatum Ant. Augustinum lib. *De legibus*, Paulum Manutium *De legibus Rom.*, cap. 29.

CAPUT XIII.

De rebus physicis et naturalibus.

ARTICULUS I.

Quomodo lac fiat, et in mammis formetur, de lactis adipe, scilicet butyro, in lucernæ usum.

Etsi Clemens libros *Pædagogi* ad informandos Christianorum mores et tradenda vitæ Christianæ præcepta ediderit, plura tamen intermiscet ad res physicas et naturales spectantia, quæ cum explicatione aliqua aut confirmatione multis indigere videantur, a nobis omitti non debent. Primo itaque lac juxta illius sententiam est ipsemet sanguis, ex rubro colore in album conversus. Quomodo autem fiat hæc immutatio, sic ille exponit [59]: Sanguis, inquit, matre prægnante, ad nutriendum ejus fetum per umbilicum transmittitur. Sed post partum continuo ejusdem sanguinis obstruitur meatus; quo fit ut sanguis, clauso aditu, refluat, et in mamillarum cavernis transfusus, ac undæ instar a spiritu

[43] lib. I Strom., p. 594. [44] Athen. lib. XIII Deipnos., p. 611 et seq. [45] Pædag. lib. II, c. 8, p. 179. [46] Ambros. Hexaem., lib. VI, c. 4, § 28. [47] Pædag. lib. III, c. 3, p. 226. [48] ibid. c. 4, p. 251. [49] Videsis Casaub. in Suet., p. 166. [50] Justin. Apolog. 1, c. 9. [51] Tertul. Apolog., c. 9. [52] Minut. in Octav. [53] Lactant. lib. V De instit., c. 8, p. 484. [54] Terent. Eunuch., act. IV, scen. VI. [55] Pædag. lib. III, c. 3, p. 227. [56] Prudent. Περὶ στεφάνων, carm. de Rom. suppl. [57] Juven. satyr. II, v. 43. [58] Plutarch. in vita Marcelli, p. 29; Valer. Maxim. lib. VI De pudicitia, c. 1, p. 6. [59] Pædag. lib. I, c. p. 100 et 101.

Digitized by Google

ex vicinis arteriis emisso agitatus, album mutetur in colorem. Pluribus autem id probat exemplis. In ulceribus enim sanguis in pus album convertitur. Mare autem, vento et fluctibus agitatum, exspuit salis asperginem. Fluvii quoque, qui magno impetu feruntur, interceptione aeris verberati, spumam exprimunt. Denique quod in ore nostro est humidum, spiritu albescit.

Hæc porro de eo modo, quo lac effici dicitur, Clementis opinio etiamsi recentioribus medicis non probetur, illam tamen ex antiquis et celeberrimis ab ipso revera acceptam fuisse extra dubium omnibus esse debet. Quid enimvero his Galieni verbis clarius et expressius : « Sanguine quidem, dum adhuc in utero gestamur, ali nos constat; ex sanguine vero lac gignitur, exiguam in mamillis mutationem adepto[60] ? » Fusius autem Avicenna : « Mamilla est corpus compositum ex venis et arteriis et nervis, inter quæ exsistit vacuitas, quam caro replet glandosa, cui non est sensus, albi coloris, et propter suam albedinem, quando assimilatur ei sanguis, albificatur illud quod nutrit ipsam, et albificatur illud quod superfluit ex ea, et fit lac. Et ejus quidem comparatio ad lac generatum ex sanguine est comparatio hepatis ad sanguinem generatum ex chylo, in hoc quod unumquodque convertit humiditatem ad similitudinem suam in natura et colore. Nam hepar rubificat chylum album, et facit eum sanguinem; et mamilla albificat sanguinem rubeum, et facit ipsum lac[61]. » Plures alii, si quid opus esset, hujusce opinionis patroni et fautores possent a nobis citari; sed quorum testimonia protulimus, ad confirmandam explicandamque Clementis nostri sententiam sufficere credidimus.

Quapropter ille rationem inde sumi posse putat, cur nutrices hieme maxime, ætate vero minime lacte abundent[62]. Hiemis quippe tempore calor intus inclusus, alimento melius concocto et confecto, non præbet exitum, atque idcirco venæ tunc sanguine implentur. Quo autem major est sanguinis copia, magis lac, quod nihil est aliud, uti ille dixerat, quam sanguis ex rubro in album colorem mutatus, debet abundare.

Scimus quidem aliter visum hujus nostræ ætatis medicis, qui putant muliebrem chylum, ab arteria subclavia ad mammariam, et ab hac per ductus suos ad glandulas, ut ubi perficiatur, delatum, fieri lac, quod in lactantibus ipsummet infantis nutrimentum revera efficitur. Sed hæc nova recentiorum medicorum sententia aut parum, aut nihil ad nostrum spectat Clementem, qui se ex constanti et communi sui temporis scriptorum opinione illud, quod probandum susceperat, satis superque demonstravisse haud immerito arbitratus est.

Minus itaque usitatum ac fortassis plane singulare id multis videbitur, quod ille paulo post adjecit : « Nunc quoque nutrices id lactis, quod primum ad potum effunditur, eodem quo illud nomine manna appellaverunt, μάννα κεκλήκασι[63]. » Nomen enim « manna, » matrem aliquando significavisse Cangius observat[64] : sed a quibus ea, quam Clemens tradit, significatione usurpatum fuerit, paucos sane ac vix fortasse ullos reperias.

Porro Clemens scribit lactis adipem esse butyrum, quo multi sua ætate ad lucernam utebantur : « Multi adipe lactis, quod butyrum vocant, utuntur ad lucernam[65]. » Unde liquet, in ea, ubi Clemens hæc scribebat, regione maximam fuisse butyri abundantiam.

ARTICULUS II.

De auro quod formicæ effodiunt et gryphes custodiunt, de Pactoli fluentis aureis, et Lydio ramento, quanta profusione et luxu pagani eo abuterentur, ac mastichen roderent, et cur metoposcopi dicerentur.

Aurum in terræ venis esse reconditum pro certo Clemens ponit : sed id continenter addidit : Διὰ τοῦτό τοι μύρμηκες χρυσωρυχοῦσι, καὶ γρύπες χρυσωφυλακοῦσι· « Et ideo aurum formicæ fodiunt, aurum gryphes custodiunt[66]. » At quo, inquies, ex auctore id Clemens accepit, aut quis pro eo testis produci potest? Quidam certe nec tibi ignoti nec prorsus incertæ fidei dari possunt, qui quidem et quales sint illæ formicæ, et quibus in regionibus aurum effodiant, memoriæ prodiderunt. Primus siquidem testem tibi citabimus Strabonem, qui de illis sic scribit[67] : « Formicarum aurum effodientium pelles (Nearchus) vidisse ait, pardalis pelli persimiles. Megasthenes de formicis ait apud Derdas, quæ magna gens est Indorum montanorum, ad orientem expositorum, planitiem quamdam montanam esse ter mille stadiorum ambitu, et sub ea auri fodinas, quas formicæ effodiant, vulpibus magnitudine non minores, mira celeritate, victum ex venatione comparantes. Fodere autem terram per hiemem et ad ostium accumulare, quemadmodum solent talpæ. Hujus auri ramenta, id enim sunt, parva decoctione egent. Vicini jumentis ea clam rapiunt, aperte enim non possunt, prohibentibus formicis, quæ et pugnant, et fugientes insectantur, quos cum deprehenderint, una cum jumentis interimunt. Ut ergo illos lateant, ferinas carnes per loca plurima disponunt. Itaque ad prædam dissipatis formicis, auri ramenta ipsi asportant, et fusionis ignari, cuicunque mercatori rudia divendunt. »

Eadem, sed aliis verbis, narrat Plinius : « Indicæ formicæ aurum ex cavernis egerunt terræ in regione septentrionalium Indorum, qui Dardæ vocantur. Ipsis color felium, magnitudo Ægypti luporum. Erutum hoc ab eis tempore hiberno Indi furantur æstivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis; quæ tamen odore sollicitatæ pervolant, crebroque lacerant, quamvis prævelocibus camelis fugientes[68]. » Quod quidem ille deliberavit ex Herodoto, qui hæc fusius prosequitur[69]. Hunc, si lubet, sicut et Solinum ac Melam, atque alios adire poteris citatos ab Aldrovando, qui utrum illud verum sit fuse disputat[70].

Difficilior autem de gryphibus potest esse quæstio. Qui enim aurum ab iis custodiri tradunt, hi vel solo Aristæi Proconnesii poetæ testimonio nituntur, vel id dubium et plane incertum existimant. Audi, quæso, Herodotum : « Ad septentrionem Europæ, inquit, quamplurimum auri vim esse constat. Sed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur tamen id a gryphibus auferre Arimaspi viri unoculi; quod nec ipsum crediderim, ut viri nascantur unoculi, cæteram naturam habentes aliis hominibus parem[71]. » Et postea libro sequenti : « Aristæus quidam Proconnesius versificator, Castrobii filius, memoravit se Phœbo instinctum venisse ad Issædonas, et supra hos incolere Arimaspos viros unoculos, et item supra hos esse gryphas, γρύπας, qui aurum asservent[72]. »

Pausanias vero paulo explicatius : « Gryphes, inquit, cum Arimaspis, qui supra Issædones sunt, auri causa assidue bellare Aristæas Proconnesius carminibus testatus est; et aurum quidem quod

[60] Galen. lib. I De tuend. sanit., c. 7. [61] Avicen. lib. III Fen., c. 1. [62] Pædag. lib. I, c. 6, p. 101. [63] ibid. p. 102. [64] Cang. in Gloss. Græc. [65] Pædag. lib. I, c. 6, p. 107. [66] Pædag. lib. II, c. 12, p. 207. [67] Strab., lib. XV Geogr., p. 705 et 706. [68] Plin., lib. II Nat. hist., c. 13, p. 130. [69] Herod. lib. III, § 102 et seq. [70] Aldrovand., lib. V De insectis, cap. 1, p. 515 et seq. [71] Herodot., ibid, § 116. [72] idem, lib. IV, § 13.

Digitized by Google

custodiunt gryphes, e terra nasci, Arimaspos ipsos unicum habere oculum, et gryphes belluas leonibus similes, rostrum et pennas habere aquilinas [73]. »

At Plinius, tametsi in aliis satis credulus, gryphes tamen, seu, ut Græce scribitur, γρύπας, fabulosos esse arbitrabatur : « Pegasos equino capite volucres, et gryphas aurita aduncitate rostri fabulosos reor; illos in Scythia, hos in Æthiopia [74]. »

Verumtamen Philostratis opinio fuit gryphes veras esse aves in India commorantes, sacras soli, et aurum effodere solitas. Imo vero earum formam figuramque accurate depingit. « Attamen, inquit, quod gryphes, γρύπες, effodere dicuntur, petræ sunt aureis guttis minutissimis conspersæ, quas hæc fera rostro discindit [75]. »

Utrum ergo hoc avium genus exstiterit, fuit olim estque adhuc inter eruditos controversia, ad quam dirimendam plura congerit Aldrovandus, quæ nos diutius retinere non debent [76]. Quæ enim hactenus retulimus, satis abunde probant quo jure, quave injuria Clemens noster aurum effodi a formicis et a gryphibus custoditi dixerit.

Non omne tamen aurum putabat in terræ venis recondi. Nam Pactoli dicit esse « fluenta aurea [77]. » Sciunt autem omnes Pactolum esse Lydiæ fluvium, ex monte Tmolo nascentem, qui per Sardianum agrum in Hermum influens, arenulas aureas secum vehit, atque idcirco Chrysorrhous vocatur. Hinc porro facile intelligas cur alibi Clemens propter eumdem Pactolum, Lydiæ fluvium, Λυδίου ψήγματος, « Lydii ramenti, » nomine aurum appellaverit [78].

At, inquies, nonne Clemens id ad aniles fabulas alio in libro his verbis rejicit, et procul amandat : Οὐδὲ εἰ τὸν Πάκτωλόν τις ὅλον, τοῦ χρυσίου τὸ ῥεῦμα τὸ μυθικὸν, ἀπομετρήσειε [79]? Quod Hervetus ita Latine reddidit : « Ne si Pactolum quidem, qui totus aureo, ut est in fabulis, fluit fluento, quis dederit; » cum potius dicere debuisset : « Neque Pactolum totum, qui fabulosus fluvius aureus est, si quis remetiatur. » Sed de Pactolo ita procul dubio Clemens loquitur, quia plurima præsertim a poetis de modo quo arenas aureas volvere cœpit, ac deinceps eas secum traxit, gratis ficta certatimque ab eis decantata passim occurrunt. Sed hoc non impedit quominus auri ramenta, ut testis est Herodotus [80], secum detulerit. Strabo tamen ea olim, nec amplius suo tempore, volvisse bis verbis significat : « E Tmolo Pactolus defluit, qui antiquitus ramenta auri secum deferebat copiose, unde Crœsi et ejus majorum divitias nomen celebre habuisse tradunt; nunc defecerunt ramenta [81]. » Videsis præterea Plutarchum *De fluviis*, pag. 1151 et seq., Plin. et alios.

Quam immoderato autem luxu nimiaque profusione in vestibus, domibus, balneis, vasis, ornamentis, totaque supellectile pagani auro abuterentur, nec semel Clemens noster, nec sine objurgatione memorat. Sed utinam hæc paganorum tantum, et non Christianorum vitia essent! At illud Herveto singulare videtur, quod ibidem ipse Clemens adjecit : « Quemadmodum dicunt apud barbaros, scelestos et maleficos homines auro vinciri [82]. » Sibi enim ille penitus incompertum esse fatetur unde auctor noster id acceperit. Sed hæc publica illius confessio nobis, nisi jam longo usu ejuscemodi declarationi assuefactis, non minimam moveret admirationem. Nam Tertullianus ubi de feminarum cultu disputat, idem semel et iterum repetit : « Apud barbaros quosdam, inquit, quia vernaculum est aurum et copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, et divitiis mulos onerant, tanto locupletiores, quanto nocentiores [83]. » Rursum vero : « Aurum ipsum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula servire ferunt gentium litteræ [84]. » Quæ autem ea gens, quæve gentilium litteræ a Tertulliano designentur, si quæras, ex his Plutarchi disces verbis : « Præstat aureis compedibus ligatum manere, quod fit in Æthiopia, quam divitiis uxoriis [85]. » Ibi habes et gentem, apud quam rei vinculis aureis colligabantur, et gentilem auctorem, qui id memoriæ commendavit. Sed si Plutarchi testimonium Herveto vel aliis non sufficiat, alterum eis dabimus testem Dionem Chrysostomum, qui in eumdem modum scribit : « Si vero prodesset possidere aurum, nihil prohibuisset Æthiopas, supra nos habitantes, beatissimos videri, ubi aurum abjectius est quam apud nos plumbum; feruntque sceleratos crassis vinciri compedibus; nihil tamen minus sunt vincti atque pravi et iniqui [86]. »

Paganos homines alibi arguit Clemens, qui mulierbri plane luxu et mollitie effeminati mastichen rodebant : μαστίχην τρώγοντες, « mastichen rodentes [87]. » Quod quidem et mulieribus postea vitio vertit μαστίχην 95 εὐτρωγοῦσαι, « mastichen devorantes [88]. » Quid autem, quotuplex, et quibus in regionibus mastiche nasceretur, qui scire voluerit, adeat Plinium lib. XII *Natur. hist.*, cap. 17, pag. 29, et Mathiol. in lib. I Diosc., cap. 75.

At obiter observa quam lepide Clemens ejuscemodi delicatos et molles viros irrideat : « Quid de iis dixerit quispiam, qui tanquam metoposcopus, μετωποσκόπος, ex figura divinat [89]; » hoc est, qui ex frontis inspectione naturam et ingenium divinat hominis. Unde Plinius : « Apelles imaginem adeo similitudinis indiscretæ pinxit, ut, incredibile dictu, Apion grammaticus scriptum reliquerit quemdam ex facie hominis addivinantem, quos metoposcopos vocant ex iis dixisse aut futuræ mortis annos aut præteritæ [90]. »

Denique Clemens belluones illosque homines voluptarios cum Acephalo haud illepide componit : « Mihi videtur is, qui a mathematicis dicitur Acephalus, Ἀκέφαλος, qui ante stellam errantem enumeratur, capite in pectus compresso, significare belluones homines, et voluptarios, et ad ebrietatem propensos [91]. » Herveto cum nihil plane de hoc Acephalo succurreret, Monantolium doctorem medicum et regium Parisiis mathematices professorem consuluit. Is autem ei respondit Acephali nomen mathematicis esse quidem incognitum, sed ex Clementina descriptione colligi posse errantem stellam ipsummet esse solem, Acephalum vero eam in cœlo imaginem quæ Taurus dicitur.

ARTICULUS III.

De quibusdam animalibus a Clemente memoratis, de hyæna sexum mutante, de lepore et dasipode, de merula et luscinia vocem et colorem mutantibus, de lusciniis humano more loquentibus, de pavone Medo, psittacis, charadriis, phasianis et attagenis.

Quæ ab auctore nostro de quibusdam animalibus

[73] Pausan., lib. I, p. 22. [74] Plin., lib. X Hist. nat., c. 49, p. 441. [75] Philostrat., lib. III De vita Apollonii, c. 14, p. 152. [76] Aldrov. l. X Ornithol., c. 1, p. 602 et seqq. [77] Pædag. lib. III, c. 2 p. 219. [78] ibid., c. 11, p. 245. [79] Admon. ad Græc. p. 55. [80] Herod. lib. V, § 101. [81] Strab., lib. XIII Geog., p. 625 et seq. [82] Pæd., lib. II, c. 12, p. 209. [83] Tertul., lib. De cult. fem., c. 6. [84] ibid., lib. II, c. 10. [85] Plutarch., l. ἐρωτικός, p. 752. [86] Dio Chrysost., orat. 79, περὶ πλούτου, p. 664. [87] Pædag., lib. III, c. 3, p. 222. [88] ibid. c. 11, p. 251. [89] ibid. c. 3, p. 422. [90] Plin., lib. XXXV Nat. hist., c. 10, § 14, p 210. [91] Pæd., lib. II, c. 2, p. 159.

Digitized by Google

narrantur, ea jam a nobis more solito examinanda sunt. Observat autem quorumdam fuisse opinionem, « hyænam vicissim singulis annis masculinum sexum mutare in femininum [92]. » Sed ille post Diodorum Siculum, a Photio citatum [93], id penitus falsum esse contendit, hac nimirum ductus ratione : « Nunquam naturæ vis potest afferri, ut mutetur. Quod autem semel in ipsa effectum est, nefas est affectione in contrarium refingi; affectio enim non est natura [94]. » A quibus autem hæc vel illa opinio asserta et propugnata fuerit, fuse docet Bochartus, et post eum Cotelerius, quos curiosus quilibet homo adire poterit et consulere [95].

At hic porro opinatus est Clementem nostrum ibi ad Barnabæ respexisse epistolam; et quia ejus sententiæ subscribere non poterat, ob summam viri apostolici reverentiam, illius pepercisse nomini. Nec ab omni prorsus verisimilitudine hæc conjectura abhorret. Quid enim vetat quominus ille ad eam collineaverit epistolam, quam ab ipso sæpius lectam, pluraque illius fragmenta in suis *Stromatum* libris descripta fuisse certissimum est? Attamen cum ipse auctor noster ibi Aristotelis sententiam κατὰ πόδας sequi videatur, ad hunc potius, quam ad Barnabam, vel, si velis, ad utrumque respexisse haud ægre forsitan persuasum nonnulli habebunt [96].

Quæ vero ad suam opinionem stabiliendam ab eodem Clemente profertur ratio, hanc Hervetus, si ad litteram accipiatur, veram omnino esse non censet. Falsa quippe et gratis ficta esse non putat, quæ a Plinio de feminis in mares mutatis memoriæ prodita sunt. Variis siquidem hujuscemodi immutationis exemplis ab illo, adde si velis, et ab Hippocrate et ab Harduino allatis [97], aliud ipse subjungit cujusdam feminæ quæ in oppido Campaniæ, quod Vitriacum dicitur, in marem mutata barbam produxit, duxitque postea uxorem.

Quapropter hunc idem Hervetus vult esse Clementis nostri sensum. Naturam quidem ipsam non mutari, sed nonnulla aliquando præter naturam fieri quæ monstra sunt et prodigia. Verum dissimulare non possumus hanc interpretationem ab auctoris nostri mente esse prorsus alienam. Plane enimvero penitusque negat fieri unquam posse ut hyæna mas in feminam convertatur. « Nequaquam ergo credendum est, inquit, hyænam unquam mutare naturam [98]. » Quod quidem ab illo non alia nisi hac generali ratione probatur : « Nunquam naturæ vis potest afferri, ut mutetur. » Neque porro exempla a Plinio atque etiam Herveto et aliis proposita, huic rationi omnino officere videntur. Nam iis quidem etsi demonstraretur ex femina factum esse marem, inde tamen confici non potest vicè versa ex mare factam esse feminam. Sine naturæ etenim immutatione ex femina mas fieri potuit, cum membrana quædam, sub qua virilitas latebat, postmodum disrupta est.

At Clemens, inquies, non putabat hyænam feminam posse quoque in marem mutari. Vocem enim Græcam ἐναλλὰξ, id est alternatim, vicissim, et vice versa addidit. Negare quidem id non possumus. Quamobrem ingenue fatendum est memorata hujusce mutationis exempla ipsi omnino incognita fuisse. Attamen non minus clarum et perspicuum est illum de ea potissimum mutatione loqui, qua, ut ipse ait, « Figura mutata, fiat mas ex femina. »

Porro autem quæ ibi Clemens de hyæna et lepore amplius tradidit, illa ex citatis a Bocharto et Cotelerio auctoribus facile explicari poterunt, nosque de iis aliquid jam attigimus [99].

Multas dehinc idem ipse auctor noster perhibet esse aves quæ, immutata natura, et vocem mutant et colorem. « Merula, inquit, ex nigra quidem flava, ex ea autem quæ suaviter canebat, obstrepera et turbulentum sonum edens fieri dicitur. Itidem etiam luscinia et colorem et vocem alternis mutare asseritur. Cæterum non mutant ipsam naturam [1]. » Videtur autem Clemens illud hausisse ex Aristotele, qui de utraque illa ave similiter disserit lib. IX *De histor. anim.* cap. 49, nec minus perspicue Plinius lib. X *Hist. nat.*, cap. 29, pag. 419 et seq., necnon et Ælian. lib. XII *De animal.*, cap. 27. De merula vero Aldrovandus lib. XVI *Ornithol.*, cap. 6. pag. 610, ac tandem de luscinia lib. XVIII *Ornithol.*, cap. 2, pag. 280.

Præterea libro sequenti Clemens non obscure significat luscinias quasdam more humano locutas. Ubi enim mulieres quæ magnos in simias aliaque animalia alenda sumptus faciebant, acriter castigat, hæc subnectit : « Cum oporteret senes alere... simiis formosiores, et loqui possunt melius luscinis [2]. » Ad magnam vero admirationem nullum sane traducere id debet. Plinius siquidem de luscinis, Græco et Latino sermone loqui edoctis sic scribit [3] : « Habebant et Cæsares juvenes sturnum, item luscinias, Græco atque Latino sermone dociles; præterea meditantes in diem et assidue nova loquentes longiore 96 etiam contextu. Docentur secreto, et ubi nulla alia vox misceatur, assidue qui crebro dicat ea quæ condita velit, ac cibis blandientes . » Extra fidem etenim illud non esse docet Aldrovandus [4], trium aliarum lusciniarum exemplo, longe magis mirabili, quod apud eum, si lubet et vacat, legere poteris.

In aliarum quoque avium nutrimentum non minus inhumanas quam inutiles quarumdam mulierum impensas ibidem Clemens arguit atque exagitat : « Quæ sunt, inquit, ex eis paulo civiliores, aves Indicas pavonesque Medicos nutriunt..... puerum autem orphanum non admittunt, quæ psittacos et charadrios, » in versione Herveti, « graculos, enutriunt [5]. » Quas superius « aves Indicas, » ὄρνεις Ἰνδικούς, posterius ψιττακούς appellat. Et recte quidem. Psittacus enimvero avis Indica dicebatur. Unde Plinius : « India, inquit, hanc avem mittit, Sittacen vocat [6]. » De illa videsis Ælianum lib. XVII *De animal.*, cap. 2; Aldrovandum lib. II *Ornithol.*, cap. 12, atque in primis Bochartum tom. II *De animal. sac. script.*, lib. II, cap. 30, pag. 342.

Quos etiam Clemens nunc ταῶνας Μηδικοὺς nuncupat [7], alibi simplicius, et sublatis duabus litteris, dicit Μῆδον ταῶνα, « Medum pavonem [8], » hoc est, natum in Media et inde asportatum. De aliis vero locis, ubi pavones aluntur, plura congerit Aldrovandus; sed de Media, nullum alium, nisi Clementem nostrum, testem protulit [9]. Addere tamen poterat Suidam qui ad verbum Μηδικός hæc habet : Μηδικὸς ὄρνις ὁ ταώς, « Medica avis pavo. » Non absurde enim possumus inde colligere magnam fuisse in Media pavonum turbam et multitudinem, quandoquidem ex ea nomen Medicæ avis sortiti sunt.

Ad hæc vero Clemens in delicatioris majorisque pretii cibis pavonem reponit. Et id quidem confirmari potest non solum ex Æliano, Varrone et Macrobio, sed etiam Athenæo, lib. XIV *Deipnosoph.*,

[92] Pæd., lib. II, c. 10, p. 188. [93] Phot. Biblioth. cod. 244, p. 2050. [94] Pæd., lib. II, c. 10, p. 188. [95] Bochart. lib. III De anim. sac. script., c. 11, p. 832. Coteler. not. in Barnab. p. 24, 25. [96] Aristotel., lib. III De generat. animal. c. 6, et lib. VI De hist. anim., c. 32. [97] Plin., l. VII Hist. nat., c. 4, p. 17; Harduin. in hunc Plinii locum. [98] loc. cit., p. 189. [99] sup., c. 3, art. 3. [1] Pæd. lib. II, c. 18, p. 188. [2] Pæd. lib. III, c. 4, p. 231. [3] Plin., Nat. hist. l. X, c. 42, 435. [4] Aldrov. lib. XVIII Ornith., c. 2, p. 782. [5] Pædag. lib. III, c. 4, p. 251. [6] Plin. lib. X Nat. hist., c. 42, p. 434. [7] loc. cit. [8] Pædag. lib. II, c. 1, p. 140. [9] Aldrov. lib. XIII Ornith., c. 1, p. 11 et 12.

Digitized by Google

pag. 654 et seq.; Plinio lib. x *Histor. natur.*, cap. 20, pag. 404 et 405; et Tertulliano lib. *De pallio*, cap. 5.

Hervetus porro vocem Græcam Clementis χαραδριοὺς, Latine «graculos,» uti diximus, interpretatus est [10]. Apud peritiores nihilominus ornithologiæ, seu de avibus, scriptores nondum constat quænam avis illa dicenda sit. Fusius hac de re disputat Aldrovandus lib. XIII *Ornithol.*, cap. 15, lib. XVII, cap. 11, et lib. XX, cap. 57, ac Bochartus tom II *De animal. sac. Script.*, lib. V, cap. 30, ubi variorum de charadrio, qui Hebraice *anapha* dicitur, refert opiniones.

A nobis modo observatum est pavonem a Clemente in delicatiorum ciborum numerum ascribi: sed huic ille « Phasidis aves, » et ἀτταγὰς Αἰγυπτίας, «attagenas Ægyptias, » annumerat [11]. Clementi suffragatur Hieronymus, qui ad Salvinam hæc in verba scribit: Procul sint a conviviis tuis « Phasidis aves, crassi turtures, attagen Ionicus [12]. » Plura de duabus illis avibus narrat Athenæus [13]; sed phasides aves, seu phasianos quis non novit? A Phasi autem Colchorum amne nomen traxerunt, ac de iis ita Martialis cecinit:

Argiva primum sum transportata carina.
Ante mihi notum nil nisi Phasis habet [14].

Testatur Plinius attagen maxime Ionium celebrari: « Attagen maxime Ionius celebratur, vocalis alias, captus vero obmutescens, quondam æstimatus inter raras aves [15]. » Inde illa Horatii carmina:

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionius,
Jucundior quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum [16].

Atque etiam Martialis, jam a nobis laudatus:

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum [17].

Ab Aulo tamen Gellio dicitur, « Phrygia attagena [18]. » Verum in illius scholiis animadvertitur Phrygiam ab Ionia non fuisse longe dissitam, atque ex illa attagenas potuisse in Ioniam deferri. Denique Julius etiam Pollux attagenarum phasianorumque facit mentionem [19].

ARTICULUS IV.

De quibusdam piscibus et conchis, aliisque delicatioribus cibis, a Clemente memoratis, de murænis, anguillis, hædis, mugilibus, Pelori conchis, Abydenis ostreis, mænidis, pectinibus, lingulacis et turdis, de bolo, betis, caricis, ac de asello.

Eodem plane, quem jam animadvertimus, pietatis ardore et studio noster Clemens paganorum in piscibus, ostreis, conchisque delicatioribus, undique et immenso sumptu perquirendis, luxum et intemperantiam insectatur: « Cum in freto, inquit, sunt Siculo, murænas anxio et sollicito animo perquirunt, et Mæandri anguillas, et qui in Melo sunt hædos, et qui in Schiato mugiles, Pelori conchas, et Abydena ostrea: nec mænidas quæ sunt in Lipara prætermittunt, nec bolum Mantinicum, nec betas quæ sunt apud Ascræos et pectines exquirunt Methymnæos, et lingulacas Atticas, et turdos Daphnios, et caricas Chelidonias, propter quas in Græciam cum quinquies mille millibus infelix Persa profectus est [20]. » Athenæus vero plura ex iis A uno eodemque in loco commemorat, ex quibus Clementis nostri sententia eximie confirmari potest: « Ex conviviis, inquit, alii multum in ore habebant, commendabantque Siculas murænas, flutas, anguillas, thynnorum captorum summina, hædos ex Melo, mugiles a Symætho, ex vilibus conchis Peloridas, mænidas ex Lipara, Thebana rapa, ex Ascra betas [21]. » Vides sane quam belle Athenæus et Clemens secum consentiant, atque in eo fere tantum discrepent, quod hic mugiles, « in Sciatho, » ἐν Σκιάθῳ, ille vero ἐν Συμαίθῳ, « in Symætho » dixerit. Sciathus porro insula est maris Ægei inter Euboeam et Thessaliam; Symæthus autem Siciliæ fluvius, in Catanensium agrum profluens. Sed Casaubonus id librariorum oscitantiæ tribuendum putat, et ubique in Athenæi textu Συάθῳ, vel etiam Σκιάθῳ legendum.

Nec levis sane est illius conjectura, quæ Julii Pollucis testimonio corroboratur. Nam is sicut B Athenæus plura a Clemente nostro memorata sic recenset: « Sciendum vero veteribus inclyta fuisse hæc, muræna ex freto, » ibi forsitan librarii lapsu omissa est vox Σικελικῷ, « et muræna Tartesia, thunnus Tyrius, mugil e Sciato, hædus ex Melo, et Pelorinæ conchæ; unde nimirum et eæ, quæ nunc Pelorides dicuntur, nomen desumpserunt, beta ex Ascra, mænides ex Lipara, rapæ ex Mantinæa, Methymnæi pectines, galeus piscis e Rhodo, psittæ ex Eleusine... anguillæ ex Bœotia [22], » etc. Porro de mugile nonnihil Plinius, **97** plura vero Aldrovandus, qui etiam de murænis fuse disputat [23].

Nec minus copiose ex variis antiquisque scriptoribus de anguilla Athenæus disserit, ubi Simonidis de Mæandria, uti Clemens noster loquitur, anguilla hos citat versus:

Ardea cum offendisset triorchin anguillam
Mæandriam comedentem, illi eripuit [24].

Videsis Aristotelem lib. VIII *Hist. anim.* cap. 5; Plinium lib. IX *Histor. natur.*, cap. 21, pag. 312; Aldrovandum lib. IV *De piscib.*, cap. 14, pag. 545. Prius vero ille cap. 6, pag. 504 et seq., de mugile disserit. Athenæus autem variorum de hoc pisce opiniones fuse explicat lib. VII *Deipnosoph.*, pag. 306 et seq. C

Quid plura? Nonne de Pelori conchis hæc Colophonii ab Athenæo citata sunt carmina?

Vel quotquot in profundo mari pascuntur
Neritæ, strombi, peloriades, mituli [25].

Ipsemet vero Athenæus paulo post sic loquitur: « Pelorides a voce πελώρως dictæ fuerunt, quod chamis majores sint, et ab illis diversæ. » Sed de his videsis Aldrovandum lib. III, de testaceis, cap. 74, pag. 475.

Eodem in loco Athenæus Archestratum Abydena ostrea canentem sic inducit:

Ænos mitulos habet magnos, Abydos ostrea,
Ursos Paros, Miletus pectines.

Adi, si velis, Julium Pollucem, atque in citatum D Athenæi locum consule Casauboni animadversiones [26]. At idem Athenæus continuo post illos versus addidit: « Philyllius, aut quisquis *Urbium* auctor est, inquit, chamas, lepadas, solenas, mitulos, pinnas, pectines e Metymna, κτένας ἐκ Μηθύμνης. » Plura de his Aldrovandus lib. III *De testaceis*, cap. 69, pag. 497 et 506, nec non et de mæna seu mænide, lib. II *De piscibus*, capite 39, pag. 223 et seq., de qua etiam Aristoteles lib. VIII *Histor. animal.*, cap. 34, et sæpius Athenæus, Plinius, et alii.

[10] Pædag. lib. II, c. 4, p. 231. [11] Pædag. lib. II, c. 1, p. 140. [12] Hieron. epist. 9, ad Salvin. [13] Athen. lib. IX Deipnos., p. 387 et seq. [14] Mart. lib. XIII, epigram. 72. [15] Plin. lib. X Hist. nat., c. 48, p. 440. [16] Horat. epod. 2. [17] Mart. lib. XIII, epigr. 61. [18] Aul. Gell. lib. VII Noct. Attic., c. 16. [19] Jul. Poll. lib. VI Onom., c. 9, p. 283. [20] Pædag. lib. II, c. 1, p. 140. [21] Athen. lib. I Deipnos., p. 4. [22] Jul. Poll. Onom. lib. VI, c. 10. [23] Plin. lib. VI Hist. nat., c. 17, p. 305; Aldrov. lib. IV De piscib., c. 6. [24] ibid. lib. III, c. 27; Athen. lib. VII Deipnos., p. 298 et seq. [25] Athen. lib. III Deipnos., p. 92. [26] Casaub. lib. III in Athen., c. 13, p. 177; Jul. Poll. Onom. lib. VI c. 10.

Digitized by Google

Præterea Clemens memorat lingulacas Atticas, Græce ψῆττας Ἀττικάς, quæ in planorum piscium numerum aggregantur. Tradit autem Athenæus hunc piscem, quem Græci ψήττον vocant, a Romanis rhombum appellari : Ῥωμαῖοι δὲ καλοῦσι τὸν ψῆτταν ῥόμβον, καὶ ἔστι τὸ ὄνομα Ἑλληνικόν· « Romani passerem etiam rhombum vocant, nomine procul dubio Græco [27]. » Quæ quidem ab Aldrovando satis explanata invenies [28].

A nobis forsitan postulabit aliquis quid Clemens turdi nomine, an avem vel piscem designaverit. Turdus enim, Aristotele, Athenæo, Plinio, aliisque testibus, avis est, quam Gallice *grive* dicimus, vel piscis, qui itidem Gallice cognominatur *vieille* [29]; De illo autem Athenæus lib. IV *Deipnos.*, pag. 136; Plinius lib. IX *Histor. natur.*, cap. 15, pag. 301; Columella libro VIII, cap. 16, et Aldrovandus lib. I *De piscibus*, cap. 4, disputavere. Utrum igitur Clemens de ave vel pisce intelligendus sit, nec minima sane quæstio est, nec ita ad solvendum facilis. Nam adjecta a Clemente voce δαφνίος, quæ ad illam diluendam conducere debebat, difficilior redditur. Quemadmodum enim Daphne apud Antiochenos amœnum et ad delicias comparatum nemus, ita etiam fluvium Ceæ vicinum et insulam apud Troglodytas significat. Quid vero quod Aldrovandus ingenue fatetur turdorum Daphnicorum qui meminerit se invenisse neminem? Conjicit tamen hos esse aves, quæ in peramœno illo nemore habitasse perhibentur. Verum cujus ponderis debeat esse illius conjectura, alii viderint. Cum de piscibus enimvero et conchis ibi potissimum disseret Clemens noster, an de turdo pisce potius locutus sit, peritioribus definiendum relinquimus.

Præter conchas autem et pisces idem auctor noster γογγύλην τὴν Μαντινικὴν memorat. Hanc autem vocem posterior illius interpres « bolum Mantinicum, » Hervetus autem potiori jure « rapum Mantinicum » reddidit. Eodem quoque modo illa non solum ab Julii Pollucis, qui idem omnino Græce habet, sed ab Athenæi quoque interprete pluribus in locis constantissime reddita est [30].

Cum utroque autem scriptore, et Julio Polluce, et Athenæo, Clemens τεύτλων, betarum, quæ apud Ascræos meliores erant, facit mentionem [31]. At Pollux alibi adhuc has leguminibus annumerat [32], et Athenæus ex Eudemo quatuor illarum esse genera, et quæ aliis sint præstantiores, ex Theophrasto ostendit.

Denique auctor noster celebrat caricas, quæ fici genus erant, Chelidonias : « Propter quas, » addit ille, « in Græciam cum quinque mille millibus infelix Persa profectus est. » At de illis apud Plinium hæc legimus : « Novissima sub hieme maturatur chelidonia [33]. » Apud Athenæum vero Diagoras eas quidem plurimum commendat; sed ibidem Dinon quod de Persarum rege, puta Xerxe, Clemens perhibet, id revera propter caricas, non quidem Chelidonias, sed Atticas factum esse testatur [34]. Pollux autem videtur eas confundere, nec satis ab se invicem distinguere : ἰσχάδες Χελιδόνιοι αἱ Ἀττικαὶ αἵ καὶ Χελίδονες καλοῦνται. « Caricæ Chelidonicæ, Atticæ, quæ et Chelidones dicuntur [35]. » Adisis Aldrovandum lib II *Dendrologiæ*, cap. 3, pag. 472.

Antequam imponamus huic capiti finem, te monitum esse volumus ex Athenæo delibata esse quæ de asello pisce Clemens retulit. Helluones enim tradidit similes esse pisci, qui Græce « asinus » vocatur : « Quem quidem, » sicuti ille loquitur, « dicit Aristoteles solum ex aliis animalibus habere cor in ventre. Hunc Epicharmus vocat, ἐκτραπελόγαστρον, hoc est, qui a communi ventris consuetudine discedit [36]. » Eadem enim ex utroque tam Aristotele quam Epicharmo, refert Athenæus [37]. Verum Rondeletius, Gesnerus, Jonstonus et alii, qui de piscibus libros ediderunt, id falsum esse existimant. Quapropter Jonstonus post Aldrovandum corruptionis arguunt citatum Athenæi textum, et ibi legendum putant πελογάστερες, id est « ventricosos; » quandoquidem asellus in ventrem plurimum excrescit [38]. Sed ii non satis animadverterunt primam Athenæi lectionem ex Clemente nostro plane stabiliri, ac proinde errorem, si quis sit, in Epicharmum potius quam in librarios refundendum. Clementi autem nostro ad helluones, hoc aselli exemplo exagitandos, Epicharmi auctoritas sufficiebat. Et certe inde natum est illud adagium : « Asello pisci similis, » quo homo ventri abdominique deditus notatur. Videsis Junium post Erasmi *Adagia*, pag. 1087.

CAPUT XIV.

De scriptoribus, poetis, pædagogis et statuariis a Clemente laudatis.

98 ARTICULUS I.

De variis scriptoribus a Clemente in Admonitione *ad Græcos citatis; de Hieronymo, et Dicæarcho, qui de forma et statura Herculis disseruere, et de Sosibio, qui Herculis ab Hippocoontidis vulnerati meminit, de Eudoxo, Icesio, Patrocle Thurio, Monimo, Antiocho, Leandrio, Zenone Mindio, Olympico, Philochoro, Demetrio, Dionysio, Isidoro, Athenodoro, Diogene, Dinone, Nymphodoro, Anticlide, et Apella.*

Præter philosophos poetasque, a nobis superius memoratos, Clemens alios varii generis appellat scriptores [39], de quibus brevis, ne aliis forsitan sint incogniti, instituenda est disputatio. Ex philosophis autem Hieronymum et Dicæarchum laudat [40], a quibus, qua Hercules corporis figura, forma et statura fuerit, memoriæ proditum est. Prioris Cicero non semel meminit, huncque patria Rhodium, summumque in eo bonum posuisse dicit, ut omni penitus molestia et dolore vacemus [41]. Illius quoque mentionem fecit Laertius, in quem videsis variorum notas et observationes [42]. Sæpius vero de posteriore, qui se Aristotelis discipulum esse gloriabatur, disseruit idem Cicero, et Athenæus, ac fusius Vossius, quem si lubet et vacat, quilibet facile poterit adire [43].

[27] Athen. lib. VII Deipnos., p. 330. [28] Aldrov. lib. II De piscib., c. 48, p. 246 et seq. [29] Arist. lib. V Hist. animal., c. 1; Plin. Hist. nat. lib. X, c. 24, 25 et 54. [30] loc. cit. [31] loc. cit. [32] Poll. lib. I Onom., c. 12, p. 63. [33] Plin. lib. XV Hist. nat., c. 18, p. 195. [34] Athen. lib. XIV Deipnos., p. 652. [35] Poll. Onom. lib. VI, c. 11, p. 290. [36] Pædag. lib. II, c. 1, p. 150. [37] Athen. lib. II Deipnos., p. 315. [38] Rondel. lib. IX De piscib., c. 8; Gesner. lib. IV De piscib., p. 97; Jonston. lib. I, cap. et art. 1; Aldrov. lib. III De piscib., c. 1, p. 282. [39] sup. cap. 11, art. 1, 2, 3 et 4. [40] Admon. ad Græc., p. 19. [41] Cicer., lib. IV Academ. quæst., lib. II De finib. malor. et bon., lib. II Tusculan. [42] Laert., lib. I De vitis et dogm. philos., in Vita Thaletis. [43] Voss., lib. I De histor. Græc., c. 9. p. 4 et seq.

Digitized by Google

Eumdem Herculem ab Hippocoontidis vulneratum certo Sosibii, Herveto, uti ipse declarat, incogniti testimonio Clemens ostendit [44]. At quî fieri potest, ut is scriptor, cujus libri *De Alcmane*, *De similitudinibus*, et *De sacrificiis*, sæpius ab Athenæo citati occurrunt, Herveto latuerit [45]? Quid vero, quod et ipsemet Clemens ejusdem Sosibii auctoritatem alibi his profert verbis : « Sosibius Lacon in descriptione temporum redigit Homerum in octavum annum regni Charilli Polydecti [46]? » Neque dixeris multos exstitisse hujus nominis scriptores. Nam Vossius hunc eumdem esse probat qui ab Athenæo memoratur, et quem Suidas grammaticum appellat [47]. De Hippocoonte porro ejusque filiis legesis Joannem Meursium libro *De regno Lacedæm.*, cap. 4.

Varias hominum de diis opiniones a Theocrito sophista mirum in modum exsibilatas et explosas Clemens nobis alibi prodidit [48]. At sophista ille, Chius origine, Metrodori Isocratici discipulus, ac deinde orator fuisse perhibetur. De illo autem agunt Strabo lib. XIII *Geograph.*, pag. 645; Laertius lib. V *De vitis et dogmat. philosoph.*, in Vita Aristotelis; Plutarchus lib. *De liberis educandis*, pag. 11; Suidas, ac tandem Vossius lib. IV *De histor. Græc.*, pag. 459, ubi de illius ætate disputat.

Scytharum morem Marti, ense apposito, sacrificandi ex Eudoxi libro *De ambitu* Clemens comprobat [49]. Sed cum tres fuerint ejusce nominis scriptores, unus Rhodius, Cyzicænus alter, et tertius Cnidius, si quispiam de quo Clemens loquatur ex nobis sciscitetur, de tertio verba illum facere probabilius nobis videri respondebimus. Citatus etenim secundus *De ambitu*, ἐν δευτέρᾳ περιόδου, liber, idem procul dubio est, ac ille qui ἔκτος γῆς περίοδου ab Athenæo inscriptus esse traditur [50]. Atqui hujus libri auctor, ut omnes facile concedunt, est Eudoxus Cnidius, cujus historia a Laertio breviter descripta est [51]. Cicero autem illum Platonis auditorem et in astrologia judicio doctissimorum hominum facile principem fuisse asserit [52]. Denique de illius ætate legendus est Vossius libro *De histor. Græc.*, cap. 6, pag. 28 et seq.

Eudoxo Clemens adjungit Icesium, seu Hicesium, quem ab Athenæo et Plinio sæpius laudatum reperies [53]. Semel autem citatur a Laertio lib. VI *De vitis et dogmat. philosoph.*, in Vita Diogenis, nec non a Suida et Vossio lib. III *De histor. Græc.*, p. 376, atque ab Harduino in auctorum a Plinio citatorum indice.

Castorem et Pollucem homines morbis obnoxios fuisse Patroclis Thurii testimonio Clemens demonstrat [54]. At Patroclis cujusdam, rerum geographicarum minime rudis, sæpius quidem meminit Strabo [55]. Verum cum de patria ejus omnino tacuerit, utrum idem ille ac Patrocles Thurius fuerit, certo definire non audemus. Lege Vossium lib. I *De histor. Græc.*, capite 12, pag. 77, et lib. III, pag. 398.

Monimi *De rebus admirabilibus* commentationes, et Dorothei *Rerum Italicarum* libros post Clementem nostrum ab Eusebio et Cyrillo Alexandrino citatos legimus [56]. Utrum autem prior is fuerit, qui a Laertio Syracusanus et Diogenis discipulus dicitur, ab aliis lubenter audiemus. At sumptum ex prioris libro testimonium a Plutarcho indicari Vossius arbitratus est [57].

Iidem quoque scriptores Eusebius et Cyrillus Alexandrinus, quibus et Theodoretus conjungendus est, ex eodem, ut videtur, nostro Clemente, scripta Antiochi, Leandri et Zenonis Myndii in medium producunt [58]. At quando Clemens quidem nos ad nonum *Historiarum* librum Antiochi mittit, inde fortassis non absurda capi potest conjectura hunc eumdem esse, qui antiquissimus scriptor ac rerum Sicilicarum et Italicarum historias a Diodoro Siculo, Pausania, aliisque scripsisse dicitur. De illo enim Diodorus sic scribit : « Hoc anno nobilis *Sicilicarum rerum* scriptor Antiochus Syracusanus Historiæ suæ finem imposuit, quam libris novem a Concalo inde rege deduxit [59]. » Pausanias vero addit eum Xenophanis filium fuisse [60].

Clemens aliis suis in libris, atque etiam et Diogenes Laertius in Thaletis Vita mentionem Leandri faciunt [61]. Nos autem de Zenone Myndio jam supra disseruimus.

Ad alios itaque progrediamur, ex quibus primus sese nobis offert Olympicus, quem Clemens *Samiea* edidisse testatur. Sed vix ullum apud alios scriptores hujus auctoris exstat vestigium. Plinius quidem Olympicum alicubi appellat [62]. Verum Harduinus legendum putat Olympiacus, eumque medicum, de quo Galenus loquitur, esse existimat [63]. At ipsi forte in mentem non venerat hic Clementis nostri Olympicus, qui idem procul dubio ac ille qui a Plinio laudatur, esse potuit [64].

Celebrior est cum Philochori, de quo nos alibi egimus [65], tum etiam Demetrii *Argolicorum*, ut ait Clemens [66], auctoris fama. Is enim est, ad cujus ipsemet alio in opere scripta nos his mittit verbis : « Demetrius autem dicit in libro de regibus Juda, » etc. Hieronymus quippe hunc esse docet, quem idem Clemens noster in sua adversus gentes *Cohortatione* appellavit : « Nec non, ait ille, et de Judæis Aristobulum quemdam, et Demetrium, et Eupolemum scriptores adversus gentes refert, qui in similitudinem 99 Josephi, ἀρχαιογονίας Moysi et Judaicæ gentis asseverant [67]. » Si quis tamen contendat his Hieronymi verbis « adversus gentes » libros *Stromatum* designari, isque validis probet argumentis Demetrium *Argolicorum* auctorem ab hoc diversum esse, non repugnabimus quidem; modo ille planum nobis faciat hunc ex aliis, Demetrii nomine nuncupatis, unum esse, qui a Vossio haud indiligenter recensentur [68].

Minus certe dubium videtur citatam a Clemente [69] quintam Cycli partem ab illo esse profectam Dionysio, quem ipsemet alibi Argivum vocavit : « Octavo, inquit, decimo anno regni Agamemnonis, captum est Ilium, regnante Demophoonte, Thesei filio, anno primo, duodecimo mensis Thargelionis, ut ait Dionysius Argivus [70]. »

Ubi Clemens de Serapidis statua verba facit, ibi

[44] Admon. ad Græc., pag. 25. [45] Athen., lib. III Deipnos., pag. 114; lib. XIV, pag. 628 et 648; lib. XV, pag. 674, 678 et 690. [46] Clem., lib. I Strom., pag. 327. [47] Voss., lib. I De hist. Græc., c. 15, pag. 100. [48] Adm. ad Græc., p. 61. [49] ibid. p. 42. [50] Athen. lib. VIII Deipnos., p. 288 seqq. [51] Laert., lib. VIII De vitis et dogm. philos. [52] Cicer., lib. II De divinat. pag. 291. [53] Athen., Deipn. lib. I, pag. 78 et 82; lib. XV, pag. 681 et 689; Plin. Hist. nat. lib. XIV, c. 19, § 24, et lib. XX, c. 5, § 18, et lib. XXII, c. 16. [54] Admon. ad Græc., pag. 19. [55] Strab., lib. II Geogr., p. 68 et seq. [56] Admon. ad Græc., p. 27; Euseb. lib. IV Præpar. evang., c. 16, pag. 157; Cyril., tom. VI, lib. IV Adv. Julian., p. 118. [57] Voss., lib. III De hist. Græc., p. 361. [58] Admon. ad Græc., p. 29; Euseb., lib. VI Præpar. evang., c. 6, p. 71; Cyril. cont. Julian., lib. X, p. 342; Theodor., t. IV, serm. 8, De martyr., p. 597. [59] Diod., lib. XII, p. 322. [60] Pausan., lib. X, p. 326. [61] Clem., lib. I Strom., pag. 300, et lib. VI, p. 629; Laert., lib. I De vitis et dogm. philosop., p. 30. [62] Plin., lib. XVII Hist. nat. [63] Hardouin. in Syllab. auct. Plin. [64] pag. 30. [65] lib. II Appar., dissert. 5, c. 2, § 7. [66] Clem., lib. I Strom., p. 337. [67] Hier. De script. eccles., c. 41. [68] Voss., lib. IX De hist. Græc., p. 542. [69] pag. 30. [70] Clem., lib. I Strom., p. 321.

Digitized by Google

Isidori atque Athenodori refert sententiam [71]. Illius quidem, qui natione Characenus ab Athenæo et Luciano dicitur [72], ætatem Vossius investigavit [73]. Hunc vero idem Lucianus Augusti Cæsaris præceptorem fuisse testis est [74]. Quod quidem Strabonis auctoritate confirmari potest : « Duo Athenodori, ait, horum alter Cordylio nomine, vixit cum M. Catone, et apud eum mortuus est. Alter Sandonis (sicut et Clemens tradit) filius, quem et Cananitam a quodam pago denominant, Cæsaris præceptor fuit, magnosque honores est consecutus. Is cum jam senex in patriam rediisset, statum reipublicæ mutavit [75], » etc. Frequens porro illius mentio varios apud auctores Plutarchum, Laertium, Suetonium, et alios occurrit.

Quisnam fuerit Diogenes, a quo libros *Persicorum* compositos esse Clemens scribit [76], dictu sane difficillimum est. Multos etenim hoc nomine vocatos indicat Laertius [77]; sed Menagius plures adhuc refert, ab eo prætermissos, ubi et hunc a Clemente nostro laudatum commemorat [78]. At quis ille fuerit altissimo præterit silentio. Vossius quoque hunc ab iis, quos Laertius enumerat, diversum esse opinatur, neque tamen quis ille censendus sit, apertius edisseruit [79].

Dinon vero, quem Clemens nulla illius citata scriptione testem profert [80], ab Athenæo *Historiam Persicam*, seu *Rerum Persicarum* libros composuisse traditur [81]. Nomen ejus haud infrequenter, multos apud scriptores, Laertium, Ælianum, Plinium, aliosque reperies [82]. Denique hunc etiam esse existimant, cujus *Persica* Dionis nomine a Laertio citata legimus [83].

Duobus his posterioribus tertium Clemens annumerat Nymphodorum ἐν *Νομιμοῖς βαρβαρικοῖς* [84]. Quæ quidem lucubratio eadem cum illa videtur esse, quam similiter Nymphodoro sic alibi ascripsit : Νυμφόδωρος δὲ ὁ Ἀμφιπολίτης ἐν τρίτῳ *Νομίμων Ἀσίας* · « Nymphodorus Amphipolitanus in tertio *De legibus Asiæ* [85]. » Legesis Vossium libro III *De histor. Græc.*, pag. 393.

Denique auctor noster [86], quemadmodum Athenæus [87], citat Anticlidis *Νόστους*, id est in patriam reditum, quo etiam titulo plures alii, teste Casaubono [88], commentationes suas inscripserunt. Anticlidis autem haud raro, apud varios auctores a Vossio citatos [89], mentio facta occurrit.

Nobis pene exciderat Apellas, cujus de Delphicis commentaria ab Clemente nostro laudantur [90]. At celebres quidam nostræ ætatis nostri critici hunc eumdem atque Apellam, ab Athenæo compellatum, esse opinantur [91].

ARTICULUS II.

De poetis a Clemente in eodem libro citatis, de Empedocle, Panyassi, Phanocle, ejusque de Veneris Argynnæ fano testificatione, de Callimacho, Nicandro, Alcandro, Myrsillo, diversisque eorum de Musarum origine opinionibus, de Euphorione, ae poematum Cypriacorum auctoribus, Hegesia, aut Stesimo, de Terpandro, et Capitone, ac utriusque modis musicis.

Ab his historiarum scriptoribus ad poetas, a Clemente nostro similiter citatos, transeamus, audiamusque quibus verbis Empedoclis auctoritatem adhibeat : « Vos autem, ait, vester quoque incessit postea Agrigentinus Empedocles [92]. » Is non solum poeta, sed insignis, ut loquitur Eusebius [93], fuit philosophus, cujus vitam Laertius divulgavit [94], et de quo nos alibi disputavimus [95]. Mira porro de eo Lucretius hunc in modum cecinit :

Nil tamen hoc habuisse viro præclarius in se,
Nec sanctum magis, et mirum, clarumque videtur.
Carmina quinetiam divini pectoris ejus
Vociferantur, et exponunt præclara reperta;
Ut vix humana videatur stirpe creatus [96].

Quædam Clemens transcripsit carmina Panyassis [97], de quo præter cætera, quæ omittimus, Pausanias hæc habet : « Panyassis autem Polyarchi filius iis versibus, quos in Herculem fecit [98], » etc. Eusebius autem ad Olympiadem LXXII et annum 1529 : « Panyassis, inquit, poeta habetur illustris [99]. » Adi, si lubet, Vossium *De poet. Græc.*, cap. 5, pag. 27 et 29, et lib. *De histor. Græc.*, cap. 6, pag. 452 et seq.

Quoddam Phanoclis poema hac inscriptione citatum a Clemente legitur : Φανοκλῆς δὲ ἐν Ἔρωσιν ἢ *Καλοῖς* · « Phanocles autem in *Amoribus* seu *Pulchris* [1]. » Sed quidam ibi corruptum librariorum incuria auctoris nostri textum sic emendandum esse putant : Φανοκλῆς ἐν *Ἔρωσι τοῖς καλοῖς*, « Phanocles in *Pulchris amoribus*. » Non dissimulabimus in nostris codicibus Græca manu exaratis majus videri eorumdem librariorum mendum, majoremque oscitantiam. Ibi enimvero in eis scriptum est : Φανοκλῆς δὲ ἐν ἔρωσιν τίε καλοῖς Ἀγαμέμνονε. At quorsum vox illa, τίε, huc introducitur, quidve ibi significat? Scaligero autem si fides habenda, Phanocles poemati cuidam a se composito, titulum præfixerat, Ἔρωτες ἢ καλοὶ, ac proinde nihil in edito Clementis textu mutandum [2]. Duo quoque ejusdem poetæ versus a Plutarcho referuntur, sed hoc tantum nomine : Φανοκλῆς ἐρωτικὸς ἀνήρ [3]. Postremo quod ejusdem Phanoclis testimonio de Veneris Argynnæ templo Clemens docuit, illud ab Athenæo liquidius exponitur [4]. De hujus porro Veneris fabula exstant Propertii carmina [5], quæ suis in adversariis Turnebus explicare conatus est [6].

Ætia Callimachi ibidem a Clemente nostro laudantur, quemadmodum hoc Martialis epigrammate :

Sed non vis, Mumurra, tuos cognoscere mores;
Nec te scire; legas Aitia Callimachi [7].

Alia ejusdem Callimachi opera sæpius compellat Athenæus [8]. Quis autem ille fuerit, si scire aveas, legesis Suidam, et Vossium lib. I *De histor. Græc.*, cap. 15, et *De poet. Græc.*, pag. 62.

Nec minus frequens apud Athenæum aliosque antiquos **100** scriptores incidit memorati itidem a Clemente nostro Nicandri mentio [9]. At Suidas ætatem, professionem, variasque illius lucubrationes hæc refert in verba : « Nicander Xenophanis Colo-

[71] pag. 31. [72] Athen., lib. I Deipnosoph., p. 93; Lucian. in Macrobiis. [73] Voss., De hist. Græc., lib. III, p. 341, et lib. IV, p. 465. [74] Lucian. loc. cit. [75] Strabo, lib. XIV, pag. 674. [76] pag. 43. [77] Laert., lib. VI De vitis et dogm. philos. in Vita Diogen. [78] Menagius in hunc Laertii locum. [79] Voss. lib. III De hist. Græc. p. 356. [80] pag. 43. [81] Athen. lib. I Deipnos., p. 69, lib. IV, p. 146; lib. XI, p. 503; lib. XIII, p. 560; lib. XIV, p. 633. [82] Laert in præd. [83] id. lib. IX, in Vita Protagor. [84] pag. 43. [85] lib. I Strom., p. 322. [86] pag. 27. [87] Athen., lib. IV Deipnos., pag. 157; lib. IX, pag. 304. [88] Casaub., lib. IV Animad. in Athen. c. 4. [89] Voss. lib. III de hist. Græc., pag. 322. [90] pag. 31. [91] Voss., lib. III de Hist. Græc., pag. 326. [92] pag. 17. [93] Euseb. in chron. ad ann. 1561 et 1581. [94] Laert. lib. VIII De vita et dogm. philosoph. [95] lib. II Appar., p. 349 et 729. [96] Lucret., lib. I. [97] pag. 22. [98] Pausan., lib. IX Boet., pag. 290 et lib. X, pag. 324 et 346. [99] Euseb. in Chron. [1] pag. 24. [2] Scaliger in Chron. Euseb. ad an. 654. [3] Plutarch. lib. IV Sympos., quæst. 5, pag. 671. [4] Athen., lib. XIII Deipnosoph., pag. 603. [5] Propert., lib. III, eleg. 7. [6] Turneb., lib. XXVI Advers., c. 33. [7] Martial., lib. X, epig. 3. [8] Athen. Deipn. lib. VI, pag. 244 et 272; lib. VIII, p. 284 et 329. [9] p. 25.

Digitized by Google

phonius, vel, ut alii tradunt, Ætolus idem et grammaticus, et poeta, et medicus, qui fuit temporibus Attali junioris, id est, ultimi illius Galatarum victoris, quem Romani præverterunt. Scripsit *Theriaca*, *Alexipharmaca*, *Georgica*, *De meretricio more viventibus* libros quinque Romæ, *Dierum collectionem*, *Prognostica* versibus senariis; hæc autem ex Hippocratis *Prognosticis* sunt translata, *De omnibus oraculis* libros tres, et alia plurima versibus heroicis. » Et sane non pauca ibi prætermisit, quæ ab Athenæo vocantur *Ætolica*, *Bœotiacus*, *Glossæ*, *Mutantia*, *Transformati*, *Colophoniacæ res*, *Œtaica*, *Fortuita*[10].

Diversas porro de Musarum ortu et genere observat Clemens fuisse Alcandri et Myrsili Lesbii opiniones [11]. Has enim ille a Jove et Memoria genus duxisse opinatus est. At scriptores alii easdem ex tribus Jovibus, teste Cicerone [12], natas esse arbitrabantur. Quas autem Alcander ex Jove et Memoria ortas esse tradit, has Cicero secundas appellat.

Contra vero Myrsilus, inquit Clemens, vel ut apud Arnobium legitur [13], Myrtilus, illas Macari filias et Megalenis ancillulas fuisse contendit. Verum id Vossius sibi omnino suspectum, et a Myrsillo in patriæ suæ gratiam commentum videri profitetur [14]. Cæterum de Musarum origine et numero præter Ciceronem et Vossium a nobis jam laudatos, videsis Hesiodum in *Theogonia*, Arnobium lib. III *Advers. gent.*, aliosque a Natali Comite, lib. VII *Mythologiæ*, cap. 15, appellatos.

Porro autem nemo ambigit Myrsilum qui a Plinio, Strabone aliisque laudatur, fuisse historiarum scriptorem [15]. Clemens vero Alexandrum in poetarum numerum videtur aggregare. At id Vossius non putat aliunde posse certo colligi [16].

Nulli forsitan ignotum est nomen Euphorionis, qui Ciceroni poeta nimis obscurus audit [17]. Quis autem ille fuerit, quave ætate vixerit Suidas explicat, aitque illum in philosophia Lacidis et Pritanidis, in poetica vero arte Archebuli Thanei poetæ fuisse auditorem [18]. Athenæus autem illum alicubi « hexametrorum carminum, » alibi vero historicorum commentariorum scriptorem nuncupat. Porro autem Clemens noster non solum varios ejus libros, nempe *Samiorum*, *De Aliadibus*, et ἀντιγραφὰς *ad Theodoridam* citat, sed varia quoque illius carmina transcribit [19].

Duos poematum Cypriacorum versus, sed tacito auctoris nomine, refert Clemens [20]; quos Athenæus Hegesiæ aut Stasimo ascribit [21]. Non unam tamen ea de re antiquorum fuisse opinionem Proclus apud Photium testificatus est [22]. Videsis Casauboni animadversiones in Athenæi lib. VIII, cap. 3.

Terpander et Capito non solum poetæ, sed peritissimi fuerunt musici, de quorum canendi modis hæc memoriæ prodit Clemens : « Canit meus quidem certe Eunomus, » id est Verbum divinum, « non Terpandri modum, neque modum Capitonis..... sed novæ harmoniæ æternum modum [23]. » Hervetus autem hunc in locum ait se nescire, qui et quomodo ab aliis distincti sint hi Terpandri et Capitonis modi; quinimo neque ullibi legisse in musicorum numero Capitonem a quoquam fuisse unquam positum.

Nobis sane, si quis alius præter ipsummet Hervetum id dixisset, vix ac ne vix quidem fidem ipsi habere potuissemus. Nunquid enim eruditus ille vir Plutarchi *De musica* librum non legerat, ubi hæ habentur : « Terpandri novarum rerum in ea ar molitio venustum quemdam modum in musica invexit [24]? » Et paulo superius : « Stesichorus a Terpandrum cytharœdicorum poetam modorum sua et Homeri carmina in certaminibus certo qu que modulo cecinisse, eumque primum modis c tharœdicis nomina imposuisse [25]. » Ad hæc ver ille alibi scribit : « Terpandrum admodum vet stum citharœdum, ac sua ætate fidicinum princ pem, heroicorumque facinorum laudatorem, mu taverunt ephori, citharamque ei ademptam in p blico affixerunt, quod una chorda amplius intendi set vocis variandæ gratia; sola enim simplicia pr babant carmina [26]. » Nunquid etiam Hervetus ha Aristotelis verba non legerat : « Deinde Terpande tertia exempta, notam adjunxit, ac ejus tempori bus diapason hæc appellata est consonantia, no diaocto; quippe quæ septem, non octo constare [27]? » Denique de hoc Terpandro ut quamplurimo testes missos faciamus, adisis Athenæum lib. XI *Deiphnosoph.*, pag. 174; Eusebium in *Chron.* ad an num 1370, Suidam ad verb. Τέρπανδρος, et apud Erasmum vulgare proverbium, « post Lesbicum cantorem, » chiliad. 1, centur. 6.

Dictu longe difficilius est quis fuerit musicus Capitonis modus. Verumtamen in nondum editis Clementini libri Græcis scholiis (1) hæc de illo observantur : Καπίτων· νόμος εἷς τῶν Τερπανδρίων, οὗτος ὠνομασμένος διὰ τὸ ἀνθηρὸν εἶναι, καὶ τοῖς ὄχλοις κεχαρισμένον· ὃν φασὶ Τέρπανδρον εὑρεῖν τὸν τῶν κιθαριχῶν νόμων εὑρετήν. An autem inde colligi possit hunc esse, quem Plutarchus Capitonem et Terpandri discipulum vocat, quis asserere audebit [28]? Cæterum Athenæus Capitonem versus heroicos ἐρωτικούς scripsisse haud dubitanter asseverat [29].

Plures alios scriptores, a Clemente nostro in sua ad Græcos *Admonitione* citatos, consulto hic omittimus. De iis quippe, puta Sophocle, Beroso et aliis quibusdam, vel in superiori libro disputavimus, aut alibi opportunior de iisdem disputandi occasio dabitur.

ARTICULUS III.

De scriptoribus, clarisque viris in* Pædagogo *laudatis, de Pythagoræ carmine et abstinentia, de Stoicorum pueris, illorumque de officiis opinione, de Platone qui plurima ex sacræ Scripturæ libris delibavit, de Aristippo, Democrito sophista, Cæo seu Prodico itidem sophista, Nicostrato, Alexide, Menandro, de quibusdam tacito nomine laudatis, de medicis Antiphone et Artorio, ac de Pæonio medico.

Ad scriptores aliosque celebres viros a Clemente in *Pædagogi* libris laudatos jam veniamus. Nobis autem illico obvius fuit Pythagoras Samius, cujus carmen ille retulit. Sed de illo nos jam disputavimus. At de Pythagoræ discipulis si quis inquirat, cur hæc Clemens postea scripserit : « Bonum esse nec carnem comedere, nec vinum bibere, et ipse (Apostolus) fatetur et Pythagorici [30]; » huic Origenis respondebimus verbis : « Pythagoras cum discipulis ejus fabis sibi interdixit, animatisque omnibus, nec tamen credibile est illos ideo laudandos magis esse, aut Deo chariores [31]. » Rationem, si quæras, hanc tibi dabit Hieronymus : « Probabo non Empedoclis et Pythagoræ nos dogma sectari, qui

[10] Athen. Deipnos. p. 66, 69, 282, 296, etc., 341, in-4. [11] pag. 19. [12] Cicer. lib. III De nat. deor., p. 247. [13] Arnob. lib. IV Adv. gent., p. 143. [14] Voss. lib. I De orig. et progr. idol., c. 15, p. 57. [15] Plin. lib. III Hist. nat., c. 7, p. 342, et lib. IV, c. 12, p. 455; Strab. lib. I Geogr., p. 60, et lib. XIII, p. 510. [16] Voss. De hist. Græc., p. 85. [17] Cicer. lib. II De divinit., p. 298. [18] Suidas I, Εὐφορίων. [19] Clem. p. 25, 327, 569, 483, 561 et 569. [20] pag. 19. [21] Athen. lib. XV Deipnos., p. 682. [22] Phot. Bibl. cod. 239, p. 982. [23] pag. 2. [24] Plut. p. 1135. [25] ibid. p. 1132. [26] idem Laconic. institut. p. 238. [27] Arist. Prob. suet. 19, p. 766. [28] Plut. lib. De musica, p. 1133. [29] Athen. Deipnos. lib. VII, p. 350, et l. X, p. 425. [30] sup. l. II, dissert. 2, c. 6, § 3, p. 254. [31] Origen. l. V Cont. Cels., p. 486.

(1) Hæc Scholia ex codice Parisino edidimus supra, a col. 777. EDIT. PATR.

Digitized by Google

propter μετεμψύχωσιν omne quod movetur et vivit edendum non putant [38]. » Quod quidem argumentum Plutarchus una et altera oratione, hanc in rem habita, fusius prosecutus est [39].

Quid de officiis sentirent Stoici, ubi Clemens evolvit hæc habet : « Quod ex rationis obedientia recte et ex virtute geritur, προσῆκον, et καθῆκον, hoc est, quod convenit et congruit, nempe officium vocant Stoicorum pueri, Στωικῶν ὀνομάζουσι παῖδες [40]. » Monuimus alibi hanc esse Græcorum loquendi formulam, qua idem ac Stoici simpliciter significatur. A nobis enim observatum est Ambrosium eodem sensu dixisse, « pueri rusticorum [41], » hancque a Græcis sumpsisse loquendi rationem. Porro autem illam Stoicorum de officiis sententiam a Cicerone fusius explicatam invenies [42].

Platonem plurima ex sacris Veteris Testamenti auctoribus hausisse ita sæpe sæpius tradidit Clemens, ut nihil ipsi magis persuasum fuisse videatur. Etenim in *Admonitione* ad gentes : « Undenam, ait, o Plato, veritatem conjicis?..... Novi tuos magistros, etsi eos celare velis. Geometriam discis ab Ægyptiis, astronomiam a Babyloniis, rectas et sanas incantationes accipis a Thracibus. Multa etiam Assyrii te docuerunt. Leges autem quæcunque veræ sunt et de Deo opinio, suppeditatæ tibi sunt ab Hebræis [43]. » Pro certo itaque Clemens habebat Platonem ex Hebræis hausisse veras omnes leges veramque de Deo opinionem. Quam autem ab iis veritatem animo imbiberat, hanc aliis eum postea propinasse alibi tradidit : « Veritatem philosophorum ita sectatus est Plato, ut Hebraicæ veritatis excitarit scintillam [44]. » Frugalitatis autem præcepta illum Davidis exemplo didicisse sic ibidem enarrat : « Neque enim Plato de Davide nihil audierat : » Οὐ γὰρ ἄπυστος ἦν ὁ Πλάτων τοῦ Δαβίδ [45]. At paulo enodatius idem auctor noster inferius dicit ex Moysis Levitico acceptam a Platone continentiæ castitatisque legem : « Ex divinis Scripturis colligens præclarus Plato consuluit, lege illinc accepta [46]. » His porro longe difficilius illud videbitur, quod antea dixerat [47] : « Equum cupiditatis petulantem ac insolentem vocavit Plato, cum legisset : « Facti estis « mihi equi furentes in feminas [48]. » Hæc quippe Jeremiæ sunt verba. Atqui ante Platonis mortem nondum Jeremiæ prophetia, teste Augustino, uti alibi dictum est [49], Græcam in linguam translata erat. Quomodo igitur eam Plato legere potuit? Sed Clemens Græca voce utitur ἀναγνούς, quæ non solum legere, verum agnoscere et cognoscere significat. Quid autem vetat, quominus Plato aliquando aliorum saltem quorumdam opera in illius Jeremiæ sententiæ cognitionem devenerit? Si tamen validis rationum momentis probaveris Clementem revera asseruisse lectitatum a Platone Jeremiæ librum et prophetiam, ingenue fatebimur hunc illius, sicut et aliorum Ecclesiæ Patrum, uti a nobis alibi dictum est [50], fuisse errorem. In sequenti porro dissertatione ostendemus quæ Clemens cum ejusdem Platonis, tum aliorum philosophorum facta ex sacris nostris Scripturis furta se deprehendisse putaverit [51].

Ex Aristippo quoque philosopho testimonium semel et iterum Clemens sumit [52]. Utrumque autem A in illius Vita apud Laertium, verbis tamen quibusdam immutatis, reperies [53]. Secundum vero rursus a Seneca sic redditur : « Aristippus aliquando delectatus unguento : Male, inquit, istis effeminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt [54]. »

Solo autem Abderitæ nomine Democritum Clemens ita compellat : « Parvam epilepsiam dicebat coitum Abderites sophista, morbum immedicabilem existimans [55]. » Eidem Democrito hanc sententiam Galenus ascribit [56]. Stobæus vero alicubi ipsi eidem Democrito, si tamen in margine error non sit, alibi Eriximacho, denique Aulus Gellius, et post eum Macrobius Hippocrati tribuere [57].

Clemens porro cum hinc simpliciter Abderiten sophistam appellaverit, opinatus est Hervetus eo nomine potius Protagoram, qui Abderites etiam erat, quam Democritum, magni nominis philosophum laudari. Verum non satis diligenter ille adverterat B nomen sophistæ honorificum olim fuisse, ac philosophis et sapientiæ professoribus primo, ac deinde oratoribus impositum. Videsis Suidam ad verbum Σοφιστής.

Eodem pariter honoris titulo Clemens appellat Κεῖον [58], Ceum, id est Prodicum ex insula Ceo, et Julide urbe oriundum. At de illo Xenophon, Suidas et Cicero ea fusius exhibent, quæ ab auctore nostro strictim tantum attinguntur [59]. A Xenophonte autem is Prodicus non sophista, sed sapiens eadem procul dubio, uti proxime dictum est, significatione nuncupatur : Πρόδικος δὲ ὁ σοφός.

Quædam Nicostrati comici, atque etiam Aristophanis carmina Clemens citavit [60], de quibus Hervetus dixit se tacuisse, quandoquidem et illius perierunt opera, et citata ab auctore nostro hujus comœdia nunc integra non exstat. Verum ille minus accurate Pollucem legerat, apud quem plura reperire est, quam Clemens noster ex utroque Nicostrato et Aristophane suos in libros transtulit [61]. Et C certe ex iis quædam Clementis textus errata possunt facile emendari.

Nicostratus porro cognomine Clytemnestra circa Olympiadem centesimam secundam vixisse perhibetur. Varia autem ejus opera ab Athenæo et Stobæo passim citantur [62]. Legesis Suidam, Vossium et alios [63].

Quosdam præterea Alexidis Clemens refert versus, quos in regio codice manuscripto juxta metri regulas descriptos [64], atque apud Athenæum a Casaubono emendatum legere poteris [65]. Quo autem Alexidis ex opere iidem versus desumpti fuerint, sic idem Athenæus indicat : « Alexis in fabula quam *Isostasium* inscripsit. » Floruit hic mediæ comœdiæ poeta sub Alexandro, nec semel a Polluce citatur. De eo plura videas apud Suidam et Vossium [66].

Animadvertas quoque velim non alium procul dubio quam eumdem Alexidem solo comici nomine D a Clemente nostro his compellari verbis : « Quemadmodum alicubi quoque dicit comicus : Unguentis manus ungitur, quod est pars sanitatis maxima; ut cerebri bonos odores faciat [67]. » Etenim apud Athenæum expresso illius nomine hæc habentur : « Alexis in *Improba* sic dixit:

[38] Hieron. lib. II Adv. Jovin., longe post init. [39] Plut. orat. 1 et 2 περὶ σαρκοφαγίας, p. 993 et seq. [40] Pædag. lib. II, c. 13, p. 136. [41] Not. in lib. III Hexaem. Ambros., c. 14, § 55. [42] Cicer. lib. I De offic. [43] Admon. ad gent., p. 46. [44] Pædag. lib. II, c. 1, p. 150. [45] ibid. [46] ibid. c. 10, p. 192. [47] ibid. p. 191. [48] Jerem. v, 8. [49] sup. lib. II Appar., dissert. 2, c. 7, § 3. [50] loc. cit. [51] dissert. seq. c. 16, art. 1. [52] p. 176, 179. [53] Laert. De vitis et dogm. philos. [54] Senec. lib. VII De benef., c. 15. [55] Pædag. lib. II, c. 10, p. 193. [56] Galen. comm. 1 in lib. III Epid. [57] Stob. serm. 6 de intemp., p. 78 et 82; Aul. Gel. lib. III Noct. Attic., c. 2; Macrob. lib. II Saturn., c. 7. [58] Pædag. lib. II, c. 10, p. 202. [59] Xenoph. lib. II Memorab., p. 737; Cicer. lib. I Offic., p. 367, in-fol.; Suid. ad verb. Πρόδικος. [60] Pædag. lib. II, c. 12, p. 209. [61] Poll. lib. V Onom., c. 17, et lib. VII, c. 22. [62] Athen. Deipnos. passim; item, Stob. in Sent. [63] Suid. ad verb. Νικόστρατος; Voss. De poet. Græc., c. 7, p. 51. [64] Pædag. lib. III, c. 2, p. 218. [65] Athen. lib. XIII Deipnos., p. 568; Casaub. in hunc locum. [66] Suid. ad verb. Ἄλεξις; Voss. De poet. Græc., c. 8. [67] Pædag. lib. II, c. 8, p. 179.

Digitized by Google

Maxima bonæ valetudinis pars odores
Cerebro bonos objicere. »

Atqui id quod Clemens Græce habet : Ὀδμὰς ἐγκεφάλων χρηστὰς ποιεῖν, ab Athenæo sic exhibetur : Ὀδμὰς ἐνκεφάλῳ χρηστὰς ποιεῖν [62].

Neque in animum tamen induxeris tuum hoc comici nomen illi per antonomasiam a Clemente tributum. **102** Eodem quippe titulo Menander ab eo sic laudatur : « Parum cogit merum, ait comicus, κατὰ τὸν κωμικόν, sapere [63]. » Menandri autem hunc esse versum docet Stobæus [64].

Pari quoque modo alia poetarum carmina solo tragœdiæ, vel tragici nomine in medium Clemens noster produxit : « Quisquis enim est temulentus, ut dicit tragœdia,

Eum ira vincit [65], » etc.

Alio quoque in libro : « Testis est nobis tragicus, sic narrans :

Et Phrygibus ille [66], » etc.

Denique in eodem libro : « Admodum pulchre dicit tragœdia :

O femina, quam in rebus [67], » etc.

At sicuti nemo nescit secundum poetam ab auctore nostro citatum esse Euripidem, ita quoque constat primum esse Sophoclem, tertium vero Apollonidem, quemadmodum ex Stobæo, qui eadem carmina expresso utriusque nomine protulit, compertum utique habemus [68].

Nonnulla etiam, prætermisso penitus auctoris nomine, Clemens noster describit. Alicubi enim hæc ab illo citata legimus : « Ex hoc etiam adjuta dicit poetica, ἡ ποιητικὴ λέγει·

Vinum hominum veniens [69], » etc.

Plura autem hujusce auctoris carmina exhibet ille, quæ quidem Hervetus se alibi unquam legisse non meminerat. Suspicatur autem illos esse Saphus, a qua dicti sunt versus Saphici, et quam ποιητικὴν pro ποιήτριαν appellant. Sed quanti ponderis habenda sit ejus conjectura, hinc discas, quod Athenæus tres priores versus Cyrenæo ascripserit poetæ, quem ejusdem Athenæi interpres Callimachum esse existimat [70]; Stobæus vero illos Eratostheni adjudicavit [71]. Alios denique versus quidam Euripidi, alter Æschylo vindicat, uti in Clementinianis scholiis adnotatur. Hæc itaque Clementis verba ἡ ποιητικὴ, ipsam poemata scribendi artem significat.

Duos postea versus, tacito auctore, rursum ille de pravis vini effectibus retulit [72], quos a Plutarcho et Stobæo citatos quoque reperies [73]. At illorum auctor est Homerus, et ex ejus operibus desumpti sunt. Mirum forsitan tibi esset quomodo id Hervetus nescire potuerit, nisi et ipsi incomperta similiter fuissent alia feminæ, a Clemente adhuc non nominatæ, carmina, quæ a variis scriptoribus Sibyllæ adjudicantur : « Quinetiam, quæ apud nos poetica est, quodammodo eam exprobrans scribit :

Tecum et adulterium est [74], » etc.

Præter philosophos et poetas, Clemens medicos etiam laudasse legitur : « Antiphanes, inquit, Delius medicus, vel unam hanc dixit esse morborum causam ciborum varietatem [75]. » Quis fuerit Antiphanes ille medicus, dictu difficillimum. Multi quippe hujusce nominis extiterunt, ac in primis celeberrimus quidam poeta comicus, cujus frequentissima apud Athenæum, Stobæum, Pollucem aliosque quamplurimos mentio. Clemens alibi Antiphanem iis, qui de rebus inventis scripserunt, annumerat [76]; sed cujas ille, cujusve professionis fuerit, cum taceat, utrum idem ac Delius medicus dici debeat, quis nos docebit?

Notior est alius a Clemente adhuc citatus : « Artorius quidam in libro *De longa vita* (sic enim commemini) existimat oportere eo usque potum solummodo præbere, donec cibi humectentur; ut nobis vitam paremus longiorem [77]. » Non audet tamen Hervetus absolute definire quis ille sit, sed conjicit ipsum fuisse Augusti medicum, qui in somnis a Minerva admonitus, eidem persuasit Augusto, ut relictis castris in alium se conferret locum. Et hanc quidem historiam præter Valerium Maximum, Lactantium, Paterculum et alios [78], narrat Tertullianus his verbis : « Cæsar in prælio perduellium Bruti et Cassii, Philippis æger, majus tamen alias discrimen, Artorii visione, destituto tabernaculo, erasit [79]. » Sed in facti hujus narratione citati scriptores nonnihil inter se dissentiunt. Nobis autem hunc esse Artorium medicum, a nostro Clemente memoratum [80], notasse sufficiat. A Lactantio enim medicus expresse appellatur. Eusebius quoque illum eodem modo in *Chronico* notavit : « Artorius medicus Augusti post Actiacam victoriam naufragio periit [81]. » Vossius vero eumdem hunc esse putat atque Artorium, seu, ut vulgo dicebatur, Antonium Musam [82]. Sed alii duos fuisse Augusti medicos et a Vossio perperam confundi pertinaciter contendunt.

Denique Hervetus nescivit quid apud Clementem sit ἰατρὸς Παιώνιος, « medicus Pæonius [83]; quippe quem in notis suis Apollinem esse plane falso declaret. Pæon autem medicus fuit peritissimus, qui, jubente Jove, ut cecinit Homerus, Martem graviter vulneratum, lenientia medicamina inspergens, sanavit [84]. Quapropter Theodoretus : « Homerus, inquit, Martis vulnerum curatorem, non Æsculapium, sed Pæonem inducit [85]. » Denique testatum Plinius facit ab eodem illo Pæone medico Pæoniam herbam nomen accepisse [86].

ARTICULUS IV.

De quibusdam paganorum pædagogis, Phœnice, Adrasto, Leonide, Nausithoo, Zopyro, Sicinno et de regiorum puerorum apud Persas pædagogis.

Quantum Christo Domino præceptori nostro dissimiles fuerint cæteri hominum pædagogi, brevi Clemens illustrium quorumdam pædagogorum inductione luculenter demonstrat. Verum quia ibi difficilia quædam, atque Herveto, ut ipse fatetur, incognita occurrunt, de iis pro more nostro aliquid dicendum est.

Itaque quid de illis a Clemente posteritati proditum fuerit, nunc videamus. « Ac Achillis quidem pædagogum, » ipsamet ejus verba sunt, « dicunt fuisse Phœnicem, et Crœsi filiorum Adrastum, Alexandri autem Leonidem, et Philippi Nausithoum. Sed Phœnix quidem insano mulierum amore tenebatur. Erat autem exsul Adrastus. Leonides vero Macedonis non fastum resecuit; nec Nausithous ebrietatis Pellæi vitium curavit [87]. »

[62] Athen. lib. xv Deipnos., p. 687. [63] Pædag., lib. II, c. 2, p. 152. [64] Stob. serm. 18, de incontin., p. 153. [65] Pædag. lib. III, c. 2, p. 153. [66] lib. III, c. 2, p. 221. [67] ibid. c. 12, p. 258. [68] Stob. serm. 18, de incontin., p. 163, et serm. 65, de laude nuptiar., p. 411. [69] Pædag. lib. II, c. 21, p. 155. [70] Athen. lib. II Deipnos, p. 37. [71] Stob. serm. 18, de incontin., p. 163. [72] Pædag. lib. c. V, p. 168. [73] Plut. lib. V Sympos., p. 645; Stob. serm. 18, de incontin., p. 164. [74] Pædag. lib. II, c. 10, p. 195. [75] Pædag. lib. II, c. 1, p. 140. [76] lib. I Strom., p. 308. [77] Pædag. lib. II, c. 2, p. 153. [78] Valer. Maxim. lib. I, c. 7, § 1; Lactant. lib. II, c. 17; Patercul. lib. II Hist. Rom. [79] Tertul. lib. De anim., c. 46. [80] loc. cit. [81] Euseb. in Chron. ad an. 1998. [82] Voss. lib. De philos., c. 12, § 1. [83] Pædag. lib. II, c. 2, p. 81. [84] Homer. Iliad. V, p. 100. [85] Theodoret. tom. IV, serm. 8, p. 596. [86] Plin. lib. II Hist. nat., c. 4, p. 581. [87] Pædag. lib. I, c. 7, p. 109.

Digitized by Google

Atque ita ille suam de variis pædagogis disputationem inchoat. At nullus sane, qui Homeri opera primoribus labris gustaverit, vel extremis, ut aiunt, digitis attigerit, nescius est Phœnicem, Amictoris filium, matre hortante, cum patris concubina rem habuisse. Quamobrem, ut patris iram declinaret, fugit in Thessaliam, ubi a Pelæo rege, qui ei postea filium suum Achillem in disciplinam tradidit, benigne exceptus est. Optime ergo propter concubinæ paternæ stuprum Clemens scripsit : « Insano mulierum amore tenebatur »

Adrasti vero historiam narrat quidem Herodotus, sed in hoc a Clemente nostro discrepat, quod mentionem tantummodo Crœsi fecerit filiorum, **103** quorum alter cum mutus et surdus esset, alteri duntaxat custodem Adrastum potuit pater præficere [88]. Clementis itaque verba τοῦ Κροίσου παιδῶν Ἄδραστον, ad summi juris apices non sunt accipienda, nisi tertium Crœso filium fuisse, aut puerum mutum et cæcum præceptis aliquibus quoquo tandem modo imbui potuisse probaveris.

Quam notum autem et apud varios scriptores pervulgatum Leonidis, tam obscurum Nausithoi nomen [89]. At vero quemadmodum Leonides Alexandri superbiam et arrogantiam, uti nemo ignorat, nec fregit, nec minuit; ita Philippum ebrietatis vitio semper laborasse pluribus apud Athenæum testibus probatur [90]. Ad hoc itaque sanandum illius vitium, si quid Nausithoum operæ et diligentiæ adhibuisse ostendas, illud omnino perdidisse fatearis necesse est.

Monet præterea Hervetus Plutarchum in Alcibiadis Vita meminisse præceptoris ejus Zopyri, sed illius tacuisse conditionem [91]. Verum legere alicubi poterat, quod de ea ille hunc scribit in modum : « Etiam quæ Athenicnsem nutricata est Alcibiadem, Amyclam tradunt Lacænam fuisse. Cæterum huic, ut auctor est Plato, Zopyrum Pericles moderatorem, παιδαγωγὸν, præfecit, nihilo aliis mancipiis excellentiorem [92]. » Legere quoque poterat apud Platonem, a Plutarcho, uti vides, citatum : « Tibi autem, o Alcibiades, adjunxit pædagogum Zopyrum Thracem, omnium servorum suorum præ senio inutilissimum [93]. » Non repressam porro a Zopyro Alcibiadis scortationem, ex eodem Plutarcho [94] atque etiam ex Platone, certior quivis fieri poterit.

Pergit Clemens : « Themistoclis liberorum pædagogus Sicinnus, ignavus fuit famulus. Eum dicunt saltasse, et genus saltationis, quod Sicinnis Græce dicitur, invenisse [95]. » Herveto hæret aqua num ille sit Sicinnus, de quo Athenæus hæc memoriæ prodidit : « Satyriaca saltatio, quam Sicinnim, a qua satyrarum scriptores Sicinistas appellarunt. Hujus repertor fuit barbarus quidam Sicinnus, Cretensem fuisse nonnulli aiunt [96]. » At Casaubonus hunc ipsum esse, de quo Clemens loquitur, pro certo minimeque dubio habuit [97]. De illo autem rursum idem Athenæus : Quidam aiunt Sicinnim « barbarum hominem ejus inventorem fuisse, alii Cretensem natione quemdam nomine Sicinnum [98]. » Videsis Meursium de hac aliisque veterum saltationibus [99].

Denique « apud Persas, » inquit Clemens, « regii vocantur pædagogi, quos numero quatuor ex omnibus Persis optimatim diligentes reges Persarum, suis præficiebant liberis. Sed solam sagittandi artem discunt eorum filii [1]. » Nihil Hervetus, etiamsi diligenter investigaverit, de his regiis apud Persas pædagogis se comperisse profitetur. Attamen de iis apud Platonem hæc scriptis mandata habentur : « Postquam puer septimum ætatis annum attigerit, ad equos reique equestris magistros amandatur, et incipit ire venatum. Anno decimo quarto puerum suscipiunt ii quos illi regios pædagogos appellant. Sunt vero ii, ex Persis selecti quatuor, constantis ætatis viri, et sapientissimus, et æquissimus, et temperantissimus, et fortissimus. Quorum primus magiam docet Zoroastri; hac autem in re cultus deorum versatur; docet etiam ille regia instituta. Justissimus vero puerum illum regium docet vera dicere per universam vitam. Temperantissimus autem, uti ne ullius voluptatis imperio et libidini subjiciatur, ut mature assuescat esse liber, et revera rex. Fortissimus vero in eo versatur, ut puerum impavidum reddat; quippe qui cum timeat, servus sit [2]. »

Herodotus autem paulo aliter : « Liberos, inquit, suos a quinto anno incipientes usque ad vicesimum tribus duntaxat instituunt, equitare, arcu sagittas excutere, vera loqui [3]. » Huic satis concinit Strabo : « A quinto usque ad vigesimum quartum annum discunt sagittare, jaculari, equitare, et in primis vera dicere [4]. » At fusius Xenophon hæc prosequitur initio libri primi *Historiarum*, quem, si animus est, consule. Quis itaque non miretur Hervetum, qui hæc non legerit, aut se aliquando legisse non sit recordatus? Quamvis enim illa omnia ad amussim cum Clementis nostri dictis omnino non conveniant, inde tamen ea, quæ ille scripsit haud inepte confirmari quis non videat?

ARTICULUS V.

De quibusdam statuariis et artificibus a Clemente citatis, de Euclide, Callone, Phidia, Bryaxide, Thelesio Atheniensi, Argo, Polycleto, Lysippo et Apelle.

De quibusdam tandem statuarum artificibus, ab auctore nostro commemoratis, ut aliquid dicamus, « narrat » ille « Junonis Samiæ statuam factam esse Euclidis scalpro [5]. » At hujus statuarii præter memoratum a Clemente Olympicum, meminit Pausanias, qui plura alia simulacra ab illo facta recenset, eumque origine Atheniensem fuisse testificatur [6].

Idem Pausanias, atque etiam Plinius, non secus ac Clemens noster Callonem in horumce artificum numero ponunt [7]. Addit autem Pausanias illum origine Æginetem, ac Tectæi et Angelionis fuisse discipulum.

Phidiæ vero et Bryaxidis tam celebris est varios apud scriptores memoria, ut de iis disputare supervacuum omnino et inutile videatur. Qui tamen de utroque aliquid scire voluerit, adeat Plinium lib. XXXVI *Hist. nat.*, Pausaniam, etc.

Testatum deinde Clemens facit Neptuni et Amphitrites novem cubitorum statuas esse Thelesii Atheniensis opus [8]. Sed de his statuis earumque opifice nihil Hervetus ullibi se unquam deprehendisse declarat. Neque etiam diffitebitur de illis vix aliquid nobis adhuc succurrisse. Veruntamen quia Clemens testem suum profert Philochorum, quis ipsi fidem derogare audeat? Scimus quidem Pausaniam scripsisse insignia Neptuni et Amphitritis in isthmo Corinthiaco fuisse locata [9]. At hæc cum iis, quæ Clemens memorat, eadem esse non videntur. Porro autem textum Clementis ab Herveto adulterationis immerito argui supra ostendimus [10].

Ex Demetrio, haud plane incerto teste, probat

[88] Herodot. lib. I, § 35 et seqq. [89] Plut. in Vita Alexand., p. 667. [90] Athen. lib. X Deipnos., p. 435. [91] Plut. in Vita Alcib., p. 192. [92] idem in Vita Lycurg., p. 49. [93] Plat. lib. Alcib., seu lib. I De nat. hom., p. 122. [94] Plut. in Vita Alcib., p. 195 et seq. [95] Pædag. loc. cit. [96] Athen. lib. I Deipnos., p. 20. [97] in lib. XIV in Athen., c. 7, p. 901. [98] Athen. lib. XIV, p. 630. [99] Meurs. lib. De orchestra, sive De saltat. vet. [1] loc. cit. [2] Plat. Alcib., p. 121. [3] Herodot. lib. I, p. 58. [4] Strab. lib. XV Geogr., p. 75. [5] pag. 30. [6] Pausan. lib. VII Achaic., p. 233 et 234. [7] Pausan. lib. II Corinth., p. 7, et lib. III, p. 100; Achaic., p. 204; Plin. l. XXXIV Hist. nat., p. 108. [8] pag. 30. [9] Pausan. lib. II Corinth., p. 45. [10] sup. art. 3.

Digitized by Google

ibidem Clemens statuam Junonis Tirynthiæ a quodam Argo esse fabricatam. De hoc tamen statuario non plura fortasse, quam de superiori, litteris consignata occurrunt; nisi is ipse sit quem Plinius Argivum et Polycleti discipulum appellat [11]. Hujus autem Polycleti, quem Clemens alibi compellat, sæpius meminit Plinius, quem adire quivis facile poterit [12].

Recte quidem a Clemente animadversum legimus, non minoris pretii æstimata fuisse Lysippi statuarii quam pictoris Apellis opera [13]. Eam quippe ob causam Alexander Magnus, ut Plinius [14], Cicero [15], aliique **104** perhibent, non ab alio, quam ab Apelle pingi, et a Lysippo fingi voluit. Unde illud Horatii carmen :

A *Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem Pingeret, aut alius Lysippo duceret æra, Fortis Alexandri vultum simulantia* [16].

Porro autem quamvis tanti pretii essent Lysippi opera, non minorem tamen in iis fabricandis fuisse illius facilitatem, quam artem et industriam ex eorum, quæ Plinius narrat, numero facile colligitur. « Etenim Lysippus, ait ille, 1500 opera fecisse dicitur, tantæ omnia artis, ut claritatem possent singula dare [17]. »

Denique alios adhuc plures a Clemente nostro laudatos reperire est. At de illis superius et præcedenti in libro disseruimus.

DISSERTATIO SECUNDA

DE LIBRIS STROMATUM.

CAPUT PRIMUM

ANALYSIS HORUM LIBRORUM.

105 ARTICULUS I.

Analysis libri primi.

Quamvis hujusce operis, seu potius illius præfationis initium jamdudum nobis temporum injuria penitus exciderit, ex iis tamen, quæ supersunt, facile intelligimus in eo, quod tantopere desideratur, prologi exordio hoc idem opus a doctissimo auctore suo cuidam haud dubie ipsius amico id circo directum [18], ut ad illud aut pervolutandum, aut cum aliis communicandum ei semper ad manum esse posset. Ad argumentum vero suum priusquam Clemens aggrediatur, manifestum plane facit viro probo, seu Christiano, veritatem prædicanti, libros utiles conscribendi negari non posse facultatem, quæ Theopompo et Timæo maledicta, fabulasque decantantibus, Epicuro impietatis auctori ac principi, atque Hipponacti et Archilocho turpia narrantibus concessa olim fuerat. Deinde vero cum libri et scripta filii sint animæ nostræ, catechistæ autem eorum, quos erudiunt, revera spirituales sint patres ; cum ipsamet etiam philosophia sese cum aliis libenter communicet [19]; nemo sane homo jure merito dixerit fas non esse, quasdam in aliorum bonum posteritati relinquere commentationes.

Neque sibi contra Clemens vult objici non omnium esse cognitionem, Christumque in parabolis, ut audientes non intelligerent, sæpius locutum fuisse. Ex hominibus enimvero longe plures sunt, qui traditam sibi doctrinam possunt percipere. Christus vero aliquando in parabolis re quidem vera locutus est, sed ut futuram argueret hominum ignorationem. Et hæc quidem ejusdem Christi Domini confirmat parabola, qua docet eos qui divino verbo imbuti sunt, debere illud, quemadmodum Apostolus, non aliis tantum impertire, verum etiam fenerari. Si qui porro hujusmodi doctrinam non susceperint, id ipsis solis vitio est vertendum ; quandoquidem sive scripto, sive voce tradatur, eam Clemens plane angelicam, mirabilesque illius effectus esse demonstrat [20].

Verum ille nos sedulo monet eam, sicuti cuchaB ristiam, non temere et indiscriminatim ab omnibus, sed ab iis tantum, qui ipsa dignos se præbuerint, vel suscipiendam vel impertiendam. Quapropter luculenter aperit quis esse debeat impertientis vel suscipientis status, et quæ in utroque desiderentur conditiones [21], nimirum in docente et scribente, nulla mercedis, turpis lucri, aut vanæ gloriæ spes et cupiditas, sed animus a corruptela, sordibus et adulatione semper alienus, atque ad proximi duntaxat salutem gratis procurandam intentus; in auditore autem et lectore nullum animi nimis curiosi vitium, nulla unquam hypocrisis, sed optima semper conscientia. Quod si horum copiosior sit messis, hoc est, major numerus, tum illi qui scribunt aut docent, ut magna quoque sit et crescat sociorum suorum copia, ab ipsomet Deo exorare debent. Et ipsi quidem quemadmodum boni agricolæ, bono frumento in aliorum animis disseminato, si quosdam ab errore revocatos spirituali cibo, hoc est, vera doctrina pasti fuerint, tunc vere Dei erunt ministri, atque ab illo dignam laborum mercedem accipient.

C Quia vero spiritualis ille cibus duplici modo augeri potest, cognitione videlicet ac Græca philosophia, quæ sicut nuces, aliud bonum et esculentum, aliud inutile et rejiciendum complectitur : hinc docet [22] illum non iis, quorum animus humana doctrina adhuc præoccupatus ac variis subtilium argumentorum cavillationibus nondum vacuus est ; sed aliis, qui cum fide, quam persuasio sequitur, ornatum habuerint, esse distribuendum.

Magnum porro concionantem inter et scribentem discrimen intercedere demonstrat. Ille enimvero quis qualisque sit auditor, quidve ab eo quem præsentem videt, exspectare debeat, probe intelligit [23] : hic autem nihil in absente lectore cernit, sed sperat tantum fore, ut ille aliquando fiat divinæ gratiæ particeps. Porro autem si hujusce lectoris falsis pravæ doctrinæ præjudiciis obtusa, obcæcataque mens fuerit, hunc Clemens sacrorum scriptorum, atque etiam Platonis auctoritate ad verum divinæ Scripturæ lumen probat esse mittendum.

[11] Plin. lib. xxxiv Hist. nat., p. 109. [12] idem eod. lib., c. 1 et 6; Clem. p. 61. [13] Clem. p. 41. [14] Plin. lib. vii p. 59. [15] Cicer. lib. v, epist. 12. [16] Horat. lib. ii, epist. 2. [17] Plin. lib. iii Hist. nat. p. 103. [18] pag. 269. [19] p. 270. [20] p. 271. [21] p. 272. [22] p. 273. [23] 274.

Digitized by Google

Paucis dehinc ille explicat, cur ad hoc scribendum opus animum appulerit, quique fuerint sui præceptores, ex quibus ea ipse hauserat quæ deinceps sunt dicenda. Neque sibi dubium omnino esse ait fore, ut hi commentarii et magistris suis grati, et lectoribus, quibus tamen omnibus omnia religionis mysteria pandi non debent, sint aliquando utiles [24]. Fatetur tamen eos, si cum tradita a præceptoribus suis doctrina componantur, esse omnino infirmos et exiles; ac cur illos tandem scripserit, rationes affert.

Posthæc vero ille narrat quid in eis, et qua methodo sit disputaturus de falsis errantium sectarum dogmatibus, alia quidem celando, alia vero quæ ex veneranda traditionis, ab ipso mundi ortu deductæ, regula ad nostram cognitionem pervenerunt, vel obscurius vel clarius explicando; ita ut his prælusionibus ad perfectam θεωρίαν et contemplationem deducamur. Addit se minime veriturum ea iisdem suis commentariis inserere, quæ in philosophicis Græcorum disciplinis antiquiora verioraque occurrunt [25]. Ex his enim putat gentiles Græcosque homines posse facilius ad Christianam veritatem adduci.

Quia vero plures, qui gentilem philosophiam a Christianis omnibus, tanquam inutilem aut exitiosam et a malo auctore inventam, plane penitusque rejiciendam esse censebant, sibi contradicturos haud incerto prævidebat; eapropter eos tantum audiendos esse contendit, qui merito jure aliquid reprehensione dignum reipsa coarguerint [26]. Primum enim hisce in libris malam esse vitii naturam ita se demonstraturum esse pollicetur, ut inde quivis colligere possit eamdem philosophiam esse divinæ Providentiæ quodammodo opus. Deinde etiamsi inutilis esset philosophia, id tamen si demonstretur, utile esse convincit. **106** Tum vero magnam ejusdem philosophiæ utilitatem eo ille colligit, quod ex ejus probationibus, ab experientia petitis, et perfecta rerum demonstratio, et certa rerum cognitio habeatur.

Quid vero, quod illa non solum catechumenos, in sui admirationem raptos, ad veritatem præcipuorumque dogmatum persuasionem allicit; verum omnes etiam Christianos, ne fraudulentæ artis præstigiis decepti a fide excidant, ipsa prohibet efficitque ut ii, adhibita majori cautione, aliquam demonstrativam fidei exercitationem utcunque assequantur? Ad hæc porro ex philosophicis dogmatibus inter se collatis sibique invicem oppositis, eruitur veritatis cognitio, nostraque persuasio magis firma et stabilis redditur [27].

Omnibus porro Clemens significat se his in libris varia jecisse multiplicis illius scientiæ semina, tum ut veritas eo sit inventu jucundior, quo majori labore quæsita fuerit; tum vero maxime, ne veræ seu Christianæ philosophiæ dogmata iis manifesta fiant, qui iniquo litigandi studio abrepti, ac mancipati voluptatibus, neque ulli unquam credere volentes, veritatem irrident ac inania tantum verborum lenocinia venantur. Tales autem esse dicit non eos tantummodo, qui a Democrito Abderite ἐριδάντεες καὶ ἰμαντελιχτέες appellantur [28]; sed sophistas etiam infelices, et cicadis loquaciores, quos tanquam vanos humanæ inutilisque sapientiæ venatores, tam ab ipsismet gentilibus poetis quam a sacris scriptoribus nostris mirum in modum exagitari plane ostendit.

Aliam porro ille dicit esse veram sapientiam, quæ Dei est donum, et ab iis qui se idoneos præstiterint variis etiam modis comparari potest [29]. Sapientiæ vero, seu Christianæ religionis professioni, pergit auctor noster, viam sternebat gentilis philosophia, quæ Græcis olim necessaria, eos tanquam lex vetus ad veri Dei cultum, veramque pietatem, ac Christi fidem suscipiendam ita præparabat, ut etiamnunc Christianis ad fidei suæ dogmata demonstrationibus asserenda haud parum prodesse possit [30].

Tum autem Clemens, dilutis quæ contra hæc proferebantur argumentis, monet homini in hac gentili philosophia non immorandum et permanendum; ac variis veterum patriarcharum, Abrahæ, Jacobi et Judæ exemplis planum ibidem facit hanc philosophiam veræ sapientiæ, quemadmodum philosophiæ alias disciplinas ancillari [31]. Ex quibus ille colligit eamdem illam philosophiam studio, labore et exercitatione aptos homines reddere, ut ad ipsam veritatem, quæ Christus est, alii quidem facilius, alii difficilius perveniant [32]. Non diffitetur tamen aliquos sine litteris ac gentili illa philosophia posse Christianam assequi veritatem; sed ad hanc, qua sophistarum fallaciæ plane dissipentur, et facilius et promptius comparandam, illas utiles esse contendit [33]. At certe hujusce philosophiæ utilitatem ibi Anaxarchi Hesiodique testimonio confirmat quidem; sed iis solis profuturam esse probat, qui tanquam terra bona imbrem et agriculturam susceperint.

Porro autem philosophiæ nomine non Platonicam, vel Aristotelicam, vel quamlibet aliam singularem sectam se intelligere declarat; verum quæcunque in omnibus philosophorum sectis recte, pie et juste tradita sunt [34]. Plane vero præfracteque negat ex iis ab ullo homine post mortem posse fructum aliquem percipi, nisi prius in hac vita Christianam fidem profiteatur. Neque ullam prorsus hujus fidei ante Christi ortum ignoratæ sinit, a quolibet infideli accipi excusationem. Nam præterquam quod illa ex sacris Scripturis in Græcum sermonem longe antea conversis agnosci potuit, multæ quoque aliæ viæ ad eam homines perducebant [35].

Quemadmodum vero Clemens jubet sophisticam litigandi et decipiendi artem, quæ tota verborum lenocinio occupatur, a Christianis finibus procul penitusque arceri, ita vult omnes soli, etiamsi pluribus non placeat, studere veritati. Quod quidem tam Apostoli auctoritate quam gentilium philosophorum et poetarum testimonio pulchre demonstrat. Quamobrem Christianos, etiam minus disertos, qui et fallaces illas Græcorum sophistarum artes plane repudiant, et pluribus placere non curant, doctissimis quibuslibet ethnicis probat non esse inferiores.

Subinde vero variis agricolæ, medici, athletæ et gubernatoris exemplis occurrit illorum objectioni, qui philosophia aliisque liberalibus disciplinis omnino rejectis, solam fidem ab homine Christiano requirebant [36]. In opinionis autem suæ confirmationem aperte ostendit Dei potentiam, nisi philosophando non bene percipi, ac liberales disciplinas, ut vera discernantur a falsis, et ut dubii sacræ Scripturæ sensus rite intelligantur, haud parum esse utiles [37]. Et vero Christus triplicem diaboli tentationem, ex sacræ Scripturæ testimoniis depromptam, aliis ejusdem Scripturæ verbis funditus evertisse perhibetur. Ibi autem auctor noster illorum castigat temeritatem, qui diabolum philosophiæ et dialecticæ inventorem esse perperam asserere audebant.

Non eos itaque audiendos esse putat, qui urgebant prophetas et apostolos, etsi harum disciplinarum minime gnaros, optime tamen omnes calluisse sacræ Scripturæ sensus. Respondet enim hanc plane singularem intelligentiam et cognitionem iis divinitus traditam fuisse et infusam. Quapropter alii divino spiritu non afflati, ad divina scripta

[24] p. 275 et 276. [25] p. 277. [26] p. 278. [27] p. 279. [28] p. 280 et 281. [29] p. 282. [30] p. 283. [31] p. 284 [32] p. 285 et 286. [33] p. 287. [34] p. 288. [35] p. 289 et 290. [36] p. 291. [37] p. 292.

Digitized by Google

recte capienda humanis, sed bonis utique artibus et disciplinis indigent. Sancita siquidem divinis scriptis præcepta, tametsi ut credantur, sola fides necessaria sit; attamen ut recte cognoscantur, ut de iis interrogati respondeant, ut tandem impleantur, et dialectica et arte humana opus est [58]. Ad hæc vero ille demonstrat in Christiano homine non minus cognitionem, dictionem et orationem, humanis utique disciplinis acquirendas, quam bonos actus virtutumque opera desiderari. Ad sophisticam porro artem inde reversus, rursum et ratione et sacræ Scripturæ auctoritate probat eam a republica Christiana plane esse rejiciendam.

Posthæc ille docet Christianæ dictionis et scriptionis genus, cui ipsemet in his commentariis inhæsurus sit, planum et simplex, clarum tamen et perspicuum, atque ab omni vano et supervacaneo cultu et ornatu alienum ita esse debere, ut alios plus juvare possit quam delectare. Et illud sane planius ut stabiliat, non Platonis modo et Scripturæ sacræ profert auctoritates, verum etiam vestitus et cibi, necnon Musarum atque Sirenum cum oratione comparationem instituit [59]. Porro autem sicut oratio simplex, ita oratoris animus ab humana gloria aucupanda debet esse omnino remotus, ita ut unus ipsi auditor sufficere debeat.

Nos autem scite monet vitandas esse verborum contentiones profanasque novitates, nec in illis unquam gloriandum [60]. Nec minus clare exponit quæ sit **107** illa philosophia et humana traditio, a cujus fraudulenta seductione semper cavere debemus. Declarat itaque illam primum quidem esse Epicureorum, quæ Dei tollit providentiam, et voluptatem deorum numero ascribit; deinde placita Stoicorum, qui Deum esse corpus et vilissimam quamque materiam pervadere garriebant; denique humanarum traditionum seu juvenilium quæstionum canoras nugas, seu ineptos verborum lepores, quibus nemo unquam consequetur veritatem et virtutem, quæ sola sagacitate multoque labore comparari potest [61].

Perspicuum igitur planumque Clemens omnibus facit eam esse veram et secundum divinas traditiones philosophiam, quæ Dei providentiam, ad omnia et singula sese extendentem, constanter asserit. Ea quippe sublata, omnis Dominicæ Incarnationis œconomia tollitur. Quocirca Diogenem, Thaletem, Hippasum, aliosque philosophos, qui mundi elementa colunt, tanquam impios homunculos et voluptati deditos plane abigendos esse contendit; additque illos infantes et parvulos esse, nisi Christianæ religionis professione viri fiant, et verum a falso discernere noverint [62]. Opinio enim non est ipsa veritas, in qua « ædificans » charitas versatur.

Quoniam vero sapientia, a Dei Filio nobis tradita in « mysterio, » occultanda est, hinc Clemens ingenue fatetur id, ne hos libros conscriberet, sibi fuisse impedimento, et se etiamnum vereri ne illam indignis hominibus manifestam paulo audacius faciat. Verum quia Christus arcanas veræ cognitionis traditiones jussit non quidem omnibus, sed iis quibus oportet, explicari; idcirco Clemens significat se hisce suis in commentariis ea scripturum, quæ veritatem hic et illic, ut indignis lateat, disseminatam contineant [63]. Hæc autem veritas quamvis una sit, varias tamen, inquit ille, multiplicesque habet particulas, in variis philosophorum sectis dispersas, quæ omnes a Christiano homine ullum citra periculum possunt in unum colligi et referri.

Singulas quippe illas veritatis partes, tam vage apud philosophos dispersas, ex ipsomet divino Verbo decerptas esse haud dubitanter auctor noster affirmat. Quod quidem ut clarius pateat, probandum suscipit sacris scriptoribus nostris quoslibet alios esse recentiores; et hos, si quæ vera tradiderunt, ab illis fuisse mutuatos [64]. Quamobrem primum observat omnium Græcorum scriptorum antiquissimos censeri Orpheum, Linum et poetas, quos quidem exceperunt septem Græciæ sapientes, de quorum ultimo quam diversæ fuerint opiniones, paucis ibidem animadvertit. Variis porro eorum effatis et adagiis in medium adductis, probat illorum philosophandi methodum plane Hebraicam fuisse et ænigmaticam [65].

His autem successerunt philosophi, quorum primitus triplex secta fuit, Italica cujus parens Pythagoras primus voluit se philosophum nuncupari; Ionica, quæ a Thalete; Eleatica, quæ a Xenophane suam traxit originem. Ibi autem observat Clemens tam de Pythagoræ quam Thaletis patria olim disceptatum, huncque solum videri cum Ægyptiorum prophetis congressum, ac nullum illius, sicuti nec Pherecydis fuisse præceptorem. Tum ille continuo narrat quæ ex ea triplici secta manaverit successio, schola videlicet Cynica, Academica, Peripatetica, Stoica; ac quinam fuerint earum auctores, quive horum successores commemorentur [66].

Ut autem Hebræorum philosophiam hos omnes longo temporum ætatumque intervallo antecessisse ostendat, qua philosophorum ethnicorum principes et antesignani, puta Xenophanes, Thales, Pythagoras, Polycrates, et Solon, ætate vixerint, haud plane indiligenter inquirit [67]. Dehinc eosdem, et alios, nimirum Pythagoram, Antisthenem, Orpheum, Homerum, Thaletem, Platonem, Democritum, aut a barbaris, Babyloniis et Ægyptiis ortos, vel ab iis educatos, plura sua dogmata inde hausisse fuse demonstrat. Quinimo a nonnullis memoriæ proditum esse scribit Pythagoram vel Nazarati Assyrii, vel Ezechielis, vel Gallorum, atque Brachmanarum; Aristotelem vero cujusdam Judæi fuisse auditores. Quid vero, pergit Clemens, quod Sibylla, si Heraclito fidem habere velis, Delphis divinitus apparuit, ibique a Musis fuit erudita, vel ut Serapion cecinit, nondum mortua adhuc vaticinatur, suaque etiamnum fundit oracula? Denique Numa Romanorum rex legem, qua Dei imaginem unquam fieri prohibuit, a Moyse mutuatus est.

Ex iis porro auctor noster concludit philosophiam hominibus valde utilem, a barbaris ad Græcos, quorum pluribus Anacharsis Scytha antecelluit, fuisse transmissam [68]. Barbarorum autem philosophorum, quorum principes et præfectos nominibus suis appellat, duplex dicit esse genus. Alii enim Sarmatæ, alii vero Brachmanes nuncupati sunt. Ex Sarmatis porro Allobii, non secus ac Hyperborei rusticam omnino et agrestem, quemadmodum apud Christianos Encratitæ, vivendi rationem consectabantur. Denique apud Germanos quædam mulieres, quibus sacræ, ἱεραί, nomen erat, ex fluviorum vorticibus fluentorumque sonitu, variaque eorum circuitione et anfractu futura prænuntiabant.

Tum prolata deinde Philonis, Pythagoræ et Megasthenis auctoritate, palam utique facit his omnibus longe antiquius esse Judæorum genus, primamque originem omnium Græcarum artium, disciplinarum, litterarum et scientiarum, quas accurate singillatimque recenset, in barbaros esse refundendam [69]. Neque patitur sibi objici vocum iis usitatarum barbariem [70]. Illos quippe de factis, quam de verbis magis sollicitos fuisse continuo respondet. Dehinc suum prosequitur argumentum,

[58] p. 293. [59] p. 294. [60] p. 295. [61] p. 296, 297. [62] ICor. VIII, 1. [63] p. 298. [64] p. 299. [65] p. 300. [66] p. 301. [67] p. 302, 303 et 304. [68] p. 305. [69] p. 306, 307. [70] p. 308, 309.

Digitized by Google

ostenditque aliarum artium, disciplinarum, legumque lationis inventionem eisdem barbaris acceptam referri. Sed illos Moyse recentiores esse ibidem scite animadvertit.

Contra tamen alii magnis animis insurgentes, clamabant : Si res ita se habeat, philosophia furto sublata est. Ergo, inquiebant, illa nec bona, nec utilis esse potest, utpote quæ a furibus, non a Deo, nobis tradita fuerit. Quibus respondet Clemens, etiamsi Deus hoc furtum non prohibuerit, illud tamen in hominum convertisse bonum et utilitatem [51]. Nec sinit eos amplius urgere eumdem ipsummet Deum, qui malum non prohibet, ipsius revera esse auctorem. Variis siquidem exemplis plane convincit, non in eum quidem qui libere agentem non prohibet, sed in illum potius qui prohibet, tanquam in causam posse malum refundi. Et vero diabolus, et uti Hermas in *Pastore* scripsit, pseudoprophetæ quantumvis fures et mendaces, falsis nihilominus dictis et mendaciis vera aliquando, et aliis haud inutilia, etiam nolentes permiscuerunt. Denique ea est Dei optimi providentia, ut malis bene ipse utatur.

Apud Græcos itaque philosophos, qui plura ex Hebræis prophetis dogmata furati sunt, eaque post modum **108** vel mutaverunt, vel interpolarunt, adulterarunt que, manet etiam nunc aliquod divinæ sapientiæ et veritatis vestigium [52]. Veri autem prophetæ fures non possunt dici ; sed gentiles tantum illi philosophi, qui arrogantia et superbia obcæcati verum Deum ejusque Filium non agnoverunt. Quod quidem nulli plane, nisi eorum vitio vertendum esse pulchre Clemens ostendit. Cum enim Deus omnes ad Christi fidem et cognitionem vocaverit, et ad eam profitendam sæpe sæpius adhortetur, potuerunt utique illam eligere, et amplecti, ac sacris baptismi undis regenerari [53].

Et vero in paganorum libris vera quædem dogmata reperiri rursum Clemens noster probat, atque id ex citatis ab Apostolo eorum scriptoribus planissime convincit [54]. Nos tamen serio admonet non omnem prorsus philosophiam indiscriminatim admittendam, sed eam tantum, quæ, sicuti Plato scite advertit, propter hominis bonum, ad spiritualia animum excitans atque exercens, recte argumentatur. Quamobrem illa sive casu, sive arte et industria, aut quocunque alio modo veritatem assecuta esse dicatur, illud divinæ providentiæ et œconomiæ ascribendum est [55]. Nec est utique, quod quis objiciat a philosophis nihil, nisi « per apparentem veritatis speciem » traditum. Quandiu enim vero in hac degimus vita, Deum, uti ait Apostolus, per speculum cernimus, illum post mortem tantum facie ad faciem visuri. Denique Clemens haud inscite ibidem animadvertit errantes philosophos recte ab eodem Apostolo cum nostris comparari hæreticis, qui Deo derelicto, et ab eo derelicti, pascunt ventos, variisque erroribus irretiti, « aquam sine aqua » in eucharistiæ et baptismi sacramento quærunt [56].

Cæterum tametsi in Græca philosophia quædam veritati omnino consona occurrant, non ideo tamen ipsa sola sufficit [57]. Nam unius ejusdemque effectus cum plures sæpe sint causæ, ipsa philosophia veritatis, quæ aliquando sine illa per fidem solumque Dei Filium invenitur, ab hominibus comparandæ causa tantum adjutrix et imperfecta dici potest. Neque enim alio illa modo quam incipiens et inchoans justitiæ causa fuit [58]. Si qui porro objiciant doctrinam Christi esse perfectissimam nulliusque indigere ope vel auxilio, responsum a Clemente illico accipient illam a Græca philosophia non fieri quidem perfectiorem ; sed contra dolosas sophistarum cavillationes muniri atque defendi. Quapropter vera fidei doctrina tanquam panis ea, quæ ad vivendum necessaria sunt, suppeditat ; veritas autem philosophica, bellariis et opsoniis haud absimilis, eam antecedit et suavitate sua animum demulcet.

Hanc autem sua ab Hebræis dogmata subripuisse se demonstraturum Clemens pollicetur, postquam ex Moysis ætate ostenderit eorumdem Hebræorum philosophiam quavis alia esse vetustiorem [59]. Primum itaque observat de hac Moysis antiquitate ab Tatiano et Cassiano accurate disputatum. Sed id pro officio suo ut clarius patefaciat, eumdem Moysem ethnicis scriptoribus vetustiorem esse probat ex aliis auctoribus, qui quo magis Hebræorum genti infensi et inimici fuerunt, eo minus fides illis derogari poterat. Ex iis igitur planum facit quot ab Inacho Argivorum primo rege, et a primo regni Assyriorum exordio ad Trojanum usque excidium generationes numerentur, quid de primis aliarum gentium regibus, de paganorum diis, clarisque apud eos per ea tempora viris, scriptoribus atque etiam mulieribus traditum sit. Moysem itaque, utpote qui Inacho, omnium antiquiori, fuerit coævus, cæteris omnibus scriptoribus ætate superiorem esse colligit.

Data autem de primo illo Hebraici populi duce et legislatore dicendi occasione, brevem successorum ejus, atque ejusdem gentis cum judicum, tum regum chronologiam omnium subjicit oculis, et sacrorum, qui per ea tempora floruerunt, prophetarum ætatem consignat [60]. Ibi autem observat Ilium, regnante Salomone, excisum fuisse et dirutum, ac varias de Homeri ætate antiquiorum scriptorum profert opiniones et sententias. Denique Christum Dominum post prænuntiatas a Daniele LXXII hebdomades hominem factum esse ostendit [61]. Dehinc vero postea quam Babylonicam captivitatem ab XI Joachim regis Juda, ad secundum Darii Persarum, Assyriorum et Ægyptiorum regis annum durasse animadvertit, tum continuo chronologicam regum Persarum et Macedonum seriem nobis exhibet [62]. Ex quibus ille concludit Aggæum et Zachariam, ultimos Judæorum prophetas, qui Olympiade XLVIII vaticinabantur, ante Pythagoræ, qui Olympiade LXII, et Thaletis Græcorum sapientum antiquissimi, qui circa Olympiadem L floruit, exstitisse tempora. Hi itaque philosophi et sapientes, uti Clemens concludit [63], longe recentiores sunt non solum Moyse, sed etiam Salomone, qui Menelai, hoc est Trojanis temporibus, Judæis imperabat, et cujus ad Vafrem regem Ægypti, et ad Phœniciæ Tyriorum regem epistolas, horumque ad illum responsa Alexander Polyhistor retulit. Circa eamdem quoque L Olympiadem vixit Onomacritus Atheniensis, cujus sane, vel aliorum quorumdam creduntur esse poemata, quæ Orphæo et Musæo ascripta sunt. Amphion autem vixit duabus ante Iliaca tempora generationibus, et longe postea floruerunt Demodocus et Phemius.

Postea Clemens ea proponit, quæ de aliorum cum poetarum tum vatum fatidicorumque temporibus memoriæ prodita occurrunt [64]. At hos omnes a Scriptura latrones appellari, aliosque vel rerum naturalium observatione, vel a dæmonibus incitatos, vel aqua, suffitu, aerisve quadam qualitate perturbatos futura prædixisse asseverat [65]. Apud Hebræos autem fuerunt veri divinoque spiritu afflati prophetæ ; et primo quidem ante legem Adam, Noe, Abraham, Isaac et Jacob ; deinde vero, lata lege, Moyses et alii, qui ab auctore nostro nominibus suis singulatim appellantur ; nec non et mulieres Sara, Rebecca, Maria, Debora et Olda. Denique Joannes Ba-

[51] p. 310, 311. [52] p. 312, 313. [53] p. 314. [54] p. 315. [55] p. 316. [56] p. 317. [57] p. 318. [58] p. 319. [59] p. 320 et seq. [60] p. 323 et seq. [61] p. 330. [62] p. 331. [63] p. 332. [64] p. 333, 334. [65] p. 335.

Digitized by Google

p'ista, ejusque pater Zacharias, atque Anna et Simeon futura similiter annuntiarunt.

Deinde vero Clemens noster Græcæ chronographiæ a Moysis ortu ad Commodi imperatoris obitum summam colligit [66]. Tum continuo aliam nobis exhibet, quæ ab Adamo ad eumdem usque imperatorem juxta barbarorum calculos et sententiam protendebatur [67]. Ibi vero de variis gentium et populorum dialectis linguisque disserit, ac duplicem de computandis singulorum quorumque Romanorum imperatorum annis rationem haud indiligenter nobis repræsentat. Disputat [68] quoque de censu, sive descriptione post natalem Christi diem facta, de ejusdem Christi baptismatis, prædicationis et mortis anno ac die, de abominatione desolationis a Daniele prædicta; ac tandem chronographiam a Flavio **109** Josepho ab ortu Moysis ad sua usque tempora editam, summatim ita proponit, ut aliam quoque ab ea diversam continenter subjungat. Hebraicas porro Veteris Testamenti Scripturas, regnante Ptolemæo Philadelpho, a LXXII senioribus non sine divino sancti Spiritus afflatu, Græco sermone redditas, et ab Esdra post Babylonicam captivitatem, ubi deperditæ fuerant, renovatas, ac denique multa ex iis tum a Platone tum a Pythagora delibata fuisse demonstrat [69].

Dehinc ille ostendit [70] quis Moyses fuerit, quæ prima vitæ educationisque illius exordia, quibus appellatus nominibus, quibus disciplinis imbutus, quas ille alios docuerit, quid de illo a mystis seu arcanis Judæorum traditionibus, de Ægyptio quodam homine ab ipso morti tradito [71], et de miro illius postquam e carcere eductus fuit cum rege colloquio; ac quæ tandem Ezechielus poeta de ipsius institutione cecinerit. Dehinc autem ejusdem Moysis historiam prosecutus, narrat [72] quomodo, et quo jure spoliatis Ægypti incolis, ille politicus, propheta, philosophus, legislator, et omni plane regnandi et contra hostes pugnandi arte et scientia, quam Clemens graphice describit, instructissimus, Hebræos inde eduxerit [73]. Quid, quod dicit Græcos has ab illo accepisse et didicisse artes et scientias? Hunc enimvero non solum Miltiades in Marathonia pugna, sed Thrasybulus etiam exercitum, igne noctu prælucente, reducendo imitatus est [74]. Ibi porro auctor noster de columna ante Hebræos eunte, ac de aliis paganorum columnis nonnulla scitu haud indigna subnectit [75].

Ad hæc vero, ille manifestum nobis ibidem facit Platonem in ferendis legibus fuisse ab eodem adjutum Moyse, qui lege sua ad Deum Christumque Dominum non solum homines deduxit, sed ipse etiam ille fuit sapiens, quem philosophi regem, legislatorem, imperatorem, justum, sanctum, Deo amicum prædicant. Quoniam autem ovium ille pastor prius fuerat, hinc Clemens docet pastori similem esse debere legislatorem, qui gregis curam semper gerat, perditam quærat ovem, et omnes ad æternam felicitatem perducat [76]. Talem autem esse ait unigenitum Dei Filium.

Quapropter incredulam castigat Græcorum pervicaciam, qui legem a Moyse divinitus datam esse credere recusantes, Minoem a Jove, Lycurgum ab Apolline Delphico, et Zaleucum a Minerva leges accepisse jactitabant [77].

Ne quis porro hanc Moysis legem, propterea quod supplicia improbis decernat, nec bonam nec honestam esse causaretur, huic statim Clemens occurrit, docetque eam idcirco non magis esse vituperandam quam medicum, qui, ne sana membra corrumpantur, jubet putrefacta uri, secari, amputari. Quod quidem inde confirmat, quia sicut pater filium, ita nos Deus erudit et castigat. Denique improbis A mulctatis, alii a vitio deterrentur. Lex itaque cum domina, bonaque et benefica sit, unicuique licet per eam fieri Dei servum, fidelem famulum, filium, et perfecta charitate in electam filiorum adoptionem referri [78]. Sed prudenter Clemens animadvertit illam iis tantum bonam esse, qui morem ei gerunt, eaque bene utuntur [79].

Mosaicam vero philosophiam quadripartitam esse docet, quarum prima res tractat historicas; secunda sancitas morum leges; tertia vero sacrificia; quarta denique theologiam, quæ a Platone « magnorum » dicitur esse « mysteriorum, » ab Aristotele autem « post naturalia » appellatur. At dialectica ea tantum lege a viro bono et moderato comparanda est, ut ea, quæ Deo grata sunt, pro viribus et dicere possit et facere. Illius enim, quæ præstantissimam omnium naturam transcendit, munus et officium est, ut nos quasi manu, non sine tamen divina Servatoris gratia, ad veram ducat sapientiam, B hoc est, ad veram hominis Deique adducat cognitionem [80]. Sed quandoquidem triplex accipitur legis voluntas, « vel ut signum aperiens, vel ut præceptum ad rectam institutionem confirmans, vel ut prophetia prædicens, » illa a viris, non autem a pueris potest intelligi. Atqui Græci, ut ait Plato, semper sunt pueri, id est audiendis puerilibus fabulis addicti; ac proinde antiquissimam, quæ apud barbaros est, non percipiunt veritatem. Propter hos itaque, ut divine Hermas loquitur, qui sunt duplici corde, semperque disputant, supernis visionibus illustrationibusque indigent. Postremo Clemens ostendit legem naturalem ac Mosaicam unam esse et eamdem, ac legis nomine Deum etiam significari. Et vero vox Θεός, inquit, dicta est παρὰ τὴν θέσιν, quia scilicet Deus statuit, ordinat et administrat. Ille vero ipse a Petro lex et ratio appellatur. Atque ibi Clemens primo *Stromatum* libro finem imponit.

ARTICULUS II.

Analysis libri secundi.

C Quid Clemens deinceps tractaturus sit, ab ipso hujusce libri exordio breviter explicat [81]. Ait enim sibi esse demonstrandum Græcos homines ex sacris scriptoribus nostris non ea solum quæ præter fidem et admiratione digna habentur, esse imitatos, verum præcipua quoque expilasse et diripuisse eorum dogmata de fide, de sapientia, de gnosi, γνώσεως, et scientia, de spe et charitate, de pœnitentia et continentia, et de Dei timore; atque omnia sibi esse enucleanda, quæcunque illius, in quo versabitur, loci commentatio postulabit. Addit autem se in primis disputaturum de occulto, symbolico et ænigmatico barbaræ seu Hebraicæ philosophiæ dicendi genere; quod quidem quia veteres alii philosophi sectati sunt, idcirco utilissimum est et scitu maxime necessarium. Post hæc vero declarat [82] se Græcorum objectionibus et conviciis, quibus nos insectabantur, ita responsurum, ut paucis quibus- D dam sacræ Scripturæ testimoniis in medium prolatis, Judæi ex iis, quæ crèdunt, ad Christum converti possint. Ea porro perfectæ charitatis lenitate et mansuetudine dicit se nova Græcorum placita esse confutaturum, qua illi non aliquo sine rubore ex philosophia nostra intelligant, quam vanæ sint eæ disciplinæ, quarum gratia tam longas peregrinationes susceperant, et quam inepte de suis dogmatibus, quæ ex nostris auctoribus furati fuerant, gloriarentur. Spondet denique se cursim ostensurum quam inutilis sit earum, quas stulte et insulse venditabant, disciplinarum, astrologiæ, mathematicæ, magicæ incantationis, et aliarum *encyclopædia*.

Hæc porro tanti ponderis et momenti argumen-

[66] p. 335, 336 337. [67] p. 338, 339. [68] p. 340, 341. [69] p. 342. [70] p. 343. [71] p. 344. [72] p. 345. [73] p. 346, 347. [74] p. 348. [75] p. 349, 350. [76] p. 351. [77] p. 352. [78] p. 353. [79] p. 354. [80] p. 355 et seq. [81] p. 358. [82] p. 359.

Digitized by Google

ta stylo plane simplici, nullisque, quibus nunquam A reversus [91], ejusdem Platonis testimonio probat fi-
studuit, eloquentiæ floribus et lenociniis a se per-
tractanda esse ingenue profitetur. Qui enim dictio-
num inhærent ornatui, hoc res ipsas effugere cum
110 triplici comparatione, tum Hermæ et Salo-
monis testimonio aperte planeque comprobat [81].

Quibus ita præfatis, Clemens argumentum suum aggressus, ex pluribus sapientiæ viis, duas esse asserit, fidem scilicet, qua divinæ Providentiæ non reluctari, et Dei timorem, quo peccatum declinare edocemur. Et hæc quidem cum a barbara, quam sequimur, philosophia discamus, hinc illam Clemens veram et perfectam esse ostendit. Postquam enimvero recta institutione fuerit exercitata, nos a rerum corporearum cognitione ad ipsiusmet Dei evehit scientiam. Verum quia infinita est inter Deum ingenitum et genitum hominem distantia, ipse Deus ad hominem accedit, ita tamen ut talis ab illo, qualis est, cognosci nequeat [84]. Quamobrem veritas in Scripturæ sacræ latebris adhuc delitescens, B nondum nobis plane comperta est. Jure igitur merito ii laudandi sunt, qui in ea invenienda operam suam collocant. Sed nulli sane infideli arcana religionis nostræ mysteria sunt patefacienda, quæ sine fide percipere nemo unquam poterit [85].

Ad inchoatum itaque de fide sermonem inde delapsus, refert quasdam illius ex Apostolo atque etiam ex aliis definitiones. Fides autem, inquit ille, quæ principium actionis et prudentis electionis fundamentum est, meditatione fit scientia, ac certissimas ex Scripturis sacris de Deo, earumdem Scripturarum auctore, demonstrationes colligit. Contra Basilidianos vero, qui fidem nobis a natura, et secundum naturales uniuscujusque dispositiones insitam garriebant; ac contra Valentinianos, qui simplicium, hoc est orthodoxorum, non vero perfectorum suorum sectatorum fidem esse jactitabant, Clemens variis probat argumentis eam in libera nostra electione ita esse positam, ut Dei tamen sit C donum [86]. Dehinc ille explicat quomodo per eam ex iis, quæ demonstrari nequeant, ad id quod plane simplex et omni prorsus materiæ est expers, hoc est, ad divinæ naturæ cognitionem perducamur. Atque ibi incredulos seu ethnicos philosophos obiter castigat, qui nihil omnino, nisi materia compositum, exstare perperam existimabant [87]. Porro autem quidquid spirituale est, hoc Clemens docet sola fide et intelligentia comprehendi. Fidem itaque, quam conjectura nequidquam imitari conatur, scientiæ præstare et illius esse judicem, ipsomet etiam Aristotelis testimonio concludit. Subinde vero luculenter ipse exponit quæ fuerit Epicuri et Heracliti de fide sententia, ac virum ea præditum, quippe qui sit veritatis particeps, a Platone atque etiam a Speusippo et Stoicis, beatum, regalem, legemque animatam recte appellari [88].

At, pergit auctor noster, qui legem implet, is ipse, quemadmodum olim Lacedæmoniorum scytalæ, in excelso ligno inscriptus, divinæ virtutis est D exemplar, et ipse, utpote qui solus sapiens sit, cuncta possidet [89]. Hæc autem omnia Græci illi homines hauserunt ex Moyse, qui non sicut Minos cum Jove, sed cum ipsomet Deo, non secus atque amicus cum amico loquebatur. Is autem sapiens quidem, rex et legislator fuit; sed illo præstabilior erat Servator noster, qui supra omnes pulcher et dives, ipse rex a pueris et Judæis renuntiatus, prædictusque a prophetis, solus pontifex, rex maximus et legislator, cujus pater solus Deus est [90]. Platonem porro hisce dogmatibus subscripsisse ipsiusmet evincit verbis, quibus ille sapientem solum esse divitem, liberum, pulchrum, et regem constanter asseverat.

Ad interruptam de fide orationem inde Clemens

dem tam in bello quam in pace, atque etiam rebus in omnibus esse plane necessariam. Et hæc quidem virtutum maxima a Salomone sapientia, et a Xenocrate primarum causarum scientia dicitur. Quamvis autem illa, quæ fide habetur scientia, non sit proprie dicta demonstratio, nihilo tamen minus assensus ei præberi debet. Nam si Pythagoræi magistro dicenti credendum esse contendunt, nunquid æquum est fidem, quæ ex auditu tantum oritur, servatori Deo non habere, et ab eo dictorum suorum exigere probationes [92]? Et vero ubi prædicantes apostolos audimus, tunc fides ad Dei Verbum et Filium nos quidem attollit, sed nondum intelligimus hoc Verbum esse demonstrationem. Ne quis porro fidem in potestate sua esse negando ignorantiæ excusationem afferret, planum Clemens facit omnes a Deo esse vocatos, atque ideo posse fidem assequi. Qui itaque Deo vocanti credunt moremque gerunt, hi peccatorum suorum ea ducuntur pœnitentia, quæ et ipsa fidei officium est [93].

Perspicuum quoque Clemens noster facit ex eadem fide consistere spem, quæ est boni acquirendi exspectatio. Quia autem hæc exspectatio fidelis esse debet, ipse enucleatius edisserit quid sit fidelis et infidelitas, quid fides ab opinione plane discrepans, quid exspectatio et fiducia. Ex quibus postea colligit nos fiduciam in solo habere Deo: « Quem scimus non transgressurum ea, quæ sunt nobis pulchre promissa, et ideo creata, et ab ipso benevole nobis [94] data. » Quid sit autem benevolentia, ibidem ille exponit, docetque si credenti Abrahæ « reputatum est ad justitiam, » nobis qui Israelitæ et Abrahæ semen sumus, esse credendum [95]. Etenim Vetus Novumque Testamentum ab uno eodemque Deo per Filium ejus traditum est. Quapropter justitia Dei, ut ait Apostolus, ex fide in fidem patefacta, ex prophetia manavit, et in Evangelio perficitur.

Fides itaque non est humanum, inquit Clemens, sed divinum aliquid, quod nec mundana amicitia divellitur, nec præsente timore dissolvitur. Ea enim charitatis cum fide est connexio, ut illa fideles faciat, hæc vero illius sit basis et fundamentum. Quod quidem his gradibus fieri sic ille demonstrat. Prima, inquit, ad salutem inclinatio fides apparet. Deinde timor, spes et pœnitentia cum continentia et tolerantia proficientes, nos ad charitatem cognitionemque, γνῶσιν, perducunt [96]. Barnabæ porro auctoritate isthæc stabilit, sciteque comprobat, atque inde fidem veritatis basim esse concludit.

Posthæc vero contra illos qui timorem respuebant legemque omnino aspernabantur, sic disputat. Qui legem rejicit, is Deum illius auctorem plane despiciens, sine timore impius et iniquus, ab ipsa veritate penitus abhorret. Verum timor, inquiebant, est declinatio a ratione et animi perturbatio. Sed hanc falsam esse timoris definitionem inde probat Clemens, quod præceptum prævaricanti timorem incutiens, rationi consentaneum sit. Quod si instent hunc timorem a philosophis cautionem εὐλάβειαν appellari, ex Critolao ille respondet bonam esse illam cautionem [97]. Quid vero, quod Salomone attestante [97*], timor Domini est sapientiæ initium? Lex itaque si timorem afferat, ipsius cognitio est quoque initium sapientiæ, atque idcirco illi prorsus 111 insipientes et impii sunt qui legem recusant.

Quibus ita stabilitis et assertis, docet Clemens timenda esse vitia omnia, quia jure merito lege prohibentur. Quamobrem hæreticos corripit, qui ex his Apostoli verbis: « Per legem cognitio peccati [98], » illam malam esse inferebant. Nam ibi Apo-

[81] p. 360. [84] p. 361. [85] p. 362. [86] p. 363, 364. [87] p. 365. [88] p. 366. [89] p. 367. [90] p. 368. [91] p. 369. [92] p. 370. [93] p. 371. [94] Rom. IV, 9. [95] p. 372. [96] p. 375. [97] p. 371. [97*] Eccli. I, 16. [98] Rom. III, 20.

Digitized by Google

stolus nihil sibi vult aliud, nisi per legem nobis peccati cognitionem manifestam fieri. Ex quo vero genuinoque apostolicorum verborum sensu, haud plane incerta Ezechielis Barnabæque auctoritate firmato, colligit bonam esse legem, utpote quæ nos erudiat, castiget, ac per timorem nos ad Christum dirigat adducatque [99]. Deinde vero varias absurdasque aberrantium Basilidis et Valentini sectatorum deliriones quatuor potissimum argumentis exsibilat et explodit [1]. Marcionitas quoque refellit, qui rejecto etiam Dei metu, legem neque bonam, neque malam, sed justam duntaxat esse somniaverant [2]. Metum etenim, non secus ac legem bonum revera esse probat, ostenditque nos Dei timore non modo ad spem, sed etiam ad Dei ipsius, atque etiam proximi charitatem perduci [3]. Ibi porro Clemens de hospitalitate et humanitate, illius sociis et comitibus, pauca quædam perstringit, additque Judæos, utpote fide et charitate orbatos, atque idcirco a Deo rejectos, gentium vocationi dedisse locum [4]. Nos tamen Hermæ testimonio commonefacit non omnes quidem Judæos et gentiles reprobatos, sed eos tantum qui peccatorum non agunt pœnitentiam. Postremo auctor noster ex dictis concludit fidem, pietatem, charitatemque sibi invicem esse connexas.

Verus itaque philosophus, pergit ille, ac veritatis amator, charitate amicus Dei fit, et perfectam cognitionem assequitur [5]. Triplici autem auctoritate Platonis, Matthiæ et Evangelii secundum Hebræos, docet ejusdem cognitionis principium esse admirationem. Sed ut quis perfectus evadat « gnosticus, » tria, inquit, requiruntur: contemplatio, exsecutio præceptorum, et bonorum virorum constitutio; ita ut si illarum una defecerit, cognitio claudicet. Palam vero ex Scriptura sacra facit quæ sint illa divina præcepta ab omnibus implenda, et in quibus tam Hebræorum quam Christianorum profectus et vita posita sunt.

Quoniam autem eadem Scriptura nos quoque admonet ut Deum sequamur, conemurque illius, quantum fieri potest, attingere cognitionem; hinc Clemens docet duplicem esse quemadmodum fidem, ita et cognitionem ac scientiam [6]. Et prior quidem scientia, sicuti fides, humana est, infirma et imbecilla, semperque vacillans et instabilis; altera vero scientia, et ex ea manans fides, ex sacris litteris ortum ducit; et ipsa certissima et immutabilis a justa operatione nunquam separatur. Hanc autem Clemens cum « gomor, quæ erat decima trium mensura » componit, atque inde colligit fide « consistere « gnosticum [7]. » Fide enimvero veluti olim Abraham et Moyses coram Domino, sic stat ille nec unquam mutatur. Contra vero alii philosophi, qui divina nolunt audire præcepta, circa caduca et mortalia occupati, semper fluctuantes huc et illuc feruntur [8]. Quapropter quia Apostolus Timotheum, ut profanas devitet illorum novitates, vehementer adhortatur, ideo hæretici eo solo nomine easdem Apostoli Epistolas repudiarunt. Verus itaque « gnosticus » is est, qui Dominum ac per eum Patrem ejus cognovit. Fide ergo cum præterita credamus, ac spe exspectemus futura, « gnostico, » qui Deum cognoscit, omnia persuadet dilectio. Hujus autem principium est timor, qui per incrementum fides ac tandem dilectio evadit.

Fidem porro istam, quæ « ad salutem est virtus, » ostendit Clemens esse iis, quæ in sacris prophetarum oraculis traduntur, liberam assensionem [9]. Quod quidem ille astruit et confirmat auctoritate Pastoris seu Hermæ, qui insuper asserit Deum « ad ædificationem, » minime vero diabolum, « ad aversionem » timendum, ac pœnitentiam esse magnam intelligentiam. Ex quibus auctor noster recte infert non oportere eum amplius peccare, cui remissa sunt peccata [10]. Nam iis qui post fidem et gratiam baptismatis susceptam peccant, una tantum pœnitentia conceditur. « Apparet » enim, inquit, « sed non est pœnitentia, sæpe petere veniam de iis quæ sæpe peccamus [11]. »

Duplex porro Clemens peccatum distinguit: aliud quidem voluntarium, quod merito damnatur; aliud autem involuntarium, quod rursum duplicis generis est [12]. Unum quidem ignoratione, aliud vero necessitate committitur. Prioris autem sex notat species, additque quemadmodum lege Mosaica in quædam peccata involuntaria animadvertebatur, ita Christiana lege illi pœnis mulctantur, qui aliqua animi perturbatione paganis sacra nostra mysteria patefecerint. Exemplo deinde uxoris Lot planum ille facit peccatum voluntarium pœnis merito affici, et quid illud sit perspicue definit. Nec minus clare demonstrat quomodo peccatum et infortunium, scelus et injustitia inter se differant [13]. At porro quia in nostra potestate situm est et mandatis obtemperare, et ad disciplinam adduci, hinc ille concludit eos revera peccare, qui se volentes animæ perturbationibus, iræ et cupiditati permittunt.

Dehinc allata supradictorum peccatorum definitione, ex sacris Veteris Novique Testamenti scriptoribus, atque ex Barnabæ epistola varias illorum differentias fusius explicat [14]. Ad hæc porro pluribus ex Scriptura petitis rationibus convincit nos non necessitate in peccata prolabi, sed peccare et non peccare nobis integrum esse ac liberum. Et autem arrepta occasione, ille probat hæc antiquorum adagia: « Deum sequere; Venia est melior supplicio; Sponde, noxa præsto est; Nosce teipsum, et attende tibi; » ex sacris delibata fuisse Scripturis [15]. Postquam autem inde collegit eleemosynis et fide purgari peccata, atque illa Dei timore declinari, illos confestim corripit, qui gaudium et tristitiam, aliasque animi perturbationes Deo in Scripturis reapse attribui garriebant. Monet tamen misericordiam Deo proprie convenire, non autem homini, cujus ea tantum summa perfectio est veræ doctrinæ cognitione fieri filium ejus adoptivum [16]. Verum ut id facilius percipiatur, ille continenter definit quid sint scientia et ignorantia, ac quæ ipsimet scientiæ adjunguntur experientia, intelligentia, cognitio et veritas [17]. Quandoquidem vero rationales facultates sunt voluntatis ministræ, inde ille conficit in « gnostico » voluntatem, judicium et exercitationem esse plane eadem, non secus ac verba, dogmata, vitam et mores, « institutio obsequentes. »

Ad morales autem virtutes hinc delapsus, haud dubitanter affirmat eas lege Mosaica, ex qua Græci totius scientiæ moralis principia hauserunt, aperte doceri [18]. Et id quidem probat tam de pietate quam de prudentia et justitia, atque obiter ibidem ostendit ex iisdem sacris nostris scriptoribus delibatum esse illud Pythagoræ adagium: « Stateram ne transilias. » De omnibus autem illis virtutibus, divina Scriptura celebratis, singillatim disputare quia longius esset, **112** idcirco auctor posita ob omnium oculos earum definitione, manifeste demonstrat easdem adeo sibi invicem esse connexas et conjunctas, ut nec una sine alia haberi, nec de aliqua, nisi etiam de aliis omnibus tractari possit [19]. Nonnullas tamen speciatim attingit, atque in primis docet continentiam, quæ Deo non convenit, nobis esse plane necessariam, ut paucis contenti, ad divinam naturam accedere admittamur. In eadem quoque Scriptura præcipi et commendari fortitudinem, qua nullis cupiditatibus fracti aut effeminati, non

[99] p. 375. [1] p. 376. [2] p. 377. [3] p. 378. [4] p. 379. [5] p. 380. [6] p. 381. [7] p. 382. [8] p. 383. [9] p. 384. [10] p. 385. [11] p. 386. [12] p. 387. [13] p. 388. [14] p. 389, 390. [15] p. 391. [16] p. 392 [17] p. 395. [18] p. 394. [19] p. 395.

Digitized by Google

solum quoslibet labores doloresque magno ac virili animo perpetiamur, sed martyrium etiam sanguinis nostri effusione, si necesse sit, subeamus. Atque illud quidem vult ea significari humana lege, qua is qui sibi desponsam virginem nondum duxit, militia interdicitur [20]. Madianitarum autem id Clemens noster corroborat exemplo, ex quo sicuti et Barnabæ auctoritate infert pietatem et religionem esse principium sapientiæ, bonumque esse Dei timorem.

De liberalitate et beneficentia dehinc disserit, ostenditque illam variis Moysis legibus sacrorumque Proverbiorum verbis præcipi, atque inde bonam esse legem concludit [21]. Quoniam autem beneficentia sive liberalitas ad dilectionem seu charitatem pertinet, perspicuum nobis ille facit quomodo hæc virtus aliis ejusdem Moysis legibus constituatur [22]. Ex quibus demum evincit veterem legem plenam esse humanitatis et benignitatis, nosque ad Christum, qui has virtutes non minori studio et cura commendavit, ab illa tanquam pædagogo perduci. Tum continuo ex his, et aliis quæ profert, ejusdem veteris legis præceptis probat sumptum fuisse a Pythagora suum de mansuetudine in animantes decretum. Perperam ergo, inquit Clemens [23], Græci, qui filios recens natos crudelissime exponebant, ob hanc mansuetudinem Moysis legem insectabantur. Horum vera inhumanitas non eadem tantum Mosaica lege condemnatur, sed etiam Romana, quæ vetat prægnantem mulierem, capitis damnatam, priusquam pepererit, affici supplicio. Pergit Clemens, et Moysis lege de agno, in lacte gravidæ matris non coquendo, citata, eos cædit, qui ut carne lacte contemperata delicatius vescerentur, in quorumdam animalium ventrem ante partum calces impingebant [24]. Quibus subjungit alia ejusdem Moysis de mansuetudine præcepta, atque ultimo, quod de arboribus nuper plantatis magna cura fovendis datum est, ante oculos posito, explicat qua methodo ii qui Christianæ religioni nomen dederunt, sint fidei nostræ dogmatibus imbuendi; ut summam « gnostici » perfectionem possint adipisci [25]. Quis autem sit perfectus « gnosticus, » clare describit, dicitque alios, ut boni honestique fiant, ab eo esse docendos. Sed continuo illum serio monet, ut superbiam, cujus, sicuti aliorum peccatorum, pœnitentia agenda est, studiose caveat et declinet.

Subinde vero quomodo agi debeat, et quæ sit illius utilitas, breviter aperit. Cum illius autem fructus sit, ut pœnitens Deum eligat et ab eo vicissim eligatur, in hoc Clemens ait sitam esse hominis nobilitatem, ut pulcherrima et honestissima quæque eligat [26]. Quod quidem Adami, Noemi, Abrahæ et Isaaci illustrat exemplis. Abrahæ porro polygamiam ille ibidem excusat, et unicum ait fuisse illius hæredem, cui frater suus major natu ideo servivit; quia malo homini bonum maximum est sui non esse juris. Tum postea Scripturæ sacræ testimonio ostendit sapientis esse omnia, eumque non modo regem; sed, ut testis est Plato, esse etiam beatum ea scilicet maxima, quoad fieri potest, Dei similitudine, quam Philo tradit perfecta mandatorum ejus observatione obtineri [27]. Quapropter Stoici statuerunt finem hominis esse naturæ convenienter vivere, ita tamen ut naturæ nomine Deum intelligerent. Cum triplex porro sit, uti ex Hippodamo Clemens confirmat, amicitiæ genus, hinc ille colligit in hominis, non solum amico et inimico benefacientis, sed etiam fortis et adversa constanter patientis mente esse hanc eamdem Dei imaginem. « Gnosticus » autem, Deo familiariter utens et mundo crucifixus, illam fortitudinem et tolerantiam, quemadmodum Ananias, Daniel, Lot, Abraham, Job et Jonas, possidebit [28].

Divina itaque lex homines ad omnem erudit virtutem, sed in primis ad continentiam, ubi pinguium animalium ac præcipue porcorum carne, et quibusdam piscibus ad voluptatem allicientibus, interdicit [29]. Fomes quippe cupiditatis voluptas, quæ homines, sicut ipsimet etiam scriptores ab auctore nostro citati testificantur, molles effeminatosque reddit, radicitus evellenda est. Eam sane ob causam anima debet ab omnibus perturbationibus segregari, easque cruci affigere, ac seipsam, ut ait Christus, perdere mortemque meditari [30]. Ad id autem agendum opus est, ut unusquisque adversus diaboli insidias armaturam Dei, quomodo Apostolus loquitur, induat, ac bene rebus utatur indifferentibus; ex his enim et ex voluptate omnes animi perturbationes ac tentationes dæmonis oriri haud inscite Clemens demonstrat [31]. Dehinc porro hæreticam Basilidis de illis animi perturbationibus opinionem, ab aliis duobus hæresiarchis Isidoro et Valentino, tametsi in alios errores impingentibus, proscriptum cum Christi Domini, tum Barnabæ auctoritate refellit [32].

Sub hæc autem ille declarat se in quemdam incidisse Gnosticorum hæreseos sectatorem, qui voluptati se ideo addictum esse dicebat, quia magna non est hominis, nisi experti, eam superare [33]. Sed asseverat hunc, non secus atque Aristippum, penitus decipi. Tales quoque eos esse asserit, qui falsa quorumdam Nicolai, viri apostolici, verborum interpretatione abutentes, in effrenatæ obscenæque voluptatis luto, ad hircorum et Sardanapali instar, volutabantur. At quia nullus alius voluptatis usus esse videtur, nisi ut illa rebus ad vitam necessariis vicaria quædam sit accessio ac veluti condimentum, idcirco Clemens contra Epicurum concludit turpes et indomitas voluptates, Diogene poeta teste, esse damnandas; atque ad eas, tanquam præcipuum nostrum hostem, debellandas timorem, sicuti lex præcipit, et cautionem esse necessaria [34]. Et hæc quidem Clemens variis ethnicorum scriptorum, ac in primis poetarum testimoniis illustrare contendit, docetque nihil honestate et gravitate legis, ejusque filia cautione et religione esse amabilius. Illa enimvero divina lex sicut nihil nimis durum et asperum, ita nihil quoque nimis molle et remissum præcipit.

Ne quis vero ad legem implendam se infirmiorem esse causaretur, in medium Clemens profert exempla veterum, qui cum eadem, qua et nos, essent natura, sese totos Deo obtulerunt ac dicarunt [35]. Quid, quod Zeno Indum igne tortum cæteris anteponebat? Denique martyres exquisitissimis supplicii **113** quotidie affectos metus legis ad Christum ducebat. Atque hi voluptate profecto superiores, et « gnostici » majores mundo, non carne amplius, sed spiritu viventes, dii recte appellantur. Ex his itaque infert Clemens noster voluptatem et alia omnia, quæ ad libidinem excitant, a vero et Christiano philosopho esse fugienda; sectandamque temperantiam, qua suave Christi jugum integraque fit animæ et corporis sanitas, atque ad ultimum finem, æternam videlicet beatitudinem, pervenimus [36].

Ea autem data occasione, Clemens fuse exponit in quo veteres philosophi ultimum illum finem, summumque bonum positum esse censuerint. Ab illo itaque singillatim appellantur Epicurus et Cyrenaici, Dinomachus et Caliphon, Hieronymus, Diodorus, Aristotelici, Zeno Stoicus, Cleanthes, Antipater [37], Archidemus, Panætius, Possidonius, quidam ex recentioribus Stoicis, Aristo, Herillus, Ly-

[20] p. 396. [21] p. 397. [22] p. 398, 399. [23] p. 400. [24] p. 401. [25] p. 402. [26] p. 403. [27] p. 404. [28] p. 405. [29] p. 406. [30] p. 407. [31] p. 408. [32] p. 409, 410. [33] p. 411. [34] p. 412, 413. [35] p. 414. [36] p. 415. [37] p. 416.

Digitized by Google

cus, Leucimus, Critolaus, Anaxagoras, Heraclitus, Democritus, Abderites, Hecatæus, Apollodorus, Nausiphanes, Diotimus, Antisthenes, Annicerii, Metrodorus [38], Plato, Speusippus, Xenocrates et Polemo [39]. Singulas porro illorum opiniones exponit [40], sed diutius in explicanda Platonis sententia immoratur [41]. Quibus tandem explicatis, planum ille facit, quis sit « minime finiendus » Christiani finis.

Quoniam autem voluptas, de qua disseruit, et cupiditas in matrimonium videtur cadere, quid conjugium sit, primo quidem auctor noster definit [42]. Deinde vero investigat utrum, et quæ uxor a viro ducenda, quæve fuerint de conjugio opiniones philosophorum, Platonis, Democriti, Stoicorum et Peripateticorum, qui non secus ac Pythagoras voluptati servierunt. Post hæc plurima ille affert rationum momenta, quibus matrimonii approbatores illius necessitatem utilitatemque demonstrabant [43]. Leges quoque in cælibes sancitas subjicit, ostenditque quale, quam sanctum, honestum atque alienum ab omni turpitudine conjugium esse debeat [44]. Denique sedulo animadvertit sacram Scripturam, quæ de ducenda uxore consilium, non autem præceptum dedit, plane penitusque inhibere, ne ducta unquam dimittatur. Atque ibi Clemens propter nimiam capitum multitudinem et longitudinem hunc librum absolvit.

ARTICULUS III.

Analysis libri tertii.

Suum de nuptiis argumentum tertio in libro Clemens contra hæreticos prosequitur [45]. Narrat autem Valentinianis, sed impia tantum opinione ductis, matrimonium probari. At sectatorum Basilidis ejusque filii Isidori absurdos de iisdem nuptiis et conjugio errores recta continentiæ definitione convellit. Dehinc explicat quid de primis secundisque nuptiis orthodoxi sentiant; ac nefandas Carpocratis et Epiphanis ejus filii de uxorum communitate opiniones, promiscuosque hujusce hæreseos sectatorum in exsecrandis synaxibus concubitus profligat et funditus evertit [46]. Ibi autem perspicue ostendit illos non modo veteris legis, quam frustra Deo, qui illam sicut et novam revera condidit, contrariam esse garriebant, auctoritate condemnari, sed Platonis quoque abuti testimonio. Porro autem illos omnes hæreticos, quemadmodum magos similibus plane, imo vero majoribus erroribus implicatos, epistola Judæ notatos et profligatos esse asserit [47].

Gradum inde facit ad Marcionistas, qui materiam et creaturam malam esse falso existimantes [48], nuptias immerito respuebant. Hac autem hæresi ibi destructa, promittit fore ut ipse alibi falsum illius de mala rerum creatarum natura principium ac vanam de metempsychosi opinionem radicitus evellat. Tum vero nominibus suis ethnicos illos scriptores appellat, qui generationem maledictis insectati sunt, scilicet Heraclitum, Empedoclem, Sibyllam, Poetam, id est, Homerum, Theognidem, Euripidem, Solonem apud Herodotum, rursusque Homerum, Orpheum, Philolaum, Pindarum, Platonem [49], quem tamen negat Marcioni malam dicendi materiam occasionem dedisse [50]. Nos porro Clemens admonet in his ethnicorum hominum sententiis occurrere repugnantiam, de qua ipse alibi se disputaturum pollicetur.

Pergit ille, narratque id quod de misera hominis conditione cecinit tragœdia. Eam vero, inquit [51], ob causam quidam arbitrati sunt Pythagoreos a rebus abstinuisse venereis; sed ab eorum opinione recedens persuasum ait se habere Pythagoreos ab iis non se continuisse, nisi post susceptos ab uxoribus liberos. Quamobrem hi fabarum usu idcirco tantum prohibebantur, quia inde, Theophrasto teste, feminæ steriles fiebant. Cæterum quia superius memorati Marcionistæ non in continentiæ gratiam, sed in Creatoris odium usum creaturarum recusantes, quædam ad tuendum hunc errorem suum verba Christi perverse interpretabantur, hinc Clemens aperit quis verus eorumdem verborum sit sensus [52].

Carpocratis deinde facta rursus mentione, quædam ille refert a se de Nicolao prætermissa, quibus et illum ab impacti criminis suspicione liberat, et ostendit hæreticos, ipsi cognomines, ejus abusos esse auctoritate et verbis, quibus Matthias similia dixisse ferebatur. Subinde vero eos acerrime exagitat, qui propatulam venerem esse « communionem mysticam » impudenter prædicabant [53]. Ex his autem unum in primis, qui quamdam virginem ad infame illud stuprum alliciendam aliquem Scripturæ locum præpostere citabat, postquam severe ac pro merito castigavit, hunc nefarium errorem auctoritate Apostoli radicitus amputat. Quibus ille alterius ex eadem secta et hæresi hominis verba subnectit fateturque illius asseclarum opinioni aliquem forsitan accessurum, si de spirituali tantum communione, quemadmodum Valentiniani loquerentur [54].

Quia vero illi, sicut et Prodici sectatores, qui falsum gnosticorum nomen assumebant, omnia etiam obscenissima sibi licere incredibili plane audacia dicebant, hos variis argumentis a recta ratione, Scripturaque sacra atque humana lege petitis invictissime refellit. Alios similiter coarguit in eodem errore versantes hæreticos, ac primo quidem illos, qui inferiores hominis partes ab alia quam divina potestate factas esse somniaverunt [55]; secundo Antitactas, qui garriebant malum non a Deo quidem, sed ab aliqua ortum esse illius creatura, cui idcirco semper resistere et repugnare debemus. Contra hos autem fusius auctor noster disputat, illorumque errores pluribus, iisque validissimis expugnat rationum momentis, atque eorumdem objectiones, ex sacri textus corruptione desumptas, plane diluit [56].

Denique ne singulas hæreses nominatim persequendo longior esset, illas omnes ad duo præcipua **114** redigit capita. Vel enim docent ἀδιαφόρως ζῆν, « indifferenter vivere; » vel impie continentiam profitentur. At contra primos quidem Clemens probat magis esse tutum, licitum, decorum et honestum continenter vivere, quam incontinenter [57]; negari præterea non posse quasdam esse turpissimas, atque idcirco fugiendas cupiditates, ac proinde non « indifferenter » vivendum [58]. Huc accedit, quod is qui voluptati vitiisque servit, molestia ignominiaque afficitur; nec nisi perfecta divinorum præceptorum observatione, vera Dei cognitio et similitudo, vitaque æterna comparari potest. Postremo veram Christiani libertatem non in voluptate, sicut illi latrabant, sed in perfecta cupiditatum, voluptatum, animique perturbationum liberatione sitam esse contendit.

Dehinc [59] contra secundi generis hæreticos, falso continentiæ prætextu, tam Dei quam nuptiarum filiorumque procreationis osores et impugnatores, ille pugnat Joannis auctoritate, ac solvit eorum objectiones, decerptas primo quidem et aperte ex quibusdam, uti putabant, Christi ad Salomen verbis; secundo et obscurius, ex lege de conjugiis in Veteri Testamento lata, et in Novo, uti aiebant, abrogata; tertio ex eo quod omnem viri mulierisque conjunctionem impuram sceleratamque esse garrirent;

[38] p. 417. [39] p. 418. [40] p. 419. [41] p. 420. [42] p. 421. [43] p. 422. [44] p. 423, 424. [45] p. 426, 427. [46] p. 428 et seq. [47] p. 431. [48] p. 432. [49] p. 433. [50] p. 434. [51] p. 435. [52] p. 436. [53] p. 437. [54] p. 438. [55] p. 439. [56] p. 440, 441. [57] p. 442. [58] p. 443, 444. [59] p. 445.

Digitized by Google

quarto denique quia in resurrectione nullum erit amplius conjugium.

Ad alios inde transit hæreticos qui Christum cælibem se imitari jactitantes, diabolum nuptiarum auctorem dicere non verebantur [60]. Horum autem qui se melius quam alii Evangelium intelligere gloriabantur, inde superbiam retundit; quia Christus Dei Filius, etsi in hoc mundo nec adjutore, nec filiis opus haberet, sponsam tamen habuit Ecclesiam, nuptiasque comprobavit. Quamobrem ibi Clemens edisserit [61] quo sensu ab eodem Christo Domino dictum sit quosdam esse eunuchos qui propter regnum Dei se castrarunt, ac plurium athletarum, præsertimque Astili et Crisonis, necnon Amœbei citharœdi, atque Aristotelis Cyrenæi exemplo ostendit bonam esse castitatem, nisi ob ipsam in Deum charitatem servetur. Quid vero quod ille perspicue probat hæreticos, conjugii ciborumque usum improbantes, ab Apostolo, Elia, Samuele et Christi verbis, atque etiam Petri et Philippi, qui filios ex uxoribus suis susceperunt, exemplo, ac Pauli denique scriptis expresse notari et condemnari [62]? Carpocratis porro solvit objectionem [63], ex his verbis, superius citatis : « A te petenti des [64] » delibatam et de ea stipe pauperibus eroganda, et thesauris incassum non congregandis intelligenda esse demonstrat.

Christianam autem continentiam, quam quidem sine Dei gratia assequi nemo potest, philosophica docet esse præstantiorem. Jubet enim rerum quarumlibet illicitarum concupiscentiam tolli omnino et removeri, nosque iis tantum, quæ necessaria sunt, esse contentos [65]. Et vero angeli, cupiditatibus victi, huc e cœlo dejecti fuere. Addit autem Valentinianos palam tradidisse Christum ita cibis usum esse, ut illos non egereret [66]. Quemadmodum ergo orthodoxi propter honestatem Deique amorem, ita hæretici in Creatoris odium continentiam profitebantur. Sed hi eam sane ob causam, sicut et plurimæ gentes, indocti sunt et impii. Tales utique esse ait brachmanes, qui semper ab animatis, vino omnique cibo tribus nonnunquam diebus abstinentes, vitamque non secus ac mortem, quam regeneratio subsequitur, pro nihilo ducentes, Herculem et Panem venerantur. Apud Indos vero σεμνοί totum vitæ suæ curriculum nudi transigunt, futura prænuntiant, et quamdam colunt pyramidem. Gymnosophistæ tandem, sicut et σεμνοί, « mulieribus, » quæ in virginitate permanent, nunquam « utuntur, » ac cœlestium observatione res prædicunt futuras.

Verum quoniam ii qui omnia indifferentia atque adeo nulla illicita et peccata esse somniaverant, quosdam Scripturæ locos, ac præsertim hæc Apostoli ad Romanos verba : « Peccatum vobis non dominabitur [67], » etc., in pravos suos sensus detorquebant, hinc Clemens breviter ostendit quæ vera sit illorum et Apostoli mens atque sensus [68]. Ad illos autem, qui falsam continentiam in Creatoris odium prætexebant, inde reversus, palam omnibus facit ab istis hæc Christi in Evangelio secundum Hebræos ad Salome verba : « Veni ad solvendum opera feminæ, » perperam objici; quandoquidem ea nihil aliud significant, nisi a Christo soluta esse cupiditatis opera, avaritiam, contentionem, insanum mulieris amorem et alia hujuscemodi peccata.

Instabant tamen iidem hæretici ibidem Christum eidem Salome dixisse : « Eousque homines morientur, quandiu feminæ pepererint. » Sed respondet Clemens id de animæ morte, videlicet peccato, esse intelligendum [69]. Et vero mulier vitæ quemadmodum mortis causa exstitit. Hæc porro vita non carnis est, sed spiritus, uti ex Apostolo haud obscure colligitur.

Nec minus contra Christi mentem urgebant similia illius verba : « Bene feci, quæ non peperi. » Nam quæ continuo subjunguntur : « Omni herba vesceris, » etc., aperte significant in nostra esse potestate vel cælibem vitam ducere, vel conjugio jungi; quod quidem, sicut legitima filiorum procreatio, bonum est et licitum [70]. Neque enim mundi Creator, uti falso hæretici opinabantur, vir electus, et Servator alterius Dei filius; sed vir et mulier legitimo connubio copulati, ac filius ex eis susceptus, sunt illi duo vel tres, in quorum medio Deus esse apud Matthæum dicitur. His porro Clemens alias subnectit eorumdem Matthæi verborum orthodoxas explanationes [71].

Deinde vero ille horum hæreticorum errores ipsiusmet Scripturæ verbis et testimoniis convellit et destruit. Catholicis autem exponit quis legitimus et licitus sit conjugii usus; atque illos ibi monitos esse vult his Moysis verbis : « Egredimini de medio ipsorum, » etc., non uxoris a viro, juxta falsam hæreticorum interpretationem, sed ipsam Judæorum a gentibus, et futuram Christianorum ab hæreticis separationem significari [72]. Tum rursus Pauli auctoritate probat nuptias, præsertim primas, esse legitimas; atque illius sicut et Petri testimonio non solum damnanda carnis desideria, et « inquinamenta, » sed nobis etiam non secundum carnem, sed secundum spiritum vitam esse instituendam [73]. Obiter autem observat ab Apostolo eumdem prædicari veteris novique fœderis Deum, atque ipsius verba contra Creatorem ab hæreticis præpostere usurpari. Tam strictum porro, prosequitur Clemens, idem Apostolus asseverat esse conjugii vinculum, ut conjuges nisi ad tempus, et ex mutuo ad orationi vacandum consensu, a se invicem separari nolit. Decernit itaque bonum esse et conjugium et cælibatum, vultque ut omnes in eo, ad quem vocati sunt, statu perseverent [74].

Qua quidem Pauli auctoritate auctor noster eos **115** redarguit qui, sicuti Tatianus, nuptias et filiorum generationem diabolo ascribebant [75]. Ineptas vero ejusdem Tatiani cavillationes explodit, et ostendit legitimum conjugium, et ex eo susceptos liberos, Deo probari, qui polygamiam in veteri testamento a se concessam, præscriptamque conjuges ex conjugali lecto surgentes abluendi legem abrogando, monogamiam ita novi introduxit fœderis tempore; ut secundas tamen nuptias propter hominis, ut ait Apostolus, intemperantiam et gerendam domus curam permiserit. In utroque igitur testamento, cujus unus idemque, quidquid Tatianus garriat, Deus auctor esse asseritur, tam sanctum et probatum semper fuit conjugium, quam sancta ipsa Mosaica lex et Deo probata [76]. Cui sane veritati Apostolus, qui futuros nuptiarum impios osores prænuntiaverat, apertissime patrocinatur. Ex quibus Clemens colligit neque nuptias, neque carnis aut vini usum prohiberi; modo tamen et cum gratiarum actione, et juxta stabilitas in omnibus Apostoli epistolis temperantiæ ac continentiæ leges adhibeantur.

Urgebant hæretici conjugium in Evangelio reprobari, in quo non solum legitur thesauros in terra, ubi omnia absumentur, non esse abscondendos; sed insuper scriptum est : « Filii illius sæculi nec nubunt, nec nubentur [77]. » At respondet Clemens prius testimonium ad opem egentibus ferendam, posterius vero ad futuram spectare resurrectionem [78].

Nec majoris momenti argumentum ab hæreticis inde ducebatur, quod Apostolus cælibem hominem

[60] p. 446. [61] p. 447. [62] p. 448. [63] p. 449. [64] Luc. VI, 30. [65] p. 450. [66] p. 451. [67] Rom. VI, 14. [68] p. 452. [69] p. 453. [70] p. 454. [71] p. 455. [72] p. 456. [73] p. 457, 458. [74] p. 459. [75] p. 460, 461. [76] p. 462. [77] Matth. XXII, 30; Marc. XII, 25. [78] p. 463.

Digitized by Google

ea, quæ Domini sunt, curare dixerit. Nam conjuges etiam de rebus divinis solliciti esse et Deo placere possunt. At ibi observat Clemens quam severe idem Apostolus eos corripiat, qui ad secundas nuptias sunt proclives [79].

Ultimæ tandem eorumdem hæreticorum objectiones inde petitæ erant, et quia Judæi a Christo Domino prava et adultera generatio appellantur, et quia is qui uxorem duxerat ad divinam cœnam venire recusaverit. Utrumque autem auctor noster facile diluit. Christus enim Judæos his verbis ideo tam dure objurgat, quia ii seniorum traditionem, præceptaque hominum sequentes, divinam legem virginitatis ducem adulterabant. Ad nuptias porro hominis invitati nomine et parabola hos Christus increpat, qui propter voluptates renuebant Dei obtemperare mandatis, quibus conjuges haud difficiliter satisfacere possunt [80]. Quod denique Psalmista cecinit: « Inveteravi inter omnes inimicos meos [81]; » Clemens ait non ad generationem, uti falso hæretici putabant, sed ad peccatum, puta fornicationem, minime vero legitimas nuptias esse referendum.

Quoniam autem Cassiani, Docetarum hæreticorum principis, idem ac Tatiani de mala hominis generatione error erat, eademque ut plurimum impiæ opinionis fundamenta, hæc Clemens jam a se funditus eversa esse asserit. Quamobrem ad alia non minus caduca ejusdem Cassiani firmamenta similiter diruenda propius accedit. Quid enim ad falsam illius opinionem stabiliendam magis futile, quam hæc objecta ab eo, uti jactabat, Christi verba : « Quando pudoris indumentum conciliaveritis, et duo facta fuerint unum, masculus et femina? » Etenim Clemens continuo respondet hæc neque in quatuor nostris Evangeliis, sed in eo, quod secundum Ægyptios inscriptum erat, occurrere; atque masculi vocabulo iram, feminæ vero cupiditatem designari.

Quod autem addebat Cassianus animam ab initio divinam, huc effeminatam ad generationem et interitum venire, id Clemens nimis Platonicum ac plane erroneum esse demonstrat [82]. Quodnam quippe fuerit primum, cujus delendi gratia Christus homo factus est, Adæ peccatum, et quid apud Paulum vetus homo significet, ac cur tandem ille nostram in cœlis habitationem esse dicat, breviter exponit. Pollicetur denique se alibi contra falsam ejusdem Cassiani interpretationem expositurum quæ sit vera pellicearum Adæ et Evæ tunicarum significatio. Interea vero ille quod Paulus propter fornicationem jubet uxorem duci, quod Christus eum, qui uxorem et filios non oderit, discipulum suum esse negat, quod Isaias eunuchis a Domino dictum esse refert, quod Jeremias atque Esdras diei nativitatis suæ male precantur, horum, inquam, omnium contra hæreticas cavillationes verum genuinumque sensum enucleat [83].

Pergit Clemens [84] alia diluere Cassiani argumenta, ab eo perperam deducta ex Jobi verbis : « Nullus a sorde mundus, nec si sit quidem una dies vita ejus; » et Psalmistæ : « In peccatis conceptus sum, et in iniquitatibus concepit me mater mea [85]; » actandem Malachiæ : « Videam primogenita pro impietate, fructum ventris mei pro peccatis animæ meæ. » Docet enim ipsemet Clemens hæc omnia pro hæretica impietate nihil prorsus facere, ac catholicos habere explicatus. Ad hæc vero addit Apostolum scribentem : « Qui certat, ab omnibus abstinet [86], » his verbis non dixisse abstinendum esse ab omnibus, sed in omnibus continenter vivendum.

Porro autem malam non esse generationem inde Clemens evincit, quod Christus ex virgine genitus sit. Frustra ergo quia homo generatione jumentis assimilatur, Cassianus phantasticum, Marcion vero et Valentinus animale corpus ab eodem Christo acceptum esse inferebant. Frustra etiam garriebant Adamum, nisi diabolico persuasu, cum uxore sua nunquam commiscendum, ac juvenili ardore antevertisse stata sui cum illa concubitus tempora [87]. Enimvero hæc male ficta ac perperam excogitata errantium hominum commenta non impedichant, quominus bona sit generatio, per quam non solum mundana omnia consistunt, sed ipsemet etiam Christus humanum, non tamen pulchrum corpus assumpsit.

Non amplius itaque eos Clemens censet esse audiendos qui objiciunt hunc concubitum in Scriptura sacra appellari « cognitionem, » id est mandati transgressionem; ac proinde esse peccatum. Nam hoc vocabulum notitiam quoque veritatis, nec infringendas esse conjugii leges significat. Cæterum etiamsi Apostolus carnem, animæ inimicam, regnum Dei possidere non posse dixerit, certum tamen est sanatas fuisse a Christo carnis nostræ infirmitates, atque hominem idcirco, si tamen non peccaverit, posse regnum Dei adipisci [88].

Ex quibus Clemens concludit omnes illos hæreticos toto cœlo ab catholicæ veritatis regula aberrare, tam eos qui falsæ continentiæ prætextu nuptias creaturasque condemnabant, quam alios qui sese in omni effrenatissimæ libidinis et voluptatis genere volutantes, id cæteris omnibus licitum esse persuadere conabantur. Quamobrem, ut illos fugiamus, nec cum eis unquam conversemur, jubet non solum Propheta, sed etiam Apostolus, qui fornicationem, neutiquam **116** vero nuptias proscribit [89]. Quapropter rursus Clemens alios corripit, qui veterem legem, quasi easdem nuptias, in nova rejectas, approbaret, perperam repudiabant. Denique hunc absolvendo librum, nos sedulo monet Gnosticorum nomen ab his hæreticis plane immerito usurpari.

ARTICULUS IV.

Analysis libri quarti.

De martyrio et de perfecto homine sibi nunc disputandum esse Clemens declarat [90]. In hoc autem tractatu ait se de iis dicturum, quæ orationis sermonisque ordo et connexio postulabit. Quapropter monitum quemlibet facit se, postquam servo et libero, viro æque ac mulieri philosophandum esse docuerit, tunc disputaturum de fide, de inquisitione, de symbolico loquendi genere, ac de iis quæ ad mores pertinent; deinde vero de barbaræ philosophiæ a Græcis delibatæ utilitate, de sacræ Scripturæ adversus Græcos et Judæos expositione, et de his quæ in superioribus libris, ne prolixiores essent, prætermissa sunt; postea vero de naturalibus juxta Græcorum barbarorumque opiniones principiis, ac præcipuis philosophorum dogmatibus, de Scripturæ, qua adversus hæreses unum duntaxat omnipotentem esse Deum demonstratur, summa auctoritate, ac tandem de « gnostica » contemplatione [91]. Quæ quidem ut clarius explicentur, dicit Clemens sibi a parvis esse incipiendum rebus, et ab iis quæ de mundi creatione scripta sunt, atque inde lectorum animos ad sublimiora sic gradatim conducturum; ut postquam iis, quæ ad mores spectant, finem imposuerit, illos ad ipsiusmet Divinitatis contemplationem perducat.

Hæc porro argumenta omnia non separatim et accurata methodo, sed permiste et confuse, ab uno ad aliud sæpe transeundo, propter imperitos ac male affectos lectores, a se tractanda esse denuntiat [92]. Quam sane ob causam hosce commentarios, quos cum agro omnibus herbis pleno et *cum ve-*

[79] p. 464. [80] 465. [81] Psal. VI, 8. [82] p. 466. [83] p. 467, 468. [84] p. 469. [85] Psal. L. 7. [86] I Cor. XII, 25. [87] p. 470. [88] p. 471. [89] p. 472, 473. [90] p. 474 [91] p. 475. [92] p. 476.

Digitized by Google

teri florida oblatione comparat, *Stromata* a se inscriptos fuisse testatur, aperitque quomodo et quæ utilitas ex eis possit comparari.

Ad suum dehinc argumentum aggressus, docet fidem aliam bonam esse, aliam vero malam; bonam quoque esse continentiam, atque abstinere ab injustitia esse salutis principium [93]. Deinde vero quamvis sapientia, inquit ille, in homine « gnostico, » et perfecto, qui « angelis tempore et indumento » minor est, a scientia non differat; solus tamen Deus est proprie sapiens, a quo veritas, quam « gnosticus » amat, ad hominem derivatur. Is enim non solum corpore, quo ad terram tendit, quemadmodum bellua constat, sed etiam anima, qua a corporeis cupiditatibus, atque a metu et labore aversus, ac vera philosophia eruditus, ad Deum attollitur [94]. Neque tamen idcirco timor, neque lex de eo sancita malum quid dici possunt. Hunc enimvero errorem, jam a se confutatum, Clemens noster rursus refellit, et explicat quomodo lex justo bonoque viro non sit posita.

Corporis itaque, uti ille pergit, et animæ, quibus homo compositus est, separatio est illius mors naturalis, spiritualis vero peccatum, a quo etiam quando separatur, spiritualis ejus vita est. At Christianus philosophus toto vitæ suæ tempore illam animæ corporisque sui ita meditatur separationem, ut in carne vitam agens, mundo sit mortuus et in cœlo versetur [95]. Quapropter nullo unquam mortis metu veram fidei nostræ doctrinam aut Christum negabit; sed propter summum Dei amorem et charitatem martyrium mortisque supplicium constantissime perferet. Et id quidem perfectum charitatis opus, et « consummationem, » τελείωσιν, vocamus. Nec mirum sane, quandoquidem veteres Græci in bello mortuos laudibus prosequebantur [96]. Porro autem ii etiam Christiani sunt martyres, qui qualibet morte defuncti, mandatis Christi semper paruerunt, terrena omnia despicatui habentes, ac « fidem, tanquam sanguinem per totam vitam, et etiam in exitu » profundentes [97].

Verum huic orthodoxæ de martyrio doctrinæ erant duo e diametro sibi invicem oppositi hæreticorum errores. Quidam enim dictitabant idem esse Christum morte confiteri, ac violentas sibi afferre manus. Alii vero in Creatoris odium morti sese ultro et sponte sua offerebant. Probat autem Clemens hos nomine tenus Christianos esse, nec magis dici posse martyres, quam Indorum gymnosophistas, qui se temere in ignem dabant præcipites. In corpus itaque, cujus recta compositio ad ingenii solertiam confert, hi præpostere omnino invehebantur. Neque enim huic errori, uti falso opinabantur, suffragatus est Plato, qui expresse docuit corporis, per quod recte vivere licet, gerendam esse curam. Errorem quoque Stoicorum, qui animam ullo modo a corpore affici negantes, omnia ἀδιάφορα, indifferentia esse volebant, Clemens retundit cum exemplo Jobi, tum Apostoli verbis, quibus martyrium docuit esse « conversionis gloriosæ sanctificatum exemplar [98]. » Et vero, quoniam dolor et paupertas imperfectos homines a virtutis exercitatione avocat, ad quam eos sanitas et rerum abundantia allicit, hinc Clemens infert corpus propter animam esse curæ habendum. Deinde vero, quia voluptas et dolor ex natura sua neque bona sunt, neque mala, idcirco martyr præsentem dolorem spe voluptatis futuræ levat ac removet [99]. Quod quidem auctor noster ut planius faciat, quid de sanitate, paupertate et divitiis a quibusdam paganis scriptoribus traditum sit, paucis repræsentat. Longe autem fusius ille enucleat in quo secundum Christum posita sit vera beataque paupertas veræque divitiæ, et quid sit animam suam perdere aut invenire [1].

Stoici porro, prosequitur Clemens, dicunt animam in sapientiam mutari; Plato autem conversionem ejus fieri ex nocturno die, sive tenebricosa luce ad perfectum Dei lumen et cognitionem [2]. Alii denique philosophi homini permittunt animam a corpore ita abducere, ut nulla amplius reliqua sit spes actionis. At Christianus martyr ad supplicium propter Christi confessionem petitus, nullus unquam dubitat ab omni malo actu cessare, ac hominum minis Dei præferre dilectionem. Tunc autem ille Dominicum istud implet præceptum : « Vade, vende omnia, quæ habes [3], » τὰ ὑπάρχοντα. Atque id quidem Clemens breviter edisserit, ostenditque illud sine charitate non posse observari.

Qui ergo neque propter metum supplicii, neque propter doni alicujus promissionem ad salutare verbum accedunt, hi a dextris sanctuarii stant; qui autem donis ducuntur, mercenarii sunt, stantque a sinistris; et hi quidem ad imaginem, illi vero ad Christi similitudinem. Utrique porro Lazari ex divitis parabola designantur, dicunturque servire vel Domino **117** vel mammonæ [4]. At secundi quidem ad cœnam vocati non veniunt, et vulpes, quemadmodum primi volucres, appellantur. Paupertatis tamen, si æquo animo non feratur, innumeræ sunt, sicuti divitiarum, gloriæ et conjugii sollicitudines, quadripartiti seminis parabola denotatæ. Omnibus itaque, quæ accidunt, ita utendum est, ut toto corde credentes, totoque animo tranquilli, per bonam vitam « gnosticam » ad æternæ vitæ habitum exerceamur. Et hoc sane ut omnibus persuadeat, paucis Clemens noster edisserit qui sint thesauri in terra, sicuti Christus docet, non congregandi, et quis thesaurus in cœlo non deficiens [5].

Quamobrem qui propter justitiam pauperes esse volunt, illi utique audierunt quid contra nimiam divitiarum sollicitudinem et avaritiam, quid de Zacchæo, vel ut quidam opinabantur, Matthia publicanorum principe, quid de vidua duos nummos in gazophylacium projiciente, idem Christus Dominus pronuntiaverit.

Hæc porro Clemens ad primæ beatitudinis evangelicæ explicationem se scripsisse palam significat [6]. Inde ad secundam venit, docetque qui sint illi « mites, » quos Christus beatos terramque possessuros esse asserit. Ibi autem varias patefacit mercedis mansionumque cœlestium pro diversis hominum meritis differentias [7]. Tertia vero beatitudo, prosequitur Clemens, est « lugentium, » videlicet eorum qui vitæ malæ actæ pœnitentia, quam ille exponit, sincere ducuntur. Quarta « misericordes, » hoc est illos, qui quantum in se est aliis opem ferunt, beatos prædicat. Quinta « mundos corde, » qui rejectis cupiditatibus et cogitationibus mundi, ad Dei veniunt cognitionem et contemplationem. Sexta « pacificos, » qui cupiditatem, iram, aliasque animi affectiones ita mansuefecerunt, ut piam sanctamque vitam semper agant [8].

In ultima tandem beatitudine eorum, qui « propter justitiam persecutionem patiuntur, » exponenda diutius Clemens immoratur, probatque illos esse qui inflictos propter Christianam professionem cruciatus constanti patientia et magna animi alacritate sustinent. Quælibet autem tentatio, inquit, est occasio martyrii, et qui Dei mandatis morem non gerit, hic Deum negando seipsum abnegat, estque infidelis et hypocrita [9]. At qui Deum diligit, seipsum diligit, et qui pro Christo Servatore moritur, propter suam moritur salutem et frater appellatur. Quicunque porro mandata Dei exsequi-

[93] p. 477. [94] p. 478. [95] p. 479. [96] p. 480. [97] p. 481. [98] p. 482. [99] p. 485. [1] p. 484. [2] p. 485. [3] Matth. XIX, 21. [4] p. 486. [5] p. 487. [6] p. 488. [7] p. 489. [8] p. 490. [9] p 491.

Digitized by Google

tur, is ipsiusmet Dei, cui credit, martyr et testis est.

In eos itaque qui martyrium condemnabant Clemens insurgit, aitque illos nescire et illud esse veræ vitæ principium, et pie viventibus honores post mortem, sicut et impiis supplicia, decerni [10]. Et hoc quidem ab illo non solum ex sacris nostris auctoribus, sed etiam paganis, videlicet Theano Pythagorica et Platone, probatur. Hinc postquam castigavit Telephum, qui unicam esse ad inferos viam dixerat, planum omnibus ex Aristophane, Epicharmo, atque ex Matthæo et Paulo facit, quam infelix, misera et brevis sit infidelium hominum vita. Verum recte nos admonet inde cum Marcione nullum inferre posse malam esse creaturam, sed eos revera esse beatos et felices, qui martyrio vitam posuerint [11].

Non audiendi itaque ii sunt, qui fieri non posse existimant ut imbecilla caro potestatibus et dominationum spiritibus resistat. Nam id Dei ope et auxilio omnibus facile est, modo tamen in eo fiduciam habeant. Quid vero, quod et hoc ipsum non ita difficiliter posse fieri auctor noster paganorum poetarum et aliorum testimonio, atque ipso etiam Indorum philosophorum exemplo confirmat [12]? Cum autem, teste Heraclito poeta, servorum sit mortem timere, Clemens ex Apostolo docet Christianum nec habere amplius servitutis spiritum in timorem, nec servire peccato; sed illum virtutis, dilectionis et sobrietatis donatum esse spiritu, quo omnia etiam durissima patienter ferendo, beatus, uti de justo homine scribit Plato, futurus est.

« Gnosticus » igitur etiamsi afficiatur contumeliis, spoliatione bonorum, exsilio et morte; nihilominus a libertate et a summa in Deum charitate, quæ tertius perfectionis illius gradus est, nunquam divelletur [13]. Gentilium autem, qui omnia fatali necessitate obvenire somniaverant, pervicaciam Clemens obiter increpat. Subinde vero his, inquit, qui ad perfectionem contendunt, proponitur ἡ γνῶσις ἡ λογικὴ, cognitio rationalis, cujus fundamentum est sancta Trinitas, fides, spes, et utraque major charitas. Qui porro hac præditus est, omnia quidem ei licent, sed propter infirmam aliorum conscientiam a quibusdam abstinet, omnia ad Dei facit gloriam, pugnat armis spiritualibus contra « altitudinem » quamlibet, « adversus cognitionem Dei sese extollentem, » nullamque afflictionem, nullum periculum, nullumque casum formidat [14]. Neque id ulli mirum plane esse debet. Plurimi siquidem pagani homines, nimirum Æsopii, Macedones, Lacones, Zeno Eleates, Theodotus Pythagoreus, Paulus Lacydis familiaris, Posthumus Romanus, Anaxarchus, et legatus ad Zamolxim mittendus, acerbissima tormenta constantissime pertulerunt [15].

Porro autem plena est Ecclesia Christianis philosophis tum viris tum mulieribus, qui totam vitam in mortis meditatione ad Christum excitante consumunt. Quæ quidem philosophia ab omnibus utriusque sexus, sive barbaris, sive Græcis, comparari potest. Non minus etenim feminis quam viris temperantia aliæque omnes virtutes, secundum tamen sexus differentiam, communes esse debent; et his æque ac illis adversus vitia et carnis illecebras pugnandum est [16]. A feminis itaque fortitudo et magni animi virtus desideratur quidem, sed non ea quæ in Amazonis Sauromatidis, Sacidibus et Iberiis celebratur. Omnibus igitur et singulis, ad felicitatem contendentibus, Christiane philosophandum est [17]. Temere ergo Euripides, atque etiam Homerus modo bene, modo male, canunt de mulieribus. Harum autem et virorum, parentum et filiorum, servorum et dominorum, ac tandem mutua singulorum in se invicem Clemens enucleat officia, quibus super omnia charitas et pax Christi in omnium gratis erga Deum cordibus regnet [18]. Atque ibi obiter ingrati in Opificem Marcionis errorem refellit.

Ex his itaque, inquit ille, liquido intelligitur quæ sit fidei unitas et Christiana perfectio. Quocirca quilibet Christianus, sive vir, sive mulier, tametsi bonorum ac facultatum omnium jactura extremaque supplicia immineant, nunquam a religione, pietate et vero Dei cultu deterrebitur, atque in iis usque ad mortem eo constantius perseverabit, quo magis illum aliqui ab iis arcere conati fuerint [19]. Neque enim ad aliud ille unquam collineabit, quam ad id quod recte honesteque, quidquid aliis secus videatur, fieri **118** potest. Quod quidem Clemens firmat auctoritate Epicuri, qui docuit ab omnibus et omni tempore philosophandum.

Tum continuo ille nobis exhibet Christi Domini de martyrio publicaque nostræ fidei confessione verba, quæ ab Heracleone partim bene, partim male explicari demonstrat, ac tandem martyrium sibi peccatorum cum gloria expurgationem videri concludit [20]. Eam sane ob causam apostoli Christum, qui pro infidelibus mortis « calicem bibit » imitantes, pro iis quas fundaverunt ecclesiis passi sunt. Illorum autem vestigiis insistentes « gnostici, » vitam agunt adeo sanctam et a peccato sic alienam ut si casus aliquis pro Ecclesia patiendi sese offerat, tunc pro Dei amore tormenta mortemque obeant [21].

Christus itaque ubi eos dicit esse fugiendos qui nos « persecuti fuerint, » his quidem verbis non significat malum esse aliquod « persecutionem » ac mortem pro ipso « pati; » sed nobis cavendum ne temere et inconsulto certæ morti ultro nos offerentes, tyrannis peccandi atque injuste nos interficiendi occasionem præbeamus. Atque ad id efficacius stabiliendum Christi utitur auctoritate, qua ille auferenti pallium præcipit dari et tunicam.

At, inquiebant, cur Christiani torti sunt et necati, si Deus curam eorum gerebat? Respondet Clemens nos neutiquam existimare Deum velle, ut Christiani hos inciderent in casus; sed ipsorum futuros illis prænuntiasse cruciatus et tormenta, quibus ad æternam, quam eis promittebat, pervenirent hæreditatem [22]. Quid vero, quod et ipsimet pagani suppliciis aliquando afficiebantur?

Quid tum aiebant pagani? Nam hi malefici erant. Optime quidem, pergit Clemens. Christiani igitur si propter justitiam pœnas iniquis judicibus dederunt, quid inde contra æquissimi Dei providentiam? Nonne tyrannis fas erat causam examinare Christianorum, nec in eos ob solam Christianæ religionis professionem iniquissimum ferre judicium?

Cur ergo, instabant pagani, tunc Christianis nihil ferebatur auxilii? Quia nulla, inquit Clemens, injuria affecti, gratias tyrannis idcirco habere debebant, quod sibi ad Deum æternamque vitam celerius commigrandi darent occasionem. Et vero illos nullis, etiam exquisitissimis, suppliciis lædi Anyti Melitique exemplis, et Scripturæ auctoritate invicte asserit.

Tum deinde ille falsam et hæreticam Basilidis de martyrio opinionem fusius exagitat et funditus evertit [23]. Monet tamen se de ea alibi rursus disputaturum. Nec leviori sane ictu concutit errorem Valentini [24], qui martyrium ideo aspernabatur, quia sectatores suos, ab initio immortales, genus esse electum; catholicos autem tam ille, quam ipsi Phryges, de quibus in tractatu de prophetia sermonem Clemens habiturum se esse spondet [25], animales esse garriebat; atque inde discipulos suos ut mortem a Creatore, de quo alibi dicendum, profectam dissolverent, venisse perperam colligebat.

[10] p. 492. [11] p. 493. [12] p. 494. [13] p. 495. [14] p. 496. [15] p. 497. [16] p. 498. [17] p. 499. [18] p. 500. [19] p. 501. [20] p. 502, 503. [21] p. 504. [22] p. 505. [23] p. 506 et seq. [24] p. 509, 510. [25] p. 511.

Digitized by Google

Perfectus ergo Christianus, uti ex jam dictis Clemens conficit, debet mandata Dei per charitatem exsequendo, ad divinam tendere amicitiam. Debet etiam inimicum, quatenus homo et Dei opus est, diligere, minime vero illius peccata, quæ nec substantia aliqua, nec Dei opus dici possunt. Non debet autem aliena concupiscere, non ideo certe quia mala, nec a Deo sint, sed quia recte terrenis bonis utendum. Debet insuper eis, a quibus male afficitur, benedicere, et erga adversarium, non quidem, uti quidam opinabantur, corpus suum, sed pravos homines, quibuscum versari tenetur, esse benevolus [26]. Nihil denique quodcunque acciderit, illum a charitate Dei separare debet.

« Habes, » prosequitur auctor noster, συγκεφαλαίωσιν γνωστικοῦ μάρτυρος, « summam martyris gnostici, » seu cognitione præditi. Duplex porro, inquit, est cognitio, una cum omnibus communis, qua videlicet verus agnoscitur Deus; altera paucorum, qui putant licere cibis vesci falso numini immolatis, a quibus abstinendum apostoli lata lege sanciverunt. Quamvis autem id aliquando licitum esset, ab his tamen propter infirmam aliorum conscientiam abstinere debemus [27].

Docet præterea Apostolus communem fidei doctrinam esse odorem cognitionis, quæ Vetus Testamentum legentes nondumque ad Dominum conversos fugit. Ab hac vero Clemens distinguit « gnostici » et martyris perfectionem, et in quo ea sita sit, explicat auctoritate Joannis et Pauli, præsertim in sua ad Hebræos Epistola, necnon et ex Sapientiæ libro, ubi martyrium gloriosa, uti dictum est, expurgatio esse perhibetur [28]. Quamdam quoque ejusdem « gnostici » formam in Clementis, quem apostolum vocat, *Ad Corinthios Epistola* pulchre exhiberi auctor noster pluribus demonstrat; atque ea quæ ab illo hac in epistola de perfecta charitate scripta sunt, rursus Pauli testimonio confirmat [29].

Scriptis porro cum hæc ille mandaret, in mentem ipsi venit quidam « gnosticus, » cujus falsa opinio erat, eum qui mulierem « ad concupiscendum » aspexerat, non peccasse, nisi cupiditatem actione aliquando sive somniando sive vigilando explevisset [30]. Hunc autem errorem ut refellat, primo Bocchoridis de adolescente, qui in somnis libidinem cum meretrice explevisse visus sibi fuerat, judicium proponit. Dehinc planum facit quis aspectus mulieris malus sit, aut bonus; et observat appetitionem a cupiditate ita discerni, ut hæc tribuatur voluptati et intemperantiæ, illa vero sit ex ratione motus, et in iis quæ secundum naturam sunt constituatur [31]. Denique qui omnis vitii et animi perturbationis expertes, ac cognitione et bonis operibus ornati sunt, hos dicit esse beatos atque ad Deum transmitti.

Perfectionis autem istius tam vir quam mulier possunt esse participes. Quod quidem luculentissime ab auctore nostro variis probatur [32] exemplis: Moysis, qui maluit una cum populo mori quam solus esse salvus et incolumis; Judithæ, quæ pro patria imminens vitæ periculum contempsit; Esther, Susannæ et Moysis sororis; necnon et ethnicarum mulierum Lysidicæ, Philoteræ, Leænæ Atticæ, Telesillæ poetriæ, Danai filiarum, Atalantæ, Anticleæ, Alcestidis, Macæriæ, Hyacinthidum, Theanus Pythagoricæ, Themisto, Myæ Theanus filiæ, Arignotes, Diodori filiarum, quæ Menexeno, Argia, Theognis, Artemisia et Pantaclea vocabantur. Deinde vero Cyniæ Hipparchiæ, Aretes Cyreniacæ, Lastheniæ Arcadiæ, Axiotheæ, ac demum Aspasiæ, ex quibus plures philosophabantur. Alias plures Clemens se prætermittere testatur poetrias Corinnam, Telesillam, Myam et Sappho; pictrices Irenem et Anaxandram. Quid vero, quod Cleobuli filia paternorum lavabat pedes hospitum, et Sara Abrahæ uxor subcinericios panes angelis paravit, ac puellæ regiæ **119** apud Hebræos oves pascebant, quemadmodum Homerus Nausicaam ad labra ivisse cecinit?

Tum Clemens exponit quomodo mulier quæ a viro quominus ipsa vel ejus ancilla virtuti operam det, prohiberi non potest, sese ergà eum gerere, illique obedire debeat [33]. Ex Euripide autem ille patefacit quid mulieri, quæ cum honestate virum suum amat, agendum sit. Deinde describit et ostendit quomodo conjugium possit esse sanctum et felix, ac quo etiam modo mulier, si marito ut pie religioseque vivat persuadere non possit, sese debeat exhibere. Denique latas ab Apostolo conjugibus leges et præcepta summatim enucleat [34].

Cum itaque unus sit viri ac mulieris finis et scopus, ex Petri Paulique Epistolis pandit quis sit homo vere perfectus. Quia vero varii sunt gradus perfectionis, Clemens ingenue fatetur sibi penitus esse incompertum, an aliquis unquam præter Christum Dominum attigerit summum perfectionis apicem. Verumtamen haud dubitanter affirmat veteris perfectionem legis Christianæ religionis professione comparari [35]. Christianus vero perfectus est, si lege illa tanquam gradu ad perfectionem utens, et illam, uti par est, mente percipiens, vitam recte instituat. Ad perfectionis autem fastigium perveniet, si summa in Deum charitate pro Christi nominis confessione mortem profuso sanguine lubenter obierit.

Quæ autem sint vitæ illius perfectæ seu « gnosticæ » prolusiones atque præexercitationes, et quomodo, dum in hac vita degimus, nobis ut in virum perfectum et in Christi plenitudinem occurramus adnitendum sit, perspicue auctor noster Pauli auctoritate demonstrat [36]. At ex eodem apostolo scite animadvertit varia esse perfectionis genera, et alia quidem prophetæ, alia justi hominis, alia martyris, alia doctoris; sed apostolos in omnibus fuisse perfectissimos [37]. Verum quoslibet tamen ille monitos esse vult Pauli, cæteris apostolis recentioris, scripta ex veteri pendere testamento, illudque ab hominibus Hebræis, nisi in Christum crediderint, percipi et comprehendi non posse.

Intelligentis porro ac perspicacis « gnostici » primum opus, cæterorumque actuum ejus basis et fundamentum est abstinere a malis; deinde nihil boni neque propter metum, neque propter promissi spem honoris aut mercedem agere; sed ipsam propter se expetere Dei cognitionem [38]. Nam οὐσία τοῦ γινώσκοντος « essentia cognoscentis, » ait Clemens, est perpetuo et ulla absque intermissione Deum contemplari. Quamobrem si quis per hypothesim, quod tamen fieri non potest, æternam salutem a cognitione Dei sejunctam proposuerit « gnostico, » hic nihil plane hæsitans Dei cognitionem eliget. Perfectus igitur homo nihil propter usus proprios, aut gloriam et famam, aut mercedem sive ab hominibus sive a Deo accipiendam, sed propter id tantummodo, quod pulchrum et honestum est, agens, erga justos et injustos semper justus et beneficus, vitam traducet suam. Qui autem sic vivit, « ille, » juxta Clementis sententiam, « non est amplius continens, sed ad habitum ἀπαθείας, impatibilitatis, pervenit, ut divinam figuram induat [39]. » Anima enim illius, quoad fieri potest, Deo assimilatur, si iis, quæ sunt eadem, semper intendat, atque ad res corporeas, quibus varia fit ejus affectio, non convertatur.

Quamobrem sive vigilando sive dormiendo eadem ipsius anima visis et somniis minime mota, et ab omni perturbatione prorsus vacua, semper pura et immaculata perseverat. Qua quidem ratione nox εὐφρόνη vocatur, et maxime noctu peraguntur

[26] p. 512. [27] p. 513. [28] p. 514, 515. [29] p. 516 et seq. [30] p. 520. [31] p. 521. [32] p. 522, 523. [33] p. 524. [34] p. 525. [35] p. 526. [36] p. 527. [37] p. 528. [38] p. 529. [39] p. 530.

Digitized by Google

mysteria, quandoquidem tum anima, a sensibus prorsus abstracta et ad seipsam conversa, prudentiæ magis est particeps. De morte autem idem ac de somno dicendum. Mors quippe, teste Heraclito, animæ abscessum magis, somnus vero minus significat [60]. Quapropter Apostolus Filium Dei allegorice diem et lucem, et præcepta arma lucis appellavit. Simili quoque metaphora homines olim jubebantur ad sacrificia et preces splendidi ac mundi accedere, mosque Judæorum erat ut in lecto sæpe abluerentur. Verum perfecta mundities non corporis est, sed mentis, videlicet operum, cogitationum et sermonum; ita ut etiam in somnis sit a peccato vacuitas. Sufficiens vero purgatio et peccati admissi pœnitentia ea est, qua mentem a prioribus delictis et ab iis quæ sensus delectant penitus avertimus. Quod quidem ipsa confirmat ἐπιστήμης et πίστεως etymologia, quæ ex statione et quiete dicitur. Verumenimvero illa hominis mentem ita sistit, ut omni prorsus seu suppliciorum seu pravorum hominum timore deposito, justus semper maneat. Quamobrem Clemens absurdum penitus proscribit errorem Epicuri, qui putabat hominem sapientem posse aliis, modo id penitus latere sciverit, facere injuriam. Quinimo ipsemet Clemens præterea contendit eum, qui spe mercedis sicut et metu ab injustitia abstinet, sua sponte non esse bonum [61].

Bonorum autem, inquit ille, seu malorum post mortem futurorum spes ab ethnicis philosophis, non solum Pythagoræ sectatoribus, verum etiam Heraclito et Platone agnita est. Hæc autem, ut testatur Apostolus, non confundit. Qui autem vocationi suæ morem simpliciter sincereque gerit, is neque propter metum, neque propter lucrum aut delectationem, sed dilectione tractus Dei, eum pie colit ac veneratur. Quapropter etiamsi vetita impune agendi potestatem a Deo acceperit, ille tamen, utpote qui honestum ex seipso amandum esse noverit, in suum nunquam animum inducet ut aliquid præter rationem agat. Et vero persuasum omnino habet res creatas, sicut et legitimum conjugium ac liberorum procreationem, quidquid hæretici contra garriant, esse quidem bona, sed præstantius esse divina assimilatione, ἀπαθῆ, nullis perturbationibus obnoxium, καὶ ἐνάρετον, « et virtute præditum fieri [62]. » Manifestum deinde Clemens facit, quid hac lege « Non concupisces, » significetur, et quæ sit « gnostici » ad Deum precatio, qua et a cupiditate liberari, et ipsimet Deo conjungi, ac paucis, tametsi creata omnia bona sint, contentum esse postulat.

Tum auctor, rursus Apostoli auctoritate fultus, asserit res creatas esse quidem bonas, tametsi aliæ aliis sint revera meliores [63]. Subdit autem ea, quæ necessaria nobis sunt, Dei benignitate esse paratu facilia. A Democrito itaque illud, cujus ipse rationem jam reddiderat, observat pulchre omnino dictum, « naturam et doctrinam rem esse persimilem. » Utriusque autem Deus prima et secunda creatione auctor est. Porro autem cum ea quæ mentis sunt a nobis eligi debeant, inde Clemens colligit quæque honesta videri jucundissima, et illa hanc præbere animi tranquillitatem, qua homo, uti Psalmista **120** et Empedocles testificantur, in Deum credit.

Duplex autem homo distinguendus est: primus a Deo ex congeniti spiritus idea naturaliter perfectus qui, sicuti Adam creatus, omnibus est utique communis; alter vero homo singularis est, qui ex forma eorum, quæ elegerit, proprium accipit characterem [64]. Hic autem ex natura sua variis animi perturbationibus et motibus, quæ in Deum cadere non possunt, plane obnoxius, dici potest multiplex. Verum si hæc virtute domuerit, fit immutabilis; atque idcirco unicus, et quoad fieri potest, Deo similis ac Deus efficitur. Is vero « gnostica » natura sua Deum ad se attrahit, eum colit, et sincera sua purgatione ipsum sancte contemplatur.

Cæterum, quia in cujuslibet hominis libera potestate situm est Deo credere vel non credere, ac præcepta illius observare aut transgredi, ille idcirco propter recte vel male facta aut laudem meretur aut vituperationem; ac propter peccata, quæ tamen omnia, quidquid Basilides secus somniaverit, baptismate dimitti certum est, merito pœnis afficitur. Triplicem autem ob rationem, quemadmodum duplici modo, peccata post baptismum admissa castigantur; quæ vero ante illum perpetrata sunt, dicuntur expurgari. At qui peccato minime inquinatus immortalem Dei naturam contemplatur, ille beatus est, et, ut ait Plato, inter homines Deus erit; vel cum Christo angelus, et solus prudens, Dei voluntatem indefessa contemplatione semper considerat [65].

Nec est sane quod quis objiciat nos non posse ad Dei, qui demonstrari nequit, pervenire cognitionem. Nam per Filium ejus ac infinitas ejusdem Filii perfectiones, illum agnoscere, ei credere, atque ita ipsi conjungi possumus. Verum si de illo dubitemus aut ei non credamus, ab ipso disjungimur, nec sumus Levitæ, seu alienigenæ, qui in sancta non ingrediuntur. Etenim qui crediderint et vitam puram duxerint, ii veri sunt Dei sacerdotes et Levitæ, quibus mortuos tangere vetitum est; aut si tetigerint, jubentur die septimo purgari, et octavo offerre « propitiationem [66]. » Qua quidem lege significatur a « gnostico » nuntium peccatis et mundanis rebus esse mittendum, atque in ea, quæ in baptismo accepta fuit, perfecta corporis et animæ sanctitate ac justitia, quæ idem est ac pax et tranquillitas, ad mortem usque perseverandum.

In hujusce vero assertionis confirmationem Clemens profert hæc Jobi verba: « Nudus egressus et utero, » etc., ac nominis Rebeccæ et Melchisedecis etymologiam, ipsiusquemet Basilidis testimonium [67]. Denique postquam mysteria nostra paganis, qui et sua etiam alios celabant, occultanda esse nos admonuit, ipse ad moralia transit præcepta.

Docet itaque Servatorem nostrum, qui mysteriis nos initiat, solum esse præceptorem nostrum, quemadmodum Deus, principii expers, universorum est principium. Hæreticos igitur qui corpus vituperabant hinc arguit, quia non solum recta est illius constitutio et compositio, sed animam quoque suscipit, Deo pretiosissimam, virtutumque, quibus circa Deum versetur, revera capacem. Quapropter si Isaias carnem vocat fenum et feni florem, his ille verbis eos notat qui secundum carnem, ut ait Apostolus, in peccatis ambulant. Fatetur tamen animam esse potiorem hominis partem, cui proinde bonæ actiones ascribuntur. At quoniam illa, quam quidem Basilides natura sua semper mundam esse perperam asseruit, in corpore peregrinatur, idcirco sapiens homo, et « gnosticus, » illud ne nimia indulgentia corrumpatur, severe castigat; ac in mundo tanquam hospes in diversorio, quod cito relicturus est, commorans, nunquam retro conversus longiorisque moræ impatiens, et cum Apostolo ingemiscens, ad cœlestem mansionem et felicitatem semper aspirat [68]. De hac autem felicitate quid Epicharmus et Pindarus cecinerunt, obiter Clemens animadvertit; et eos redarguit, qui stulte animas e cœlo in terram, ut ibi puniantur, delapsas esse contendebant.

Dehinc perspicuum ille facit [69], « gnosticum » pie, uti dictum est, viventem Deo assimilari, esseque electum et spiritualem, contra vero peccato-

[60] p. 531. [61] p. 532. [62] p. 533. [63] p. 534. [64] p. 535. [65] p. 537. [66] p. 538. [67] p. 539; Job I, 21. [68] p. 540 et 541. [69] p. 542.

Digitized by Google

rem et impium esse terram et cinerem; illum a Deo exaudiri, hunc autem minime, sed ab eodem Deo, quidquid secus hæretici sentiant, pœnis merito affici. Ibi vero refert Pythagoræ de precatione effatum, sed de ea inferius se disputaturum pollicetur[50]. Interim vero suadet ut opera nostra clament et luceant, additque « gnosticum » debere, quoad fieri potest, Deum imitari. Denique sibi ait videri electos a poetis appellari « Deiformes, δίους, deos, Deo æquales et similes, ac consilio Jovi pares; » sed se a Christo postulare, ut in sanctam Jerusalem tollatur. Hæc quippe sola dici potest civitas, cujus apud poetas Hyperboreæ et Arimaspiæ civitates, campique Elysii imagines sunt, sicut et Platonis quoque rempublicam in cœlo tanquam exemplar positam novimus.

ARTICULUS V.

Analysis libri quinti.

His de « gnostico » ita prælibatis, ad alia Clemens properat[51]. Sed ad fidem tamen reversus, eos plane confutat qui eam a cognitione sic distinguebant, ut hæc de Spiritu sancto et illa de Filio Dei esset. Nostra siquidem in Filium fides nec sine cognitione, nec vice versa cognitio illius sine fide, quemadmodum Pater sine Filio, esse non potest. Nos autem in hoc revera fideles sumus, quod a nemine, « gnostici » vero in eo, quod a paucis creditur et cognoscitur. Porro autem animæ tantum auribus percipitur fides, quæ quidem quando dictis credimus, communis et imperfecta est, ac præceptorum observatione fit perfecta.

Tum deinde Clemens Basilidis, Valentini et Marcionis de fide errores explodit, ac docet stultas horum hæreticorum vitandas esse quæstiones[52]. Sed ea quæstio optima est, quæ cum fide ita convenit, ut super hanc magnifica veritatis cognitio ædificetur. Tunc autem fides firmatur et stabilitur, cum tollitur omnis dubitatio. At porro quædam in dubium et quæstionem possunt, alia vero non possunt vocari[53]. Nonnulla enimvero, sicut Dei providentia, ita omnibus clara et manifesta sunt, ut nulla probatione indigeant. Ex his autem Clemens colligit Deo etiam sine probationibus credendum, sed infideles contentiosi neque illum, neque divinum ejus Verbum intelligentia assequuntur. A nemine quoque, dum corpori alligatur, videri, et in altera tantummodo vita evidenter deprehendi potest[54]. Quamobrem Servator in hunc mundum missus est, ut arcanum magnæ providentiæ et viam veritatis dociles et pacificos homines doceret. Merito itaque Numa Pompilius omnium primus templum fidei et pacis posuit; Abrahæ autem in Deum fides ad justitiam reputata est. **121** Quid vero, quod Agrigentinus poeta laudibus fidem celebrat? Apostolus vero hortatur ut fides nostra non in humana sit sapientia, sed in Dei virtute, qua sola et sine demonstratione æternam possumus obtinere salutem[55]. Quam quidem futuram piorum salutem, et impiorum per ignem, vel, ut aiunt Stoici, ἐκπύρωσιν, « exustionem, » atque etiam terræ per ignem et aquam expurgationem pagani ex sacris nostris Scripturis didicerunt. Quinimo apostatæ angeli mulieribus, quarum capti sunt amore, et ea omnia annuntiarunt, et alia quæcunque ipsimet noverant[56].

Cæterum nostra fides nec sola nec otiosa esse debet, sed inquisitione præterea opus est, uti ex Lucæ Evangelio, ethnicisque poetis Sophocle, Menandro, Timone, Clemens demonstrat[57]. Verum pulchre ille nos admonet non ad lites intendendas esse inquirendum, neque fidem omnibus temere habendam. Nam Deus cum iis tantum se communicat, qui cum puritate, simplicitate et charitate ipsum audierint.

Et his quidem de fide ita disputatis, jam tempus, ait Clemens, esset de spe charitateque disserendi[58]. Sed ne prolixior foret oratio, sufficiat, inquit, ex Platone adnotasse certam futuræ immortalis vitæ spem nobis dari; duplicemque esse amorem et charitatem, quarum altera terrestris, qua corpus; altera autem cœlestis, qua anima et virtus generatur; et hæc quidem a Christianis philosophis illustratio ac regeneratio solet appellari. Quibus Clemens ea subnectit quæ de charitate Empedocles apertius, Parmenides vero obscurius cecinerunt. Addit autem ab eo qui sperat, non secus atque ab illo qui credit, videri ea quæ intelligentia percipiuntur et futura sunt. Atque inde concludit id quod pulchrum, honestum et verum est, ac proinde divinum Verbum, quod ipsamet veritatis, vel, ut ait Plato, divina idea est, sola percipi mente et intellectu[59].

Justo igitur ad quærendam inveniendamque charitatem opus est labore, diligentia, precibus, ac post peccatorum remissionem constanti in toto vitæ suæ curriculo pie sancteque transigendo perseverantia. Platonis quippe testimonio, ac proposita in Evangelio decem virginum parabola illud assertum firmatumque legimus. Et hæc quidem ratio est, cur e vulgo paucissimi a sacris profanisque scriptoribus recte philosophari dicuntur. Hi enimvero sola salutari fide nostra minime contenti, pro veritatis pignore probationes exigunt[60]. Sed omnino perperam, quandoquidem, ipsismet ethnicis fatentibus, sacra mysteria non impiis et immundis, sed puris tantum et expiatis hominibus patefacienda sunt. Ad id autem probandum non modo quædam eorumdem ethnicorum adhibet testimonia, sed ipsam quoque Ægyptiorum variam litteras tradendi methodum, ac diversa illorum, atque etiam Græcorum signa, ænigmata, symbola, oracula et sapientum apophthegmata[61]. Quid vero, quod et poetæ, a prophetis nostris theologia imbuti, hanc symbolicam dicendi rationem, a Psalmista et Apostolo commendatam, sectati sunt? Quid plura? Manifestum adhuc Clemens facit Pythagoram sua symbolica effata et adagia, quæ singulatim hic recenset, ex sacris nostris auctoribus, ex quibus etiam Plato et alii plura quidem dogmata, sed non omnino integra hauserunt, fuisse mutuatum[62]. Denique eodem symbolico loquendi genere usum esse Atœam, Scytharum regem, in sua ad Byzantinum populum epistola, et in carminibus Euphorionem[63]. Atque ibi Clemens cur Ægyptii sphingas ante templa posuerint, paucis aperit explicatque.

Dehinc ille sacros quoque divinæ nostræ Scripturæ auctores eodem dicendi genere sæpe sæpius usos esse ad demonstrandum aggreditur. Verum quia longius esset omnia et singula illius exempla prosequi, ex iis pauca quædam seligit. Ab his itaque, quæ in Jerosolymitano templo erant, explicandis orditur, et enucleat quid significarent τῶν ἑπτὰ περιβόλων, et κατὰ τὴν ποδήρη διασκευή, quid operimentum, et velum hyacinthio, purpura, cocco et bysso variatum[64]; quid thuribulum, et locus medius, in quem soli pontifici ingredi fas erat; quid operculum ante quinque columnas expansum, et velum adyti ad sancta sanctorum, quatuorque columnæ, ac nomen tetragrammatum his, qui adytum ingredi poterant, impositum; quid aureum candelabrum, et mensa panis propositionis[65]; quid arca et cherubinorum imagines[66]; quid denique vestis talaris, et alia sacerdotalia Hebræi pontificis vestimenta, eorumque induendorum et exuendorum modus[67].

Ibi autem observat Hebræos pontifices, ex tribu

[50] 543. [51] p. 544. [52] p. 546. [53] p. 547. [54] p. 548. [55] p. 549. [56] p. 550. [57] p. 551. [58] p. 552. [59] p. 553. [60] p. 554, 555. [61] p. 556, 557. [62] p. 558 et seq. [63] p. 561. [64] p. 562. [65] p. 563. [66] p. 564, 565. [67] p. 566.

Digitized by Google

sanctificata spectatissimos, ad Dei electos esse imaginem, quemadmodum ii ungebantur, qui ad regnum et prophetiam assumpti fuerant. Quamobrem Ægyptii non omnibus, sed iis solis mysteria sua divinarumque rerum cognitionem credebant, qui vel futuri reges, vel ex sacerdotibus erant probatissimi. Tum vero breviter Clemens enodat quid eorumdem Ægyptiorum signarent ænigmata et symbola, videlicet navigium, crocodilus, puellus, senex, accipiter, piscis, et diis consecrati oculi atque etiam aures, leo, bos, equus, sphinx, homo, item quatuor animalia, duo scilicet canes, et ibis, atque accipiter [68].

Alii quoque, pergit auctor noster, philosophiæ dediti, similibus symbolis usi sunt. Idanthuras etenim, Scytharum rex, bellum minitans, murem, ranam, avem, jaculum et aratrum pro litteris misit. Symbolice etiam Anacharsis significavit voluptatem, et adhuc magis linguam cohibendam [69]. Apud Græcos autem Androcydes litteras Ephesias, atque adeo symbolicas invenit. At Dionysius grammaticus scribit duplicis generis esse symbolum : aliud quod verbis, ut Delphica præcepta; aliud quod rebus ipsis, ut rota et ramus aliquid mystice significant. Symbolica itaque illa interpretatio ad rectam theologiam et pietatem, ad animi solertiam, exercitationis brevitatem, atque ad sapientiam ostendendam utilissima est [70].

Age vero, ipsa quoque puerorum doctrina, in elementis adhuc posita, nimirum bedy, zaps, chton et plectron quatuor elementorum, uti Clemens probat, interpretationem complectitur. Alia quoque secundæ et tertiæ puerilis institutionis verba postquam ille retulit et enucleavit [71], tum continuo probat Epigenem plures interpretari symbolicos Orphei loquendi modos [72]. Subjungit alios his similes non solum a Pythagoreis usurpari, sed apud philosophos etiam, atque apud poetas passim ac pene innumerabiles occurrere. Ad hæc vero toti eorum libri aliæque lucubrationes, puta Heracliti, Euphorionis, Callimachi et Lycophronis, « abditam scriptoris voluntatem indicant. »

Ex Barnabæ porro epistola Clemens ostendit [73] illud præceptum, quo Moyses porco, aquila, accipitre **122** et corvo vesci prohibuit, et hæc ipsius in Exodi libro verba : « Equum et ascensorem projecit in mare [74], suam habere mysticam significationem et explicationem. Simili quoque modo possunt, teste eodem nostro Clemente, ea explicari, quæ in Genesis libro de patriarcha Joseph, sua tunica exuto, in lacum misso, ac postea vendito leguntur. Quinetiam Joannes Baptista, etiamsi aliis prophetis apertius locutus, tamen ænigmatice dixit se, qui calcei Christi corrigiam solveret, non esse dignum [75]. Neque porro Romanorum testamenta ab hoc scribendi modo penitus vacasse auctor noster ostendit [76]. Sed vita, inquit, me deficiet, si omnia, quæ infinita sunt, symbolicæ locutionis exempla proferre voluero. Quamobrem hæc quamvis longiora, nihilominus memoriæ brevitatisque sese adduxisse profitetur.

Paganos itaque, qui Christianis non symbolice et ænigmatice, sed clare et dilucide loquendum esse contendebant, acriter variisque rationibus refellit, ac ideo maxime quod illi sua mysteria aliis penitus occultari severissime præciperent. Hipparchus siquidem Pythagoreus, eo quod aperte magistri sui decreta scriptis tradidisset, ex schola pulsus est, et columna ipsi tanquam mortuo imposita. Nec solos tantum apud Pythagoræ aut Platonis sectatores, sed apud Epicureos etiam, Stoicos et Peripateticos quædam erant arcana, quæ omnibus non permittebant. Eamdem sane ob rationem nonnulli philosophi, ut Plato, dogmata sua quibusdam fabulis obscure involuta occultarunt [77]. Duplicis quoque generis erant Pythagoræ discipuli, alii audientes, alii mathematici, quibus solis ad germanam ejus philosophiam aditus patebat. Peripatetici etiam duplex distinguebant orationis genus, unum opinabile, aliud demonstrativum, ita ut opinionem et famam a vera gloria et veritate prope discreverint. Et id quidem Parmenides duplicem doctrinæ viam appellat. Musæ tandem Ionicæ dicebant vulgus hominum sequi poetas et uti legibus, optimos vero immortalem gloriam persequi [78]. Quamobrem Paulus, ac postea Barnabas, docuerunt duplicem esse doctrinam, alteram incipientium, perfectorum alteram, quæ mysterium erat aliis absconditum [79]. Ibi autem Clemens scite et obiter animadvertit fuisse jam ab Apostoli tempore non scriptas traditiones. Pergit autem ille, et aliis Scripturæ sacræ verbis idem absconditum et mysticum dicendi genus, huic plane quod de Jove fingitur oppositum, ad bonorum hominum perfectionem conducere ostendit.

Illud porro, ut ex Platone et Apostolo liquet, ideo necessarium erat, quia Deus omnem humanam cognitionem superans nullis verbis exprimi potest [80]. Hinc Plato, priusquam de Deo quæratur, jubet magnum fieri sacrificium, quod certe aliud non est quam corporis vitiorum affectionumque ejus secretio et amputatio [81]. Hinc Socrates philosophiam, utpote quæ a sensibus nos avocet, meditationem mortis nuncupat. Hinc denique quinquennii silentium a Pythagora constitutum est. Et hæc quidem ex Moyse ab his philosophis accepta fuisse auctor noster advertit.

Plurimi igitur et merito quidem jure vapulant, qui eadem de Deo ac de se ipsis opinari non verebantur. Quæ enim de Dei oculis, manibus, pedibus, aliisque membris et affectionibus in Scriptura occurrunt, hæc allegorice, uti Clemens alibi se probaturum promittit, sunt explicanda. Ad sanandos itaque illorum errores sapientia quidem, sed aliorum ope et ministerio invenienda, summæ utilitatis est. Quinam vero illi sint sapientia, cognitione et perfectione ornati, ex Isocrate Clemens pulchre explicat [82]; atque inde concludit γνωστικὸν βίον, « gnosticam vitam, » a Græcis, etsi eam qualis est non noverint, divinis extolli laudibus. At cum nobis constet γνῶσιν rationalem esse cibum, inde ille colligit eos revera esse beatos qui esuriunt sitiuntque justitiam, quia æterno illo cibo saturabuntur.

Tum Clemens aperit quomodo his, quæ de perfectis et imperfectis a se disputata sunt, Euripides mirum in modum assentiatur. Quod ut magis magisque eluceat, palam ille facit varios fuisse gradus, quibus pagani mysteriorum suorum participes fiebant [83]. Primum siquidem apud illos locum obtinebant expiationes et lustrationes, sicut apud barbaros seu Christianos lavacrum; deinde parva mysteria, quæ erant et doctrinæ fundamentum, et ad alia præparatio. Post hæc in sacris mysteriis nihil amplius discere erat, sed res ipsas comprehendere ac contemplari. Ita etiam Christiani anima expiatione et confessione ad primam procedens intelligentiam, ac deinde res corporeas prætergressa, ad immensi et omnipotentis Dei notitiam et contemplationem utcunque pervenit; ita tamen ut non id, quod ipse est, sed quod non est, cognoscat, nihilque corporei de illo cogitet. Deus quippe nec verbis exprimi, imo vero nec nisi ipso per Filium opitulante cognosci potest.

Triplex porro ille ad divinam contemplationem gradus allegorice significatur tribus illis diebus, qui-

[68] p. 567. [69] p. 568. [70] p. 569. [71] p. 570. [72] p. 571. [73] 572. [74] Exod. xv, 1. [75] p. 573. [76] p. 574. [77] p. 575. [78] p. 576. [79] 577, 578. [80] p. 579. [81] p. 580. [82] p. 581. [83] p. 582.

Digitized by Google

bus Abraham ad Isaac filium suum immolandum perrexit [84]. In hac tamen vita Deus cernitur per speculum tantummodo et in ænigmate, in altera autem facie ad faciem videbitur [85]. Quamobrem Moyses voluit unum duntaxat Dei templum ædificari, nullumque in illo poni simulacrum [85*]; ac Verbum sacrificia fieri prohibuit, ut unum tantum, contra Basilidis opinionem, mundum a Deo, qui unus est, et sub aspectum non cadit, nulloque loco circumscribitur, conditum fuisse significaret. Huic autem Moysis sententiæ, prosequitur Clemens, subscripsere non solum Paulus, sed etiam Euripides et Plato, qui Deum inventu et cognitu difficilem, nec ullis verbis explicari posse asseruit. Et id quidem ille, quemadmodum Orpheus, ex eodem Moyse hauserat [86]. Tum vero Clemens hanc imperviam et occultandam esse Dei cognitionem probat non tantum ex ipsomet Apostolo, ubi nonnulla de tertio, ad quod raptus est, cœlo perstringit; verum etiam ex Romanorum ad Corinthios Epistola [87], ac subcinericiis prophetæ panibus, nec non et aliis cum Apostoli tum Evangelii verbis, atque etiam parabola de fermento in tribus farinæ mensuris abscondito, ac profanis demum scriptoribus Solone et Empedocle [88]. Quæ quidem auctor noster tribus adhuc confirmat rationum momentis. Non diffitetur tamen plura circumferri Dei nomina, sed iis omnibus nihil aliud quam illius omnipotentiam significari contendit. Et certe quomodo ille proprio nomine posset appellari ab homine, qui perfectam de illo scientiam habere non potest [89]?

Restat igitur ut, teste etiam ipsomet Platone, Deum, quem Paulus ignotum esse pronuntiat, divina Verbi illius opitulante gratia cognoscamus. Quamobrem ipsi de Deo Patreque suo et per prophetas et per seipsum loquenti, omnino credendum est [90]. Qui autem ei firmiter credunt, non solum fidem, bonorum operatricem et justæ actionis fundamentum, **123** sed fiduciam quoque consequuntur. Neque porro his ullo plane modo obstant ea quæ contra Aristoteles disputasse nonnullis videtur. Oportet itaque eos, ac quoslibet etiam paganos philosophos, qui veritatem didicerunt, per Christum salvos utique fieri. Ex ipsis autem ethnicis scriptoribus Clemens ostendit omnes aliqua, quæ postea apertissime patefacta est, unius omnipotentis Dei cognitione fuisse imbutos [91]. Cæterum Christiano homini credenti quomodo Spiritus sanctus infundatur, et quidnam sit ille Spiritus sanctus, se alibi explicaturum pollicetur.

Inde vero ad retegenda Græcorum ex sacris nostris Scripturis furta ille transit. Primum itaque, ut ille narrat [92], Stoici ex illis iisdem Scripturis, sed non bene intellectis, Deum, quemadmodum animam, esse corpus et spiritum, ac omnia pervadere acceperunt. Ex iisdem fontibus suum Pythagoras, Aristoteles et Plato de materia, Epicurus de fortuito rerum omnium eventu, Aristoteles de suprema nihil amplius extra lunæ terminos agente Dei providentia [93], alii vero philosophi et poetæ de suppliciis post mortem igne luendis, ac proinde de animæ immortalitate, ac de angelis hominum custodibus et præsidibus dogmata sunt mutuati. Rursus vero ex iisdem sacris libris decerpta sunt alia philosophorum decreta, videlicet mundum esse creatum, diabolum dæmonum principem esse malificum [94], duos esse mundos, unum intelligentem et archetypum, alterum qui sub sensus cadit, ad prioris imaginem et exemplar effectum, corpus terrenum esse habitaculum, et animam cœlitus inspiratam, atque hominem ad Dei factum fuisse imaginem [95]. Cum autem Moyses aliam dixerit esse Dei imaginem in homine virtutibus ornato et præ-

A dito, hinc collegerunt Stoici finem hominis esse secundum naturam vivere, Plato autem et Zeno Deo assimilari, et rursus Plato inter solos bonos esse amicitiam et similitudinem, ac tandem ab intelligente homine hunc optimæ vitæ finem computari, quando ei, quem intelligit, assimilatur.

Quid vero, quod ex Moysis scriptis didicerunt solum id esse bonum quod honestum est, et virtutem ad felicitatem sufficere [96]? Ibi porro Clemens observat ab Aristobulo multos conscriptos fuisse libros, ubi philosophiam Peripateticam ex Moysis prophetarumque scriptis delibatam demonstrat. Pergit deinde, et ex illis quoque defloratum ait quod Plato de triplici hominum genere tradidit, unde aliqui triplicem reipublicæ Judæorum, Græcorum et Christianorum formam descriptam esse autumant; quod etiam hic philosophorum omnium facile princeps docet omnes in civitate esse fratres, et vetitum esse jusjurandum [97]; quod ipse, et Pythagoras atque Socrates statuerunt non modo mundum a Deo conditum, et ab eo conservari, sed quod illi quoque ipsi, atque Homerus, Callimachus et Hesiodus corpus terrenum asseruerunt [98]; quod Stoici definiunt ignem esse naturam; quod Homerus de aquæ et terræ separatione cecinit; quod a poetis Epicharmo, vate lyrico, et Arato de Dei omnipotentia, necnon et Homero de mundi creatione, et ab aliis de Jove ipso traditum legitur [99].

Præterea vero Plato ex Scripturis nostris Patrem, et Filium, ac sanctissimam Trinitatem suis in scriptis modo nescio quo agnovisse videtur. Ipse etiam inde futuram mortuorum resurrectionem, vel animæ per duodecim signa ascensum et descensum prædicavit. Empedocles autem, Heraclitus et Stoici mundum creatum igne consumendum et divina providentia administratum memorant [1]. Quid, quod et idem Plato cum hujus vitæ diem nocturnum, et somnum, ac mortem descensum animæ in corpus vocat, cum diei Dominicæ tanquam quietis et æternæ felicitatis meminit, hæc non solum ex Veteri Testamento decerpsit, sed et nonnulla in Novo postmodum stabilita divinavit [2]? Septimum porro diem sacrum noverunt non solum Hebræi, sed etiam Græci Hesiodus, Homerus, Callimachus et Solon. Ex sacra adhuc Scriptura delibavit Plato justum hominem in hac scilicet vita pœnis et afflictionibus cruciandum; Antisthenes quoque Deum nemini esse similem; Xenophon vero et Sibylla ipsum a nullo homine videndum, atque Xenophanes illum esse unum et incorporeum [3]. Huc accedit, quod Bacchylides, Cleanthes et Amphion de divina natura et contra idololatriam, Sophocles de Jovis incontinentia, et Heraclitus de hominum ignorantia posteritati mandarunt.

Quid plura? Ex iisdem divinis libris Melanippides didicit Patrem, nempe Deum, esse mortalium miraculum, et animas semper viventes regentem; Plato illum esse ingenitum, unigenam, semperque eumdem [4]; Hesiodus cunctorum dominum; Sophocles omnium creatorem; tragœdiæ auctor, eum in cœlo duntaxat suspiciendum; Euripides immensum, ex seipso ortum, mentemque opificem; Euphorion omnia et supra omnia esse Jovem; Plato et Heraclitus ipsum solum sapientem, et ei soli obtemperandum; ac tandem Timæus et Sibylla unum esse omnium principium ingenitum [5].

Deinde vero Patrem et Filium indicasse videntur Homerus, Orpheus et Xenocrates. Propterea enim Homerus et Epicurus negant Deum aut comprehendi posse, aut humanis membris esse compositum. De divino autem Verbo Epicharmus aperte loquitur. Ex sacris prophetis Menander accepit Deum nec sacrificia nec victimas, sed puram a peccatis

[84] p. 583. [85] I Cor. XIII, 12. [85*] p. 584. [86] p. 585. [87] p. 586. [88] p. 587. [89] p. 588. [90] p. 589. [91] p. 590. [92] p. 591. [93] p. 592. [94] p. 593. [95] p. 594. [96] p. 595. [97] p. 596. [98] p. 597. [99] p. 598. [1] p. 599. [2] p. 600. [3] p. 601, 602. [4] p. 603. [5] p. 604.

Digitized by Google

desiderare conscientiam ; illum omnibus adesse, et videre omnia [6]. Ex iisdem Diphilus cecinit futurum universale judicium, ac post illud impiorum supplicia ; tragœdus vero Sophocles et Orpheus cuncta igne consumenda, et post hæc instauranda ; Empedocles futuram justorum æternam beatitudinem [7] ; Orpheus nullum Dei fugere justitiam, aut illi latere, ipsum sub nullius aspectum cadere, solis Chaldæis cognitum, cujus sedes est cœlum, et terra pedum ejus scabellum, qui solus est omnipotens, immortalis, immensus, omnia imperio regens et gubernans. Porro autem quia ille Deum matripatrem dixit, hinc aliqui finxerunt Dei conjugem [8].

Phocylides insuper ex sacris nostris auctoribus collegit angelos bonos esse et malos ; Philemo autem proscribendum simulacrorum cultum ; Sophocles soli Jovi omnia sponte advenire, utpote qui omnium sit principium et finis ; Orpheus unum esse Deum, a quo omnia moventur. Pindarus vero, ubi sacro furore correptus, Deum vocat τὸ πᾶν, hoc ille ex Isaia defloravit, sicut et Hesiodus difficile et arduum homini esse suprema illius consilia scrutari [9]. Ex Moyse etiam alius non ignobilis poeta sumpsit mulierem in labore et dolore parituram. Denique ex iisdem rivis profluxit, quod Homerus Deum justum, Menander bonum, Æschylus altissimum appellat. Apollo autem gloriæ Dei suo de Minerva oraculo **124** fert testimonium. Denique Thearides et Orpheus docuerunt unum esse principium, atque Diphilus solum patrem omnium perpetuo honorandum definit [10].

Ex quibus ita disputatis concludit Clemens optima ingenia a Platone ad disciplinam merito assuefieri. Vult enim hominem ex nocturno die ad lucem converti, ac paulatim ad illius, qui vere est, pervenire contemplationem, in quo posita est vera philosophia. Tametsi vero Deus Pater et universorum effector ab omnibus creaturis pro cujusque modo et viribus cognoscatur, non omnes tamen neque id quod est, neque quomodo Dominus, Pater et Creator sit, neque aliam veritatis dispensationem norunt, nisi prius ab illo edocti fuerint [11]. Quamobrem hi qui ei crediderint, Patrem et Filium ; Græci autem ipsi non credentes, solum Creatorem agnoscunt. Quod porro illi non credant, id in eos ipsos qui libertate pollent, non in Deum, qui mali causa non est, refundi debet [12]. Miser igitur et infelix ille est, qui veritati non credit [13]. At is qui ad veram accedit disciplinam, huic, ut Parmenides et Metrodorus aiunt, in Dei rerumque divinarum contemplatione versandum est. Ad eum autem semper ascendere debemus, donec perveniamus ad cœlestem felicitatem, quam Pythagoras ἀντίχθονα, et Jeremias electam hæreditatem appellavit.

Hactenus Clemens se satis superque demonstrasse dicit cur Græci a Domino fures dicuntur, nec se velle in hoc argumentum quod infinitum plane foret, plura congerere. Attamen sibi adhuc de eo aliquid necessario perstringendum, ubi in medium proferendæ erunt eorumdem Græcorum de principiis opiniones [14]. Addit denique ex jam dictis colligi, et quomodo eorum libri legendi sint, et quantum æterna Dei beneficentia et justitia omnibus perspicua et manifesta fuerit.

ARTICULUS VI.

Analysis libri sexti.

Hujus e[a] sequentis libri argumentum Clemens primum quidem proponit ac declarat fore ut, postquam moralem disciplinam et vitæ « gnosticæ » rationem atque institutum descripserit, tunc ipse contra falsam philosophorum opinionem plane demonstret non modo non impium, sed vere pium esse θρησκείας τοῦ γνωστικοῦ, « religionis viri gnostici » modum ; ita tamen ut præcipuus sibi scopus sit ea omnia citra periculum chartis inscribere, quæ memoriæ causa litteris tradenda sunt. In tribus autem *Pædagogi* libris illam vitæ institutionem a se prius explanatam esse declarat, quæ a Christiana pueritia, seu catechesi, est ineunda, quæque fide augetur, et animam ad « gnosticam » scientiam præparat et disponit. Quamobrem cum Græci ex his, quæ disputabuntur, didicerint quam impie rerum cultorem vexent et insectentur, tunc ipse eorum de Christi adventu dubitationes tollet et dissipabit [15].

« Qualis porro, inquit, in superioribus libris, talis in his posterioribus componendis erit scribendi modus ; quo omnia nistim et confuse, sine arte et ordine, prout menti sese obtulerint, ubique dispergentur. » Et hæc quidem argumentorum varietas et seipsum, et alios qui ad cognitionem, γνῶσιν, apti sunt, ad ea quæ sibi utilia sunt, laboriose inquirenda excitabit. Neque enim sine labore ita cognitio comparari potest.

Duplex autem ea est. Prior enim habetur sensuum ministerio, estque cum brutis, tum hominibus communis, sed quam, inquit Clemens, nunquam cognitionem appellaverim. Posterior mera est rationalis animæ operatio, qua aliquid intelligenta apprehendimus.

Priusquam vero ad argumentum suum tractandum Clemens aggrediatur, ea dicit esse absolvenda, de quibus ad calcem libri quinti, seu de symbolico dicendi genere, tam a Græcis quam ab Hebræis usurpato, disseruerat [17]. Verum hoc in aliud tempus adhuc dilato, jam probandum in se suscipit Græcos qui plurima, uti demonstratum est, ex nostris sufurati sunt, furti quoque in se invicem admissi esse reos. Primum itaque missum illud facit, quod apud illos in confesso erat, variarum sectarum philosophos ex Socrate præcipua delibavisse sua placita et decreta. Deinde celeberrimorum apud Græcos auctorum ex suis itidem Græcis furta et latrocinia aperit [17] ; Homeri ex Orpheo et Musæo ; Archilochi, Cratini, Euripidis ex Homero ; Euripidis ex Æschylo, Theognide, Epicharmo ; Sophoclis ex Euripide ; Theognidis, Thucydidis, Philisti ex Solone ; Critiæ ex Euripide, Pherecydis ex Homero, Euripidisque ex eodem Homero. Postea vero « furtiva » eorum, qui « simul floruerunt, aut secum concertarunt, » loca inter se comparat et componit : Sophoclis cum Euripide, Eumoli cum Solone, Euripidis cum Homero. Theognidis cum Panyasi, Hesiodi cum Euripide, ejusdemque Euripidis cum Homero, Calliæ cum Menandro, Antimachi cum Augia, Hesiodi cum Simonide, Epicharmi cum Diphilo et Platone, Euripidis cum Diphilo ac Theodecte, Bacchylidis cum Moschione, Theognidis cum Aristophane, ac tandem Anacreontis cum Euripide. Ne autem longius sua protrahatur oratio, testem Clemens citat Hippiam, qui de Græcorum furtis abunde disputavit [18].

Verum ut similia philosophorum et historicorum furta paresque compilationes patefaceret, rursus ille componit [19] Alcmæonem cum Sophocle et Xenophone, Euripidem cum Archelao, Orpheum cum Heraclito, Athamam cum Empedocle, Platonem cum Menandro, Euripidem cum Hyperide. Isocratem cum Andocide, Theognidem cum Hyperide et Euripide, Stasinum cum Xenophonte, Sophoclem cum Herodoto, Theopompum cum Sophocle, Antiphanem cum Platone, Thucydidem cum Demosthene, Cratinum cum Andocide, Lysia et Æschine. Quid plura ? Cum Philino contendit Demosthenem, Isocratem cum Lycia, cum Theopompo Homerum, Chilonem cum Epicharmo, Hippocratem cum Eu-

[6] p. 605, 606. [7] p. 607. [8] p. 608, 609. [9] p. 610. [10] p. 611. [11] p. 612. [12] p. 613. [13] p. 614. [14] p. 617. [15] p. 618. [16] p. 618. [17] p. 619 et seq. [18] p. 621 et seq. [19] p. 624 et seq.

Digitized by Google

ripide, Homerum cum Archino et Demosthene, Herodotum cum Aristophane et Parmenide, Platonem cum Philemone, Demosthenem cum Phanocle, Platonem cum Historico, Empedoclem cum Euripide, cum Euripide Platonem, et Euripidem cum Epicuro, ac cum eodem Epicuro Aristophanem. Atque hæc quidem Clemens ad sententiarum furta plane demonstranda sufficere concludit [10].

Jam itaque ostendit ab illis non integros duntaxat aliorum libros, sed propria etiam ac præcipua eorum dogmata fuisse subrepta, ac falso nomine sibi ipsis impudenter ascripta. Nam Eugamon librum Musæi *de Thisprotis*, Pisander Pisini *Heracleam*, et Panyasis compositam a Cleophilo *Œchaliæ captivitatem* sibi fallaciter vindicaverunt. Homerus vero plura ex Orpheo, Hesiodus ex Musæo, Aristophanes ex Cratino, totidem verbis sunt furati. Mutua autem et reciproca sunt Platonis comici **125** et Aristophanis in *Dædalo* furta. Philemon editum ab Aristophane *Cocalum* sibi, paucis quibusdam immutatis, totum attribuit. Hesiodi vero carmina ab Eumelo et Acusilao historiographis in solutam orationem translata sunt. Ex Melesagora plura delibarunt Gorgias, Eudemus, Bion, Amphilochus, Aristocles, Leandrius, Anaximenes, Hellanicus, Hecatæus, Androtion et Philochorus [11].

Dehinc Clemens Heraclito, qui plura ex Orpheo decerpsit, prætermisso, dicit Platonem a Pythagora, et utrumque ab Ægyptiis accepisse immortalem esse animam; a Platone autem Stoicos et Aristotelem, atque a Democrito Epicurum plurima et præcipua sua dogmata hausisse. Denique si quis cætera, ut ille ait, quæ Græci vel a suis vel a nostris scriptoribus compilarunt, persequi voluerit, vita eum deficiet.

At ii non tantum fures fuerunt et plagiarii, verum etiam quæ apud nos divina virtute a viris sanctitate conspicuis, mirabiliter patrata fuerant, ea imitati sunt, et tanquam Græcas fabulas prodigiose venditarunt. Sed si hæc, urget Clemens [12], vera esse crediderunt, cur Moysis aliorumque prophetarum miracula ipsis incredibilia videntur? Narrant enim Æaci precibus depulsam terræ sterilitatem, quam Scriptura sacra precibus Samuelis impetratam fuisse testatur. Græci memoriæ adhuc prodiderunt ventos deficientes Aristæi sacrificio revocatos, vel facto ipsis sacrificio Græcis faventes aspirasse, vel ab Empedocle cohibitos, ac quibusdam infirmis sanitatem mirabiliter redditam. Verum et eadem a nostris facta fuisse, et a Deo omnia fieri Scriptura sacra testatum non semel facit. Rursus vero aiebant Græci dæmonum malorumque angelorum ira grandines procellasque excitatas, vel sedatas magorum sacrificiis, aut pestilentiam et bellum post decem annos dilata; atque angelos, quorum ope hæc facta esse putabant, sanctas mortuorum hominum animas esse opinabantur [13].

Sed de his in aliud tempus rejecto sermone, Græcos adhuc Clemens objurgat, quod Damaso postea quam facta ex stellis conjectura, pluviam prædixisset, plures fidem habuerint, iis tamen credere nolint quæ a sacris scriptoribus nostris tradita sunt, Deum scilicet in monte Sinai, ubi ignis nihil consumens ardebat, et ubi tubæ, nemine eas inflante, personabant, Moysi apparuisse. Nam id non solo Aristobuli testimonio stabilitur [14], sed aliis etiam, quæ ab iisdem Græcis narrantur, exemplis confirmari potest. Quædam enim spelunca in Britanniæ insula esse perhibetur, ubi auditur cymbalorum numerose canentium sonitus. In silvis quoque folia, repentino quandoque et denso flatu agitata, sonum reddunt cantui avium persimilem. In tribus Persiæ montibus triplex editur sonus, et in primo quidem confusus hominum tanquam in acie pugnantium clamor; in secundo magis vehemens et distinctus sonitus; in tertio voces hominum, perinde ac si vicissent, pæana canentium. At in monte Sinai voces, tonitrua aliaque omnia, ut infidelium mentes ad rectam fidem adducerentur, ab omnipotenti Deo edita fuerunt.

Tum denuo Clemens probat Græcos a nostris et ab Ægyptiis pulcherrima, quæ sibi perperam arrogant, sumpsisse documenta, ac suum in primis de animæ in corpora migratione placitum [15]. Dehinc ille veriora Ægyptiacæ philosophiæ et religionis mysteria, ritus, diversosque eorum gradus pandit [16], ac quæstiones ab Alexandro decem Indorum gymnosophistis propositas, et ab illis extemplo et brevissime solutas et enodatas repræsentat. Postremo colligit a se satis superque demonstratum Græcos omnis scriptorum generis fuisse fures et compilatores, ac penitus plagiarios.

Ex Petri posthæc *Prædicatione* perspicuum ipse facit longe esse imperfectiorem paganorum quam Christianorum de Deo cognitionem, nec eumdem ab iisdem paganis atque a Christianis verum ipsi cultum exhiberi [17]. Ligna etenim, ut ibidem Petrus ait, lapides, aurum, argentum, volucres, feras serpentesque pagani colunt, et mortuis hominibus sacrificant. Judæi vero, etsi verum Deum noverint, ne sciunt tamen se angelos, archangelos et lunam adorare [18]. At Christiani novo et spirituali modo per Christum colunt Deum, utriusque veteris et novi testamenti auctorem, qui et ipsos, et Græcos, atque Judæos in unum eumdemque populum per fidem congregat; ac suos, qui Christum annuntiarent, iis omnibus, teste Paulo, misit prophetas. Quamobrem Petrus in eadem *Prædicatione*, et prius Isaias, Israelitas et Græcos ad agendam peccatorum pœnitentiam et suscipiendam Christi fidem adhortantur [19]. Eamdem plane ob causam variis Clemens cum rationum momentis, tum Hermæ sacræque Scripturæ testimoniis, probare nititur Evangelium a Christo Domino, ac deinde ab apostolis apud inferos his prædicatum infidelibus, qui ante Christi adventum pie sancteque, etiamsi non omnino perfecte vixerant, ut suscepta fide actaque peccatorum pœnitentia æternam illi felicitatem adipiscerentur.

Redit posthæc Clemens ad philosophos [20], et eos ipsis quoque hæreticis Valentino, et Isidoro Basilidis filio latentibus, plura ex nostris auctoribus decerpsisse demonstrat. Quinimo quæ Pherecydes in theologia allegorice dixit, hæc idem Isidorus ex Chami prophetia desumpta fuisse testificatur [21]. At Clemens ibidem docet fundamentum veræ philosophiæ non esse, uti supra dixerat, traditam ab hæreticis vitæ institutionem; sed eam firmam semperque stabilem sapientiam, seu rerum divinarum cognitionem, quæ, cum a Verbo derivata sit, præsentia, præterita et futura sic complectitur, ut nunquam possit excidere. Quapropter partim æterna est et perfecta, partim vero imperfecta et temporalis. Hujus autem sapientiæ summo desiderio tenetur philosophia, cujus is scopus est, ut anima bona et vera semper cogitet, atque de iisdem lingua recte pronuntiet.

Christiani itaque philosophi hanc amant sapientiam, quæ Filii Dei cognitio est. Apud paganos autem philosophi, qui de virtute disputant, tunc argui certe non possunt, cum eorum decreta rectæ vivendi rationi omnino respondent. Verum ea decreta, ex nostris doctoribus deflorata, adulterinis Græcæ eloquentiæ floribus perperam exornantes, atque alia male audientes, alia vero falsis suis conjecturis ac φιλαυτίᾳ depravantes, in varios errores inciderunt [22]. Inde quippe accidit ut ii generalia pro singularibus, et creaturam pro Creatore acce-

[10] p. 628. [11] p. 629. [12] p. 630. [13] p. 631. [14] p. 632. [15] p. 633. [16] p. 634. [17] p. 635. [18] p. 636. [19] p. 637 et seq. [20] p. 641. [21] p. 642. [22] p. 643

Digitized by Google

perint, nec unquam verum invenerint magistrum et doctorem. Nam Cleanthes Zenonem, Theophrastus Aristotelem, Metrodorus Epicurum, et Plato Socratem sibi magistros asciscunt. At si gradatim ascendas et sollicite inquiras qui fuerint Pythagoræ, Pherecydis, Thaletis et aliorum primorum sapientium magistri, respondebunt hos fuisse Ægyptios, Indos, Babylonios aut magos. Quod si instes, et rursum quæras **126** quos isti quoque habuerint præceptores, ad primum certe hominem recurras oportet. Quis porro hujus fuerit magister, si adhuc rogaveris, is certe neque homo esse potuit, neque etiam angeli, utpote qui membrorum omnisque corporei organi sint expertes. Sed esto, hi primi hominis magistri dicantur, restat adhuc inquirendum quis illorum fuerit magister. At ille sane alius esse non potest nisi Dei Filius et sapientia, per quem omnia facta sunt. Omnis igitur sana rectaque doctrina in illum unicum magistrum et doctorem refundenda est [33]. Quamobrem si qui illius doctrinam humanis traditionibus adulterant, horum profecto magister non est. Si qui vero illius adventui sacrisque ejus scriptis crediderint, ii planè omnes, sicut philosophi Dominica doctrina non solum ad veræ philosophiæ veræque legis cognitionem adducuntur, sed divinis illius eloquiis, tanquam argentum ignitum et expurgatum, corpore et anima puri sanctique redduntur.

« Duplex autem, inquit Clemens, est purgatio [34]. Prior enim est a malis abstinentia, Judæo, fideli ac Græco communis, quam quidam summam perfectionem esse frustra existimant. Posterior vero ea est, qua « gnosticus » justitiæ et beneficentiæ incremento augetur, donec fiat perfectus et ad Dei similitudinem in incommutabili bene agendi habitu perseveret. » Ex his porro, quæ ibi auctor noster de sapientia disputat, duplicem colligit esse contemplationem, unam philosophorum, qua divinam appetunt quidem sapientiam, sed eam nisi prophetarum voce aut scriptis declaratam non assequuntur. Alteram vero dicit esse Christianorum, quæ ipsis etiam sine scripto ab apostolis tradita, æterno nullique mutationi obnoxio habitu semper exercenda est. Quocirca nunquam Christiano, uti ait Apostolus, ad paganorum licet redire philosophiam.

Nemo tamen opponat hanc ab eodem Apostolo planè penitusque proscribi [35]. Variis enimvero sacræ Scripturæ testimoniis, atque ipsa Barnabæ [*legendum est* Clementis Romani] auctoritate Clemens noster probat omnem scientiam et intelligentiam cum singulis hominibus, diverse tamen ac variis modis, plus aut minus fuisse communicatam. Huc accedit, quod philosophia sapienti ideo sit utilis, quia illius ope objectiones aliorum, modo ipse fidelis et humilis fuerit, variaque sophismata diluit et evertit [36]. Deinde Clemens aliis adhuc respondet, qui philosophiam a diabolo profectam, vel zizaniis et erroribus conspersam esse prædicabant. Falsa siquidem, sicut Epicuri de voluptate, documenta in Græca philosophia, et hæreses in Christiana cum bono veritatis tritico orta quidem esse constat; sed id non impedit quominus Græca de singularibus philosophia veræ perfectæque nostræ philosophiæ fundamenta quodammodo jecerit. Hæc porro versatur circa res spirituales, quæ procul dubio priusquam eas Christus patefecisset, nullus noverat. Jam vero asserere audemus illas a « gnosticis, » quales apostoli fuerunt, cognosci.

Tum vero explicat Clemens [37] quæ sit, et quam longe pateat illa cognitio, qua homo ad eum perfectionis gradum pervenit, ut nullæ amplius in illum cadant affectiones, nisi quæ ad conservandum reficiendumque corpus necessariæ sunt. Sed ille ipse Christum Dominum earum expertem prorsus fuisse contendit; et quales illæ atque animæ cupiditates in apostolis post Christi resurrectionem fuerint, aut etiamnum in perfecto « gnostico » occurrant, clare breviterque edisserit [38]. Ibi porro Clemens graphice describit in quo sita sit summa illius perfectio, seu perfectionis status, quo nullis voluptatibus, aut cupiditatibus, aut animi perturbationibus commotus et agitatus, sed rebus spiritualibus et divinis semper inhærens, Deo, quantum humanæ naturæ fas est, ita intime conjungatur et assimiletur, ut bonis operibus semper intentus, et ad ea nunquam non paratus, suam aliorumque salutem semper cupiat et desideret. Quamvis itaque nullis ille voluptatibus, neque diu neque noctu fractus, et temperantiæ, moderationi, honestati assuefactus, solis tantum rebus ad vitam sustentandam omnino necessariis contentus sit [39]; hæ tamen virtutes ipsi secundariæ sunt, primaria vero et omnium præcipua est cognitio. Quamobrem aliis quoque disciplinis, quibus ad cognitionem exercemur, non indiligenter attendit, atque ex unaquaque, puta, musica, arithmetica, geometria, dialectica, ea decerpit quæ ad veritatem conducunt.

Illos itaque idem auctor noster corripit [40], qui Græcam philosophiam, quemadmodum pueri larvas, timebant. Nam si eorum fides aliqua probabili oratione concutiatur, hi fateantur necesse est se veritatem, quæ nullo unquam modo vinci potest, non consecuturos. Ad hæc vero dialectica est vallus quidam nullis sophistarum cavillationibus unquam expugnabilis. Quapropter « gnosticus » disciplinis tanquam adjutricibus utitur, ut verum a falso secernat et in errores nunquam prolabatur. Et quid mirum, cum nominum rerumque in sacris Scripturis distinctio animum magna luce perfundat? Vitandus tamen multus et inutilis disciplinarum abusus, et iis non male, uti hæretici, sed semper bene, secundario tamen utendum [41]. Eumdem sane in modum Abraham astronomia et arithmetica usum esse Clemens docet [42], atque ibi plura de numeris, ac præsertim de trecentesimo decimo octavo disputat. Geometriæ vero in tabernaculi et arcæ fœderis constitutione, necnon musicæ in Davidicis Psalmis usum ostendit, pluraque narrat de variis musicæ et harmoniæ generibus [43]; ac quomodo, et quos ad usus illam, non secus atque astronomiam Christiani adhibere debeant, clare exponit [44]. Disciplinæ ergo, uti ex dictis Clemens concludit, opem philosophiæ ferunt, et hæc ad tractandum de veritate adjuvat. Quam quidem illarum utilitatem postquam ratione comprobavit, atque eo potissimum quod ad sequendam cognitionem magna exercitatione et experientia opus est, tunc illud Scripturæ sacræ auctoritate rursus confirmat et asserit [45].

Ad eorum posthæc solvendam objectionem transit, qui arguebant Christiano homini penitus esse inutilem, solis astrorumque motus, atque etiam geometriæ, dialecticæ cæterarumque disciplinarum cognitionem et scientiam [46], ac tandem Græcam omnem philosophiam esse humani ingenii inventionem, quæ a veritate non edocetur. Ut hæc itaque adversariorum suorum argumenta Clemens diluat, primum ostendit illos in rebus maximis plane decipi; utpote qui non noverint « gnosticum, » libero voluntatis præditum arbitrio, posse humanam doctrinam, tametsi ab hominibus accipiatur, omnino sanctam reddere. Absurdum præterea dictu est philosophiam esse fabrili et ædificandarum navium arte deteriorem. Atque in assertionis suæ firmamentum affert quinque **127** hordeaceorum panum et duorum piscium, quibus Christus quinque millia hominum paverat, mysticam explicationem [47].

[33] p. 644. [34] p. 645. [35] p. 646. [36] p. 648. [37] p. 649. [38] p. 650 seq. [39] p. 654. [40] p. 655. [41] p. 656. [42] p. 657. [43] p. 658. [44] p. 659. [45] p. 660. [46] p. 661. [47] p. 662.

Digitized by Google

Pergit Clemens, docetque quatuor cardinales, uti aiunt, virtutes, quas Græci Hebræis acceptas referunt, non sine labore comparari. Nam homo aptus natus est ad acquirendam virtutem, vel in ea proficiendum; atque idcirco disciplina et exercitatione opus habet. At omnibus disciplinis cum præstet cognitio, hinc sane illa acquisitu perquam difficillima est, nec multo sine labore difficultas illa superatur [48].

« Gnostici » porro, justi et sancti hominis, qui ad summam perfectionem contendit, non solum opera et cogitationes, sed verba etiam munda sunt. Quid etiam peccatum, et quid faciendum non est, optime cognoscit. Quamobrem, si peccet, id non dæmoni vitio vertendum, sed ipsi qui malitia sua et electione fit improbus, et homo δαιμονικός. Virtutes autem et honestas actiones vocamus bona, ex quibus quædam propter aliud eligendæ, ut fides; aliæ vero propter se, uti cognitio, quæ proinde perfectissimum est bonum. Hujus vero utilitas et officium est cupiditates in « gnostico » cum in possessione, tum in usu ita rescindere, ut solis rebus necessariis contentus, pie semper vivat; filios, parentes, uxorem divinæ charitati nunquam anteponat; post susceptos liberos uxor sit ei tanquam soror, qualis reapse post resurrectionem futura est [49]. Animæ enimvero sexum non habent, et mulier sicut Sara, quam Abraham sororem proprie appellavit, fit virilis [50].

Quemadmodum autem Deus precibus illorum, quos peccatorum quidem suorum pœnitet, nondum tamen omnia στερεῶς, firmiter, crediderunt, ea quæ petunt, annuit: ita his qui sine peccato et « gnostice » vivunt, Deus, antequam rogent, ea omnia concedit quæ ipsi petere cogitant. Cæterum, etiamsi « gnosticus, » charitate Deo conjunctus, cogitatione sua oret omni tempore, quatuor nihilominus ab illo postulat, peccatorum scilicet remissionem, deinde non peccare amplius, tertio posse benefacere, denique mundo corde Deum facie ad faciem contemplari. Quapropter quadripartita quoque est illius justitia. Is porro sicut Abraham ac Moyses, et fidelis et justus est, atque perfectissima vitæ suæ institutione fit, quantum humanæ naturæ licet, Deo servatori similis, et ἀπαθείᾳ angelis æqualis, ac constanti divinorum mandatorum observatione in apostolorum numerum ascribitur [51]. Quid plura? Ille est non manuum quidem impositione, sed spiritu presbyter Ecclesiæ, et divinæ voluntatis διάκονος atque « in viginti quatuor thronis populum » judicaturus « sedebit [52]. » Porro autem ille tam ex Græcis quam ex Judæis assumetur; sed ejuscemodi electorum perfectorumque hominum in cœlesti gloria varii erunt, quemadmodum sacrorum Ecclesiæ ministrorum, gradus et ordines. At vero, ut quis hanc consequatur cœlestem gloriam, sive æternam felicitatem, non sola fides, sed bona etiam opera desiderantur [53]. Necesse est igitur ut fidelis et vitia deponat, et peccata post baptismum admissa gravissimis deleat sinceræ pœnitentiæ pœnis et suppliciis, ac perpetuo eorum dolore dignus fiat illis annumerari, quos propter justitiam sempiterna manet gloria.

Deinde Clemens planum facit non modo fidelem virum, qui male agit, sed etiam ethnicum, qui finem non habet, justissime a Deo condemnari [54]. Hic enimvero, præterquam quod et Deum agnoscere et in eum credere potuit, in eo peccat quod actionis illius bonus non sit finis. Qui autem bene sibi conscius est, ille erga Deum sanctus, erga homines justus, animam bonis cogitationibus, verbis et operibus intentam semper conservat, nullumque præter peccatum et ignorantiam malum esse censet. In dilectione ergo « gnosticus » ille constanter perseverans, æternam pro meritis in futura beatitudine mansionem consequetur. Variæ siquidem sunt illæ A mansiones; illorum vero est maxima, qui instar Domini in virum perfectum evadunt. In quo autem posita sit hæc Dei in « gnostico » homine similitudo et imago, Clemens contra falsam quorumdam opinionem scite enucleat [55]. Divinam autem hanc similitudinem, uti ille docet, prius agendo, ac deinde docendo « gnosticus » exprimit. Indignis tamen sacra nostra dogmata abscondit, et ea pandit atque explicat, « quando, quomodo, et apud quos oportet [56]. »

Jam vero ejusdem « gnostici » doctrina et philosophia perfecta est, sicut et Græcorum imperfecta; sed hæc veluti oleaster, illi tanquam bonæ olivæ si inseratur, plurimos sane feret fructus. At certe quadruplex sicut arborum, ita et doctrinæ Christianæ insitio distinguitur. Prima fit in ethnicis, secunda in philosophis et Judæis, tertia in hæreticis, quarta eaque utilissima doctrinæ est « gnosticæ, » quæ res ipsas perspicere potest [57]. Ex his autem Apostoli et B Salomonis auctoritate corroboratis, Clemens colligit tandiu quærendam esse cognitionem, quandiu inveniatur. Illius autem inventio est perceptio doctrinæ, nobis traditæ a Servatore nostro, quem Filium Dei esse probant sacra prophetarum de illo oracula, et de illius humanæ carnis assumptione testimonia, ac post suum in cœlos ascensum præcepta illius et miracula [58]. Tum enim certum est nos hac doctrinæ Christi perceptione invenisse veritatem, utpote quæ sit ipsa fidei virtus, ab ipsomet Filio Dei annuntiata, quæ omnia sibi adversantia invictissime evertit et superat. Quemadmodum ergo impius ille est, et pœnis potius quam verbis convincendus, qui Dei providentiam negat; ita non a sophistis, sed a Deo edocti, discimus quomodo ad ipsius cognitionem et ad æternam salutem, ipsum honorando et bonis actionibus insistendo, pervenire possimus [59].

Non ideo tamen Græca philosophia omnino repudianda est. Nam in aliquibus saltem suis documentis, nimirum de divina providentia, de futuris C impiorum suppliciis ac bonorum mercede ipsam docet veritatem, quam nihilominus in aliis, verbi gratia de Dei Filio, non attigit. Quamobrem mendaces sunt apud nos hæretici; quippe qui etiamsi in minus præcipuis nostræ religionis dogmatibus, de quibus nonnihil propter infirmos aliquorum animos, ad Pauli instar, remitti potest, non erraverint, principalia tamen illius decreta ac fundamenta funditus destruant. Sacras enim Scripturas non pro Domini dignitate, sed contra piam apostolorum traditionem et ecclesiasticam regulam interpretantur [60]. Porro autem ut verus earum sensus intelligatur, necesse est eas perscrutari magna diligentia et labore improbo. Nam parabolicum plane est illarum loquendi genus. Quid autem sit parabola, Clemens accurate definit [61], et contendit ad eam præpostere et absurde omnino ab aliquibus illud referri, quod de Christi incarnatione atque œconomia scriptum habemus.

D Manifestum tamen ille facit hac loquendi ratione, **128** quam antiquissimam esse demonstravit, usos esse prophetas, qui, cum futurum Christi adventum prænuntiavissent, variis, sicut ipsemet Christus, tormentis cruciati, ac morte etiam affecti sunt. Atque hæc Petri *Prædicatione* ab illo confirmantur. Subnectit peculiarem esse Hebraicæ linguæ, Græca longe antiquioris, dialectum variosque illius tropos, quibus veritas, solis initiatis patefacienda, involvitur [62]. Tum duplicem rursus ostendit esse Scripturæ sensum, et primum quidem litteralem, sive secundum litteram omnibus, si nuda lectione accipiatur, clarum et perspicuum; allegoricum vero alterum, quem inventu esse difficilem demonstrat cum Hermæ et Isaiæ testimonio, tum ex eo quod Josue et Caleb Moysen « cum assumeretur » duplicem

[48] p. 663. [49] p. 664. [50] p. 665. [51] p. 666, 667. [52] Apoc. IV, 4. [53] p. 668. [54] p. 669, 670 [55] p. 671. [56] p. 672. [57] p. 675. [58] p. 674. [59] p. 675. [60] p. 676. [61] p. 677. [62] p. 678.

Digitized by Google

viderunt; postremo quia ex iis qui Christum invocavere, multi filium David, pauci autem, sicut Petrus, Filium Dei cognoscebant [63]. Ex quibus Clemens colligit non vulgi, sed paucorum esse veri Scripturæ sacræ sensus cognitionem.

Quæ quidem ut planiora omnibus fiant, brevem Decalogi explanationem nobis exhibet. Ac primo quidem denarium illius præceptorum numerum esse sacrum, dictu supervacaneum arbitratur. Dehinc continuo explicat quid allegorice significent Decalogi tabulæ, digito Dei exaratæ, quid Dei digitus, quid illius scriptio, quid duæ tantum tabulæ, quid eas continens arca, quid eædem tabulæ renovatæ et dupliciter scriptæ. Ibi autem plura de duplici hominis spiritu, ac duplici animæ illius, non ex traduce, sicut corpus, genitæ parte, ac de illius cupiditatibus et divina imagine disputat [64]. Ad singula deinde præcepta exponenda propius accedens, primum, secundum et tertium separatim edisserit [65]. At in hujus tertii, quo septimæ diei et Sabbati observatio præcipitur expositione, a proposito suo digressus, longam de septenario numero, ipsique conjunctis senario et octonario disputationem instituit [66]. Ibi porro quædam inserit de Dei quiete et actione, docetque utrum mundus ab ipso in tempore, vel simul, eodemque momento et die creatus fuerit, ac quis dies ille dicendus. Ad alia vero Decalogi mandata inde reversus, illa simili plane modo, at nono tamen prætermisso, interpretatur [67].

Quomodo autem plerisque illis præceptis idololatria falsique numinis cultus prohibeatur, manifestum Clemens facit. Postea vero ille docet Græcos philosophos idcirco Deum, quem nominant, ut Deum non colere, quoniam illum ex parte tantum cognoscunt. Ex hac autem imperfecta cognitione factum est ut humanas affectiones ei tribuere non dubitaverint. Nec mirum sane, quandoquidem sic vitam agunt, ut id tantum quod probabile est, non autem verum inquirant [68]. At Christiani, accepta veritatis scintilla, nulli parcunt labori, studio, curæ et diligentiæ, ut, depositis falsis opinionibus, eam plane agnoscant, fiantque viri boni, pii et honesti, ac ipsimet eidem, quantum fieri potest, Deo similes.

Veritatis porro, uti pergit Clemens, duæ sunt species et ideæ, videlicet res et nomina. Sed Græci philosophi verbis, Christiani autem rebus inhærent. His porro sistendum esse ille duplici probat exemplo: uno quidem Christi Domini, qui humili fuit corporis forma; altero autem corvorum, qui humanas voces imitantur [69]. Cæterum qui fidem acceperit, hujus proprium est fieri cognitionis participem, ac super hoc fundamentum si aurum, argentum, lapides pretiosos posuerit, in virum regalem et « gnosticum » evadit.

Dictu tamen absurdum non est Græcam philosophiam, quæ, sicut pili et vestis, alicujus est utilitatis, a Deo esse datam. Hominem quippe ad Christianam perfectionem deducit, modo tamen a barbara non erubescat philosophia doceri. Qui enim curiose ac sine arrogantia, sed sincero veritatis amore perfectam philosophiam perscrutatus [70], in Christianorum consuetudinem se dederit, is sane ad fidem primum, ac deinde ad majorem profectum ducitur, ac demum ad salutem contendit. Tunc porro ille vera ornatur prudentia, cujus definitio variaque nomina ab auctore nostro explicantur [71].

Quapropter eos rursus castigat et refellit, qui philosophiam non a Deo, sed a diabolo ortam esse perperam contendebant. Inde autem concludit Judæis legem, philosophiam vero Græcis datam fuisse, donec Christus hunc in mundum homo factus veniret [72]. Nos tamen ille commonefacit se philosophiæ nomine omnem intelligere veritatem, quam ejusdem philosophiæ ope et ministerio assequimur. A Deo igitur illa, sicut et cætera omnia quæ in artibus bona sunt, profluxit. Subinde vero postquam Clemens palam omnibus fecit triplicem esse tam « gnostici » quam Dei homines docendi et informandi modum, tum continuo declarat « gnosticum » in his quæ præcipua sunt semper ita versari, ut, si quando per otium licuerit, Græcam philosophiam animi relaxandi causa attingat [73]. Verumtamen qui inania et superflua in illa sectantur, contentiosisque vacant sophismatibus, hos ille umbras persequi haud dubitanter asserit. Quamvis autem bonum sit scire omnia, is tamen cujus animus omnibus disciplinis imbui non potest, meliora et præstantiora debet seligere. At « gnostici » scientia semper firma et constans est, atque ea illud saltem quod falsum est deprehendit. Quamobrem inde et ex superius dictis Clemens infert esse philosophandum.

Et hæc quidem cum ita se habeant, Græci ex lege et prophetis debent discere unum esse omnipotentem Deum, nullam posse esse illius imaginem, nec simulacra esse imagines corporis, multo minus animæ eorum, quos pagani colunt et venerantur. His itaque relictis ac repudiatis, homo fit justus, abstinendo a malis et proximos diligendo. At incremento justitiæ agnoscitur « gnosticus, » qui, cum ad summam, quam Apostolus principatum obtinere dixit, fidei γνῶσιν pervenerit, æternam felicitatem consequetur [74].

Ad alium posthæc Græcorum, qui veritatem sese comprehendisse jactitabant, errorem confutandum, aperte Clemens ostendit infirmiorem esse hominis rationem quam ut illam possit sine ipsiusmet Dei ope atque auxilio comparare [75]. Ab ipso enim omnes sapientiæ et veritatis fontes ad nos primo per legem et prophetas, deinde per Christi præcursorem, ac tandem per illius apostolos et prædicatores manaverunt. Contra vero philosophis non quilibet magistri, sed quidam tantum placuere, Platoni scilicet Socrates, Xenocrati Plato, Aristoteles Theophrasto et Cleanthi Zeno. Quid vero, quod philosophia in Græcia tantum vigebat? Nostra vero doctrina non in sola Judæa, sed per totum terrarum orbem apud omnes gentes et populos disseminata est. Ad hæc vero illa Græca philosophia, quoties a magistratibus prohibita est, toties statim periit: nostra autem quo durius et crudelius a principibus et **129** regibus, atque universis eorum satellitibus vetita et divexata, eo magis semper floruit [76]. Denique illud tam falsum esse convincit, quod Græci venditabant suos poetas, quantumvis leves, divino spiritu fuisse afflatos, quam certum est sacros nostros prophetas esse divinæ vocis instrumenta. Atque ibi Clemens huic tandem libro finem imponit, aitque se quænam sint « gnostici » mores, piumque vitæ illius institutum veluti in tabella pinxisse, ac postquam de ortu mundi tractare cœperit, se tunc qualis idem ille « gnosticus » in rerum naturalium contemplatione sit demonstraturum pollicetur.

ARTICULUS VII.

Analysis libri septimi.

Ab ipso hujusce libri initio Clemens Græcis demonstrandum suscipit solum « gnosticum, » seu vere Christianum hominem esse pium et religiosum, ac proinde ab illis eo nomine plane immerito vexari et exagitari [77]. At primo quidem declarat se evidentibus rationum momentis, non autem divinis, quibus postea quando Græci crediderint utetur, sacræ Scripturæ verbis id probaturum; ne Christianismum describens, iis orationis filum interrumpat, quæ Græcis nondum aperta satis erant. Monet ta-

[63] p. 680. [64] p. 681. [65] p. 682. [66] p. 685 et seq. [67] p. 687, 688. [68] p. 689. [69] p. 690. [70] p. 691. [71] p. 692, 693. [72] p. 694. [73] p. 695. [74] p. 696. [75] p. 697. [76] p. 698. [77] p. 699.

Digitized by Google

men se, tametsi Scripturæ sacræ verba in medium non proferat, illius tamen sententias sectaturum [78].

Suum deinde argumentum ille aggressus, duplicem distinguit cultum. Primum siquidem circa homines, secundus circa Deum versatur. At « gnosticum, » quemadmodum angelos, in utroque vere pium et religiosum esse planissime ostendit. « Gnosticus » itaque, seu verus ille Christianus, apud paganos immerito atheus et impius, audit, utpote qui persuasum habeat omnipotentem esse Deum, et divina mysteria ab unigenito ejus Filio didicerit, nec lignum, aut spiritum, et hominem in deorum referat numerum, nec aliquid unquam injuste faciat. Res ergo, ait Clemens, præstantissima est in terris vir ille, summa in Deum pietate præditus, in cœlis autem angelus; sed omnium longe excellentissimum et perfectissimum esse constat Verbum et Filium Dei, qui humanam carnem assumpsit, qui mysteriis gnosticum imbuit, qui fidelem laciat bona spe, qui corde durum castigat, qui a prophetis Dominus et Servator prænuntiatus, neminem cogendo, omnibus ut bona eligant et impleant persuadet, qui angelorum opera Græcos philosophia informavit, qui omnium gerit curam, et pro cujusque ἐπιτηδειότητος beneficia sua Græcis, barbaris et prædestinatis impertitur [79].

Ille porro omnes ex æquo vocavit, sed eximie credentibus eximios tribuit honores. Ille est paternæ voluntatis minister, qui, cum a nullo unquam, quominus aliquid faciat, prohiberi possit, ipse quoque ad impatibilitatis, ἀπαθείας, habitum hominem erudivit [80]. Quid plura? Ille est Servator credentium et non credentium Dominus, atque neminem idcirco hominem odio habet, sed omnia respicit, nullum relinquit, omnium bonorum causa, primus motuum auctor ac virtus. Ille idem ipse est, qui cum a nullo comprehendi posset, humanam carnem induit, qua unumquemque divinis posse obtemperare mandatis ostendit [81]. Omnia porro gubernat, singulos in suo quoque ordine sic collocat, ut inferiores ad superiores, sibique præpositos tandiu respiciant, quandiu ad supremum pontificem pervenerint. Qui autem ex infirmitate in malum habitum inciderint, hi animæ perturbationibus agitati, humi decidunt. Anima autem justi hominis spontanea legum observatione semper fit melior, et variis in pietate et justitia progressibus ad ἀπαθείας habitum venit, donec æternam hæreditatem adipiscatur [82].

Deus itaque quemlibet ad sui contemplationem advocans, his qui ante legem erant præcepta dedit, Græcis vero philosophiam, quibus omnes ad fidem ita pervenire potuerunt, ut nullus de illius privatione, de boni Dei ignorantia, de suo pro viribus in virtute non facto progressu, ac de minime acta peccatorum pœnitentia excusari queat. Gnosticus vero alios divina contemplatione superans, inexplebili et æterna felicitate donabitur [83]. Quibus autem virtutum bonorumque operum gradibus ad perfectam Dei, quoad fieri potest, assimilationem tam ipse pervenire, quam alios perducere possit, Clemens liquido aperit. Has autem virtutes esse docet mansuetudinem et humanitatem, ἡμερότητα καὶ φιλανθρωπίαν, cor a superbia et fastu alienum, ac summum perfectumque Dei cultum, quem gratum acceptumque Deo sacrificium et holocaustum esse affirmat. Eam etenim ob causam Evangelium atque Apostolus, veteri homine cum cupiditatibus et animi perturbationibus interfecto, novum suscitari, quemadmodum lex peccatorem de medio tolli, præceperunt. Eamdem quoque ob causam Deo, qui nulla re indiget, nullum sicut pagani et Judæi donarium aut sacrificium, nisi nosmetipsos offerimus. Qui autem hæc non intelligunt, ii aut Deum esse, aut illum omnia intueri negant, aut tandem eum ut verum Deum non agnoscunt [84]. Atque ex iis omnibus auctor noster concludit « gnosticum » vere pium et religiosum esse; quippe qui de sua proximorumque salute sit omnino sollicitus, ac materiæ imbecillitatem, aut fatalem quamdam necessitatem non esse malorum causam persuasus, Deique factus imitator, omnes pro virili parte sua beneficiis augeat. Si vero magistratum ipse gerat, bonos, quemadmodum Moyses, honore, pœnis improbos afficit [85]. In illius porro anima Deus Pater et Verbum accurata divinarum legum observatione collocatur, atque ipsi impressa ab eodem Verbo Dei perfecta ad sui similitudinem contemplatione fit, quantum hominifas est, tertia divina imago.

Tunc itaque firma et stabili divinæ scientiæ comprehensione « gnosticus » sibi suisque imperat, et ad veritatem accedit. Quomodo autem hac divina scientia ille in rebus cum divinis, tum humanis versetur, et quomodo quatuor cardinalibus, uti aiunt, virtutibus det operam, sigillatim Clemens explicat. Quibus subnectit eum esse Dei servum, qui sponte sua divinis præceptis se subjicit [86]: qui vero non jam propter præcepta, sed ipsam propter cognitionem, γνῶσιν, corde est mundus, hunc esse Dei amicum. Virtus enim a nemine, nisi vera omnium animi perturbationum victoria acquiritur. Qui autem in eo certamine, tanquam fortis athleta, morem omnipotenti Deo agonothetæ gerendo vicerit, ab ipso laurea immortali coronatur [87].

Porro autem in cujuslibet potestate situm est id, si voluerit, consequi. Ille vero qui mandata Dei observaverit, fidelis fiet. Qui tandem pro accepto beneficio, quoad poterit, gratias ipsi egerit, is certe jam amicus Dei est. At Clemens ibi monet præcipuam gratiarum actionem esse ea facere quæ optima sunt. Justi igitur viri actiones cum Deus gratas acceptasque habeat, hi procul dubio, qui adversus ipsimet eidem 130 Deo credentes grassantur, illum contumeliis probroque afficiunt. Et vero quamvis Verbum divinum undequaque, sicut sol, diffusum omnia respiciat, Græci tamen deos fingunt corporis forma et animo sibi similes [88]. At « gnosticus » ab eorum erroribus plane alienus, verum Deum colit et bonorat.

Quamvis porro de falsa Græcorum religione in *Protreptico* satis se disputasse Clemens significet, verumtamen ut planius adhuc faciat quanta sit eorum impietas, ex multis pauca seligit, quibus deos hominibus similes, imo et deteriores ab iis fingi magis magisque demonstretur. Impudenter etenim Græci illi, pergit Clemens, garriunt deos ab hominibus fuisse læsos, et Dianam in Ætolos propter Œneum, ac Minervam in ipsam quoque Dianam, propterea quod in templo peperisset, ira percitas [89]. Nec minima etiam est illorum superstitio, qua iis, quæ naturaliter accidunt, verbi gratia, si mus aram perfoderit, aut lecythum corroserit, si sus devoraverit porcellos, si pistillum serpentem circumdederit, ac tandem, si quis sternutaverit, futura sibi prænuntiari opinabantur. Neque vero minus superstitiosi sunt alii, qui sobrietatem sanitatemque exorant, et diebus festis morbos sibi ebrietate conciscunt; simili demum superstitione alii suspensas inscriptiones, lanas flavas, frusta salis, faces et scillam, quibus in lustrationibus expiabantur, variis incantati præstigiis extimescebant [90].

Vera autem animæ expiatio est, si illa a peccatis atque impiis et falsis dogmatibus, quale illud est, Deum templis et simulacris includi, omnino purgetur [91]. Sanctum enimvero verumque Dei templum est Ecclesia, seu fidelium congregatio, atque in primis « gnosticus, » in cujus anima et purgata, et beatis operibus ornata, invenitur divina effigies et imago. Quinimo « quidquid creditum est, jam tan-

[78] p. 700, 701. [79] p. 702. [80] p. 705. [81] p. 704. [82] p. 705. [83] p. 706. [84] p. 707. [85] p. 708. [86] p. 709. [87] p. 710. [88] p. 711. [89] p. 712. [90] p. 713. [91] p. 714, 715.

Digitized by Google

quam fidele et positum in honorem simulacrum » Deo consecratur.

Dehinc Clemens aliam explodit superstitionem paganorum, qui deos sacrificium, instar alimenti, concupiscere arbitrati, ex immolatis animalium carnibus eas partes sacrificabant, quæ erant dedecori, et quibus illi ipsimet pagani non vescebantur [93]. Deus siquidem nec cibo nec ulla re indiget. Quamobrem ille a Christianis rite colitur tam precibus quam puro cordis affectu, in quo sane optimum est sanctissimumque sacrificium [94]. Et re quidem vera cum pagani memoriæ prodiderint Pythagoram ad aram accessisse, nulla cæde aut morte inquinatam, certe hi nobis, sanctam justi hominis animam esse aram piamque precationem suffitum esse dicentibus, fidem habere deberent.

Si quis autem objiciat facta fuisse in lege veteri sacrificia, huic Clemens respondet non ideo facta, ut Judæi mactatorum animalium carnes comederent, sed quia illa nostram religionem allegorice significabant. Addit vero bonam esse, modo propter Pythagoream metempsycosim non fiat, a carnibus abstinentiam. Tum rationes affert [95], propter quas Judæi neque suilla carne vescerentur, neque hircum sacrificarent, et cur quidam gnostici abstinerent a carne et vino, ac tandem cur Ægyptii sacerdotes a carne et pisce abstinentes, perquam levissimas aviculas in cibum adhiberent [96]. Denique ex his omnibus Clemens noster colligit non splendida et sumptuosa sacrificia Deo offerenda, sed pia ipsique accepta, nimirum preces et obsecrationes, ex omnium gentium et sexuum in unitatem fidei congregatarum vocibus, pura mente, recta vitæ institutione, sanctisque operibus profectas.

Jubemur siquidem Servatorem nostrum ac Patrem ejus per ipsum non selectis diebus, sed per totam vitam modisque omnibus colere et honorare. « Gnosticus » vero non in definito aliquo loco et templo, statutisve diebus festis, sed omni loco ac toto vitæ suæ tempore, sive solus, sive cum aliis versatus, illum honorat; ac factis, verbis et affectionibus melior semper evadit. Deo autem propius quam alii jungitur, magisque familiaris effectus, ac gravitatem, hilaritatem, benignitatem præ se in omnibus ferens, fit homo vere regalis ac sanctus Dei sacerdos [97]. Quid mirum? Ille enim nihil plane illicientis voluptatis, ne in somnis quidem, admittit; sed honestum rerum omnium usum ad Deum refert, illarumque ei offert primitias et de iis gratias illi semper agit. Ad convivia autem nunquam, nisi amicitiæ et concordiæ ergo, accedit. Persuasum etenim habet Deum audire et scire omnia, atque illum ipsas etiam mentium cogitationes, vota ac intimos et penetrales cordis recessus perscrutari. Contra vero qui Deum ad humiles formas et indecoras cupiditates deprimit, illius vana et impia est religio, ac nullæ penitusque irritæ sunt ejus preces et obsecrationes [98].

Docet itaque Clemens [99] quæ recta bonaque sit precatio, quid a Deo postulandum, et quomodo « gnosticus, » non sicut alii, statis horis, tertia, sexta et nona, sed per totum vitæ suæ curriculum Deum oret, ac cum eo versetur. Obiter vero strictimque, ne a proposito longius aberraret, Prodici corripit sectatores, qui a Cyreniacis edocti somniaverant precibus non esse utendum. Triplici ergo ratione planum facit « gnosticum, » de quo ipse sermonem instituerat, atque hominem vere pium, a Deo ea omnia impetrare, quæcunque ab illo efflagitat [1]; imo vero Deum illius vocem non exspectare, sed pias mentis illius exaudire cogitationes. Licet igitur, subdit Clemens, preces sine voce ad Deum fundere, ea tamen lege, ut mens ad ipsum convertatur. Hinc sane quia sol oriens est Christi imago, A apud Christianos mos invaluit, quo ad Orientem conversi Deum precabantur. Paganorum vero templa econtrario Occidentem respiciebant, ut illi ad Orientem seu Christi fidem sese vertere docerentur.

Quia vero scelerati hominis, qui vera bona non petit, sibi aliisque perniciosissima est precatio, expropter « gnosticus » præsentibus contentus, nihilque terrenum desiderans, postulat eorum quæ possidet stabilitatem, ad futura aptitudinem, ac eorum quæ accepturus est æternitatem [2]. « Gnosticorum » autem perfectissimus a Deo flagitat incrementum contemplationis, eamque in illa perseverantiam, qua a virtute nunquam excidat. Cum autem ipse longa et constanti, quæ ex cognitione proficiscitur, exercitatione virtutem adeptus fuerit, tunc illius efficitur naturalis in ipso habitus. Atque inde Clemens illum solum pium et religiosum esse concludit.

Neque tamen gradum ibi sistit [3], sed argumentum suum prosecutus, ostendit « gnosticum » de bonis non tantum præsentibus, sed de promissis etiam et in altera vita futuris, lætari, ipsique a Deo majorem quam aliis ferri opem. Et ille quidem, sicut et alii pii homines, si Dei adjutus auxilio bonis actionibus operam dederit, ab ipso velut bonus athleta, **131** coronam accipiet. Quid autem ille « gnosticus » agere, et qualis tota illius vita, quales ejus lectiones et precationes, quantum a mendacio et jurejurando alienus, quomodo alios opibus suis sublevare, alios vera doctrina imbuere, vel ad aliorum infirmitatem sese accommodare debeat, auctor noster perspicue aperit [4]. Itaque cum ea sit vera et sincera Christiani et « gnostici » hominis pietas et religio, inde ille infert hunc non modo non esse impium, sed eum solum pie, sancte, caste, et vera religione veroque cultu Deum colere ac venerari [5].

Tum deinde Clemens ut hæc firmius adhuc stabiliat et confirmet, sic prosequitur: « Cognitio, ἡ γνῶσις, inquit, est hominis, tanquam hominis perfectio, quæ sibi, Verboque divino et modo, et vita, atque etiam sermone consentiens, rerum divinarum scientia completur. Hujus autem, a sapientia quidem per doctrinam comparata discrepantis, sicut fundamentum est fides, ita Christus est utriusque fundamentum et ædificium. Fidei itaque datur cognitio, charitas cognitioni, et charitati sempiterna hæreditas [6]. Cognitio autem velox ad delictorum purgationem, apta ad mutationem in melius suscipiendam, mysticis cujusdam proprii luminis progressibus hominem corde mundum ad incommutabile bonum, hoc est ad Deum facie ad faciem in omni æternitate contemplandum transmittit [7]. »

Prima igitur salutaris mutatio fit ab ethnica religione ad fidem, secunda a fide ad cognitionem, et hæc in charitate desinit, hominemque in melius semper mutatum, ad æternam, uti quidem a Clemente quibusdam Scripturæ testimoniis confirmatur, perducit felicitatem. Fatetur tamen quædam « a non gnosticis, » πρὸς τῶν μὴ γνωστικῶν, recta fieri; sed, cum charitatis sint expertes, sine ratione agunt, atque idcirco mala est illorum actio, cujus nec bona quidem causa, nec bonus sine charitate potest esse finis [8].

Quam sancta autem sint « gnostici » opera luculenter Clemens probat brevi totius vitæ, ac variorum illius ad supremum usque perfectionis apicem graduum et progressuum descriptione [9]. Addit autem hoc vivendi genus ab illo non modo ad sanctorum cum patriarcharum, tum prophetarum, sed angelorum etiam, atque ipsiusmet Domini exemplum institui [10]. Quapropter dura omnia ac quælibet a tyrannis illata supplicia, non secus ac jucunda omnia, ad Petri de uxore ad supplicium ducta gau-

[93] p. 716. [94] p. 717. [95] p. 718. [96] p. 719. [97] p. 720. [98] p. 721. [99] p. 722. [1] p. 725, 724 [2] p 725,726. [3] p. 727. [4] p. 728 et seq. [5] p. 731. [6] p. 732. [7] p. 733. [8] p. 734. [9] p. 735. [10] p. 736.

Digitized by Google

dentis instar, et acceptis ab Apostolo documentis, plane contemnit et aspernatur.

« Gnostici » itaque anima his virtutibus exornata, fit terrestris quædam Dei imago et Spiritus sancti templum [10]. Ille enimvero, qui nulla voluptate vinci potest, omnibusque cupiditatibus dominatur, adversus omne periculum, omnem metum, paupertatem, morbum, ignominiam, ipsamque mortem audacter insurgit. Persuasissimum quippe habet vitium, ex quo ignoratio oritur, solum esse malum, atque adversus illud, armis Domini instructus, fortiter dimicat. Porro autem illa « gnostici » fortitudo neque ex æco oritur temerariove impetu, uti in pueris et belluis; neque ex vili et caduca mercede, ut in præstigiatoribus; sed semper ex recta ratione procreatur [11]. Quocirca martyres nunquam temere in mortem præcipites ruunt, sed, Deo vocante, et sola summaque in eum charitate illam constantissime obeunt. Christianos autem imperfectos, ac in fide pueros, quando aliquid propter Deum nonnullis aliis rationibus ducti patiuntur, etiamsi quædam corona maneat; semper tamen charitas propter se, et non propter aliud, eligenda et expetenda est.

Efficit itaque in « gnostico » fortitudo, ut metu semper vacuus sit; justitia, ut semper verum dicat; temperantia, ut nulla plane humana cupiditate liquescens aut affectus, sibi semper constet et dominetur [12]. Horum autem omnium causa est sanctissima et maxime præcipua, κυριωτάτη, omnis scientiæ charitas, qua « gnosticus » fit vir vere perfectus, Dei amicus, in ejus filium cooptatus, ipsumque facie ad faciem in æternum videbit.

Et vero ille proximum non modo non despicit, sed afflictum consolationibus aut adhortationibus levat, pauperi tametsi ipsum odio habeat, ea quibus indiget, pro ejus merito benigne et liberaliter largitur [13]. Nullus enimvero ipsi, nisi et Deo, ob vitia ac peccata inimicus est. Porro autem si aliqui adhuc imperfecti propter promissiones aut Dei metum sese contineant, ille propter charitatem, et ut soli Deo placeat, omnia suffert et sustinet. Si quam inde laudem consequatur, hanc in aliorum usum et utilitatem derivat [14]. Alio quoque modo continens dicitur, quando non solum animi perturbationes, « haud dubie malas, » comprimit, sed bona etiam, puta « bonos animi motus, ob majorem quamdam perfectionem, » continet et coercet, firmamque ac stabilem possidet scientiæ magnitudinem, unde eas profert, quæ ex virtute fiunt, actiones. Οὐχ ὁ τῶν παθῶν μόνον κρατῶν, ἀλλὰ καὶ ὁ τῶν ἀγαθῶν ἐγκρατὴς γενόμενος, καὶ βεβαίως κτησάμενος τῆς ἐπιστήμης τὰ μεγαλεῖα. Ἀφ' ὧν καρποφορεῖ τὰς κατ' ἀρετὴν ἐνεργείας. Quamobrem ille propter solam necessitatem comedit, bibit, ducitque uxorem, prout recta dictaverit ratio. In domus vero administratione et filiorum procreatione citra dolorem et voluptatem a charitate Dei nunquam divulsus, insurgit in omnem tentationem, quæ ex filiis, uxore, famulis, atque ex bonis, et divitiis oboriri solet. Cælibi autem ac virgini, domus curam non habenti, sæpe sæpius evenit ut non tentetur, atque ita alteri in quibusdam inferior, in aliis superior est.

Ad suscipiendam porro cognitionem prius anima varie exerceri debet. Nam ea γνῶσις, cognitio, est animæ quædam mors rationalis, qua a motibus et perturbationibus separata, et Deo soli grata atque accepta, libere vivit. Tum autem tantum abest, ut a cibo, potu et Venere aliquam capiat voluptatem; quinetiam sermonem, qui aliquid delectationis afferre potest, suspectum habeat [15]. Nemo enim Deo et voluptati poterit unquam inservire. Sed qui Domino studet fieri similis, is, ut sit cupiditatis expers, magna vi enititur. Qui autem concupivit, et se postea continuit, instar est viduæ, quæ temperantia rursus fit virgo. At qui perturbationem animæ noluerit exscindere, ille seipsum occidit.

« Gnosticus » itaque per cognitionem, quæ animæ est alimentum, et per ea quæ cognovit, salvatur: atque evangelicas virgines imitatus, sibi a Deo promissa ita postulat, ut tamen ad ea quæ petit, tam non assequenda quam assequenda, sit paratus. Tota autem illius vita, modo peccato non inquinetur, est precatio, et cum Deo conversatio; ac quidquid vult, nihil autem inutile cupit, ipse continuo consequitur. Quod si quis objecerit quosdam peccatores id quod rogant aliquando impetrare, huic Clemens respondet [16] illud raro fieri, et quia Deus illos **132** aliquid aliis inde largituros esse prævidet. At iis qui digni sunt, etiam non petentibus, ea quæ vere bona sunt, concedentur. Regia igitur via ille incedit, qui nulla necessitate, aut spe, aut metu, sed libero animi instituto justus efficitur. « Gnosticus » autem, tanquam divinus agricola, cupiditates amputat, ac plantans et irrigans duplicem metit fructum. Ille vero a nemine vexatur, nisi Deus id propter aliorum utilitatem permiserit. Illata porro ab aliis mala forti virilique animo perpessus, cæteros, quemadmodum apostoli, in fide confirmat, rogatque ut si qui ipsum odio habent, pœnitentia ducantur.

Itaque iis postquam diu sese exercuit, tum nulla liquefactus voluptate, nullaque mundana qualibet promissione fractus, in peccatum nunquam labitur [17]: sed in carne adhuc positus, omnem cupiditatem superat, illeque dolet quod adhuc sit in necessitatibus hujus vitæ constitutus, atque hac eadem temporali vitam tanquam sibi aliena utitur. Novit præterea jejuniorum quartæ et sextæ diei ænigmata, cum ab avaritia et libidine, omnium vitiorum fontibus, atque ab omni mala actione et cogitatione jejunat et abstinet. Atque hac divinorum præceptorum observatione Dominicum et Dominicæ resurrectionis diem agit.

Quid vero [18]? si quando aliquid, quod non vult, videndo, se voluptate affici senserit, tunc ipsam continuo castigat videndi facultatem, ac hoc solum quod ad se pertinet, videre et audire cupit, atque in corporis sibi objecti pulchritudine se Deum videre existimat. Si ex necessitate cibos capescendo, aliquantulum temporis consumat, putat a suo se negotio avelli. Quamobrem in somnis nihil quod electo non conveniat, aspicit. Is porro in hac vita totus hospes et peregrinus ea contemnit quæ alii mirantur, ac in civitate tanquam in solitudine vivit. Uno verbo, in omni vita absentiam apostolicam implet.

Quid plura? cum optima quæque agit, hominibus vult latere, ac sibi Dominoque persuadere se illius vivere præceptis. Quocirca seipsum semper et nunquam proximum despicit, atque idcirco illum afflictum consolatur, indigentem facit suorum, si quæ habeat, bonorum participem; imo vero et de inopia sua auget beneficentiam. Pura insuper et sincera ornatus fide, per opera et contemplationem Evangelium laudat, et ipse ea, quæ Deus docuit, rite perficiendo, ab eo laudem accipit. Spe vero propria minime ablactatus, quælibet mundana omnia aspernatur, et miseretur eorum, qui post mortem suppliciis affecti, Deum confitentur. Ipsius autem recta semper est conscientia, et ad mortem semper paratus, in hoc mundo tanquam peregrinus vivit, ac secundum rectæ rationis dictamen comedit, bibit, uxorem ducit, et in somnis sancta semper facit et cogitat: atque ita καθαρὸς εἰς εὐχὴν πάντοτε, semper ad precationem purus, cum angelis orat et precatur [19].

Tum rursus Clemens docet qualis sit ejus operatio, justitia et precatio, quid a Deo postulet, et quomodo Christum vocantem antevertat. Planum quoque facit quomodo ille patrem et matrem [20],

[10] p. 737. [11] p. 738. [12] p. 739. [13] p. 740. [14] p. 741. [15] p. 742. [16] p. 743. [17] p. 744. [18] p. 745. [19] p. 746. [20] p. 747.

Digitized by Google

suamque animam odio habeat, ac omni vitæ tempore a Dei mandatis et spe plane inseparabilis, Deo semper gratias agens, omnia, sicut Job, patientissime tolerans, bonis malisque superior, aliis sese caute accommodans, et eorum in se peccata dimittens, dignus fiat, qui « a seipso per obedientiam accipiat præsidium. » Pergit auctor noster [21], atque ostendit quid ille « gnosticus, » qui a Deo potius exigit, quam petit, pro fratribus agentibus ab ipso exposcat, quomodo divinæ bonitatis sit instrumentum et parvum ipsiusmet Dei templum, ac terrenis omnibus relictis, tendat ad Deum cœlestiaque transcendat. Ita, inquit Clemens [22], perfecte « gnosticus » vivit, spem cum fide ad futurorum exspectationem commiscet, atque operibus cognitionem semper subsequentibus divina mandata exsequitur. Nullo autem casu ille conturbatus, ac nunquam jucundum et utile divino consilio anteponens, fit Deo acceptus, mundoque laudabilis. Denique in bono rerum mundanarum usu Deo gratias persolvit, et Creatorem admiratur, « quia ejus finis per operationem gnosticam quæ fit convenienter mandatis, » in contemplationem desinit, atque idcirco post obitum ad sanctam transfertur remunerationem. Hæc porro Clemens instar seminis de « gnostico » a se Græcis quam brevissime dicta esse declarat, ac quid eum inter et fidelem discriminis intercedat, paucis aperit [23].

At profitetur tamen sibi adhuc longe plura ex sacris Scripturis de « gnostico » succurrere, quæ brevitatis causa aliis explicanda dereliquit. Unum nihilominus ex sexto primæ Pauli ad Corinthios Epistolæ capite locum profert, ac clara perspicuaque illius interpretatione et paraphrasi summam « gnostici » perfectionem presse, ut ipse loquitur, sed eleganter et enucleate describit.

Post hæc ille stylum suum convertit adversus Græcos philosophos et Judæos, qui propter magnam hæresum dissensionem nomen fidei religionique Christianæ dandum esse pernegabant [24]. Hanc autem opinionem eo falsam esse probat, quod plures quoque apud illos sint sectæ atque hæreses; neque tamen idcirco putabant dogmatibus suis nuntium esse remittendum. Deinde respondet Clemens has hæreses a Christo fuisse prædictas, et reprehensionem ea, quæ bona sunt, subsequi; atque a viro probo pacta sua et conventa ideo non infringi, quia ab aliis quibusdam improbis infringuntur. Præterea, etiamsi variæ sint medicorum sectæ, hoc non impedit, quominus ab ægris admissi, morbos eorum curent ac depellant [25]. Ad hæc vero, hæreses ex nimio sui ipsius amore aut vana gloria idcirco ortæ sunt, ut vera pietas verusque Dei cultus diligentius examinentur. Huc accedit, quod a maturo fructu nemo abstinendum esse censeat, quia alius perniciosus ipsi est similis. Neque etiam regiæ viæ propterea quis sese non committit, quia aliæ ad præcipitium ducunt. Denique hortos ideo agricola non colit, quia herbæ cum oleribus nascuntur.

Tum vero Clemens aperte demonstrat quomodo Christiana veritas ab omnibus hæreticorum, qui vel seipsos, vel alios decipiunt, erroribus secernatur [26]. Hanc autem dicit ex sacra Scriptura et antiqua Ecclesia elici, certissimisque demonstrationibus ita probari, ut ab ea nunquam ulli discedere liceat. Sacra autem Scriptura, ait auctor noster, Deiparæ similis, veritatem parit, atque ipsa semper virgo permanet. Quamobrem hæretici illam repudiant, vel in pravos sensus detorquent, atque idcirco in varios errores lapsi sunt. At si deposito errore, aliquis sese veritati permittat, Deus quodammodo ex homine efficitur [27]. Primum siquidem doctrinæ nostræ principium Deus ipse est, qui per prophetas, evangelistas, et apostolos in ejusdem veritatis cognitionem nos adduxit. Ex divinis igitur illorum scriptis certissimæ **133** eruuntur demonstrationes, atque iis fiunt fideles ac perfecti « gnostici [28]. »

Deinde auctor noster narrat quomodo et quam perverse hæretici iisdem sacris Scripturis abutantur, ac inanis sapientiæ opinione inflati, perpetuoque, sed perperam litigantes, omnem moveant lapidem, ne a sede sua deturbentur. Tum vero explicat quam difficile sit eorum sanare errores, ac quomodo tandem ad veritatis viam possint reduci. At quemadmodum gentes in ignoratione, et veræ discipuli Ecclesiæ in scientia, ita illi in opinione versantur [29]. Nullam igitur demonstrationem cum iidem hæretici habere possint, sese invicem irridentes, despiciunt et condemnant. Quocirca hi contentionem, pagani voluptatem, fideles gaudium, et « gnostici » εὐφροσύνην sectantur [30]. Quia vero magistri, ut Clemens inductione probat, discipulos sibi similes efficiunt, inde colligit eum, qui traditas a Domino Scripturas secutus, ipsi morem gerit, ad magistri imaginem fieri in carne Deum. Et sane ille ostendit duo esse peccati principia, videlicet ignorantiam et imbecillitatem. At prioris remedium est cognitio et desumpta ex Scripturis sacris evidens demonstratio; posterioris vero est ducta ex fide et timore exercitatio. Utraque autem in perfectam crescit « gnostici » charitatem. Fieri autem potest ut hæretici hæc intelligentes ad Deum convertantur [31]. Sin vero obstinati in erroribus perseverent, ab illo etiam severioribus quam peccatores catholici afficientur suppliciis.

Hæc porro auctor noster a se hactenus disputata esse significat, ut nullus in hæresim incidat; aut, si quis in eam inciderit, possitque adhuc sanari, ad veritatem adducatur. Verum ex iis plures sunt, qui rerum novarum cupidi, voluptatis sectatores, falsaque gloria incensi, sacras Scripturas corrumpunt et adulterant. Tales fuerunt Marcion, Prodicus, et alii similes, cum quibus bene actum esset, si ea scire potuissent, quæ prius tradita erant [32]. Solus ergo « gnosticus » in ipsis Scripturis consenuit, qui verbis et factis traditionem Domini sequitur, et quas in iisdem quærit Scripturis demonstrationes invenit.

Quod si quis objecerit cognitionem, γνῶσιν, ut Scriptura loquitur « inflare, » φυσιοῦν, respondet Clemens hoc verbo significari « magnifice et vere sentire [33]. » Et id quidem aliis Scripturæ locis stabilitum esse demonstrat. Cum ergo magnifica et vera sit sacræ Scripturæ cognitio, nullus certe ulla unquam de causa neque illam depravare aut corrumpere, neque cupiditati vanæque gloriæ inserviendo, ecclesiasticam regulam furari debet. Quapropter nec hæretici hujusce criminis conscii, nec alii ab iis decepti, in regnum intrabunt cœlorum. Non enim habent veram Dominicæ traditionis clavim, sed quamdam falsam, qua, exciso Ecclesiæ ostio et perfosso illius muro, veritatis cancellos transgrediuntur.

Hinc Clemens probat omnes illos hæreticos fuisse vera longe recentiores Ecclesia, quæ et catholica et universalis esse debet, et una tantum esse potest. Illius autem eminentia constructionisque principium, cætera omnia superans, unitate sua fundatur et constituitur [34]. Verum hæreses ex suis auctoribus, locis, gente, dogmatibus, aut perversis actibus nomen sortitæ sunt. Denique auctor noster docet Mosaica de mundis et immundis animalibus lege fideles, Judæos atque hæreticos designari; ac postquam de modo quo hi libri scripti sunt, eorumque titulo breviter disseruit, huic libro, alium tamen adhuc promittendo, imponit coronidem [35].

[21] p. 748. [22] p. 749. [23] p. 750 et seq. [24] p. 753. [25] p. 754, 756. [26] ibid. [27] p. 757. [28] p. 758, 759. [29] p. 760. [30] p. 761. [31] p. 762. [32] p. 763. [33] p. 764. [34] p. 765. [35] p. 766.

Digitized by Google

CAPUT II.

De horum librorum auctore, et ætate, quasque ob causas conscripti; de illorum argumento, et singulari, qua compositi sunt, methodo, de eorum titulo, manuscriptis codicibus, locis corruptis, Latina interpretatione, commentariis, observationibus, variisque editionibus.

—

ARTICULUS PRIMUS.

Clementem Alexandrinum verum esse horum librorum auctorem, et quo tempore illos scripserit.

Certum plane est, atque inter omnes prorsus constat Clementem Alexandrinum horumce septem *Stromatum* librorum verum parentem esse et auctorem. Nam præterquam quod hi libri ab antiquissimis et recentioribus scriptoribus Eusebio [36], Hieronymo [37], Epiphanio [38], Cyrillo Alexandrino [39], Photio [40], aliisque quamplurimis eidem Clementi constantissime ascribuntur; ex iis quidam, ac præsertim Eusebius [41] Epiphaniusque [42] varia ex iisdem libris fragmenta, quæ in illis etiamnum reperire est, totidem sæpe verbis transcripserunt. Quid vero, quod ipsemet Clemens noster cum ibidem suam ad Græcos *Admonitionem* et scriptos a se *Pædagogi* libros laudavit [43], illorum se parentem esse aperte prodidit, palamque testificatus est?

Ex hoc autem eodem Clementis nostri testimonio insuper colligimus eum huic operi manum non admovisse, nisi post editas a se cum *Admonitionis*, tum *Pædagogi* commentationes. Has autem illis *Stromatum* libris non longo admodum temporis intervallo anteivisse haud plane infirmo, uti nobis videtur, argumento ex mutua illorum inter se connexione deducto confici posse persuasum omnino habemus. Verum quo reipsa tempore *Stromatum* libri in lucem prodierint, si quæras, id ex Eusebio discere poteris. De his quippe sic ille pronuntiat: « Hinc porro Clemens in primo Στρωματέων libro ordinem temporum describens, obitu imperatoris Commodi computationem suam circumscribit. Ex quo apparet Severi Augusti, cujus nunc tempora exponimus, principatu hæc volumina ab eo fuisse elaborata [44]. » Et re quidem vera in primo *Stromatum* libro illam Romanorum imperatorum chronographiam, ab auctore nostro editam, Commodi morte concludi nunc etiam legimus [45]. Atqui anno Christi 192 desinente occisus est Commodus, et in illius locum suffectus Pertinax tres tantum menses imperasse perhibetur. Huic autem Severus successit: quo quidem imperante, Clementem his conscribendis *Stromatum* libris operam dedisse haud immerito Eusebius asseverat. Et vero ille ipse alibi [46] eumdem Clementem nostrum his, uti diximus [47], annumerat scriptoribus, qui ante Victoris summi pontificis tempus divinitatem Christi Domini contra hæreticos strenue propugnarunt. At Victor eodem quo Commodus interfectus est anno 192 summo pontificatu inauguratus, eum cum vita anno 201 deposuisse perhibetur. De aliis autem, quam de *Protreptico*, vel *Pædagogi*, vel *Stromatum* sive singulis, sive omnibus simul libris Eusebius intelligi non potest. Denique certum est primum *Stromatum* librum a Clemente nostro post Commodi imperatoris mortem **134** compositum fuisse. Ad alios autem, qui tanta tamque varia eruditione referti sunt, perficiendos, otio sane et tempore opus illi fuit. In iis siquidem spuria quædam scriptorum opera secernuntur a veris, ac bene innumera omnis generis auctorum testimonia, imo et poetarum carmina, totidem verbis describuntur. Verum ea omnia Clementem memoria tenuisse, nec relectis auctorum operibus, illa ex tempore tam fideliter transcripsisse quis facile sibi persuadebit?

Quid vero, quod ipsemet Clemens cum hos libros conficeret, se nondum quidem ætate provectum, sed memoriæ non adeo tenacis fuisse profitetur, ut tot scriptorum loca totidem ipsorum verbis ad libitum reddere potuerit? Audi, quæso, illius verba: « Mihi, inquit, ad senectutem reconduntur monumenta, oblivionis medicamentum [48]. » Et rursus postea: « Multa autem recte scio effluxisse propter longitudinem temporis, ut quæ absque scriptis effugerint. Unde memoriæ meæ imbecillitatem sublevans, expositionem certis capitibus constantem, salutare memoriæ monimentum mihi comparans, hac necessario usus sum descriptione. Sunt ergo quædam quorum ne recordati quidem sumus; erat enim apud viros beatos magna quædam vis. Sunt etiam quæ non adnotata, quæ, cum tempore mansissent, nunc effugerunt; aliqua autem, quæ exstinguebantur, ut quæ flaccerent in ipsa cogitatione [49]. » Verum hæc summæ et singulari Clementis, ingenii sui viribus, ac multo magis senectutis suæ infirmitati diffidentis, modestiæ si tribuenda censeas, non refragabimur.

Porro autem quia Severus, imperii sui initio nec Christianis infensus, nec eos palam insectatus esse memoratur, per illa certe ecclesiasticæ pacis tempora videtur Clemens potuisse, huic tametsi propemodum immenso operi supremam manum imponere. Tunc enimvero et libros, quibus indigebat, penes se habere, et illos in iis, quæ memoria ipsi non suggereret, haud difficiliter adire poterat. Deinde vero plurima, quæ ex doctissimis suis præceptoribus, iisque summæ eruditionis viris audierat, hosce in commentarios se congessisse testatur, ac proinde paucioribus procul dubio libris, nec inventu plane difficilibus, eguisse credendus est. Denique eosdem præceptores suos, et in vivis adhuc esse, et gratas eis fore lucubrationes suas, haud obscure significat: « Recte autem scio, inquiebat ille, fore ut exsultent, non hac dico lætari expositione, sed sola ea observatione, quæ est in adnotatione [50]. » Vero itaque simillimum est hæc *Stromata* circa annum 194 a Clemente edita, et publici facta fuisse juris. Et certe Eusebius in *Chronico* ad quintum Severiani imperii, hoc est Christi 198 annum, hæc habet: « Clemens multa et varia conscripsit [51]. » Quo quidem loquendi modo hos *Stromatum* libros, qui præcipuum opus illius erant, potissimum designari, atque eos pro solito Eusebii more, non eo reapse anno, sed illud circiter tempus scriptos fuisse adnotari nullus jure merito inficiabitur.

[36] lib. v Hist., c. 11, et lib. vi, c. 13. [37] lib. De script. eccles., § 10, et epist. 24, ad Mag. [38] Ad hæres. 32, § 6. [39] lib. vi, p. 205; lib. vii Cont. Jul., p. 230. [40] Biblioth. cod. 3. [41] lib. iii Hist., c. 29 et 30, et lib. v, c. 11, et sæpius lib. De præpar. evang. [42] hæres. 32, § 4. [43] Strom., lib. vii, p. 711; lib. vi, p. 616. [44] Euseb., lib. vi Hist., c. 6. [45] Strom. lib. i, p. 139. [46] Euseb. lib. v Hist., c. 28, p. 196. [47] supr. dissert. 3, c. 1, art. 2. [48] l. i, p. 274. [49] p. 276. [50] lib. i Strom., p. 225. [51] in Chron. ad ann. 2220.

Digitized by Google

At aliquos, quominus huic sententiæ suum tam facile præbeant assensum, illud forsitan morabitur, quod de martyribus longa his in libris instituatur disputatio. In illis siquidem cum Clemens tam fuse probet Christianos a paganis immerito vexari, torqueri et crudelissimis suppliciis affici, nonne his ille sermonibus innuit se hæc sua tum scripsisse *Stromata*, cum Severus imperator in Christianos dirius sæviret, atque adversus eos acerbius grassaretur? Ecquid enim, inquient, aliud nisi hanc Severianam crudelitatem et sævitiam hæc Clementis nostri verba indicant! « Nobis autem sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur, et capite truncantur [59]? » Non minimi sane videtur esse momenti istud argumentum. Responderi tamen potest præcipuum Clementis, ita de martyrio disputantis, scopum esse insulsum refellere quorumdam hæreticorum errorem, qui martyrium penitus proscribebant et aspernabantur. Quamobrem maximis illud laudibus extollit, ac summum Christianæ perfectionis apicem in eo positum esse demonstrat. Multos porro martyrio ex hac vita quotidie migrasse non ideo dicere videtur, quod tum Severiana persecutio immanius sæviret, sed quia iis etiam ecclesiasticæ pacis temporibus quamplures martyrii palmam consequebantur.

Si quis tamen hac ratione persuasus *Stromatum* libros sub Severiani imperii finem editos esse contenderit, sua ipsum, per nos licet, sententia maneat. At is, quæso, meminerit eos cum *Admonitione* ad gentes, et tribus *Pædagogi* libris, ita, uti diximus, esse connexos, ut non ita longum inter has omnes auctoris nostri lucubrationes spatium temporis intercesserit.

ARTICULUS II.

Quibus rationibus impulsus Clemens hos libros scripserit, quodnam eorum argumentum, et quam singulari modo ac methodo compositi fuerint.

Quamvis Clemens in superioribus libris promisisset fore ut hos ederet *Stromatum* commentarios, perfectis tamen illis prioribus libris, utrum fidem liberaret suam dubium et incertum se adhuc hæsisse profitetur. Subdubitabat enim utrum in his *Stromatum* libris sacra religionis nostræ mysteria paganis divulgare fas sibi esset, quæ indignis illis hominibus, ne ea more solito irriderent, occultari debebant. Quamobrem: « Hæc mihi, inquit, erant impedimento, quominus scriberem, et nunc adhuc vereor, ut ait, ante porcos jacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, et conversi nos frangant [58]. » Verumtamen quia Christus quæ in aurem atque in parabolis dixerat, hæc si « non omnibus passim, » saltem « quibus oportet [54], » aperte et palam prædicari præcepit, hinc Clemens ad hosce libros conscribendos animum se appulisse testificatur. Deinde vero absurdum omnino esse censebat Christiano homini, veritatem annuntianti, utiles et quamplurimis profuturas lucubrationes publicandi omnem prorsus negari facultatem, quæ paganis hominibus fabulas, maledicta, ac res impias et obscenas scribentibus impune data fuerat [55].

Ad has quoque commentationes perficiendas alia eum ratio impulit [56]; nimirum ut illæ sibi essent haud dubie ad virtutem stimulus et incentivum, atque tradita in eis veræ pæque doctrinæ placita si sibi aliisve aliquando exciderent, eorumdem librorum lectione in memoriam possent facile revocari [57].

Præcipua vero, et quæ ex toto opere colligitur, hæc illius publicandi causa fuit, ut veram sinceramque Christianæ fidei doctrinam contra paganorum, præsertim philosophorum, et hæreticorum no- A strorum **135** errores tueretur, ac quæ ex eorumdem philosophorum dogmatibus Christiano homini rejicienda et assumenda essent, patefaceret.

Ad hæc vero, postquam in sua ad Græcos *Admonitione* impias ethnicorum superstitiones funditus evertisset, postquam tribus *Pædagogi* libris illos, qui Christianæ religioni nomen recens dederant, primis imbuisset illius præceptis, necessarium sibi esse duxit manifestum ipsis facere in quo sita sit summa, ad quam semper contendere debent, ejusdem Christianæ religionis perfectio.

In his enim demonstrandis Clemens totus incumbit, et ad ea probanda, quibus potest, validioribus ex sacræ Scripturæ, atque scriptorum cum Christianorum tum profanorum auctoritate et testimonio petitis rationum firmamentis utitur. Et hic quidem est illius in his omnibus *Stromatum* libris scopus, atque eorumdem librorum, uti ex exhibita a nobis illorum analysi liquet, materies et argumentum.

Ne autem mysteria nostra hominibus profanis B clarius divulgando, in eum, quem declinare volebat, scopulum imprudenter offenderet, singulari prorsus arte et methodo hocce opus concinnavit: « Sunt enim, inquit ille, nostra, ut sæpe diximus, commentaria propter eos, qui impudenter ac imperite ad ea legenda sunt accessuri, varia, et, ut ipsum nomen indicat, contexta, ab uno ad aliud continens transeuntia, et per verborum quidem seriem ac contextum aliud significantia, aliud vero indicantia..... inveniet enim scriptura unum, qui sit eam intellecturus [58]. » Rursus autem alibi quem in modum, quave methodo hos scripserit libros, sic ille explicat: « Atque in prato quidem, qui varie florent flores, et in horto arborum plantatio, non est separata per unamquamque speciem eorum, quæ sunt alterius generis, etiamsi quidam eruditis varie decerptis collectaneis, prata, et helicones, et favos, et peplos conscripserint: sed iis quæ, prout occasio sese obtulit, mihi venerunt in C mentem, et neque ordine, neque dictione sunt expurgata, sed de industria dispersa sunt, permistim nobis instar prati variata est *Stromatum* descriptio: ἡ τῶν *Στρωματέων* ὑποτύπωσις [60]. » Et vero his in libris ipsam sacræ nostræ doctrinæ, ac mysteriorum sacratiorum explanationem ita cum philosophicorum, atque etiam poeticorum, aliorumque dogmatum explicatione Clemens permiscet, sic sermones suos sæpe sæpius intersecat, sic data opera a proposito suo haud infrequenter digreditur, sic ab uno argumento ad aliud quandoque transit, et posthæc ad prius revertitur; ut in iis publicandis nihil plane a profano et ethnico, quantumvis moroso, et Christianis infenso homine pertimescendum habuerit. Quamobrem paulo post hujusce operis initium, de illo hunc loquitur in modum: « Sunt autem quædam etiam, quæ mihi tacite significavit scriptura: et in aliis quidem insistet, alia vero tantum dicet; conabitur autem et D celans dicere, et occultans aperire, et tacens ostendere [60]. » Quid enim, quæso, aliud hæc verba sonant, quam quod ille in quibusdam diutius insistens, ea fusius explicabit; quædam vero nude et simpliciter dicet; ita tamen ut dicendo ethnicum hominem celet, et enim celando eadem aperiat Christianis, ac ipsis solis manifesta faciat?

Quid vero, quod et eodem ille in libro aperte declarat, a se non solum difficiliora religionis nostræ mysteria, sed ipsa etiam fidei semina cum veris philosophorum placitis in hunc involvi et implicari modum, quo ea Christianis tantummodo patefiant, et ab illis solis agnoscantur? Περιέχουσι οἱ *Στρωματεῖς* ἀναμεμιγμένην τὴν ἀλήθειαν τοῖς φιλοσοφίας δόγμασι· μᾶλλον δὲ ἐγκεκαλυμμένην καὶ ἐπικεκρυμμένην, καθάπερ τῷ λεπύρῳ τὸ ἐδώδιμον

[59] lib. II Strom., p. 414. [53] lib. I Strom., p. 297. [54] ibid. [55] ibid. p. 269. [56] l. VI, p. 617. [57] l. I, p. 276. [58] lib. IV Strom., p. 475. [59] l. VI, p. 617. [60] l. I, p. 276.

Digitized by Google

τοῦ καρύου. Ἁρμόσει γὰρ, οἶμαι, τῆς ἀληθείας τὰ σπέρματα μόνοις φυλάσσεσθαι τοῖς τῆς πίστεως γεωργοῖς· « Continebunt autem *Stromata* admistam veritatem philosophiæ decretis, vel potius coopertam et absconsam, sicut testa operitur id quod est in nuce esculentum. Fidei enim semina solis, ut existimo, convenit servari fidei agricolis[61]. » Atque, ut cætera taceamus, rursum ille sub libri septimi finem ait se hocce opus perfecisse, « hic et illic interspersis dogmatibus, ut a quolibet eorum qui mysteriis non sunt initiati, non facile possint inveniri sanctæ traditiones [62]. » Quod quidem ille ibidem uberius enucleat, fusinsque his prosequitur verbis : « Sunt autem libri *Stromatum*, οἱ *Στρωματεῖς*, utique similes non illis elaboratis hortis, in quibus sunt arbores et plantæ, in certum ordinem ad delectandos oculos digestæ ; sed alicui potius spisso et umbroso monti, in quo simul sunt plantatæ cupressi et platani, laurus et hedera, mali et oleæ, et ficus ; ita ut de industria fertilium simul et non fertilium plantæ arborum sint commistæ, cum propter eos, qui pulchra et matura subripiunt et suffurantur, latere id velit scriptura..... Neque ergo ordinem, neque dictionem spectant libri *Stromatum*, οἱ *Στρωματεῖς* [63]. »

Quam autem hæc scribendi ratio feliciter ei cesserit, inde colligas, quod Origenes, teste Hieronymo, illam postea imitatus fuerit : « Hunc, inquit, imitatus Origenes, decem scripsit Stromateus, Christianorum et philosophorum inter se sententias comparans, et omnia nostra religionis dogmata de Platone, Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmans [64]. »

ARTICULUS III.

De vero hujusce operis titulo, de illius integritate, atque in libros et capita divisione, stylo, elegantia, utilitate, variaque eruditione.

Ex hac tam singulari, sicut dictum est, scribendi methodo, et mira argumentorum, ullo absque ordine, sed permiste et confuse congestorum, varietate haud prorsus immerito colligi potest hosce libros a Clemente nostro *Στρωματεῖς*, quemadmodum ex superius citatis ejus verbis liquet, inscriptos fuisse. Si quis vero alios præter ipsummet Clementem hujus inscriptionis testes desideret, is certe Eusebium audiat, hunc titulum, et totius operis argumentum, atque etiam scriptionis genus diserte explicantem : « Porro in τοῖς *Στρωματέων* non solum ex sacris litteris plurimos insternit flosculos, verum etiam ex gentilium libris, si quid forte ab illis commode dictum est, commemorat ; varias Græcorum simul ac barbarorum explicans opiniones, quæ apud multos illorum leguntur ; falsa quoque hæresiarcharum dogmata coarguens. Ad hæc multiplices recenset historias, uberrimam nobis promiscuæ eruditionis materiam subministrans. Iis omnibus philosophorum quoque opiniones intermiscet. Proinde admodum argumento convenientem, *Στρωματέων* titulum libris suis indidit [65]. » Unde et paulo supra de horum librorum inscriptione sic ille haud dubitanter pronuntiat : « Exstant ejus octo *Στρωματέων* libri, quos ipse inscripsit : Τίτου Φλαβίου Κλήμεντος τῶν **136** κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων *στρωματεῖς*. Titi Flavii Clementis de vera philosophia commentariorum, qui ad scientiam pertinent, *στρωματεῖς* [66]. » Non dubitavit itaque Eusebius hunc verum germanumque esse hujusce Clementini operis titulum. Nec immerito quidem. Photius etenim in veteri quodam codice hanc plane similem et integram illius inscriptionem se invenisse asserit : « Reperi autem, inquit, in vetere quodam exemplari, ἐν τινι παλαιῷ βιβλίῳ, hoc opus non solum Στρωματεῖς inscriptum, sed integre ad hunc modum : Τίτου Φλαβίου Κλήμεντος, πρεσβυτέρου Ἀλεξανδρείας, τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων στρωματέων, α, β, γ. etc. Titi Flavii Clementis, presbyteri Alexandrini, gnosticarum secundum veram philosophiam commentationum Stromatum primus, secundus, tertius, etc., liber [67]. » Hanc itaque veram et sinceram esse hujus operis epigraphen, illi ab ipsomet suo auctore inditam, in dubium vix a quoquam jure merito vocari posse arbitramur. Et vero ille ipse cumdem librorum suorum titulum nobis his alicubi exhibet verbis : Ὅδε δὴ ἕκτος ὁμοῦ καὶ ἕβδομος ἡμῖν τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων στρωματεύς· « Hic autem sextus simul et septimus liber commentationum, veræ philosophiæ cognitionem informantium Stromateus [68]. »

A Clemente igitur si alibi hi libri simpliciter τῶν ὑπομνημάτων στρωματεῖς, aut adhuc simplicius ab ipso [69], et Cyrillo Alexandrino [70], aliisque Græcis scriptoribus, στρωματεῖς, ac στρωματεύς, vel ab aliis Latinis auctoribus *Stromatum* libri vocantur [71], id sane brevitatis causa factum esse quis ambigat?

Porro autem certum quoque videtur nomen plurale οἱ στρωματεῖς a singulari στρωματεὺς juxta Clementis nostri sensum et mentem derivari. Non enim minus frequenter hoc singulari nomine, quam plurali ad libri nimirum primi, secundi, tertii et quarti finem utitur [72]. Quid vero, quod utrumque verbum indiscriminatim, et eodem plane significatu adhibet? Ad libri siquidem septimi calcem easdem voces οἱ στρωματεῖς et τὸν ἕβδομον στρωματέα idem omnino sonare cuilibet legenti planum erit et manifestum.

Quid autem hæc nomina significent, si roges, tibi pro more nostro candide et ingenue respondebimus prorsus recedere a quorumdam sententia, qui putant iis significari stromatum et stragulorum opificem. Nihil enim magis Clementis menti adversari nobis videtur. Suos quippe libros cum prato, ac spisso, umbrosoque, quemadmodum dictum fuit, nemore cur, quæso, ipse composuit, nisi quia illi tanquam stromata et stragula erant, in quibus vera fidei nostræ documenta, sicut flores in prato, et in nemore arbores, confuse et permiste, ulloque sine ordine congesta cernuntur?

Si quis autem quid præcise his nominibus a Clemente intelligatur, scire voluerit, is Pollucem adeat, et ab eo discet inter ea, quorum in conviviis olim usus erat, reponi ὑπαγκώνια, στρώματα, περιστρώματα, ὑποστρώματα, *cubitalia*, *strata*, *peristromata*, *et substrata* [73]. Alibi vero ubi, quo vestium reponendarum vasa, arcæ, vel armaria nomine appellentur, explicat, ibi tradit quæ veteres vestimenta stratilia vocabant, hæc a recentioribus στρωματεῖς, in quibus strata illa deponebantur nuncupari : Ἃ δὲ οἱ παλαιοὶ ἱμάτια στρωματώδεσμα, ταῦθ' οἱ νεώτεροι στρωματεῖς ἔλεγον, ἐν οἷς, ὡς μὲν τοὔνομα δηλοῖ, τὰ στρώματα ἀπετίθεντο. Δηλοῖ δὲ ὅτι καὶ τὰς ἄλλας ἐσθῆτας. « Quæ autem veteres vestimenta stratilia, recentiores culcitras vocaverunt, et in quibus, ut nomen indicat, strata illa deponebantur; certum tamen quod et vestes aliæ [74]. » Rursus autem ubi adhuc de ipsis vestium vasis disserit, hæc ille habet : Καὶ στρωματεῖς δέ. Ἀπολλόδωρός τε ὁ Γελῶς ἐν Ψευδαλαντι ἔφη· Μάχαιρα, λόγχης στρωματεύς· ὁ δὲ Ἀπολλόδωρος Καρύστιος Ἀντευεργετοῦντι· Τοὺς στρωματεῖς ἔλυον. « Item et stragula. Apollodorus

[61] l. I, p. 278. [62] l. VII, p. 766. [63] ibid. [64] Hier., epist. 84 ad Magn., orat. et in Daniel. [65] Euseb., l. VI Hist., c. 13. [66] ibid. [67] Biblioth. cod. III. [68] l. VI, p. 616. [69] l. IV, p. 475, et l. VI, p. 617. [70] Cyril., l. VII Contr. Julian., p. 230. [71] Hier., epist. 54 ad Mag. [72] p. 357, 325, 473, 615. [73] Pollux, l. VI, p. 272. [74] idem, l. VII, c. 19, p. 344.

Digitized by Google

enim Gelous in *Pseudoajace* dixit : Gladius, cuspis et stragula; Apollodorus autem Caristius in *Beneficium rependente :* Stragulas dissuebant [75]. » Postremo ipse observat verbum στρώματα apud Antiphanem et Sophoclem pro lectis inveniri [76].

Ex his itaque liquet voces στρώματα et στρωματεῖς sæpius pro arca et vase, vel, si velis, pro sacco, in quo vestimenta varie contexta reponebantur, atque aliquando pro ipsismet illis vestimentis, vel varii diversique coloris tapetibus accipi. At nomen στρωματεῖς si priori tantum sensu a Clemente usurpatum fuisse contendas, haud ægre nos in sententiam tuam pertrahes. Animum tamen advertas velim de vocis ab auctore aliquo usurpatæ significatione non esse litigandum, ubi ille quid ea voce intellexerit haud obscure declarat. Quoniam ergo Clemens libros suos cum prato et spisso nemore, variis floribus et arboribus, nullo ordine permistis, consito comparat, quid titulo στρωματεῖς ipsis inscripto sibi velit, haud ita difficiliter intelligitur.

Cæterum de Græca illa voce, quam alii Latine opus varie contextum, alii Miscellanea, alii denique plurimi, Græco nomine retento, Stromata appellaverunt, videsis Casaubonum in suis ad Athenæum Animadversionibus [77].

Plures porro ante Clementem nostrum scriptores operibus suis nomen στρωματεῖς pro titulo posuisse testatum Gellius facit [78]. Eusebius vero testimonium nobis protulit, desumptum ἀπὸ τοῦ Πλουτάρχου στρωματέων, « ex Plutarchi stromatibus [79]. » Eo itaque lubentius Clemens hunc libris suis titulum inscripsit, quo id et paganis usitatius, et suo proposito aptius convenientiusque esse noverat.

De sincero hujus operis titulo certior forsitan ferri posset sententia, si illud integrum esset et perfectum. At jam a longo tempore capite truncatum, sua inscriptione et principio caret; neque illud ullus manuscriptus codex hactenus resarcire ac restituere potuit. Ex hoc enim exordio, si adhuc exstaret, compertum utique haberemus, et quæ fuerit horum librorum inscriptio, et cui illos Clemens nuncupaverit. De hac autem jactura eo minus dolendum, quo aliunde, uti vidimus [80], facilius deprehendere possumus, pauca admodum ex libri primi initio fuisse aut deleta aut avulsa. Ex iis siquidem, quæ supersunt, liquido colligimus, nihil ibi nisi unam aut alteram phrasim tantum desiderari.

Multo igitur magis graviora sunt eorum, quæ in septimi libri fine auctor noster scripturum se esse promiserat, damna atque detrimenta. Ibi enimvero ille pollicetur fore ut alium de his, quæ sibi dicenda adhuc erant, librum conficeret : « Atque adeo post hunc septimum librum *Stromatum*, de his quæ deinceps sequuntur, aliud sumamus exordium [81]. » An tamen Clementi per otium, atque etiam per diram, tunc sævientium in Christianos tyrannorum persecutionem promissis stare licuerit, haud ita certum est.

Scimus quidem septimo *Stromatum* libro alium in **137** editis subjungi. Sed hunc, uti suo loco demonstrabimus, spurium omnino et adulterinum esse nemo sane non ultro fatetur. Quorumdam vero opinio est a Clemente, ut fidem suam liberaret, editum fuisse librum octavum, quem alio titulo : *Quis dives salvetur* inscriptum esse arbitrantur. Utrum autem vera sit hæc sententia, nos infra opportuniori loco examinabimus.

Nullus porro dubitandi locus est totum hoc opus ab ipsomet auctore suo varios in libros fuisse divisum [82]. Nam præterquam quod primus liber in quinto citatus legitur, id præterea ex cujusque libri fine adeo clarum et apertum est, ut qui id probare tentaverit, is meridiano et clarissimo soli lucem inferre voluisse videatur.

Quapropter de hac operis in septem libros divisione illud tantum observare juvat, eam nulla alia arte a Clemente factam, nisi propter nimiam, ut ille testatur [83], prolixioris orationis et argumentorum longitudinem. Tertio etenim libro ipse hæc in verba finem imponit : « Suscepta a nobis disputatio nos longius, quam par sit, abduxit; et orationem fecit prolixiorem. Unde tertius quoque liber Stromateus eorum, quæ sunt de philosophia monimentorum, hunc finem habeat. » Prius vero ad secundi libri calcem : « Terminetur hic quoque, inquit, secunda, quæ στρωματεύς dicitur disputatio propter prolixitatem capitum : διὰ τὸ μῆκός τε καὶ πλῆθος κεφαλαίων [84]. »

Neque tamen quis inde, quæso, concludat hos libros ab illo varia distributos fuisse in capita. Constat enim tam ex ipsis manuscriptis codicibus, quam sola vel levissima operis lectione, nullam plane in eo esse capitum distinctionem. Quocirca hoc κεφαλαίων nomen nihil aliud, quam argumenta absque ulla orationis diversas in partes distributione a Clemente pertractata ibi significat.

Si quis tamen in nova harum commentationum editione illas diversa in capita, aut sectiones, et articulos partiretur, hic procul dubio lectoribus omnibus perquam maxime utilem operam navaret. Nescii quidem non sumus propter ipsamet argumenta, sibi invicem promiscue et confuse, uti diximus, inserta, ac sæpissime interrupta et intersecata, hoc factu esse difficillimum. Sed cum hæ difficultates solertis ingeniosique hominis labore vinci possint, hinc certe quo id difficilius est, eo magis necessarium videtur.

Hæc porro si aliquando fiat hujus operis in capita divisio, importunum molestissimumque omnibus in eo legendo, propter maximam cum argumentorum confusionem, tum styli obscuritatem, tædium minuet plane et levabit. Quam obscurum enim ac spinosum sit Clementis in toto hoc opere scribendi genus, nemo sane est, qui, nobis omnino silentibus, illud pervolutando, confestim non sentiat. Neque tamen auctoris nostri negligentiæ vel incuriæ illas minime comptæ et elegantis orationis tenebras et ambages ascribendas esse putamus. Nam eas ille, quemadmodum et rerum ipsarum confusionem, de industria ideo adhibuisse, imo et affectasse aperte, uti diximus, declarat; ne clariori sermonis genere sacra religionis nostræ mysteria, quæ paganis occultare volebat, omnibus evidentius paterent. Deinde vero cur elegantis orationis ornatum contempserit, hanc in totius operis fine adhuc profert rationem : « Neque ergo ordinem, neque dictionem spectant libri *Stromatum*, οὔτ' οὖν τῆς τάξεως, οὔτε τῆς φράσεως στοχάζονται οἱ *Στρωματεῖς* ; cum etiam Græci de industria nolint adesse ornatum dictionis, et latenter, non ut rei jubet natura, dogmata inserant; hoc agentes, ut si eorum scripta legant sint laboriosi et acres ad inveniendum [85]. » Eas ob causas non semel Clemens profitetur se in hoc opere eloquentiam, orationisque ornatum fugisse [86]; quem tamen, Photio optimo judice, in superioribus libris ab eo non sine studio et arte adhibitum fuisse observavimus.

Quamvis autem nullis eloquentiæ floribus compositi ornatique sint hi libri, imo vero etiamsi nullo ordine digesta argumentorum, uti dictum est, varietas, illorumque confusio summas legentibus difficultates, molestissimumque tædium sæpissime afferant; tamen ea omnia nullo unquam modo obstiterunt, quominus illi Christianis plurimum profuerint. Quanto enim in pretio, et quam utiles ab om-

[75] idem, l. x, c. 31, p. 489. [76] eod. l., c. 9, p. 466. [77] Casaub. in Athen., l. i Deipnosph., c. 4, p. 15. [78] Gel. in præfat. Noct. Attic. [79] Euseb. l. i Præpar. evang., c. 7. [80] Sup. c., art. 1. [81] l. vii, p. 767. [82] l. v, p. 550. [83] l. iii, p. 473. [84] l. ii, p. 425. [85] l. vii, p. 767. [86] l. p. 276 et 293, l. ii, p. 359.

Digitized by Google

nibus haberentur, locupletissimus nobis testis est Eusebius, qui eos suo tempore adeo vulgatos communesque fuisse asserit, ut singulorum manibus versarentur. Quapropter ubi ille quoddam eorum fragmentum exhibet, plura a Clemente laudata veterum auctorum testimonia consulto prætermittit : « Quorum, » ut ille ait, « verba subjungere plane supervacaneum sit, cum ipsorum Clementis scriptorum quivis copiam habeat [87]. »

Quid vero, quod et ipse Clemens hos libros cum agro omnibus herbis feraci contendit [88], atque ex iis, si attente et accurate legantur, uberrimam fructuum segetem non sine voluptate meti posse asseverat? Quod quidem alia eorumdem librorum cum nemore spisso et umbroso instituta ab ipso comparatione luculenter confirmatur. Ex hac siquidem densa et aspera, ut ille ait, silva : « Cum viviradices sumpserit, et alibi inseruerit agricola, pulchrum hortum efficiet, et nemus amœnum [89]. » Et vero quantum ex his libris fructum et emolumentum percipere Christiani omnes possint, luculenter ostendunt præcipua et summa, quæ adversus paganorum et hæreticorum errores, atque in religionis nostræ defensionem, ac de maxima Christianæ vitæ perfectione argumenta pertractantur. Etenim ex his liquido intelligitur quæ fuerit vera Christi doctrina, quam ipse Clemens a proximis apostolorum successoribus acceperat, quamque vix ullus his primis Ecclesiæ sæculis explicatius, quam ille scripto nobis transmisit.

Denique ut cætera taceamus, eamdem hujusce operis utilitatem probat summa illius et omnigena, qua illud totum undique mirandum in modum effluit et redundat, doctrina et eruditio. Hæc singulis fere et omnibus micat in paginis, uti vel ex sola a nobis exhibita illius analysi perspicue demonstratur.

Quapropter scriptores cum antiqui, tum recentiores, summis hæc *Stromata* efferunt laudibus, ac proprer hoc eximium et præcipuum Clementis opus cognomen Στρωματεύς ipsi impositum fuisse Theodoretus, Cassiodorus, aliique testatum nobis fecerunt [90].

138 ARTICULUS IV.

De manuscriptis hujusce operis codicibus, et de quibusdam corruptis illius locis.

Mirum sane plurimis haud immerito videbitur manuscriptos horum librorum Græcos codices, quorum numerus ob summam eorum utilitatem atque eruditionem crescere semper debebat, ea hominum negligentia periisse, ut ex innumeris propemodum exemplaribus, quæ Eusebii tempore in omnium, uti dictum est [91], erant manibus, vix unus et alter reperiatur. Sed hæc rerum humanarum sors et fortuna est, ut ea quæ meliora majorisque sunt pretii, non longiori, imo sæpe breviori, quam alia, temporis spatio perseverent. In sua porro horum Clementis operum editione Hervetus unius tantummodo « incorrecti » codicis copiam se habuisse fatetur [92]. Nos vero in aliis, qua potuimus, majori diligentia, ubique sive nostra, sive amicorum cura perquirendis codicibus omnem pene operam perdidimus. Unum enim duntaxat in Claromontano hujusce regiæ urbis RR. PP. societatis Jesu collegio Græcum exemplar invenimus. At illud, summa Harduini, doctis omnibus notissimi, humanitate nobis suppeditatum, recenti manu in charta papyracea descriptum, capite sicuti in editis minutum est. Plures etiam in eo occurrunt librariorum amanuensium errores et lapsus, qui sine aliorum codicum auxilio vix a quoquam possunt emendari. Omnes tamen ex illo diversas ab editis lectiones sedulo collectas, publici aliquando, si per otium liceat, juris faciemus, vel cum iis lubenti animo communicabimus, qui novæ horum Clementis *Stromatum* adornandæ editionis provinciam in se suscipere voluerint.

Tanta autem codicum Græca manu exaratorum penuria efficit, ut multi in hoc opere fœde corrupti, et explicatu difficillimi, vixque ab ullo sanabiles loci legentibus sæpius occurrant. Nemini itaque nec injucundum nec forsitan inutile futurum arbitramur, si quanta sint in eis corrigendis difficultatum repagula patefacientes, ad quosdam pro virili parte nostra emendandos aut enodandos aggrediamur. Primus itaque ex his, qui nobis sese offert, locus his exprimitur verbis : Ἐπὶ δὲ μὴ μόνη ἡ παράδοσις καὶ πάνδημος τῷ γε αἰσθομένῳ τῆς μεγαλειότητος τοῦ λόγου· ἐπικρυπτέον οὖν τὴν ἐν μυστηρίῳ λαλουμένην σοφίαν, ἣν ἐδίδαξεν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ. « Quoniam autem non sola traditio est publica ei, qui sensit sermonis magnificentiam, occultanda est sapientia, quæ dicta est in mysterio, quam docuit Filius Dei [93]. » Putat autem Hervetus huic Græco textui aliquid deesse, atque post verbum « magnificentiam » esse addendum : « sed etiam mystica. » Et re quidem ipsa hæc phrasis hiulca ac mutila videtur. Nihil tamen aliud in manuscripto nostro codice, quam in editione legimus. At etiamsi ibi aliquid librariorum oscitantia omissum fuerit, de illorum tamen incuria parum debemus esse solliciti. Nulla siquidem facta textus mutatione, mens auctoris nostri facile omnibus patet, et hic non plane obscurus videtur illius sensus : Duplex est sapientia seu Christianæ veritatis traditio : una quidem publica ei, qui sermonis, puta divini, sensit magnificentiam; altera vero, quam Filius Dei docuit, in mysterio tradita, et omnibus plane occultanda, nulli unquam divulganda est, nisi illi soli, qui non tantum linguam, sicut Isaias, sed artes etiam ab omni vitii labe puras castasque habuerit.

Neque etiam facilis Herveto visa est citatorum a Clemente nostro horum Euripidis carminum emendatio :

Οὐ δεῖται γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἔστ' ὀρθῶς Θεὸς,
. . . . . ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι [94].

In suis etenim ad hunc Clementis locum observationibus sibi subolere dicit post primum carmen aliquem esse hiatum : sed quid ibi deficiat, divinare se non posse. Ex Euripidis tamen tragœdia quæ *Hercules furens* inscribitur, illud scire facile poterat, si ad eam pro officio suo adire voluisset. Duo quippe illa carmina sublato ab initio primi adverbio οὐ, et in secundi principio adjecta voce οὐδενὸς sic integra habentur [95] :

Δεῖται γὰρ. . . . . .
Οὐδενός· ἀοιδῶν. . . . . .

Quorum hæc est Latina interpretatio :

Nam Deus, qui quidem revera Deus sit, indiget
Nullius. Poetarum hæ miseræ fabulæ sunt.

Theodorus autem Canterus frustra medicam manum adhibere voluit aliis quibusdam, descriptis a Clemente nostro Pindari carminibus : ἓν ἀνδρῶν [96], etc. Nam ille non satis animadverterat hæc ab Eusebio non solum eodem modo atque in nostra referri Clementinorum operum editione; verum etiam ea apud eumdem Eusebium in metri formam, quod in Clementis editione factum non est, ita transcribi :

Ἓν ἀνδρῶν, ἓν θεῶν γένος,
Ἐκ μιᾶς δὲ μητρὸς πνέομεν ἄμφω.
Virum unum est ac deum genus,
Matre spiritum ambo hausimus ab una [97].

[87] Euseb., l. x Præpar. evang. c. 2, p. 462. [88] Strom. l. iv, p. 476, 477. [89] Strom. l. vii, p. 767. [90] Theod., Epist. ad libros hær. fabul. et l. i, c 8; Cassiod., De instit. divin. litter., c. 8. [91] art. sup. [92] Hervet. in sua edit. an. 1590, p. 323, 374. [93] lib. i, p. 297. [94] l. v, p. 584. [95] carm. 1345. [96] l. v, p. 598. [97] Euseb., l. xiii Præpar. evang., c. 13, p. 675.

Digitized by Google

Neque aliqua sine observatione omitti a nobis possunt hæc Clementis [98], non Euphorionem et Æschylum, uti in editis perperam habetur, sed solum Æschylum citantis verba : ὅ τε Εὐφορίων, ὅ τε Αἰσχύλος, melius apud Eusebium sic exhiberi : ὅ τε Εὐφορίωνος. Αἰσχύλος [99]. Hic enim, Suida teste, Euphorionis fuit filius. In secundo autem ejusdem Æschyli, quem ibi Clemens describit versu, χ' ὥτι[1] idem Eusebius χωρεῖ repræsentat.

Prætera vero ad metri amussim ab eodem Eusebio sic restituuntur alii Pindari versus [2] :

Τί Θεός ; Ὅτι τὸ πᾶν.

καὶ πάλιν·

Θεὸς ὁ πάντα τεύχων βροτοῖς.

Quid Deus? Universum.

et rursus :

Deus omnia procreans mortalibus.

Herveti autem in versione nescio cujus oscitantia Latine redditum non fuit hoc secundum carmen. Utrumque tamen in ejusdem Pindari fragmentis, si ea legere vacat, adhuc exhibendum videbis.

At apud Eusebium non minus quam apud Clementem nostrum, adulterata sunt hæc, quæ deinceps post unam et alteram paginam habentur verba : οἱ δὲ τοῦ χρυσοῦ γένους κρίνειν ἀκριβέστατα, καὶ πάντη [3]. In Eusebii autem textu post ultimum verbum πάντη adjectum legimus εἰς [4], quo majus huic loco vulnus **139** infligitur. Quidam pro εἰς, legendum putant εἰσὶν ἱκανοί, sed nullam hujusce correctionis afferunt rationem. Ut autem corrupto et tenebricoso huic loco lux afferatur, observandum est plures ibi Platonis locos totidem pene verbis, perinde ac si unus idemque esset, a Clemente nostro ibi proferri.

Primus enim Platonis locus in septimo illius *De republica* libro habetur, ubi scribit eorum esse, qui civitatem instituunt, « optimas hominum naturas cogere, ut ad eam disciplinam, quam supra diximus esse maximam, animum appellant, » etc., τὰς βελτίστας φύσεις [6], etc.

Secundus ejusdem philosophi locus post duas integras paginas occurrit, ubi ille de iis disputat qui ad civitatis custodiam cogendi sunt, aitque : « Hæc, ut videtur, non erit testæ revolutio, sed animi circumactus e nocturno quodam die ad verum ejus, quod vere est, reditum, id est ad solidam germanamque veritatis agnitionem; quam quidem veram philosophiam esse dicemus; » τοῦτο δή, ὡς ἔοικεν, οὐκ ὀστράκου [7], etc. Ex utroque autem illo Platonis loco, quem Clemens noster, tanquam unum et eumdem, totidem verbis, uno aut altero, ut fieri assolet, tantum excepto, transcripsit [8], continuo colligit illum existimasse eos, qui veræ philosophiæ sunt participes, aurei esse generis, quemadmodum idem ipse Plato libro tertio *De republica* hæc in verba dixerat : Ἐστὲ μὲν γὰρ δὴ πάντες οἱ ἐν τῇ πόλει ἀδελφοί· ἀλλ' ὁ Θεὸς πλάττων, ὅσοι μὲν ὑμῶν ἱκανοὶ ἄρχειν, χρυσὸν ἐν τῇ γενέσει συνέμιξεν αὐτοῖς· « Estis quidem omnes, qui in civitate versamini, fratres; sed cum Deus formaret eos, vestrum qui ad imperandum idonei sunt, aurum in generatione ipsis admiscuit [9]. » Nihil autem Clemens inde, nisi quatuor sumpsit verba : ἐστὲ μὲν δὴ πάντες ἀδελφοί, λέγων. Quibus ea continuo subjunxit, quæ adulterationis arguuntur. At ea si attente perpendas, facile intelliges in illis esse superiorum repetitionem, vel potius probationem, atque idcirco illa Platonis revera esse debere, ac forsitan ex alio illius libro excerpta, sed ab amanuensibus librariis sic deformata ac fœdata, ut in pristinam veramque formam, nisi aut verus Platonis locus, aut alii Clementis codices integri et sani reperiantur, vix a quoquam possint restitui. Verumtamen hæ textus corruptiones omnino non prohibent, quominus percipiamus hunc esse Clementis sensum : Platonem scripsisse omnes, qui veræ philosophiæ sunt participes, esse revera fratres et aurei generis. Qui autem sunt aurei generis, eos posse de omnibus accuratissime judicare.

Non facilius sane est corrigere citatos a Clemente Epicharmi versus : ὦ θύγατερ αἳ αἳ [10], etc. Quidam tamen in suis ad hunc locum scholiis illos conjecturis suis emendare se posse credidit : sed veremur ne genuinos Epicharmi versus a se reddidit multis non probet. Cæterum cum Clemens dixerit his Epicharmi idem, atque subjectis ibidem a se Euripidis carminibus significari, de illorum depravatione eo minus dolendum, quo clarius eorumdem sensus ab Euripide ibi exhibitus est.

Refert postea Clemens ex Herodoto Pythiam quidam interroganti respondisse : Τό τε ῥηθῆναι τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ποιῆσαι, ἴσον γενέσθαι· « In Deo perinde esse dicere ac facere [11]. » Verum in Herodoti editis hæc est, sed non iisdem plane verbis Pythiæ responsio, τὸ πειρηθῆναι τοῦ Θεοῦ, καὶ τὸ ποιῆσαι, ἴσον δύνατα, « tentare Deum (seu Deum aliquid velle) idem est ac facere [12]. » Atque hanc lectionem postulat Herodoti, et ipsismet etiam, si accurate hic locus expendatur, Clementis propositum. Similia enim, ac prope eadem Pythiæ hic contendit esse illa Aristophanis verba : δύνατα γὰρ ἴσον τῷ ὁρᾶν τὸ νοεῖν; nec non et Parmenidis versum :

Τὸ γὰρ αὐτὸ νοεῖν ἐστίν τε καὶ εἶναι.

Herveti porro Latinam verborum Aristophanis versionem præpostere correxerunt ultimæ Clementinorum operum editionis præfecti. Nam optime ea Hervetus Latine reddiderat : « Tantumdem valet mente agitare, atque agere. » In illa quoque postrema eadem editione testimonium versusque Parmenidis, quæ in ea tamen Græce exhibentur, typographorum haud dubie oscitantia Latino sermone reddita non fuerunt. Hoc autem carmen Latine significat : « Idem est mente agitare et esse. »

Ex illo itaque a Clemente citato Aristophanis et Parmenidis testimonio haud obscure colligitur, in ejusdem Clementis textu potius τὸ πειρηθῆναι, uti apud Herodotum, quam τότε ῥηθῆναι, sicut in Clementis operum editione, legendum.

Ab auditore autem falsis ethnicorum erroribus præoccupato, veritatem ex puris sacræ Scripturæ fontibus esse hauriendam, ut probet Clemens, auctoritate utitur Platonis, qui « jubet agricolas non irrigare, neque aquam ab aliis sumere, nisi cum prius apud se foderint usque ad terram, quæ virginalis dicitur, » ἄχρι τῆς, ait Clemens, παρθενίου καλουμένης [13]. At observat Hervetus apud Platonem haberi μεχρὶ κεραμίδος γῆς, « usque ad terram, quæ creta dicitur. » Quamobrem in hoc Clementis loco aliquem suspicatur esse librariorum errorem, seque nihil prorsus de virginali terra alibi invenisse confitetur.

Verum quidem est apud Platonem non haberi μεχρὶ κεραμίτιδος, vel secundum alios codices κεραμίτου γῆς, « ad cretam usque, » uti reddidit ejus interpres, « sive figulinam terram [14]. » Scimus etiam Plutarchum eadem Platonis verba sic retulisse : ἄχρι τῆς κεραμίτιδος καλουμένης γῆς [15]. Unde colligi potest non sanum forsitan esse omnino Platonis locum. Certum tamen videtur eum scripsisse κερα-

[98] l. v, p. 603. [99] Euseb., loc. cit., p. 681. [1] Clem., p. 610. [2] Euseb., p. 688. [3] Clem., p. 612. [4] Euseb., p. 690. [5] Clem., ibid., p. 611. [6] Plato, l. vii De republ., t. II, p. 519. [7] ibid. p. 521. [8] Clem., p. 611. [9] l. iii De repub., p. 415. [10] l. vi, p. 620. [11] p. 627. [12] Herod., l. vi, Erato, p. 363, § 86. [13] Strom. l. ii, p. 274. [14] Plato, l. viii De legib., t. III, p. 844. [15] Plutarch., init. libri De vitando ære alieno, t. XXI, p. 827.

Digitized by Google

μήτιδος non autem παρθενίου. Neque inde tamen nobis facile persuadebitur hanc non esse veram genuinamque Clementis nostri vocem. Nulli siquidem dubitamus ab illo sensum potius Platonis quam verba exhiberi. Quapropter si nullus ibi ipsius memoriæ lapsus fuerit, vocem παρθενίου potius quam κεραμήτιδος ab eo usurpatam credimus, tum quia utraque vox idem significat, quando quidem creta est terra, qua nemo unquam usus fuit; tum quia ea vox ad suum de sacra Scriptura, quam ille, ut infra dicetur, cum Virgine Deipara alibi componit, propositum magis faciebat. Has porro voces παρθενίου γῆς, quas Hervetus nullibi se legisse dicit, ab alio in suis ad Clementis nostri opera scholiis scire observatur in Nicandri *Alexipharmacis* reperiri. Addamus obiter, si velis, alio sensu virginem terram a Tertulliano accipi pro terra nec pluviis rigata, nec imbribus fecundata, ex qua Adam et Christus plasmati sunt: « Utique, inquit, illa terra virgo, nondum pluviis rigata, nec imbribus fecundata, ex qua homo tunc primum plasmatus est, ex qua nunc Christus secundum carnem ex virgine natus est [16]. »

Stromatum suorum argumenta ubi paulo post Clemens explicat, ex illis unum sic proponit: Καὶ τούτοις ἀντερεῖ πάνθ' ὅσα προοικονομηθῆναι καθήκει τῆς κατὰ **140** τὴν ὑποπτικὴν θεωρίαν γνώσεως [17]. Quod in ultima editione sic Latine redditum est: « Et adversus ea dicet, quæcunque ante propheticam contemplationem prius dispensata esse oportet. » Atque ita quidem Hervetus se prius ex Clementis Græcis Latina olim fecisse aperte declarat. Sed re maturius expensa, pro ὑποπτικήν legendum esse ait ἐποπτικὴν θεωρίαν, hoc est « inspectivam seu speculatoriam contemplationem. » Vult enim Clementem ibi alludere ad mysteria Græcorum, quibus ea cum aspicere liceret, tunc, ut infra dicemus [18], hi ἔποπται vocabantur. Qui tamen posteriori horum *Stromatum* editioni præfuerunt, spreta illa Herveti correctione, quæ sensui auctoris omnino consentanea ipsis forsitan non videbatur, verbum Græcum ὑποπτικήν, et Latinum « propheticam » censuerunt esse retinendum. Et vero in Græco nostro manuscripto codice idem verbum habetur. Nihil ergo in textu Græco, nisi accedat major alterius cujusdam manuscripti auctoritas, quidquam mutandum est. Vox autem ὑποπτική quid ibi significet si roges, tibi respondebimus ὔποπτος, teste Julio Polluce, non solum idem ac « suspectus, » sed quandoque « inspiciens, » significare. Quamobrem illius interpres verbum ὔποπτοι Latine « inspectores » reddidit. Atqui vox ὑποπτική si eo significatu accipi possit, hic Clementis locus in Latinum sermonem ita convertendus est: « Atque (sermo noster) ea indicabit quæcunque aut dispensari convenit ante inspicientis seu inspectricis contemplationis cognitionem, γνώσεως. » Verbum enim ἀντέρω interdum « renuntio, denuntio et indico » significare certum est. Eo porro significatu illud, atque ipso, quo diximus, sensu vocem ὑποπτικήν ibi a Clemente usurpari ex his, quæ continuo ille subtexuit, et ipsismet, quæ in toto opere pertractat, argumentis haud obscure colligitur. Si quis vero aliam veriorem horum verborum interpretationem, aliumque sincerum illorum sensum assecutus fuerit, hunc nobis si suggerere voluerit, maximas sane et debitas ei gratias referemus.

Notat porro Hervetus alibi Clementis textui tenebras perquam densissimas offundi, atque in illo librariorum oscitantia aliquid depravatum vel hiulcum et mutilum esse, ubi Mosaicæ legis benignitate eo demonstrata argumento, quia arbores nuper plantatas tribus annis ali et foveri, quartoque anno eas Deo consecrari jubet, hæc Clemens subjunxit: « Quarto anno, quoniam tempore quoque opus est ei, qui stabiliter per catechesin instituitur, quaternio virtutum Deo consecratur, cum tertia jam sola subjungatur cum quarta Domini hypostasi; sacrificium autem laudis super holocausta. » Τῷ τε γὰρ τετάρτῳ ἔτει, ἐπεὶ καὶ χρόνου χρεία τῷ κατηχουμένῳ βεβαίως, ἡ τετρὰς τῶν ἀρετῶν καθιεροῦται τῷ Θεῷ τῆς τρίτης ἤδη μόνης συναπτούσης ἐπὶ τὴν τοῦ Κυρίου τετάρτην ὑπόστασιν. Θυσία δὲ αἰνέσεως ὑπὲρ ὁλοκαυτώματα [19]. Hervetus itaque hæc se non intelligere fatetur. Conjicit tamen, « ex hoc intelligi, » ita ille loquitur, « perfectam illam esse fidem, quæ tres complectitur hypostases, seu personas, quarum tertia, nempe Filii hypostasis, sola conjungitur cum quarta hypostasi Domini, nempe cum humana natura. » Quæ quidem cum ante susceptam a Filio carnem, ab ejus persona esset separata, videtur aliqua ratione dici posse quarta hypostasis, tametsi reapse in Christo, humana carne induto, una tantum divina persona sit. Quocirca nos serio ea de re monitos esse vult, ne inde in Nestorii errorem imprudentes prolabamur.

Sed tantum abest ut hac explicatione obscura hujus loci discutiatur caligo; quin ei potius longe major aspergatur. Quis enim facile sibi persuadeat Clementem ibi de triplici Dei persona, et de quarta improprie dicta humanitatis Christi hypostasi fuisse locutum? Quomodo in illum de divinis personis, de quibus nihil plane neque prius, neque posterius dicit vel insinuat, sermonem delapsus est? Qua denique ratione Hervetus probabit ibi Clementem verbo ὑπόστασις personam, seu, ut aiunt, personalitatem intellexisse. Neminem certe fugit ab antiquis scriptoribus, qui ante et post Clementis ætatem scripserunt, illud nomen ad naturam, seu idem atque οὐσία, significandum sæpissime adhiberi. Quin etiam si Hieronymo credamus: « Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasin, nisi usiam novit [20]. »

Nobis ergo Clementem non de divinis personis, sed de quaternione virtutum, quas vulgo cardinales nuncupant, loqui facilius probabitur. Vox enim ὑπόστασις ibi nihil aliud significare videtur, quam id quod stat et subsistit, seu firmum rei alicujus semperque immobilem consistendi statum. Quamobrem verum Clementis sensum hunc esse putamus: quaternio virtutum Deo consecratur, tertia sola, nimirum justitia, hominem quartæ Domini ὑποστάσει, hoc est firmo nec mutationis amplius obnoxio Domini statui conjungente. Vult enim doctus ille vir, hac quaternione virtutum hominem Christianum Deo, quoad ejus fieri potest, assimilari, ac quiescentibus animi perturbationibus, ad permanentem nullique mutationi obnoxium Dei statum, quantum fieri licet, accedere, pervenire ac ipsi inhærere. Hanc porro esse Clementis mentem ea plane demonstrant, quæ ille dixerat de quatuor illis virtutibus, atque ibidem de « gnostico, » seu perfecto Christiano addidit: « Hic est enim, inquit, ad Dei imaginem et similitudinem gnosticus, qui Deum imitatur, quoad ejus fieri potest, nihil prætermittens eorum, quæ faciunt ad eam, quæ contingere potest, similitudinem, continens, sustinens, juste vivens, imperans animi perturbationibus, ea quæ habet impartiens, pro viribus benefaciens et verbo et opere. » Subsequentia porro verba: « Sacrificium laudis super holocausta, » quomodo cum superioribus cohæreant, etiamsi dictu difficillimum esse fateamur, eorum tamen is sensus dici potest: Hanc virtutum quaternionem qui adeptus fuerit, ab illo sacrificium, holocaustomatis longe præstantius, ipsimet Deo offerri. Si quis nihilominus aliam ostendat fuisse auctoris nostri mentem, huic manus dabimus, atque nos ab eo vinci lubenter patiemur.

Cæterum nulli certe mirum videri debet quatuor

[16] Tertul., lib. Adv. Judæos, c. 13. [17] Strom. l. II, p. 402. [18] infr. c. 13, part. III. [19] Strom. l. I, p. 276. [20] Hier., epist. 57 ad Damasc.

Digitized by Google

cardinales virtutes a Clemente quaternionem appellari virtutum [91]; quandoquidem tres virtutes theologicæ fides, spes, charitas, ab ipso ἡ ἁγία τριάς, « sancta trinitas » vocantur.

Alios adhuc adulteratos, atque ob Græci textus depravationem obscurissimos, summaque caligine, ac tenebris plusquam Cimmeriis obductos plures locos invenies : sed de iis opportunior disputandi occasio in posterum dabitur.

141 ARTICULUS V.

De Latina horum et aliorum Clementis librorum interpretatione, de Herveti commentariis, variisque aliorum in illos notis et observationibus, ac diversis eorumdem atque aliorum Clementis operum editionibus.

Latina horum *Stromatum*, sicut aliorum Clementis nostri librorum interpretatio a Gentiano Herveto, Aureliano, et Ecclesiæ Remensis canonico, adornata publicique facta fuit juris. Verum illa ab iis qui his auctoris nostri operibus iterum excudendis ac publicandis operam impenderunt, non obscura solum et impolita, sed plerisque locis parum fidelis esse non jure prorsus immerito visa est. Nullus enimvero eam cum Græco textu, quantumlibet cursim, componet, qui continuo non animadvertat nec sensum mentemque Clementis ab illius interprete sæpe sæpius exprimi, nec minorem in hujus interpretatione, imo etiam aliquando majorem, quam in ipso auctoris textu caliginem obscuritatemque perfundi. An autem id aliis, quibus Hervetus detinebatur, studiis, vel ipsi perquam difficillimæ Clementis elocutioni ascribi debeat, aliorum esto judicium. At porro de hoc primo operum Clementis Latino interprete si dici plane non possit illud Terentii effatum : « De Græcis bonis Latina fecit non bona ; » certe de illo dicere possumus : de Græcis difficilibus et obscuris Latina fecit difficilia et obscura. Nihil tamen de docti viri, pro variis in reipublicæ litterariæ bonum impensis laboribus, debito honore inde detractum quidquam volumus.

Hanc itaque Herveti interpretationem aliqui postea emendare tentaverunt. Verum ii non solum menda errataque præcipua, ac prope omnia, penitus intacta reliquere, sed eorum quoque correctiones, ipsismet quos corrigere volebant erroribus pejores aliquando et deteriores sunt.

Plura sane hujusce non rectæ interpretationis nobis suppetunt, et legentibus sæpius obviam veniunt exempla, quæ quidem omnia singillatim nunc persequenda esse non putamus. De his enim alius magis aptus et conveniens disserendi locus nobis erit. Deinde vero id adeo certum clarumque est, ut Hervetianæ versionis emendatores ultro palamque confessi fuerint sibi per otium non licuisse omnes cum ejusdem Herveti, tum typographorum, nimia festinatione properantium, castigare errores et lapsus.

Utilissimam igitur ac plane necessariam litteriæ reipublicæ is profecto operam navabit, qui novam horum *Stromatum*, aliorumque Clementis nostri operum et commentationum Latinam versionem, qua Græcus illius textus clare et accurate reddatur, publicam in lucem proferet. Nos quidem non fugit, atque a nobis etiam jam observatum est, illud esse perquam difficillimum, vixque ullum Græci scriptoris exstare opus, in quo Latine reddendo majores ubique difficultates occurrant. At improbo eruditi alicujus viri labore quia possunt tandem superari, ad hanc interpretationem perficiendam eo certe magis is accendi debet, quo illa bono publico, tum propter auctoris antiquitatem et eruditionem, tum etiam maxime propter susceptam a Clemente nostro contra paganos et hæreticos sacrorum nostrorum dogmatum defensionem, magis utilis et necessaria videtur.

[91] l. IV, p. 495.

Ad eam autem facilius conficiendam aliquid forsitan conferre poterunt diversæ lectiones, a nobis e Claromontano codice collectæ. Nec mediocri etiam subsidio erunt varia longaque horum Clementis operum fragmenta, quæ ab Epiphanio, ac præsertim Eusebio in suis *De præparatione evangelica* libris descripta sunt. Ex iis enim Clementis nostri textus pluribus in locis poterit emendari.

Longissimos porro Hervetus in hæc omnia auctoris nostri opera edidit commentarios, ex quibus etiamsi quædam ad novam illorum illustrandam editionem desumi et seligi possint, ab ea tamen hi penitus rejiciendi sunt. Nam ii non solum prolixiores sunt, atque Clementis textum omnino præpostere intersecant, sed huic etiam eidem textui, quem patefacere, illustrare, clarioremque reddere debebant, majorem sæpe sæpius obscuritatem afferunt. Deinde vero in eis non ostenditur quomodo auctoris sermo et oratio sibi cohæreat et connectatur. At is tamen procul dubio esse debebat in horumce librorum, ob argumentorum inter se permistorum varietatem, obscurissimorum explanatione præcipuus commentatoris scopus, principaleque munus et officium. Huc accedit, quod in his tam prolixis commentariis Hervetus, in rebus cuilibet obviis et facilibus, ubique passim inhæret, et difficilia pene omnia dissimulat, tacitusque prætermittit. Plurima quoque idem Hervetus se ignorasse, quæ sane eximia et omnibus probanda docti viri modestia est, nec alibi unquam se legisse ingenue fatetur. Ex iis tamen non pauca inventu non adeo difficilia fuisse, a nobis, Deo dante, in hac, sicuti in superiori dissertatione factum est, demonstrabitur. Postremo a pluribus jam observatum est eumdem Hervetum multis in locis hallucinatum fuisse, et Clementis nostri mentem et sensum, neque in his commentariis, neque in sua Latina versione, ab illo sæpe sæpius redditum et expressum.

Eam sane ob causam posterioribus Clementinorum operum editionibus præfecti, omissis penitus his Herveti commentariis, novas variasque plurium eruditorum hominum notas et observationes ad illorum calcem subjecerunt. Triplex autem est earum classis, quarum prima variis Arceri, Canteri, Commelini, Remi, Victorii, Xilandri, aliorumque animadversionibus a Friderico Sylburgio compacta compositaque est. In iis autem potissimum Clementis textus non quidem ex manuscriptis codicibus, sed ex citatis, et ab Eusebio, uti a nobis dictum est, descriptis quibusdam illius fragmentis, atque ex meris proindeque dubiis fere semper, et incertis eorumdem scriptorum conjecturis corrigitur. Quædam etiam cum sacræ Scripturæ, tum aliorum scriptorum citata a Clemente loca in iisdem scholiis indicantur; sed plurima minus obvia, et difficillima penitus prætermissa sunt.

Secunda classis emendationes Danielis Heinsii complectitur; in iis autem doctus ille vir quædam corrupta Clementis loca suis itidem conjecturis sanare, et alia obscura explicare conatus est. At quæ ille enucleare nititur, hæc certe nec multa sunt, nec aliis pluribus difficiliores habent explicatus.

Quamobrem in tertia adnotationum classe aliæ emendationes ex variis doctorum virorum lectionibus, commentariis et adversariis decerptæ exhibentur. Verum illarum auctores eo potissimum collineant, ut nonnulla sacræ Scripturæ loca indicent, aut depravata restituant, ac laudata a Clemente veterum **142** quorumdam scriptorum testimonia aliorum confirment auctoritate. Quandoque etiam corrupto Clementis textui mederi, obscuroque lucem nonnunquam afferre, et de nonnullis hæreticis, ab eodem Clemente exagitatis, enucleatius aliquid proferre adnituntur. At dolendum sane est longe plura, quæ cæteris omnibus explicatu diffaciliora sunt, in illis desiderari.

Digitized by Google

In his itaque omnibus et scholiis et adnotationibus cum plurima, eaque difficillima et scitu dignissima, penitus omissa fuerint, ac præsertim de traditis in hoc toto opere præcipuis Christianæ religionis dogmatibus, nihil plane in eis occurrat, operæ pretium esse duximus hosce *Stromatum* libros novis observationibus et notis pro virili parte nostra eo accuratius illustrare, quo majoris, ut jam diximus, apud omnes momenti esse debet antiquissimi et eruditissimi Clementis nostri auctoritas. Prius tamen de Græcis Latinisque eorumdem *Stromatum*, et aliis ejus operum editionibus aliquid a nobis dicendum est.

Florentiæ autem, uno eorum Græco codice manuscripto in Mediœa Bibliotheca reperto, Græcis tantummodo typis a Petro Victorio, anno 1550, primum edita sunt. Subsequenti deinde anno hæc eadem opera a Gentiano Herveto, Latinitate donata, ex eadem typographia ullis absque commentariis Latine tantum prodierunt. Anno autem 1560, eadem rursus Latine duntaxat, additis ejusdem Hervet commentariis, Basileæ apud Frobenium excusa fuere.

Post hæc Friderici Sylburgii curis, Græco solum charactere, sed adjectis variis textus Clementini lectionibus et emendationibus in vulgus sunt emissa. Dehinc vero illa Græcis Latinisque typis edita publici juris facta fuerunt Lugduni Batavorum anno 1616 ex recensione Danielis Heinsii, qui breves emendationes diversis lectionibus et emendationibus a Sylburgio collectis adjecit.

Tum deinde hæ editiones variis temporibus, variisque in urbibus divulgatæ sunt, sed in primis Parisiis typis Græcis et Latinis anno 1619 et 1641, et alibi postea publicatæ. Denique in Bibliotheca Patrum concionatorum tres *Pædagogi* libri Græce et Latine, atque in Bibliotheca nostra Lugdunensi omnia, de quibus disserimus, Clementis nostri Alexandrini opera Latine tantum, ac sine ullis prorsus observationibus et commentariis publicam prodierunt in lucem.

CAPUT III.

Novæ in septem *Stromatum* Clementis Alexandrini libros adnotationes, ac primo de iis quæ ad sacram Scripturam pertinent.

ARTICULUS I.

Omnes Veteris et Novi Testamenti libros divino afflatu fuisse scriptos, et quando ita scribi desierint; quomodo ii ab hæreticis corrupti; de litterali et allegorico Scripturæ sensu; de illius parabolico et ænigmatico loquendi genere, atque ejus divisione obscure significata.

Sacros cum Veteris, tum Novi Testamenti libros ab auctoribus, divino Spiritu afflatis, scriptos fuisse, non minus clare et asseveranter hisce in *Stromatibus*, quam in aliis commentationibus suis Clemens tradit et affirmat. In septimo siquidem libro [22] docet eum, qui Deum sequitur, ab eo duci κατὰ τὰς θεοπνεύστους Γραφάς, hoc est « per Scripturas divinitus inspiratas, » ut ait Latinus interpres. Et hoc quidem auctor noster didicerat ab Apostolo, qui ad Timotheum scripsit : Πᾶσα Γραφὴ θεόπνευστος. « Omnis Scriptura divinitus inspirata [23]. » Clementi autem illud ita persuasum fuit, ut affirmate omnino pronuntiet Deum, in prophetis, evangelicis scriptoribus apostolisque loquentem, esse doctrinæ nostræ primum et « indemonstrabile, » ἀναπόδεικτον, principium, atque hanc Domini vocem esse quavis demonstratione magis fide dignam, vel potius ipsam solam esse demonstrationem : Ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας τὸν Κύριον, διά τε τῶν προφητῶν, διά τε τοῦ Εὐαγγελίου, καὶ διὰ τῶν μακαρίων ἀποστόλων πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος ἡγούμενον τῆς γνώσεως. « Principium enim doctrinæ habemus Dominum, qui et per prophetas, et per Evangelium, et per beatos apostolos multifariam multisque modis a principio ad finem deducit cognitionis [24]. » Unde et paulo post ille hæc habet : Οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον· ἢ πασῶν ἀποδείξεων ἐγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει· καθ' ἣν ἐπιστήμην οἱ μὲν ἀπογευσάμενοι μόνον τῶν Γραφῶν, πιστοί. « Non exspectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur; quæ est magis fide digna, quam quævis demonstratio, vel potius quæ est sola demonstratio; per quam scientiam, qui solum gustavere Scripturas, sunt fideles [25]. » Quamobrem ille sacros prophetas, divinæ vocis instrumenta diserte appellat, « omnipotentis autem Dei prophetas, » ὄργανα θείας γενομένους φωνῆς, « factos fuisse divinæ vocis organa nemo obstinpescet [26]. »

Neque dixeris eum de sacris tantummodo loqui vatibus, quos divino afflatu futura prædixisse certum est. Nam ipsemet Clemens et omnes Scripturæ sacræ libros solo prophetiæ nomine non semel appellat, et ubi quædam ex Proverbiorum libro verba refert, prophetam haud dubitanter nuncupat ipsius auctorem : Εἴρηκεν ὁ προφήτης· « Dixit propheta [27]. » Rationem cur ab illo ita vocetur, si flagites, hanc Clemens ipse tibi suggerit, ubi sacri illius auctoris verba, tanquam a divino Verbo prolata, hunc citat in modum : ὁ Λόγος φησί, « Verbum dicit [28]. » Quam sane ob causam ille nostras omnes generatim Scripturas Dominicas vocat [29]; et illas, utpote quæ integra et illibata virginitate veritatem pariant, cum Deipara Virgine componit : « Tales, inquit, sunt nobis Scripturæ Dominicæ, αἱ Κυριακαὶ Γραφαὶ, veritatem parientes, et manentes virgines cum occultatione mysteriorum [30]. » Sed iis, quæ toto in opere omnibus passim obvia et meridiano sole clariora sunt, fusius probandis immorari nihil plane necesse est.

At contra tamen, inquiet aliquis, nonne Clemens plura in ipsismet prophetarum scriptis occurrere fatetur, quæ, Spiritu sancto non inspirante, ab ipsis solis profecta sunt? Nonne hæc clara et perspicua sunt illius ea de re verba : « Nam qui dicuntur prophetæ, non dicunt solum se aliqua a Deo audire, sed et ipsi etiam ostenduntur annuntiare per ἀνθυποφορὰν ea quæ vulgo jactantur a populo, tanquam quæstiones quasdam, quæ fiunt ab hominibus, afferentes, ex quibus est etiam dictum propositum [31]? » Nunquid prophetæ ad ea, « quæ vulgo jactabantur a populo, » annuntianda afflatu aliquo divino indigebant? Sed qui hæc objecerit, is meminisse debet **143** Clementem disertissimis asseruisse verbis prophetas fuisse « divinæ, » uti diximus, vocis organa. » Quo quidem loquendi modo

[22] p. 791. [23] II Tim., III, 16. [24] l. VII, p. 757. [25] ibid. [26] l. VI, p. 698. [27] l. VII, p. 757 et p. 759. [28] Strom. l. I, p. 362. [29] ibid., p. 317. [30] l. VII, p. 764. [31] Strom. l. III, p. 441.

Digitized by Google

ille aperte significat nihil penitus, neque ipsasmet etiam humanas quæstiones et objectiones, a sacris prophetis, nisi sancto Spiritu animum calamumque dirigente et ducente, scriptis litterisque mandatum.

Porro autem illud tempus sedulo observandum est, quo Novi Testamenti scriptores aliquid divini Spiritus afflatu scribere desivisse a Clemente nostro dicuntur. Ab illo quippe hoc temporis spatium ita circumscribitur : « Domini quæ fuit in adventu doctrina, cum cœpisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur ; apostolorum autem ejus doctrina usque ad Pauli ministerium, Neronis tempore consummatur [32]. » Quid ergo, inquies, nonne idem Clemens Apocalypsin Joanni nominatim ascribit, illiusque verba tanquam ex quopiam Novi Testamenti libro citasse legitur [33] ? Atqui longo post Neronis mortem tempore, et, ut scribit Irenæus : « Sub exitum imperii Domitiani visa est hæc revelatio [34]. » Sed animadvertas, velim, Clementem ibi contra sui temporis disputare hæreticos, quorum errores libris, divino afflatu conscriptis, posteriores esse demonstrat. At quia Joannis Apocalypsin aliis Novi Testamenti libris et scriptis annumerandam plures, teste Eusebio [35], negabant, eapropter Clemens, ut omnem hæreticis litigandi occasionem præriperet, non illam, sed eos duntaxat libros et scripta, quorum certa et ab iisdem etiam hæreticis recepta esset auctoritas, citanda esse existimavit.

Divinæ igitur auctoritatis cum sit sacra Scriptura, eos hæreticos Clemens castigat qui eam corrumpere et adulterare audebant. Quo autem modo sacrum illius textum labefactare tentarent, sic ipse edisserit : Οὗτοί εἰσιν οἱ κατὰ τὴν ἀνάγνωσιν, φωνῇ τόνῳ διαστρέφοντες τὰς Γραφὰς πρὸς τὰς ἰδίας ἡδονὰς, καὶ τινων προσωδιῶν καὶ στιγμῶν μεταθέσει, τὰ παραγγελθέντα σωφρόνως τε καὶ συμφερόντως βιαζόμενοι πρὸς εὐπαθείας τὰς ἑαυτῶν. « Illi sunt, qui in legendo, tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, et aliquorum accentuum et punctorum transpositione, quæ moderate et utiliter præcepta sunt, ad suas trahunt delicias [36]. » Vides sane quomodo hæretici sacrum Scripturæ textum sola accentuum et punctorum μεταθέσει, transpositione, seu prava interpunctione, vel etiam solo vocis aut altioris aut demissioris tono illum legentes perverterent.

Aliis quoque modis Scripturam ab iis adulteratam fuisse alibi Clemens perhibet : « Primum, inquit, non omnibus utuntur ; deinde non perfectis, neque ut dictat et corpus et contextura prophetiæ. Verum eligentes ea quæ dicta sunt ambigue, traducunt ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, neque id considerantes quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes. Nam in omnibus fere quæ adducunt locis, ipsos sola intueri videbis nomina, ut qui mutent significata, neque quemadmodum dicuntur, cognoscant, neque iis quas afferunt allegationibus, ita ut earum postulat natura, utantur [37]. » Hæretici igitur Scripturas depravabant vel integros quosdam illius libros, vel saltem aliquam illorum partem, ubi suos errores funditus everti cernebant, penitus rejiciendo. Deinde vero solis nominibus illi inhærentes, perversa ac plane præpostera eorum interpretatione, in pravos hæreticosque sensus ea detorquebant. Denique Clemens asserit eos mendaciis, figmentis pravisque artibus divino verbo sic abuti, ut jure merito Scripturas nullo modo admittere viderentur [38].

Hæc porro consulto observamus, quo omnibus pateat quam integre et omnino incorrupte Clemens, aliique Ecclesiæ Patres Scripturæ textum conservandum esse censuerint. Nihil enim penitus non modo in illius verbis, sed neque in ejus etiam accentibus et interpunctionibus, neque in vera genuinaque ipsius significatione mutatum quidpiam voluerunt.

Quapropter de illa vera Scripturæ significatione genuinoque illius sensu inveniendo hanc Clemens noster certam statamque constituit regulam : « Veritas non invenitur in translatione significationum, sic enim omnem veram everterent doctrinam, sed in eo quis consideret, quid Domino et omnipotenti Deo perfecte conveniat et eum deceat, et in eo ut confirmet unumquodque ex iis, quæ demonstrantur per Scripturas, ex ipsis rursus similibus Scripturis [39]. » Statuta autem hæc a Clemente nostro eximia investigandi veri Scripturæ sensus norma mirum in modum in tertio Augustini *De doctrina Christiana* libro confirmatur, fusiusque exponitur [40]. Ad eum itaque aliosque Scripturæ interpretes de hoc argumento uberrime disputantes si adire volueris, non inutilem prorsus operam impendes.

Duplicem vero auctor noster ostendit esse Scripturæ sensum, litteralem et allegoricum, hunequeà paucis intelligi [41]. Quod quidem ille cum Hermæ et Isaiæ auctoritate, tum brevi singulorum Decalogi præceptorum explicatione demonstrat. Quid igitur mirum, si Clemens noster, non secus ac alii quamplurimi et antiquissimi et doctissimi Ecclesiæ Patres, in allegorici Scripturæ sensus majori studio quam litteralis expositionem incubuerit ? Persuasum siquidem sibi penitus fuisse declarat Scripturæ « literam esse omnibus claram, » eamque allegoricum sensum ipsa longe difficiliorem suscipere, ac nomina et dictiones cum corpore, et quæ iisdem nominibus significantur, cum spiritu recte a quibusdam comparari.

Cur autem tam difficiles explicatus habeat Scriptura si scisciteris, tibi illico Clemens respondebit multis obscuritatis latebris ejus involvi orationem, proindeque illius sensum nec a multis, nec sine studio et labore posse percipi [42]. Rursus vero si scire velis quare Scripturæ oratio, quæ omnibus, uti videtur, manifestissima esse debebat, tanta obscuritate involvatur, hoc ab eodem Clemente responsum accipies : « Quia non omnium, inquit, est veritas, multis modis occultat veritatem, iisque solis, qui sunt initiati ad cognitionem, qui veritatem quærunt propter charitatem, lucem exoriri facit [43]. »

Alia quoque hujus obscuritatis ratio ex ipsomet Clemente nostro afferri potest. Cum enim Scripturæ sacræ stylum plane ænigmaticum et parabolicum esse asseveret, in hoc scriptionis genus præcipua obscuritatis illius causa procul dubio refundenda est. Et vero postquam ille tam Psalmistæ quam Apostoli testimonio manifestum id fecit, hæc paulo post addidit : « Longum fuerit omnia persequi prophetica et legalia, ea afferendo quæ dicta sunt per ænigmata ; fere enim universa hoc modo oracula sua effert divina Scriptura [44]. » Quod quidem ne a se temere dictum morosior quis causaretur, illud mystica **144** eorum quæ in Jerosolymitano templo erant, et sacerdotalium vestimentorum, nec non polymitæ Josephi tunicæ expositione confirmat [45].

Neque porro Veteris tantum, sed et Novi Fœderis scriptores idem plane parabolicum adhibuisse scribendi genus Clemens ostendit [46]. Ipse siquidem probat, et vivente Christo, Joannem Baptistam, et illo mortuo, discipulos ejus sic fuisse locutos :

[32] Strom. l. vii, p. 764. [33] Strom. l. vi, p. 667 ; Pæd. l. ii, p. 201. [34] Iren., l. v, c. 30. [35] Euseb., Hist. l. iii, c. 25 ; l. v, c. 8 ; l. vii, c. 25. [36] l. iii, p. 442. [37] l. vii, p. 757 et 758. [38] p. 758 et 764. [39] p. 758. [40] August., l. iii, De doctr. Christ., cap. 2, 3, 4, 27, 28. [41] Strom. l. vi, p. 679 et seq. [42] p. 679. [43] p. 678. [44] l. v, p. 557. [45] Ibid. et seqq. [46] lib. v, p. 573 ; lib. vi, p. 678.

Digitized by Google

« Christi quoque familiares, inquit, qui verbum prædicaverunt, postquam ipse excessit e vita, usi sunt parabolis. » Quid autem sit parabola, ænigma, tropus, et aliæ in Scripturis dictionum figuræ, ipse postmodum explicat [47]. De his porro consule auctorem commentariorum in caput I Proverb. apud Hieronymum, item Cassiodorum lib. *De schemat. et trop.*, pag. 620, atque etiam Augustinum, qui troporum scientiam ad intelligendas Scripturas dicit esse utilem [48].

· Antequam huic de omnibus generatim Scripturæ sacræ libris sermoni finem imponamus, animadvertendum est explicatu difficillimum esse quid sibi Clemens velit, cum scripsit quatuor Jerosolymitani templi columnas esse ἁγίας μήνυμα τετράδος διαθηκῶν παλαιῶν. « Signum sanctæ quaternionis veterum testamentorum [49]. » Quid enim hæc significent se non intelligere Hervetus palam profitetur. At si conjecturis indulgere liceat, a vero non prorsus alienum nobis videri dicemus ibi Clementem ad quamdam respexisse librorum Veteris Testamenti divisionem, qua eos quidam quatuor in partes, puta in legales, historicos, parænetico et propheticos, vel aliquo alio modo distribuebant. De hac autem aliisque sacrorum illorum voluminum partitionibus, multi, quos facile quivis consulere poterit, multa scriptis tradiderunt. Si quis porro aliam veriorem verborum Clementis explicationem suggerere velit, nos minime reluctantes in suam sententiam adducet.

ARTICULUS II.

Moysen esse Pentateuchi auctorem, ubi et de ejusdem Moysis ætate, vita variisque nominibus; item de Ægyptio homine, quem ille verbo occidisse dicitur; de miro quo ille Nechephri Ægyptiorum regi apparuit modo; de varia multiplicique illius scientia et sapientia; de ejus lege, quam benigna sit; quo jure Israelitæ Ægyptios spoliaverint; quomodo Christus legem impleverit; de bellica Moysis scientia, nocte Israelitas, quemadmodum Miltiades et Thrasybulus suos, ducendo, et quomodo moriturus a Josue et Caleb duplex visus fuerit.

Ad quosdam particulatim sacræ Scripturæ libros ut veniamus, primo quidem Clemens librum Geneseos Moysi, vero illius auctori disertissime ascribit. Quoddam enim testimonium, ex eo depromptum, hæc ille citat in verba : « Sapientissimus Moyses pulchre repetitione usus, significavit corporis et animæ incorruptionem describens in Rebecca hoc modo : « Virgo autem erat pulchra, vir non cognovit eam [50]. » Alibi vero : « Moyses videtur Dominum appellare pactum : Ecce ego, dicens, pactum meum tecum [51], »

Ejusdem quoque Moysis nomine transcriptum ex Deuteronomii libro testimonium ita ille alibi protulit : « Unde eis dictum est a Moyse : Ego æmulatione vos provocabo [52], » etc. Quid quod, eodem adhuc Moysis nomine ab illo post Barnabam alia laudantur non solum Deuteronomii, sed etiam Exodi loca [53] ? Sed quid opus est singulos Moysis libros percurrere, cum Clemens eum totius Pentateuchi auctorem esse ibi diserte asserat, ubi morales leges, quæ in eo leguntur, ab ipso Moyse scriptas esse tradit : « Clarum est, inquit, omnes quoque alias virtutes, quæ scriptæ sunt apud Moysen, αἱ παρὰ τῷ Μωσεῖ ἀναγεγραμμέναι, præbuisse Græcis principium totius loci moralis [54]. » Ubi enim, amabo te, nisi in Pentateucho, hæ Moysis leges scriptæ sunt? At nemini, uti putamus, sinceri cordis homini mirum videbitur hanc sententiam ab eruditissimo auctore nostro constantissime propugnari, quam divina sacri utriusque Testamenti auctoritate, ac perpetua et certissima sanctorum Patrum traditione, atque ipso etiam paganorum scriptorum testimonio assertam et probatam, pauci tantum quidam recentiores incredibili pene audacia improbare ausi sunt.

Addamus tamen, si velis, stultam illam insulsorum hominum pertinaciam his adhuc expressius refelli Clementis verbis : « Mosaica quidem philosophia quadripertito dividitur, et in partem historicam, et eam quæ proprie vocatur legitima, quæ quidem fuerint propriæ morum tractationis ; tertiam autem eam, quæ pertinet ad sacrificia, quod quidem est naturæ contemplationis ; et postremo quartam speciem theologicam, quæ est superna contemplatio [55]. » At quibus hæc reperies in libris, nisi in iis qui Moysis nomine hactenus inscripti leguntur? Quid denique, quod Clemens ethnicos philosophos ex iisdem Moysis libris, sua, ut infra videbimus, veriora dogmata hausisse asserit ac demonstrat? Sed id, quod ipsa luce clarius est, pluribus stabilire argumentis cum superfluum videatur, quid de ipsomet Moyse singulare et observatu dignum ille dixerit, jam a nobis examinandum est.

De illius ætate, omnibus Græciæ philosophis antiquiore, plura quidem Clemens noster disputat, variisque variorum auctorum chronologiis, a nobis infra accurate repræsentandis, probat eumdem Moysen et paganorum diis, et omnibus illorum sapientibus ac philosophis, poetis atque scriptoribus esse longe vetustiorem [56]. De hac autem veterum sententia in nostris in Justini martyris et Tatiani opera dissertationibus satis, uti putamus, disputatum est [57].

Posthæc Clemens multa de Moysis ortu, vita et historia narrat, quæ et cum tribus Philonis de ejusdem Moysis vita libris, et Josephi secundo *Antiquitatum Judaicarum* libro contendere nemini profecto inutile fore arbitramur [58]. Neque supervacaneum quoque tibi erit, si velis citata a Clemente [59] Ezechieli poetæ de Moysis educatione carmina, cum illis componere quæ Eusebius fusius nec sine variis lectionibus ex eodem Judæorum poeta transcripsit [60].

Animadversione vero nostra illud prorsus dignum videtur, quod de magni hujusce Israelitarum legislatoris nomine hunc Clemens scripsit in modum : « Puero imponit nomen regina, Moyses, apta etymologia, eo quod eum ex aqua sustulisset. Aquam enim *moy* vocant Ægyptii, in qua moriturus fuerat expositus. Moysen enim vocant eum qui ex aqua emersus respiraverit. Clarum est ergo quod prius, circumciso puero, parentes aliquod nomen imposuerunt. Vocabatur autem Joachim. Habuit autem tertium quoque nomen in cœlo, postquam assumptus est, ut dicunt mystæ, nempe Melchi [61]. » Quod **145** de nominis « Moyses » etymologia et impositione perhibet Clemens, id procul dubio ex Philone delibatum est [62]. Hæc enim sunt illius verba : Τὸ γὰρ ὕδωρ μῶς ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. Quæ quidem sic apud Clementem leguntur : Τὸ γὰρ ὕδωρ μοῦ ὀνομάζουσιν Αἰγύπτιοι. Ubi vides totidem esse utriusque verba, nisi quod pro μῶς Clemens, vel potius operum ejus amanuenses librarii μοῦ scripserunt. Utrum tamen id eorum oscitantiæ tribuendum sit, haud immerito dubitaveris. Nam in editis

[47] ibid., p. 678 et seq. [48] lib. III, De doctr. Christ., c. 29. [49] Strom. lib. V, p. 562. [50] lib. IV, p. 559. [51] lib. I Strom. p. 356. [52] Strom. lib. II, p. 379, 389. [53] lib. V, p. 571 et 577. [54] lib. II, p. 399. [55] lib. I, p. 354. [56] Strom. lib. II, p. 320 et seq. [57] lib. II Appar., dissert. 2, c. 7, § 1; dissert. 3, cap. 2, § 1 et 8. [58] Strom. lib. I, p. 342 et seq. [59] Strom. lib. I, p. 344. [60] Euseb., lib. IX Præpar. ev., c. 28 et 29, pag. 437 et 444. [61] Strom. lib. I, p. 343. [62] Philo, lib. II De vita Moys., p. 605.

Digitized by Google

Μωσῆν, in manuscripto codice Claromontano Μουσῆν passim scriptum legimus.

At de hac Mosaici nominis etymologia paulo aliter Josephus, qui præterea cur a flumine, in quod Moyses projectus est, nomen sortitus fuerit, hanc affert rationem : Τὸ γὰρ ὕδωρ μῶ Αἰγύπτιοι καλοῦσιν, ὕσης δὲ τοὺς ἐξ ὕδατος σωθέντας · « Aquam Ægyptii vocant *mo ; yses* vero ex aqua servatos [62]. Verum hanc etymologiam ridet Vossius [64], atque Moysis nomen ex verbo משה, id est extraxit, eduxit, fuisse factum probat his Exodi verbis : « Vocavitque nomen ejus Moyses, dicens : Quia de aqua tuli eum [65]. » Et huic quidem Vossii opinioni non pauci suffragati sunt. Non desunt tamen, qui putent Moysi, ut ab aquis eductus esse significaretur, quoddam Ægyptiacum nomen a Pharaonis filia primo quidem impositum fuisse ; ac postea ab Hebræis sua lingua Moysen appellatum. Nec ea sane opinio probabilitate sua caret. At quia primum illud Ægyptiacum nomen nobis est incompertum, nihil certi de eo definiri ab ullo posse quidam autumant. Nobis porro quem Clemens prævium auctorem secutus fuerit, Philonem designasse sufficiat.

Non minor profecto est difficultas de aliis duobus Moysis nominibus, quorum unum Joachim in circumcisione, aliud autem Melchi in cœlo datum ei fuisse Clemens perhibet. Nihil enim de utroque Hervetus se alibi legisse confitetur. Verumtamen Cedrenus nominis quidem Melchi alicubi meminit. At illud Moysi non in cœlo, ut ait Clemens, sed ab ejus patre inditum esse sic testificatur : « Aiunt Moysen, cum esset in lucem editus, a patre fuisse Melchiam nominatum, quæ vox regem significat [66]. » Syncellus similiter : « Exacta infantiæ ætate, puerascentem vocat Moysen, eo quod, ait, ex aquis eum eripuerint ; cum prius a parentibus Melchiæ, Μελχίαν, nomen accepisset. Gemino itaque nomine fait insignitus, et rerum ab eo gestarum commendatio geminæ titulus exstitit appellationis. Melchias enim *rex*, Moyses sacra Ægyptiorum lingua *ex aquis ereptus* exponitur [67]. »

In hoc tamen ab aliis erroris arguitur, quod Moysis nomen ex Ægyptiaca, non autem Hebraica lingua derivatum crediderit. Cæterum uterque Cedrenus et Syncellus a Clemente nostro in eo discrepant, quod illi duplex tantum Moysis nomen, hic trinum esse testificetur.

Alia quoque complura Moysis nomina tradit auctor *Quæstionum Hebraicarum* in libros Regum et Paralipomenon, quæ falso Hieronymi nomine circumferebantur [68]. Multis adhuc aliis nominibus, et ab his, quæ commemoravimus, longe diversis, Moysem fuisse nuncupatum narrant Gualmynus [69], et varii auctores, a doctissimo Huetio citati [70]. Sed hæc ex solo Judæorum cerebro et arcanis commentitiisque eorum traditionibus orta esse quis dubitabit ? Quamobrem Clemens de nomine Joachim et Melchi nihil ex seipso pronuntiat, sed consulto adjecit, ὡς φασιν οἱ μύσται, « ut mystæ dicunt. » Mystarum autem nomine alibi ille significat eos esse, qui mysteriorum sacrificiorumque causas haud dubie arcanis apud Judæos traditionibus comprehensas noverant [71].

Ex iisdem procul dubio non puris fontibus Clemens illud non magis veritati consonum hauserat, quod ipsemet loco prius citato scribit : « Aiunt mystæ eum (Moysen) solo verbo occidisse Ægyptium, sicut certe postea Petrus in Actibus fertur eos, qui pretium agri sibi usurpaverant et mentiti erant, verbo interfecisse [72]. » Contra vero in Exodi libro legimus : « Cumque circumspexisset huc atque illuc et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo [73]. » Quid enim aliud hæc verba sonant, nisi hunc Ægyptium clam nulloque circumspiciente, non Moysis verbo, sed manu occisum.

Qui autem sint illi mystæ, a quibus Clemens id acceperit, si quis a nobis postulet, respondebimus R. Salomonem memoriæ quidem prodidisse Ægyptium a Moyse tetragrammatum Dei nomen proferendo interfectum fuisse. Verum non ex illo, sed potius ex Artapano, a nobis mox laudando, vel ex ipsismet falsis Judæorum traditionibus hæc a Clemente desumpta esse haud difficiliter nobis persuadebitur.

Cur ergo, inquies, hæc Clemens mystarum commenta, quæ plane absurda et a veritate prorsus aliena esse sciebat, in medium tam serio adduxit ? Facilis et expedita est huic quæstioni responsio. In his siquidem *Stromatum* libris ille contra Judæos, quemadmodum contra paganos, ad susceptam a se Christianæ fidei defensionem, ex falsis absurdisque illorum opinionibus confirmandam, sæpe sæpius argumentatur.

Ne ergo illud non minus singulare mireris, quod ex Artapano, Judaicæ gentis historico, ipsemet auctor noster de eodem Moyse postea subjunxit : « Artapanus certe in opere de Judæis refert Moysen in custodia inclusum a Nechephre rege Ægyptiorum, eo quod peteret ut populus liberaretur ex Ægypto, noctu, aperto carcere, Dei voluntate egressum, cum in regiam accessisset, dormienti regi astitisse, et eum excitasse ; eum autem eo quod factum fuerat stupefactum, jussisse Moysi ut diceret nomen ejus qui miserat, et illum quidem, cum ad aurem se inclinasset, dixisse ; regem autem, cum audisset, mutum cecidisse ; cum eum autem Moyses tenuisset, rursus revixisse [74]. » Longum hujusce Artapani fragmentum ab Eusebio descriptum legimus [75], ubi illud Moysis factum, seu potius fabula, aliaque plura non minus sacro textui repugnantia narrantur. Ibi autem rex Ægypti non Nechephres, sed transpositis prioribus syllabis, Chenephres, quemadmodum in *Chronico Alexandrino*, scriptor non Artapanus, sed Artabanus appellatus est [76].

Longe autem magis sacro illi textui consonum est, quod de eodem Moyse Clemens narrat : « Hic Moyses erat theologus et propheta, ut autem nonnulli, sacrarum legum interpres, » ὡς δέ τινες, νόμων ἱερῶν ἑρμηνεὺς ἦν [77]. Philo etenim, sacræ hujus historiæ minime ignarus, Moysis vitam his plane similibus verbis exorditur : Μωσέως τοῦ κατὰ μέν τινας νομοθέτου τῶν Ἰουδαίων, κατὰ δέ τινας ἑρμηνέως νόμων ἱερῶν τὸν βίον, etc. « Moysis, ut quidam censent, legislatoris Judæorum ; ut alii, sacrarum legum interpretis vitam [78], » etc.

146 Quod autem subnectit Clemens : « Septima generatione genitus [79], » a Josepho enucleatius his verbis exponitur : « Erat, inquit, ab Abrahamo septimus ; nam ipse Amaramæ filius fuit, sicut pater ejus Cathi, hic vero Levis, et Levis Jacobi, qui ex Isaaco erat proguatus : hic autem Abrahami erat filius [80]. »

Ex utroque autem, sed potissimum ex Philone haud dubie Clemens delibavit quod de varia multiplicique ejusdem Moysis scientia prædicat [81]. At certe illum non modo legum ferendarum peritum

[62] Antiquit. lib. II, p. 56. [64] Voss., lib. I De idolol., cap. 30, p. 217. [65] Exod. II, 10. [66] Cedr., Hist. compend., p. 42. [67] Syncel., Chron., p. 120. [68] Append., t. II Hier., p. 44. [69] Gualmyn., De vita Moys., p. 9, et not., p. 196. [70] Huet., Demonst. ev., prop. 4, cap. 3, p. 72. [71] Strom. lib. II, p. 406. [72] Strom. lib. I, p. 344. [73] Exod. II, 52. [74] Strom. lib. I, p. 344. [75] Euseb., lib. IX Præpar. ev., c. 27, p. 434. [76] Alex. Chron. p. 64. [77] Strom. lib. I, p. 342. [78] Philo, lib. De vita Moys., p. 620 [79] Ibid. [80] Joseph., lib. II Antiq. p. 56. [81] Ibid., p. 545.

Digitized by Google

fuisse dicit, ac eam « quæ fit regula justorum et injustorum, » tulisse legem, sed ipsummet fuisse legem animatam, « qui subministravit bonam reipublicæ administrandæ rationem [82]. » Porro autem alius hujusce Moysis scientiæ testis a Clemente nostro, quemadmodum ab Eusebio [83], Eupolemus citatur.

Cum tanta igitur sapientia, scientia, æquitate et justitia præditus fuerit Moyses, quosdam morosos accusatores scite arguit auctor noster [84], qui Israelitas avaritiæ idcirco condemnabant, quia ex Ægypto discedentes ejusdem Moysis jussu bona Ægyptiorum diripuerint. Duplici itaque ratione eos omni avaritiæ atque etiam furti culpa liberat. Et primo quidem, quia hæc bonorum direptio non minus quam in bello justa erat; quandoquidem Ægyptii Israelitas, propter famem apud se hospites, contra jus fasque in servitutem redegerant. Secundo, quia debitam operam servitiorumque suorum mercedem, qua tandiu injuste privati fuerant, hac direptione retulerunt. Quapropter Epiphanius: « Cum tot annos, inquit, sine ulla mercede Ægyptiis Israelitæ suam operam locassent, nonne Dei hominumque judicio æquissimum erat, sua ut illis merces saltem in fine persolveretur? Quare non injustus Deus, qui suos inde cum spoliis emisit [85], » etc. Recentioribus tamen quibusdam scriptoribus et theologis utraque hæc ratio sufficere non videtur; nisi addatur et tertia, quam Augustinus hunc profert in modum: « Hoc Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret; nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt [86]. » At dici forsitan posset neque a Clemente neque ab aliis hanc excludi rationem, quæ ex sacro Scripturæ textu a quolibet facile colligi potest. De hac porro quæstione, præter ejusdem Scripturæ interpretes, videsis theologos scholasticos in lib. III *Sentent.*, dist. 37, § 3, et in S. Thom., 2-2, qu. 66, art. 5, ad 1.

Porro autem variis Clemens argumentis contra hæreticos, Mosaicæ legis osores, probat et demonstrat eam non duram et crudelem, uti illi garriebant, sed humanitatis, mansuetudinis et benignitatis esse plenam [87]. Unum autem ex iis, ut cætera taceamus, hoc Clementis argumentum est, quod lex illa homini, qui uxorem sibi desponderat, dederit militiæ immunitatem: « Τούτους ἀφεῖσθαι τῆς στρατείας ὁ φιλάνθρωπος κελεύει νόμος· στρατηγικῶς μέν. Eos benigna lex a militia immunes esse jubet, et imperatorie quidem [88], » id est juxta veras prudentissimasque imperatoris leges, quarum Moysen, uti vidimus, peritissimum esse dixerat. Ibi autem ille non alio collineat quam ad Deut. XX, 7, et XXIV, 5, quod in Clementis editionibus, ut id obiter notemus, indicari debuit. Denique prætermitti a nobis non potest quo ille sensu scripserit Moysis legem a Christo impletam: « Dominus non venit ad solvendam, inquit, legem, sed ad implendam; ad implendam autem, non ut cui aliquid deesset, sed quod perfectæ fuerint legis prophetiæ in ejus adventu. Nam recta vitæ institutio iis etiam qui juste vixerunt ante legem, ante legem per Verbum prædicabatur [89]. » Huic Clementis nostri sententiæ veteres Ecclesiæ Patres Irenæus [90], Tertullianus [91], Hilarius [92], aliique magno consensu et numero subscripserunt. Alii tamen in alias abierunt opiniones, aliasque verborum Christi, qui se, ut impleret legem, venisse dixerat, expositiones, de quibus videsis Scripturæ interpretes in Evangel. Matth., V, 17.

Moysen porro non solum regnandi, sed etiam exercitus ducendi scientia instructissimum fuisse quod scribit Clemens [93], neminem, nisi in sacra historia omnino hospitem et peregrinum, fugere potest. Ne cui tamen pagano homini incredibile videretur ab illo noctu, per deserta et inaccessa loca, ducto Israelitarum, quibus columna ignis præibat, exercitu, fusos fugatosque hostes, hoc Clemens duplici exemplo confirmat. Primum est Miltiadis Atheniensium ducis, qui nocte intempesta per aspera itidem loca cum exercitum perduxisset, Persas adorsus, eos Marathonia pugna profligavit delevitque. Hæc autem historia ab Herodoto [94], Plutarcho [95] et aliis memoriæ mandata est.

Secundum exemplum est Thrasybuli, qui exsules per loca non trita noctu, columna ignis, ut ipse Clemens ait, eis prælucente, in patriam reduxit. Eximium illud Thrasybuli facinus memorant non modo Trogus Pompeius, ab Herveto laudatus, verum etiam Valerius Maximus [96], Plutarchus [97] et alii; sed neque ex iis ullus, neque Xenophon [98], qui illud cæteris longe fusius enarravit, ullam columnæ ignis mentionem faciunt. At illius in *Alnetanis quæstionibus* [99], sed nullo citato auctore, meminit doctissimus Abrincensium episcopus. Denique his, si lubet, et illud adjiciamus, quod in sempiternam hujusce facinoris memoriam factum fuisse Pausanias testatur: « Thrasybulus quidem Lyci filius, totaque illa Atheniensium exsulum manus, quod Thebis moventes, expulsis XXX tyrannis, patriam recepissent, in Herculis fano Minervam et Herculem ipsum, colossi specie, e Pentelico lapide Alcamenis opus posuerunt [1]. »

Variis exemplis Clemens alibi ostendit id cujuslibet hominis fide dignum, quod in Scripturis legitur, Deum se eidem Moysi videndum præbuisse « in monte Sina, quo tempore ardebat ignis, nihil consumens ex iis quæ nascebantur in monte, et tubarum ferebatur sonitus, qui absque ullis instrumentis inspirabatur [2]. » Montis autem illius ambitum non minorem quam quinque dierum Aristobulus, a Clemente citatus diserte asseruit. Josephus vero tantummodo dixit illum « omnium regionis ejus esse celsissimum, et ob nimiam altitudinem cautesque præruptas, non ascensus tantum hominum, sed aspectus ipsos defatigantem [3]. »

In hoc itaque monte sonitus tubarum Dei omnipotentia mirabiliter excitatos eo minus incredibiles esse Clemens ait, quo alii, qui non longe minus extraordinarii videri poterant, in Britanniæ spelunca et in Persiæ montibus naturali modo editi perhibeantur. Insolitis autem his sonitibus alios, haud plane absimiles refert Plinius, ubi de Atlante monte hæc scribit: « Eumdem noctibus micare crebris ignibus, ægypanum satyrorumque lascivia impleri, tibiarum, ac fistulæ cantu, tympanorumque 147 et cymbalorum sonitu strepere [4]. » Eadem Solinus tradit [5], quem, si vacat, consule, sicut et Kirkerum de aliis [6], atque de his etiam sonitibus, quos Clemens ex Britanniæ et Persiæ scriptoribus se descripsisse profitetur.

Denique Clemens ex quadam de Moysis morte historia narrat eum ἀναλαμβανόμενον, ut et etiam Philo loquitur, hoc est, cum ex hac vita in aliam migraret, et a Domino assumeretur, tunc a Josue et

[82] ibid., 350. [83] Euseb., lib. IX Præpar. ev., c. 26, p. 431. [84] Ibid., p. 345. [85] Epiph. in Ancor. § 113, p. 715. [86] Aug., t. III, lib. II Quæst. in Exod., q. 39, p. 432. [87] Strom. lib. I, p. 352 et seq.; l. II, p. 395 et seq.; lib. IV, p. 478. [88] Strom. lib. II, p. 396. [89] Strom. l. III, p. 445. [90] Iren. lib. IV adv. hæres., c. 67. [91] Tertul., lib. IV adv. Marc., cap. 7. [92] Hilar., in Matth. c. 4, § 15. [93] Strom. l. I, p. 348. [94] Herod., l. VI Erat., § 10 et seq. [95] Plutarch., in vita Arist., p. 321. [96] Valer. Max., l. VI, De moder. [97] Plutarch., in vita Lysandri et alibi. [98] Xenoph., Hist. Græc., lib. II, p. 470, seqq. [99] lib. II, c. 12, § 14, p. 205. [1] Pausan., lib. IX, p. 290. [2] Strom. l. VI, p. 632 seq. [3] Joseph., l. III Antiq. Judaic., c. 4. [4] Plin., lib. V Hist., c. I, p. 525. [5] Solin., Polyhist. c. 24. [6] Kirker., lib. IX Musurg., part. III, c. 5, 6, 7.

Digitized by Google

Caleb, sed diverso modo; duplicem fuisse conspectum; « et unum quidem cum angelis, alterum autem supra montes, qui dignus erat, cui in convallibus justa fierent [7]. » Quæ sit illa historia, unde Clemens id delibaverit, dictu sane perquam difficillimum est. De hac enim duplici Josue et Caleb visione nihil plane occurrit neque in Deuteronomio, neque in Epistola Judæ [8], neque etiam in Philonis [9] et Josephi [10] scriptis, ubi de ejusdem Moysis morte et sepultura sermo instituitur. Quinimo Philo ibidem scribit Moysen, nemine spectante, mortuum et sepultum.

Quamobrem quæ in Epistola Judæ de Moysis sepultura inter Michaelem et diabolum disceptatio refertur, hanc Origenes ex libello de Moysis ascensione deductam esse arbitratus est [11]. Ex hoc itaque eodem libello nonnulli hanc Josue et Caleb visionem desumptam existimant. Aliis autem probabilius videtur Judam hæc excerpsisse ex quadam minime scripta majorum traditione, vel ex alio aliquo apocrypho quidem scripto, quod humanam tamen fidem merebatur. Clemens igitur, cum hæc ex aliqua apocrypha scriptione se decerpsisse satis aperte significet; an una ex his, quæ citantur, revera fuerit, aut alia iis similis, ab aliis libentius audiemus.

ARTICULUS III.

De libris Job, Psalmorum, Proverbiorum, Sapientiæ et Ecclesiastici.

Ad alios Veteris Testamenti libros jam transeundum est, ac primo quidem juvat animadvertere librum Job a Clemente citari, perinde ac si nullus ipse dubitaverit illum divini Spiritus afflatu, non secus atque alios sacræ Scripturæ libros, fuisse compositum. In hunc enim modum hæc ille et ex eodem libro, et ex epistola Clementis Romani citat Jobi verba [12]: « Nullus est a sorde mundus, ait Job, nec si sit quidem una dies vitæ ejus [13]. » Quæ quidem etiamsi in vulgata Bibliorum versione non reperias, ea tamen iisdem plane verbis, si paucas quasdam variantes lectiones exceperis, a Septuaginta atque a Clemente nostro reddita invenies. Alibi vero alia adhuc Jobi verba protulit: « Job autem justus; ipse, inquit, nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus illuc revertar [14]. » Rursum autem paulo post: « Merito ergo Job, qui pervenit ad cognitionem: Nunc, inquit, scio, omnia potes, nihil est autem, quod tu non possis. Quis enim annuntiet mihi quæ non noveram, magna et admirabilia quæ nesciebam [15]? »

Neque est sane quod quispiam arguat hæc verba Jobo quidem a Clemente attribui, sed non ita ut illum, aut hujusce libri auctorem, ac divino Spiritu afflatum ea dixisse vel scripsisse affirmaverit: Non solum enim Clemens noster hunc eumdem librum, ut alios, sicuti diximus, et cum aliis Veteris Testamenti libris, quasi unius ejusdemque ponderis et auctoritatis citavit, verum etiam alicubi solo Scripturæ, procul dubio sacræ ac divinæ, quemadmodum alios minime dubios, nomine ab ipso sic laudatur: « Dicit quidem certe Scriptura, φησὶ γ' οὖν ἡ Γραφή· Λέγει ὁ ἅδης τῇ ἀπωλείᾳ· Εἶδος μὲν αὐτοῦ οὐκ εἴδομεν, φωνὴν δὲ αὐτοῦ ἠκούσαμεν. Dicit infernus perditioni: Ejus quidem speciem non vidimus, ejus autem vocem audivimus [16]. » Hæc quippe ipsa sunt libri Job verba, quæ Septuaginta hunc in modum interpretati sunt: Ἡ ἀπώλεια, καὶ ὁ θάνατος εἶπαν· Ἀκηκόαμεν δὲ αὐτῆς τὸ κλέος. In vulgata autem Latine ita leguntur: « Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus [17]. » Nemini igitur dubium esse potest, quin Clemens librum Job in sacrorum librorum canonem ascribendum esse crediderit.

Psalmos autem a Davide scriptos et decantatos fuisse ille passim memorat. Ipsiusmet enimvero Davidis nomine primus ab eodem Clemente nostro sic laudatur [18]: « Sed et David.... ,Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum..... neque in via peccatorum stetit [19]. » Nec non et psalmus nonus [20]: « David quoque dicit: Sin autem infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In hoc laqueo, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum [21], » etc. Et alibi [22]: « Jam vero aperte quoque psallit David, veritati ferens testimonium: Avertantur peccatores in infernum [23], » etc. Psalmus quoque decimus [24] quartus: « Qui sunt tales, ut ait beatus David, κατὰ τὸν Δαβίδ, requiescent in monte sancto tuo [25]. » Et psalmus decimus quintus [26]: « Rursus aperte David, vel potius Dominus ex persona sancti..... Lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea [27]. » Psalmus etiam decimus septimus [28]: « Jam vero David dicit: Tenebrosa aqua in nubibus aeris [29], » etc. Quid vero, quod Clemens alterius Clementis, nimirum Romani, verba refert et approbat [30], quibus ille eidem Davidi psalmos quinquagesimum, sexagesimum, octogesimum, aliosque ascribit [31]? Quid plura? Eodem ex Davide auctor noster profert psalmum centesimum secundum [32]: « Id a Davide, inquiens, dictum est per confessionem: Terram cinerem, tanquam panem manducabam [33]. » Huc accedit quod aliis in libris [34] præter psalmos V, XLIII, XLVIII, CXXV, CXVII [35] ipsi CXVIII hunc in modum adjudicat [36]: « Dicit psallens David: In quo dirigit junior viam suam [37]; » atque etiam centesimum decimum primum [38]: « Clamavit autem David: In æternum non commovebitur justus [39]. » Denique ne prolixior oratio nostra sit, id tantum adjiciemus rursus auctorem psalmi CXVIII, quemadmodum et Davidem ab eodem Clemente nostro alibi ita designari [40]: « Scribit David: Bonitatem, et disciplinam, et cognitionem doce me, quoniam mandatis tuis credidi [41]. » Alio autem in libro [42]: « Dixit (David): In peccatis conceptus sum, et in iniquitatibus concepit me mater mea [43]. »

Verum quia de Psalmorum auctore variæ sunt tam antiquorum quam recentiorum scriptorum opiniones, a proposito nostro alienum omnino non erit eas paucis explicare; ut ad quam Clemens noster accesserit, omnibus, quoad ejus fieri poterit, planum perspicuumque faciamus. Prima itaque de illorum parente opinio olim fuit impii Pauli Samosateni, ac quorumdam ipso longe pejorum nostræ ætatis Anabaptistarum, qui eo temeritatis devenerunt, ut psalmos omnes post Christi ortum scriptos fuisse 148 palam prædicare non erubescant. Sed hæc ad omne facinus audax impiorum hominum petulantia non minus Veteris quam Novi Testamenti auctoritate facile retunditur. Nam, ut cætera mittamus, psalmus decimus septimus libro secundo Regum, cap. XXII, integer descriptus, et psalmi CIV et XC libro primo Paralipomenon, cap. XVI, Davidi nominatim ascribuntur. Ipsemet vero Christus psalmum centesimum nonum, et Petrus psalmum decimum

[7] Strom. lib. VI, p. 679. [8] Deuter. XXXIV, 5 et 6; Jud. 9. [9] Philo, lib. III, De vita Moysis. [10] Joseph. in fine lib. IV Antiquit. [11] Origen., lib. III Periarch., c. 12, p. 457. [12] Strom. lib. IV, p. 468 et 5 6. [13] Job XIV, 4, etc. [14] Strom. lib. IV, p. 538. [15] ibid. p. 541 et seq. [16] lib. VI Strom. p. 657. [17] Job XXVI, 22. [18] Strom. lib. II p. 389. [19] Psal. I, 1. [20] Strom. lib. II, p. 640. [21] Psal. IX, 16. [22] ibid., p. 646. [23] Psal. IX, 18. [24] ibid. p. 968. [25] Psal. XIV, 1. [26] ibid. p. 640. [27] Psal. XV, 9. [28] ibid. p. 671. [29] Psal. XVII, 12. [30] Strom. lib. IV, p. 517 et 519. [31] Psal. L, LX et LXXX. [32] Strom. lib. VI, p. 643. [33] Psal. CII, 9, juxta Sept. [34] Strom. lib II p. 386, et lib VI p. 660. [35] Psal. V, XLIV, XLVIII, CII, CXVIII et CXIV. [36] Strom. lib. III, p. 439. [37] Psal. CXVIII, 9. [38] Str. lib. VI p. 655. [39] Psal CXI, 6. [40] ibid., p. 646. [41] Psal. CXVIII, 66. [42] l. IV, p. 499. [43] Psal. L. 7.

Digitized by Google

quintum ab eodem Davide fuisse compositos diserte asseverant [44]. His adde alios psalmos et in Matthæi Evangelio, et in apostolorum Actibus, haud dubie tanquam ante assumptam a Christo humanam carnem vulgatos citari [44a]. At pudet sane tam insanum manifestumque errorem fusius refellere et prosequi.

Alia itaque opinio, huic e diametro opposita, et a quamplurimis omnium ætatum auctoribus propugnata, omnes omnino psalmos ipsimet Davidi attribuendos esse contendit. Sed ab aliis ideo rejicitur, tum quia plures psalmi aliud quam Davidis nomen fronti suæ inscriptum præferunt, tum maxime quia nonnullos post Davidis ætatem per Babylonicæ captivitatis tempora atque etiam post redditam Judæis libertatem scriptos fuisse pro certo habetur [45]. Quapropter Hieronymus ad Cyprianum scribit [46] : « Sciamus errare eos, qui omnes psalmos David arbitrantur, et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt. » Si qui autem inscriptione careant, hos ille ait iis esse deputandos, « quorum in prioribus psalmis nomina continentur. » Et hac quidem ratione Hieronymus Moysen undecim ejuscemodi psalmorum auctorem esse ibidem pronuntiat. Neque porro id ille semel asseruit, sed in alia etiam ad Sophronium epistola : « Psalmos, inquit [47], omnes eorum testamur auctorum, qui ponuntur in titulis, David scilicet, Asaph, et Idithum, filiorum Core, Eman Ezrahitæ, Moysi, et Salomonis, et reliquorum, quos Ezras uno volumine comprehendit. »

Hæc igitur tertia est de Psalmorum auctoribus non solum Hieronymi, sed Hilarii quoque [48] et aliorum sententia, qui illos ab his conscriptos esse volunt, quorum nomine inscribuntur.

Verum quia duplex eorum titulus, unus in Hebraico, alter in Græco textu occurrit; inde fit ut quidam in quartam opinionem abeant asserantque non erroneis Græci, sed sinceris tantum Hebraici textus inscriptionibus, nec fortasse tamen omnibus fidem habendam. Quamvis enim in eis nomen Moysis psalmo LXXXIX præfixum legatur, quia tamen Samuelis in eo mentio fit, quidam idcirco non infimæ notæ scriptores, ab Hieronymi, aliorumque, qui hunc psalmum a Moyse, Israelitarum duce et legislatore, editum esse putant, sententia discedunt.

Hujus itaque quartæ opinionis fautores existimant Davidem psalmorum, nomen illius præferentium, et quorumdam nullius nomine inscriptorum, puta eorum qui in Paralipomenon, et apostolicorum Actuum libris, uti diximus, ipsi adjudicantur, esse revera auctorem. Quibus vero nomen Asaph præponitur, hos plerosque, non tamen omnes, ab ipsomet illo Asaph profectos esse censent. Ex iis enim aliquos, illo posteriores, Babylonicam captivitatem spectare manifestum esse opinantur. Denique nomina filiorum Core et Idithun, aliorumque re quidem vera quibusdam psalmis præposita legimus; non ideo tamen quia ab illis scripti fuerunt, sed quia ab ipsis decantabantur. Persuasum igitur habent præter Davidem et Asaph vix alios psalmorum auctores assignari posse. At omnes prorsus psalmos, a quocunque tandem profecti fuerint, divini Spiritus afflatu compositos esse, nec illi dubitaverunt; nec ab ullo unquam vere Christiano homine in dubium merito vocari potest.

In hac igitur tanta opinionum varietate ad quam Clemens noster accesserit, si quæras, respondebimus illum nobis videri in secundam magis inclinasse. Quosdam etenim ab illo Davidis nomine et hic alibi citata notavimus, quorum in fronte non illius, sed aliorum nomen præponitur.

Librum autem Proverbiorum Salomoni non semel Clemens adjudicat. Ab ipso etenim *Stromatum* suorum initio [49] sic ejus laudat verba : « Dicit itaque Salomon : Fili mi, susceptam præcepti mei dictionem apud te absconderis [50], » etc. Postea vero [51] : « Et bibite aquam de vasis vestris, monet Salomon [52]. » Et rursus in eodem libro [53] : « Jam sapientiam, inquit Salomon, vallo circumda [54], » etc. Insuper autem [55] : « Recte ergo Salomon : Qui seminat, inquit, justitiam operatur [56], » etc. Eodem quoque modo in libro secundo et alibi hunc librum Salomoni constanter attribuit. Ibi enim [57] vetus quoddam adagium ait esse desumptum « ex voce Salomonis, dicentis : Fili, si pro amico tuo fidejusseris, trades manum inimico [58], » etc. Atque ut cætera, quæ in rem apertissimam non sunt congerenda, taceamus, adi si velis, librum quartum *Stromatum*, ac ibi eumdem librum Salomonis nomine adhuc citatum invenies [59]. Interim vero quid de illo dixerit Eusebius, ausculta : « Non solum ipse (Hegesippus), sed etiam Irenæus et omnes antiqui Proverbia Salomonis vocare solent sapientiam omnium virtutum præcepta continentem [60]. »

Ex his autem et aliis, quæ in hos et alios Clementis nostri libros a nobis observata sunt, omnibus liquido patet, tametsi in fine libri Proverbiorum quædam aliis auctoribus quam Salomoni tribuantur, Clementi tamen nostro persuasum omnino fuisse eorum omnium ac posteriorum etiam proverbiorum, quæ alii ex Salomonis dictis collegisse feruntur, non alium plane quam eumdem Salomonem auctorem esse dicendum. Nec alia sane mens fuit non modo eorum, quos paulo ante citavimus, nimirum Hegesippi et Irenæi; sed etiam Melitonis et Origenis, qui in suis librorum Veteris Testamenti indicibus Salomoni Proverbia generatim adjudicant [61].

Ad Sapientiæ librum quod attinet, quamvis ille quandoque ἡ θεία Σοφία, « divina Sapientia, » vel « sapientia » σοφία, simpliciter a Clemente appellatus fuerit [62]; ab eo nihilominus Salomonis nomine ita alicubi laudatur [63] : « Jam vero Salomon gnosticum vocans sapientem, hæc dicit : Videbunt mortem sapientis, et non intelligent quid de eo [64], » etc. Nec multo post [65] : « Ecce enim Salomon : Dabitur enim, inquit, fidei gratia, et sors in templo Domini jucundior [66]. » Rursus vero, quibusdam interjectis [67] : « De cognitione, inquit, disserens Salomon, hæc dicit : Clara est, et non marcescit sapientia, et facile cernitur [68], » etc.

Cedo, inquiet aliquis. At nonne propterea Clemens ab Eusebio notatur [69], quod insce in *Stromatum* libris « afferat testimonia Scripturarum, quæ a nonnullis repudiantur, nempe ex Sapientia Salomonis, » ἀπὸ τῶν ἀντιλεγομένων Γραφῶν, hoc est ab iis, qui illam extra sacrum divinæ Scripturæ canonem rejiciebant. Verum cum Eusebius illam a nonnullis rejectam **149** dixerit, eamdem procul dubio a pluribus receptam fuisse significat. Et re quidem ipsa Clemens plures et prævios habuit, et post se reliquit hujus sententiæ patronos et defensores. Ex iis autem nonnulli ut id probent, in medium proferunt hæc quæ Barnabas sua refert in epistola : « Alligemus justum, quoniam inutilis [70], » etc. Sed, ut verum fateamur, isthæc verba non ex Sapientiæ

[44] Matth. XXII, 42, 43; Marc. XII, 3; Luc. XX, 42; Act. II, 25 et seq. [44a] Matth. XXVII, 35; Act. I, XX, etc. [45] Psal. CXXXVI, CXXV, CXXXVII, CXLV. [46] nov. edit. tom. II, col. 696. [47] nov. edit. tom. I, col. 855. [48] præf. in Psalt. [49] Strom. l. I, p. 270. [50] Prov. II, 1. [51] Strom. l. I, p. 274. [52] Prov. V, 15. [53] Strom. I, p. 282. [54] Prov. IV, 8 et seq. [55] Strom. I, p. 316. [56] Prov. XI, 21. [57] Strom. l. II, p. 391. [58] Prov. VI, 1. [59] Strom. l. IV, p. 477. [60] Euseb., l. IV Hist., c. 22. [61] Euseb., l. IV Hist., c. 26, et l. VI, c. 25. [62] Strom. l. IV, pag. 515; l. V, p. 391. [63] Strom. l. VI, p. 669. [64] Sapient. IV, 17, 5, 3 et seq. [65] Strom. VI, p. 670. [66] Sap. III, 14. [67] Strom. VI, p. 673. [68] Sap. VI, 13 et seq. [69] Euseb., l. VI Hist., c. 13, p. 214. [70] Barnab. epist. § 6, p. 20.

Digitized by Google

libro, uti putant, sed ex Isaiæ prophetia desumpta sunt[71].

Certius itaque videtur hujusce libri in prima Clementis Romani epistola hæc citari verba : Τίς ἐρεῖ αὐτῷ· Τί ἐποίησας, ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ ; « Quis dicit ei : Quid fecisti, aut quis resistet virtuti fortitudinis ejus[72] ? » In Sapientiæ enim libro legimus : Τίς γὰρ ἐρεῖ· Τί ἐποίησας; ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κρίματί σου. Quæ Vulgata sic reddidit : « Quis enim dicet tibi : Quid fecisti, aut quis stabit contra judicium tuum[73] ? »

Sed ille ibi nec hujus libri, quemadmodum nec aliorum, quos sæpissime citasse legitur, sacrorum librorum auctorem nomine suo appellat. Verum idem Sapientiæ locus, et alii plures a Cypriano, qui sicuti Clemens noster, hunc librum « sapientiam Salomonis » nuncupat, exhibentur[74]. Aliis autem Ecclesiæ Patribus cæterisque scriptoribus, qui huic opinioni deinceps aut suffragati aut refragati sunt, hic appellandis, quando quidem id nec a paucis, nec jam a longo tempore factum est, supersedendum esse duximus. Monuisse igitur sufficiat quid de hoc libro Augustinus tradiderit : « Alii vero duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur antiquitus propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo; non autem esse ipsius non dubitant doctiores; si eos tamen in auctoritatem maxime occidentalis recepit Ecclesia[75] » Denique hi duo libri sacræ Scripturæ canoni ascripti sunt in concilio Hipponensi anno 393, can. 38, et Carthaginensi sub Syricio papa, anno 397, can. 47, et Romano sub Gelasio I, anno 494, ac Tridentina tandem synodo. Videsis ejusdem Augustini lib. II, *De doctr. Christ.*, cap. 8, *Speculum*, pag. 733, et lib. II *Retractat.*, cap. 4. Vide etiam, si lubet, Coutantii nostri ad Hilarii lib. *Prolog. in lib. Psalm.*, pag. 3, notas et observationes.

Illum porro Ecclesiastici librum quam frequens auctor noster laudaverit, jam superius a nobis observatum est[76] atque rursus infra ostendetur. Quamobrem hoc unum duntaxat animadvertemus, scilicet hunc eumdem librum simplici Sapientiæ nomine, quemadmodum Proverbiorum librum, ab ipso nuncupari. Ubi enim de ethnicis poetis sermonem facit, sic loquitur[77] : « Audierunt, ut existimo, pulchram illam quæ nobis dicit, sapientiam; in medio insipientium observa occasionem; in medio autem cogitantium versare perpetuo. Et rursus : Sapientes occultabunt sapientiam [78]. » Prior siquidem locus in Ecclesiastici, secundus autem in Proverbiorum libro plane occurrit, ita ut Hervetum mirari subeat, qui cum eos frustra quæsivisset, ex sacro Sapientiæ libro decerptos esse suspicatus est.

Majori adhuc admiratione nonnullis nec forsitan immerito dignum videbitur, duplicem ab ipso Clemente nostro ejusdem Ecclesiastici auctorem designari. Alicubi enim hunc librum « sapientiam Jesu » vocat[79], vel, ut ipse loquitur : Ἡ φησὶν ἡ τοῦ Ἰησοῦ σοφία. Et rursus in eodem libro : Ἄκουε ἐκ τῆς σοφίας Ἰησοῦ. « Audi ex sapientia Jesu[80]. » Alibi vero eumdem librum Salomoni vindicat. Ab eo siquidem Heraclitus aliquando inducitur[81] : « Adjutus utique a Salomone dicente : Si dilexeris audire, suscipies : et si inclinaveris aurem tuam, eris sapiens[82]. » Quæ totidem verbis Ecclesiastici VI, 33, reperire est. Denique libro ultimo id adhuc repetit : Ἡ σοφία, φησὶν ὁ Σολομών, ἐνεφυσίωσεν τὰ ἑαυτῆς τέκνα. « Sapientia, inquit Salomon, inflavit filios suos[83]. » Quod acceptum est ab Ecclesiastici libro, cap. IV, 11, secundum Septuaginta Senum, in polyglottis editionem 12 : Ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῇ ἀνύψωσε, « Sapientia filios sibi exaltavit. »

Quomodo ergo, inquies, Clemens hunc librum tam Jesu quam Salomoni tribuit, quem, ut inquit Augustinus : « Quod Jesus quidam scripserit, qui cognominatur Sirach, constat inter eos qui eumdem librum totum legerunt[84]. » At observa, quæso, eumdem Augustinum alibi scripsisse[85], etiamsi viri doctiores hunc librum Salomonis non esse affirment, eum nihilominus ab Ecclesia, maxime occidentali, antiquitus receptum, et propter eloquii similitudinem tunc morem obtinuisse, ut Salomonis diceretur. Quamobrem quidam illum a Jesu filii Sirach ex Salomonis et aliorum, ac suis etiam sententiis concinnatum existimant. Qua quidem a sententia Clemens noster haud procul discessisse videtur, atque ea ratione facile secum conciliari poterit. Verumtamen sua quemque hac de re manet sententia, per nos licet.

Cæterum a quibus superior Sapientiæ liber, ab iisdem et iste, uti paulo ante vidimus, in sacrorum librorum numero et canone repositus est, et a Cypriano sæpius solo Salomonis nomine laudatus legitur[86]. Quia vero ab aliis nonnullis inde ejectus est, nihil sane mirum, si de illo, sicut et de superiore libro, Eusebius pronuntiet Clementem in his *Stromatum* libris attulisse testimonia Scripturarum, quæ « a nonnullis repudiantur; nempe ex Sapientia Salomonis, et ex ea quæ dicitur Sapientia Jesu, filii Sirach[87]. »

ARTICULUS IV.

De libris prophetarum, Machabæorum et quarto Esdræ, ac de eorum auctoribus.

Quatuor, ut aiunt, magnorum prophetarum libros, eorum, quibus ascribuntur, nomine in hoc *Stromatum* opere passim citari nemo catholicus homo mirabitur. Nulla enim de iis apud orthodoxos et æquos rerum æstimatores potest esse controversia aut disceptatio. A nobis itaque obiter tantummodo notabitur, a Clemente nostro Isaiæ nomine perperam hoc proferri effatum : « Ego solidans montra ua[88], » etc. Neque potiori etiam jure illud ab Eusebio, qui hunc Clementis locum transcripsit[89], Oseæ, uti alibi a Clemente nostro ascribitur[90]. Nam hæc ipsissima prophetæ Amos verba sunt[91]. At alio in libro ubi ejusdem Amos testimonio ipsemet auctor noster utitur[92], illius prophetiam non solum ejus nomine revera inscriptam, sed ab illo quoque Spiritus sancti afflatu compositam esse significat : « Spiritus sanctus per Amos, ait ille, elocutus : Qui bibunt vinum percolatum, et super lectum, inquit, sedent eburneum[93]. » Denique sola Scripturæ nomine ab eodem auctore nostro in sexto *Stromatum* libro citari infra dicetur.

Eodem plane modo ille Jonam et Malachiam testes producit[94] : « Jonas ipse idem tacite, inquit, significat, **150** cum dicit : Et accessit ad ipsum is, qui gloriam gubernabat, et dixit ei : Cur stertis? Surge[95]..... Malachias autem propheta aperte ostendit Deum dicentem : Sacrificium non accipiam ex manibus vestris[96], » etc. Prius vero[97] : « Di-

[71] Isai. III, 9, 10, juxta Septuag. [72] Clem., epist. 1 Rom., § 17. [73] Sap. XII, 12. [74] Cypr., l. II Testim. adv. Judæos, § 14, p. 40; l. III, p. 68, 79, 81, 84, 90, etc.; lib. De exhor. martyr. p. 171, epist. ad Dem. [75] Aug. l. XVII De civit. c. 20, p. 483. [76] Dissert. sup., c. 3, art. 5. [77] Strom. l. V, p. 554. [78] Eccli. XXVII, 12, juxta Septuag. , 13 in vulg. , Prov. X, 14. [79] Strom. l. I, p. 282. [80] Ibid. p. 393. [81] Strom. l. II, p. 369. [82] Eccli. VI, 33. [83] Strom. l. VII, p. 763. [84] Aug. in Specul. p. 733. [85] Lib. XVII, De civit.; c. 20. [86] Cypr., l. III Testim. passim. [87] Euseb., l. VI, Hist. p. 15. [88] Strom. l. V, p. 609. [89] Euseb. l. XIII. Præp. evang. c. 13, p. 687. [90] Clem., Admon. ad gent., p. 57. [91] Amos IV, 13. [92] Pæd. l. II, c. 2, p. 157. [93] Amos VI, 4, 6. [94] Strom. l. V, p. 613. [95] Jonas I, 6. [96] Malach. I, 10 et seqq. [97] Strom. l. III, p. 441.

Digitized by Google

etum est apud Malachiam : Deo restiterunt, et salvi facti sunt[98].» Sequenti quoque pagina : « Qui irritatis Deum sermonibus vestris, ὁ Μαλαχίας φησί· et dicitis : In quonam irritavimus eum[99] ? » etc.

Ipsi similiter Michææ prophetiam, ejus nomine divulgatam, Clemens vindicat, ubi scribit : « Hi sunt, de quibus dicit Michæas propheta : Audite, populi, verbum Domini, qui cohabitatis simul cum doloribus [1]. » Quamvis enim totidem illa verba in illo Michææ libro non occurrant, ex ipsius tamen capite primo videntur decerpta. Fac nihilominus ea non reperiri, et ibi Clementem memoria lapsum, non minus certo inde colligitur eum credidisse Michæam hujus prophetiæ verum fuisse auctorem.

Et vero alibi ipsa ejus verba transtulit, sed unius ex duodecim prophetis nomine[2] : « Ferat mihi, inquit, testimonium unus ex duodecim prophetis, qui dixit : Videam primogenita pro impietate fructum ventris, pro peccatis animæ meæ. » Quæ quidem ex illius cap. VI, 7, desumpta fuisse extra omne dubium est.

At ex hoc Clementis loco manifestissime deprehendimus totidem pro veris et genuinis ab illo cognosci duodecim Veteris Testamenti prophetarum libros, quot in sacro canone positos legimus. In suis porro chronologiis illos, sicut infra dicetur, singillatim recenset, illorumque ultimos appellat[3], « Aggæum, et Zachariam, et Angelum, qui fuit ex duodecim. » Rursus vero postea[4] : « Aggæus, inquit, Zacharias, καὶ ὁ ἐν τοῖς δώδεκα Ἄγγελος, et qui erat ex duodecim Angelus. » Quo quidem nomine Malachiam designari his probari potest libri quarti Esdræ verbis[5] : « Malachiæ, qui et Angelus Domini vocatus est. »

Docet enim Hieronymus nomen Hebraicum Malachi a Septuaginta sacræ Scripturæ interpretibus Græce fuisse redditum ὁ Ἄγγελος αὐτοῦ, *Angelus ejus*. His porro, si lubet, addamus librum et prophetiam, cui nomen Zachariæ præpositum fuit, huic ipsi a Clemente nostro alicubi hunc attribui in modum [6] : « Si certe minatur Zacharias : Increpabit, te qui elegit Jerusalem. Non ecce hoc est ut torris evulsus ex igne [7] ? »

Quid porro Machabæorum libri contineant, aperte quidem Clemens prodit; sed quis eorum auctor fuerit, quia dictu promptum non erat, de industria tacitus ibidem prætermisisse videtur, ubi ait : « Aristobuli meminit is, qui composuit epitomen rerum gestarum a Machabæis [8]. » De hac autem commentatione, ac de libro Esther, quid, inquies, sibi vult auctor noster, cum alibi hæc scriptis tradidit? « In hac captivitate (Babylonica) fuit Esther et Mardochæus, cujus habetur liber sicut etiam Machabæorum : » Αἰσθὴρ καὶ Μαρδοχαῖος, οὗ φέρεται βιβλίον, ὡς καὶ τὸ τῶν Μακκαβαϊκῶν [9]. Nunquid ergo, inquies, unum tantummodo Machabæorum, quemadmodum Estheri, librum esse Clemens arbitratus est? Nunquid de his libris, si eos sancto Spiritu afflante scriptos credidisset, tam frigide loqui poterat?

Sed respondere tibi possumus auctorem nostrum ibi usum fuisse verbo βιβλίον, quod volumen et codicillos, pluribus etiam libris constantes, potest significare. Ilos porro libros in canonicorum numero ponendos esse si non censuerit, plures habuit primis Ecclesiæ sæculis suæ sententiæ astipulatores. Melito siquidem in sua ad Onesimum epistola accuratum subjunxit sacrorum librorum indicem, in quo hosce libros penitus omisit [10]. Apertius autem Origenes, simili indice exhibito, addidit : « Extra horum censum sunt libri Machabæorum, qui inscribuntur Sarbet et Sarbaneal [11]. » Eusebius etiam in *Chronico* : « Machabæorum, inquit, historia hinc Græcorum supputat regnum. Verum hi libri inter divinas Scripturas non recipiuntur. » Concilium quoque Laodicenum [12] et Athanasius [13] in suis sacrorum Veteris Testamenti librorum indicibus hos quoque libros prætermiserunt. Ab eodem quoque Athanasio [14] aliis Veteris Testamenti libris, quibus contradicitur, illos videbis annumerari.

At concilium Hipponense anno 393, et Carthaginense III, anno 397, libros Esther et Machabæorum in canonicorum numerum retulere. Unde Augustinus : « Machabæorum, ait, libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro canonicis habet, propter quorumdam passiones vehementes atque mirabiles [15]. » Alio autem in libro [16] illos sacro canoni, sicut et cæteros, ab omnibus receptos simpliciter ascribit.

Quamobrem tametsi Hilarius, Ambrosius, aliique deinceps Ecclesiæ Patres et concilia eosdem libros propter gravissimas magnique momenti rationes pro canonicis haberi voluerint, nulli tamen mirum videri debet si Clemens noster, temporis sui morem secutus, illos in sacro canone non posuerit.

At nonnulli procul dubio jure haud prorsus immerito mirabuntur librum quartum Esdræ ab eo, tanquam divinæ auctoritatis opus et a propheta conscriptum, hæc laudari in verba : « Cur enim non fuit uterus matris meæ sepulcrum, ne viderem afflictionem Jacob et laborem gentis Israel, ait Esdras propheta : » Ἔσδρας ὁ προφήτης λέγει [17]. Nam testimonium illud ex lib. IV Esdræ, cap. V, 35, transcriptum, in Vulgata sic habetur : « Et dixi : Quare, Domine, ad quid nascebar? Aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi sepulcrum, ut non viderem laborem Jacob et defatigationem generis Israel? » Quid ergo, arguet aliquis, nonne hic liber quamvis in Barnabæ, uti alibi dictum est [18], epistola citatus fuerit, in nullo tamen sacræ Scripturæ canone unquam admissus, ab omnibus plane repudiatur? Sed huic non minimæ difficultatis quæstioni pro virili parte nostra conati sumus facere satis, ubi de ea in nostra ad Ambrosii *De bono mortis* librum admonitione disputavimus [19]. Ad eum igitur, si vacat, adire poteris, et hunc Clementis locum a nobis ibi citatum invenies.

151 ARTICULUS V.

De Græca librorum Veteris Testamenti interpretatione, a Septuaginta duobus Senioribus adornata, et alia antiquiore.

De Græca sacrorum Veteris Testamenti librorum interpretatione suam sic Clemens mentem aperit. Primum docet [20] non solum « legis, » τάς τε τοῦ νόμου, sed etiam prophetarum Scripturas, καὶ τὰς προφητικὰς Γραφάς, id est non tantum Moysis, sed omnes canonicos sacræ hujus Scripturæ libros ex Hebræo sermone in Græcam conversos fuisse linguam.

Secundo, hanc Græcam interpretationem adornatam, « aiunt tempore, inquit, Ptolemæi Lagi filii, vel, ut dicunt nonnulli, ὡς τινες, tempore ejus, qui fuit cognominatus Philadelphus, cum maximam ad eam rem contulisset diligentiam Demetrius Phalerus, et ut verterentur vehementer procurasset [21]. » Philadelphus enim ille, pergit Clemens, bibliothecam suam, cæterarum omnium longe locupletissimam, his sacris libris, Græce redditis, voluit exornari.

Tertio autem, quomodo hæc Græca divinæ legis,

[98] Malach. III, 15. [99] Malach. II, 17. [1] Strom. l. IV, p. 542. [2] Strom. l. IV, p. 469. [3] Strom. l. I, p. 332. [4] ibid., p. 335. [5] IV Esdr. I, 40. [6] Admon. ad Græc., p. 57. [7] Zachar. III, 2. [8] l. V Strom., p. 595. [9] Strom. l. II, p. 329. [10] Euseb., l. IV Hist., c. 26, p. 149. [11] ibid., l. VI, c. 25, p. 226. [12] Conc. Laod., can. ult. [13] Athan. Epist. festal. p. 962. [14] In synopsi, p. 201. [15] Aug., l. XVIII De civit., c. 36. [16] Lib. II De doctr. Christ. [17] Strom. l. IV, p. 468. [18] sup. l. I, dissert. 3, art. 13. [19] tom. II Ambros. oper., p. 488. [20] Strom. l. I, p. 341. [21] ibid.

Digitized by Google

prophetieorumque librorum interpretatio concinnata fuerit, sic ille ibidem explicat. Septuaginta duo, ait, Seniores, viri utique doctissimi, et Græce peritissimi a Judæis, sub Macedonum ditionem redactis, ad Philadelphum missi sunt. Qui cum ad eum accessissent, et eorum « unusquisque singillatim ex sua propria interpretatus esset prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes et sententiis et dictionibus. Dei enim erat voluntas, quæ id ad Græcorum aures consulto comparaverat [22]. » Atqui id hunc in modum fieri non potuit, nisi Septuaginta Seniores diversis separatisque in locis omnes illos Scripturæ sacræ libros Græce reddiderint. Hi autem divisi a se invicem loci non alii esse videntur, quam illæ cellulæ, quarum Justinus martyr, uti alibi vidimus [23], mentionem fecit.

Quarto denique, Clemens hanc versionem ab iisdem senioribus non sine divini numinis afflatu perfectam esse declarat : « Neque vero, pergit ille, ab inspiratione Dei erat alienum, qui prophetiam dederat, ut interpretationem quoque tanquam Græcam efficeret prophetiam [24]. »

Utrum autem ipse Clemens hanc opinionem veram crediderit, eique reapse subscripserit, in controversiam haud immerito adduxeris. De ea enim vero nihil plane certi videtur statuere, sed aliorum potius referre sententias. Et vero utrum hæc versio Ptolemæo Lagi, vel Philadelpho regnante, edita sit, non leve inter scriptores dissidium fuisse testatur. Non satis autem aperte declarat in quam ipse opinionem inclinet.

At quamvis Clemens hæc historice narraverit, illud tamen non prohibet quominus haud ita obscure significet persuasum se habuisse illam Veteris Testamenti interpretationem a Septuaginta duobus Senioribus vere esse profectam. Et certe cum non aliunde, quam ex illa in suis libris testimonia Scripturæ et citaverit, et totidem fere semper verbis retulerit, nonne hoc nec obscure, nec incerto nobis argumento est illam versionem ipsi probatam maxime et acceptam fuisse, quantumvis nonnulli de illius disputaverint ætate?

Quinam autem isti fuerint, tacitus ille, sed non imprudens præteruisisse videtur [25]. Quamobrem de iis scire aliquid cupienti ut faciamus satis, breviter dicemus [26] Irenæum, cujus verba ab Eusebio Græce exhibita sunt [27], existimasse hanc interpretationem a Septuaginta Senioribus, uti a nobis observatum est [28], Ptolemæo Lagi filio imperante, fuisse perfectam. Sed illius opinionem pauci quidam, ut Anatolius et Theodoretus, secuti sunt. Alios autem longe plurimos Aristeanorum sententiæ suffragium tulisse alio in loco adnotavimus [29].

De alia porro Græca Veteris Testamenti interpretatione, quam hac, de qua agimus, antiquiorem quidam prædicabant, sic loquentem Aristobulum Clemens inducit : « Aristobulus in primo libro ad Philomatrem scribit his verbis : Secutus est autem nostras quoque leges Plato, et satis aperte ostendit se eorum, quæ in eis dicuntur, fuisse admodum studiosum. Ante Demetrium autem priusquam rerum potirentur Alexander et Persæ, versa fuerant, et quæ ab Hebræis nostris gesta fuerant in exitu ex Ægypto, et quæcunque eis insignia et facta erant, et apparuerant, et regionis per vim quæsita possessio, et omnium, quæ latæ sunt, legum descriptio; adeo ut clarum sit antedictum philosophum multa ex eis sumpsisse [30]. » Utrum autem Clemens pedibus in hanc sententiam iverit, merito dubitaveris. Eusebius enim non solum hæc retulit Clementis nostri verba, sed totum etiam Aristobuli fragmentum longe fusius quam Clemens transcripsit [31]. Idem itaque de Clemente esse debet judicium ac de Eusebio, quem nullus jure merito dixerit in Clementis nostri et Aristobuli ideo concessisse opinionem, quia utriusque ad ea quæ probanda susceperat, protulit testimonium. Id quippe si verum foret, quot, Deus bone, in varias secumque pugnantes sententias ivisse dicendus esset Eusebius, qui libros suos innumeris auctorum, cum Christianorum, tum Judæorum et ethnicorum testimoniis et fragmentis concinnavit! Clemens porro Aristobuli hominis, teste Eusebio [32], Hebræi, eruditique scriptoris, ac Peripateticæ philosophiæ sectatoris verba auctoritatemque idcirco adhibuit, ut ea efficacius probaret Platonem, aliosque antiquissimos philosophos ex Moysis et prophetarum libris veriora dogmata etiam prius hausisse quam Septuaginta duo Senes Græco sermone illos fuissent interpretati. At si quis pertinacius contendat, nobisque validis rationum momentis demonstret ab ipso admissam fuisse antiquiorem illam Veteris Testamenti interpretationem, huic dicemus eumdem Clementem nostrum plures, ut alibi vidimus [33], habuisse hujusce opinionis et patronos et adversarios.

—

CAPUT IV.

De Novi Testamenti scriptis.

—

152 ARTICULUS I.

De sacris quatuor Evangeliis, ac de Evangelio secundum Hebræos et secundum Ægyptios.

Ad Novi Testamenti libros et scripta ut jam accedamus, Clemens noster vulgata et ab omnibus recepta quatuor tantum Evangelia canonicis, ut aiunt, et divinæ auctoritatis libris annumeranda esse credidit. De iis autem quid in suis de *Hypotyposibus* commentariis tradiderit, ita narrat Eusebius : « In his libris Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum. Dicebat ex Evangeliis prius scripta esse illa, quæ seriem generis Dominici continent. Marci autem Evangelium ex hujusmodi occasione scriptum fuisse : cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab apostolo prædicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque, qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit. At Joannes, omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, ita esse,

[22] p. 342. [23] sup. l. II, dissert. 2, c. 6, art. 5. [24] ibid. [25] Euseb., l. v Hist. c. 8. [26] Appar. l. II, dissert. 6, c. 4, § 2. [27] Vales. in cit. Euseb. loc. [28] Appar. sup. l. dissert. 12, c. 1, § 2 et seq. [29] ibid. [30] Strom. l. I, p. 342. [31] Euseb., l. VIII Præpar. ev., c. 6, p. 410, et l. XIII, c. 15, p. 664. [32] Præpar. ev., l. VII, c. 13, p. 323; l. VIII, c. 9, p. 375. [33] sup. l. II, dissert. 2, c. 8, art. 4.

Digitized by Google

ipse divino Spiritu afflatus, spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit [34]. » Evangeliorum porro seriem generis Dominici continentium nomine Clemens Matthæi Lucæque Evangelium, ubi illa describitur, haud dubie intelligit.

Quod autem Eusebius addidit Clementem hisce in libris tradidisse Evangelium a Marco fuisse scriptum, nec adhortante Petro, nec prohibente, id sane cum iis pugnare videtur, quæ ipsemet Eusebius ex eodem Clemente et Papia litteris mandavit : « Quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesia legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Ὑποτυπώσεων libro, cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus [35]. » Quomodo ergo Petrus a Clemente dici potest hoc Evangelium auctoritate sua comprobasse, a quo in eodem libro nec vetitum nec comprobatum fuisse perhibetur? Respondet Valesius his verbis significari, cum Petrus illud neque prohibuerit neque laudaverit, tacito comprobasse consensu [36]. At perpende, quæso, an probabilius tibi non videatur Marcum, antequam huic operi manum admoveret, nec ad illud perficiendum a Petro incitatum, nec ab eo scribendo deterritum. At, eo absoluto, cum cognovisset Petrus quantum Christianis prodesse posset, tunc ab ipso comprobatum confirmatumque fuisse. Sed ea de re posset forsitan certior ferri sententia, si Clementis de *Hypotyposibus* libri exstarent.

Porro autem sacra tantum quatuor Evangelia, nec plura, ab ipso admitti inde liquido probatur, quod hæreticos aliorum Evangeliorum verbis abutentes, idcirco refellat; quod hæc, quæ contra catholicæ fidei doctrinam objiciebant, in illis quatuor non reperirentur. Eorum siquidem objectis sic respondet : « In nobis traditis quatuor Evangeliis non habentur [37]. »

Quamvis autem auctor noster, quemadmodum Origenes [38], quatuor duntaxat Evangelia, de quibus nos alibi nonnulla perstrinximus [39], a scriptoribus divinitus afflatis scripta esse crediderit, quædam tamen alia laudat, quæ censentur penitus incerta et apocrypha.

Ex ipso enim secundum Hebræos Evangelio, τῷ κατὰ Ἑβραίους Εὐαγγελίῳ, hoc affert testimonium : « Qua ratione etiam scriptum est in Evangelio secundum Hebræos : Qui admiratus fuerit, regnabit, et qui regnabit, requiescet [40]. » Nullus tamen magna idcirco admiratione affici debet. Nam eodem quoque Evangelio Papiam et Hegesippum usos fuisse Eusebius testatur. De priori etenim hæc ille scribit : « Aliam exponit historiam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accusata est. Quæ quidem in Evangelio secundum Hebræos scripta habetur [41]. » De posteriori vero : « Nonnulla, inquit, ex Hebræorum Evangelio, et Syriaco, et ex Hebraica lingua profert in medium [42]. » Nobis etiam testis est Hieronymus [43] ab Ignatio, Antiochenæ Ecclesiæ episcopo et martyre, istud Evangelium aliquando, uti alibi diximus [44], atque ab Origene sæpius laudari : « Quo Origenes, ait ille, sæpius utitur. » Denique Eusebius de Ebionæis : « Solum, inquit, Evangelium illud quod secundum Hebræos amplexi, reliqua parvi faciebant [45]. »

Quodnam autem fuerit illud Evangelium si roges, audi quid de illo idem Hieronymus, ubi de Matthæi Evangelio disputat, litteris consignavit : « Porro, inquit, ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit. Mihi quoque a Nazaræis, qui in Bæræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, describendi facultas fuit [46]. » Alibi autem simili modo loquitur : « In Evangelio juxta Hebræos, quod Chaldaico quidem, Syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni secundum apostolos, sive ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod et in Cæsariensi habetur bibliotheca [47]. » Nazaræi itaque eo utebantur Evangelio, de quo, ut alia taceamus, idem rursum Hieronymus ait [48] : « In Evangelio, quo utuntur Nazaræi et Ebionæi, quod nuper in Græcum (alibi [49] addit Latinumque sermonem) de Hebræo transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum. » Hoc igitur Evangelium Hebraice scriptum fuerat, illudque ex exemplari, quod in Cæsariensi bibliotheca asservabatur, in Græcum Latinumque sermonem Hieronymus transtulit.

Testatum etiam Epiphanius facit illud, et quidem absolutissimum, penes Nazaræos fuisse : « Est vero apud illos, inquit, Evangelium secundum Matthæum Hebraice scriptum, et quidem absolutissimum, πληρέστατον. Hoc enim certissime, prout Hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant. Verum illud nescio num genealogias illas amputaverint, quæ ab Abrahamo ad Christum usque perductæ sunt [50]. » Quid vero, quod Ebionæi, uti ille testatur, eo solo, quemadmodum Cerinthiani utebantur? Nam de illis hæc ab ipso scriptis tradita legimus : « Evangelium illi quidem secundum Matthæum admittunt, quo solo Cerinthianorum vel Merinthianorum instar utuntur, idque ipsum secundum Hebræos appellant [51]. » Addit tamen **153** postea : « Quanquam ne integrum quidem illud habent, sed adulteratum, ac mutilum, idque ipsum Hebraicum vocant [52]..... Omni illa (Christi) genealogia amputata [53]. » Quæ quidem, uti diximus, utrum ex ipso quoque Nazaræorum exemplari resecata fuerint, se nescire confitetur. Memoriæ ergo lapsus, aut amanuensium librariorum error est, ut alibi adnotavimus [54], quod scripsit Theodoretus Evangelium κατὰ Πέτρον Nazaræis fuisse in usu.

At ex utroque, cum Hieronymi, tum Epiphanii testimonio existimant quidam colligi posse illud, de quo hi doctissimi Ecclesiæ Patres disputant, fuisse genuinum Evangelii secundum Matthæum exemplar. Ad hæc vero, nonnulli ex iis arbitrantur id verum esse quod Epiphanius memoriæ prodidit, integrum et perfectissimum fuisse hujus Evangelii exemplar, a Nazaræis et Ebionæis asservatum. Quod autem ille ait Ebionæos et Cerinthianos inde genealogiam Christi abstulisse, minus verisimile ipsis videtur. Cerinthiani enimvero atque alii illam sic suo in codice servaverunt, ut inde Christum ex Mariæ et Josephi semine ortum dicerent. Alii vero aliqua saltem ratione Epiphanii honori consultum volentes, non negant quidem hoc Evangelii exemplar secundum Matthæum fuisse; illud tamen non omnino purum et integrum, sed, uti ipse Epiphanius narrat, corruptum et decurtatum fuisse ultro profitentur.

At plures alii hoc sive Nazaræorum sive Ebionæorum Evangelium a genuino Matthæi exemplari penitus discrepasse his rationibus adducti asseverant. Multa, inquiunt, inde antiquissimi Ecclesiæ

[34] Euseb., l. VI Hist., cap. 14, p. 216. [35] Euseb., l. II, c. 15, p. 53. [36] Vales., in cit. Euseb. loc. [37] Strom. l. III, p. 465. [38] Orig., apud Euseb., l. VI Hist., c. 26, p. 226. [39] Lib. II Appar., dissert. 6, c. 5, § 1. [40] Strom. l. II, p. 380. [41] Euseb., l. III Hist., c. 39. [42] L. IV, p. 22. [43] Hier., De scrip. eccles., § 3 et 26. [44] Lib. I Appar. dissert. 7. cap. 14, § 2. [45] Euseb., l. III Hist. c. 27, p. 99. [46] Hier., De scrip. eccles., § 4. [47] Lib. III, contr. Pelagian. [48] In c. XI Isai. et in c. XVIII Ezechiel. [49] Lib. II Commen. in Matth., c. II. [50] Epiph., hær. 29, § 3. [51] hæres. 30, § 3. [52] ibid. § 13. [53] ibid, § 14. [54] lib. I Appar., dissert. 1, c. 7.

Digitized by Google

Patres deliberunt quæ in Matthæi Evangelio jam frustra quæsieris. Deinde vero, in Evangelio secundum Hebræos testimonia Veteris Testamenti ex textu Hebraico, apud Matthæum autem ex Græca Septuaginta Seniorum interpretatione transcripta sunt. Præterea utrumque Evangelium Eusebius et Hieronymus non modo a sese invicem distinguunt, verum etiam idem Eusebius illud in spuriorum classem a nonnullis amandatum esse perhibet : « Sed et in eumdem, inquit, ordinem jam a quibusdam relatum est Evangelium secundum Hebræos, quo maxime delectantur Hebræi illi qui Christi fidem susceperunt [55]. » Quamobrem Origenes de illo sic pronuntiat : « Scriptum est in Evangelio quodam, quod dicitur secundum Hebræos, si tamen placet alicui suscipere illud non ad auctoritatem, sed ad manifestationem propositæ quæstionis [56]. » Postremo Hieronymum audivimus superius dicentem hoc Evangelium a quibusdam « secundum apostolos » nuncupari. Atqui illud idem est, quod Ambrosius [57] et ipsemet Hieronymus « Evangelium duodecim » cognominarunt. Uterque autem et alii omnes hoc Evangelium nothum spuriumque esse non dubitanter affirmant.

Ex his autem, quæ diximus, facile colligitur quæ Clementis nostri fuerit de hoc Evangelio mens et sententia. Quatuor etenim tantum, uti ex dictis patet, vulgata Evangelia esse admittenda haud obscure significat. Quælibet igitur alia pro veris et genuinis divinæque auctoritatis libris minime habuit, sed ut falsa et apocrypha rejecit ac repudiavit.

Huc accedit quod ea verba, quæ ille ex Evangelio secundum Hebræos retulit, cum neque in Matthæi, neque in trium aliorum evangelistarum libris occurrant, inde plane ex principiis ab eo supra positis conficitur eum credidisse illud idem Evangelium, non ejusdem ac quatuor alia Evangelia, sed illis longe inferioris esse auctoritatis et momenti.

Qua igitur, inquies, ratione illius verba adhibet? Eadem, inquimus, atque ex apocryphis Matthiæ *Traditionibus* testimonium ibidem adduxit, nimirum non « ad auctoritatem, » ut ait Origenes, « sed ad manifestationem propositæ quæstionis. »

In hujus porro responsionis confirmationem possunt ea in medio poni, quæ ipsemet Clemens de Evangelio secundum Ægyptios litteris mandavit. Cassiani enim, qui hujusce Evangelii verbis in hæresis suæ patrocinium abutebatur, errorem sic confutat : « Propterea dicit Cassianus : Cum interrogaret Salome quando cognoscentur ea, de quibus interrogabat, ait Dominus : Quando pudoris indumentum conculcaveritis, et quando duo facta fuerint unum et masculum cum femina, nec masculum nec femininum. Primum quidem in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus : Ἐν τοῖς παραδεδομένοις ἡμῖν τέτταρσιν Εὐαγγελίοις οὐκ ἔχομεν τὸ ῥητὸν, sed in eo quod est secundum Ægyptios [58]. »

Quo quidem ex argumento manifestissime patet quatuor tantum, uti diximus, quæ Ecclesia recipit, ab illo admitti Evangelia; atque idcirco istud quod secundum Ægyptios dicebatur, ut spurium et apocryphum ideo proscribi, quia quæ ex eo Cassianus objiciebat, hæc in illis quatuor Evangeliis non inveniebantur.

Prius tamen contra ejusdem, uti videtur, hæretici sectatores, omisso nihilominus eorum nomine, paulo aliter disputat : « Qui Dei creaturæ, inquit, resistunt per speciosam illam continentiam, illa quoque dicunt, quæ ad Salome dicta sunt, quorum prius meminimus; habentur autem, ut existimo, in Evangelio secundum Ægyptios. Aiunt enim ipsum dixisse Servatorem : Veni ad dissolvendum opera feminæ [59]. » In eo autem, ad quem nos Clemens mittit, loco [60] eadem illa verba ab hæreticis objecta fuisse dixerat quidem, sed unde desumpta sint, ipse sicut et Theodotus in epitome, penitus siluit. Hanc porro illorum objectionem auctor noster non rejecta citati Evangelii auctoritate, sed subsequentibus illius verbis, quæ sibi sufficere putabat, plane diluit [61].

Evangelium porro illud, ex quo utrum posteriora illa verba excerpta sint, certo definire non audet, ex sacrorum Novi Testamenti scriptorum canone penitus excludit [62]. Prius autem testimonium ex hoc ipso Evangelio transcriptum, in secunda, quæ Clementis Romani nomen præ se fert, epistola citatum etiam occurrit; sed cum cætera quæ in eadem epistola scripta erant, perierint, quid de hoc Evangelio Clemens ille Romanus, sive hujus epistolæ auctor senserit, nullus asseveranter affirmare potest [63].

Ab Origene autem illud apertissime repudiatur. De eo siquidem hæc scribit in verba : « Ecclesia quatuor habet Evangelia, hæreses plurimas, e quibus quoddam scribitur secundum Ægyptios [64]. » Nec minus clare Hieronymus : « A diversis, ait, auctoribus edita diversarum hæreseon fuere principia, ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Matthiam, et Bartholomæum [65], » etc. Epiphanius vero hoc Evangelium in apocryphorum classem non solum rejicit, sed illius quoque inscriptionem « secundum Ægyptios » a quibusdam præfixam fuisse sic memorat : « Hunc autem errorem omnem ejusque firmamentum ex apocryphis quibusdam hauserunt, præsertim ab Ægyptiorum Evangelio; **154** hoc enim nomen indiderunt, ᾧ τινες τὸ ὄνομα ἐπέθεντο τοῦτο, in quo pleraque sunt hujus generis, quæ ex persona Salvatoris clam atque occulte, velut mysteria proponuntur, quasi discipulis ille declaret eumdem esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum [66]. » Quinam autem illi fuerint, qui hocce Evangelium ita inscripserunt, quamvis taceat Epiphanius, certum tamen est eos Origene et Clemente nostro, qui hunc titulum proferunt, esse antiquiores.

At porro quicunque tandem illi sint, constat sane illud Evangelium repudiatum fuisse non solum a citatis Origene et Hieronymo, verum etiam ab omnibus orthodoxis hominibus, qui præter quatuor Evangelia, ab omnibus Ecclesiis recepta, nullum aliud admittendum, sed cætera omnia apocryphis annumeranda censuerunt.

Ex his igitur, aut aliis similibus, pseudo-Evangeliis quædam adhuc Clemens citavit, uti Mariam Dei matrem ab obstetrice fuisse inspectam, de quibus infra disserendum.

ARTICULUS II.

De libri Actuum apostolorum titulo et auctore, de Pauli Epistolis, ac præsertim de ea quam ad Hebræos scripsit.

Libri Actuum apostolorum inscriptionem probat Clemens, ubi illius testimonio sic utitur : « Meminit Paulus in Actibus apostolorum : ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἀποστόλων. Alibi tamen illum simpliciter *Acta* nuncupat : καὶ ὁ Λουκᾶς Ἐν ταῖς Πράξεσι. « Et Lucas in Actis [67]. » Illius porro auctorem Lucam esse apertissime declarat : « Lucas quoque

[55] Euseb., l. III, c. 25, p. 97. [56] Origen., tom. VIII in Matth., p. 46. [57] Ambros., l. I, *in Evang. Luc.* § 2, p. 1265. [58] Strom. l. III, p. 465. [59] ibid., p. 452. [60] ibid., p. 445. [61] Clem., p. 799. [62] Strom. l. III, p. 465. [63] Clem., epist. 2, apud Cotel., p. 125. [64] Orig. homil. 1, in Luc., p. 154. [65] Hier., t. VI, proœm. in Matth. [66] Epiph., hæres. 62, § 2, p. 514. [67] Strom. l. I, p. 295 et 314; l. V, p. 584.

Digitized by Google

in Actibus apostolorum, » καὶ ὁ Λουκᾶς ἐν ταῖς Πράξεσι τῶν ἀποστόλων [68]. Quod quidem ex citatis apud Eusebium [69] illius *Hypotyposibus* plane confirmatur [70].

Pauli autem apostoli omnes fere Epistolas, expresso ipsius, vel solius per antonomasiam Apostoli nomine, laudatas sæpe sæpius invenimus. Quandoque vero longa earum fragmenta refert, eaque luculenter exponit, aut verum illarum sensum contra frivolas hæreticorum argutias demonstrat et tuetur. Persuasissimum ergo Clementi nostro fuit Paulum fuisse verum illarum auctorem.

Præ cæteris vero ejusdem Pauli Epistolis illius, quam ad Hebræos scripsit, auctoritate utitur, illamque ipsi constantissime adjudicat. Fidei quippe definitionem ex ea quando sic exhibet : « Rerum quæ sperantur substantia, argumentum eorum quæ non videntur [71] » ; confestim addidit : « Ut est sententia divini Apostoli, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον [72]. » Plura vero in fidei commendationem ex eadem epistola paulo post decerpit, ac postea ut ea ex Paulo se descripsisse significet, simpliciter adjecit : « Inquit Apostolus, φησὶν ὁ Ἀπόστολος [73], » etc. Eodem plane modo eam alibi citat : sed in sua in primis de « gnostico » disputatione ex illius cap. x, xi et xii, varia longaque fragmenta, citato ejusdem Apostoli nomine transcribit [74]. Sed hæc luce clariora fusius prosequi operæ prorsus inutilis foret.

At, inquies, id quidem cum verum apertumque sit, cur Eusebius scribere non veritus est hanc epistolam, quam a Clemente tam constanter Paulo attribui fatetur, unam ex iis scripturis esse, « quæ a nonnullis repudiantur [75] ? » Rationem ipsemet Eusebius his verbis ibidem subjicit : « Sciendum tamen est Epistolam ad Hebræos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi [76]. » Postea vero docet eam a Caio aliis Apostoli epistolis non annumerari, additque : « Sane hæc epistola etiamnum a quibusdam Romanis Apostoli esse non creditur [77]. » Eadem quoque Hieronymus de Caio tradit. At ubi de Paulo disputat : « Epistola, inquit, quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur propter styli sermonisque distantiam; sed vel Barnabæ juxta Tertullianum, vel Lucæ evangelistæ secundum quosdam, vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse et ornasse sermone ; vel certe quia Paulus scribebat ad Hebræos, et propter invidiam sui apud eos, nominis titulum in principio salutationis amputaverat [78]. »

Verum Eusebius, ex quo pleraque illa omnia ab Hieronymo haud dubie delibata sunt, testatum facit hanc ad Hebræos Epistolam in ea, quam Clemens ad Corinthios Romanæ Ecclesiæ nomine scripsit, sæpius citatam, atque idcirco reliquis Apostoli scriptis non immerito recensitam videri : « Cum multas, inquit, inserat sententias ex Epistola ad Hebræos, iisque interdum verbis utatur, satis indicat opus illud nequaquam recens esse. Quamobrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine causa hoc etiam recensitum videtur. Cum enim ad Hebræos patrio sermone scripsisset Paulus, alii Lucam evangelistam, alii hunc, de quo loquitur, Clementem illam esse interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cum præsertim et Clementis et illa ad Hebræos Epistola eumdem habeat stylum [79]. » Ex quibus sane verbis facile intelligas ab his scriptoribus de hujusce epistolæ interprete potius quam de illius auctore disceptatum. Quod quidem si ita sit, inde jure haud immerito colligi poterit hanc epistolam ab Ecclesia Romana, cujus nomine Clemens apostolorum discipulus scribebat, Paulo primitus fuisse ascriptam.

Nec alia videtur esse Origenis mens et opinio. De hac enim epistola sic ille apud Eusebium pronuntiat : « Sententias quidem ipsas Apostoli esse, dictionem autem et compositionem verborum esse alterius cujusdam, qui dicta Apostoli commemorare, et quasi in commentarios redigere voluerit ea quæ a magistro audiverat. Proinde si quæ Ecclesia hanc epistolam pro Paulina habet, eo nomine laudetur. Neque enim temere majores eam Pauli esse tradiderunt. Quis autem revera illam scripserit, soli Deo notum esse opinor. Sed scriptores, quorum monumenta ad nos usque pervenerunt, partim Clementi Romanæ urbis Episcopo eam ascribunt, partim Lucæ qui Evangelium et Actus apostolorum litteris prodidit [80]. »

Clementis porro nostri eamdem de Paulo hujusce epistolæ auctore et de Luca ejus interprete fuisse sententiam potest haud absurde probari ex deperditis ipsius Ὑποτυπώσεων lucubrationibus, in quibus, ut ait Eusebius : « Epistolam ad Hebræos Pauli quidem esse affirmat, sed Hebraico sermone, ut pote ad Hebræos, primum scriptam fuisse; Lucam vero eamdem Græco sermone studiose interpretatum, Græcis hominibus edidisse; quare in ea epistola et in Actibus apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem, *Paulus apostolus*, recte atque ordine omissam fuisse observat. Cum enim Hebræis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant, ipsumque **155** suspectum habebant, prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio apposita nominis sui inscriptione noluit [81]. » Omnia porro hæc cum Clementis nostri, tum Origenis, Eusebii et Hieronymi testimonia integra retulimus, quia iis paucorum quorumdam etiam recentiorum, qui hanc epistolam Paulo ideo abjudicabant, vel quod illa sine Pauli epigraphe, nec eodem ac aliæ ejus epistolæ stylo conscripta, vel quod aliis ascripta fuerit, argumenta facile diluuntur.

Constat igitur Paulum hujusce epistolæ quidquid et veteres et recentiores hæretici, qui illius auctoritate opprimebantur, effutierint, verum et primigenium esse auctorem. Et hæc quidem sententia magno Ecclesiarum, conciliorum scriptorumque consensu firmatur et asseritur.

Neque dixeris, quæso, illud ab Augustino in dubium vocari, quandoquidem ille de hac eadem epistola alicubi scribit : « Quamplures apostoli Pauli esse dicunt, quidam vero negant [82]. » Neque etiam urgeas eam ab ipso, quasi dubio et ancipite hæc alibi citari in verba : « In epistola, quæ inscribitur ad Hebræos [83]. » Eruditissimus enim ille vir priori in loco historice loquitur, in posteriori autem hi, qui novæ operum Augustini editioni præpositi fuere, pro « inscribitur, » in probæ notæ manuscriptis codicibus verbum « scribitur » exhiberi observarunt. Verum quocunque modo illud legendum esse censeas, non inde merito concludere poteris Augustinum de hujusce epistolæ parente incertum hæsisse, quam ille in Pauli Epistolarum numero, non secus ac alias ab ipso certissime profectas, reposuit [84].

ARTICULUS III.

De Epistola prima Petri et Joannis; de Epistola Judæ, et Apocalypsi; ac de apocryphis cum Petri Prædicatione, *tum Matthiæ* Traditionibus.

Quasdam quoque catholicas, ut aiunt, aliorum

[68] ibid. p. 588. [69] Euseb. l. vi Hist., c. 14, p. 215. [70] Strom. l. vi, p. 646. [71] Strom. l. ii, p. 362. [72] ibid. p. 364 [73] Hebr. xii, 5, etc. [74] ibid. p. 420 et l. v, p. 577, l. vi, p. 645, l. iv, p. 514, 515. [75] Euseb., l. vi, Hist., c. 13, p. 214. [76] l. iii, c. 3, p. 72. [77] l. vi c. 20, p. 225. [78] Hier. in Catal. script. eccl., § 69, 15. [79] Euseb., l. iii Hist., c. 38, p. 110. [80] Euseb., l. vi Hist., c. 25, p. 227. [81] Euseb., l. vi, Hist., c. 14, p. 215. [82] l. xvi, De civitat., c. 22, p. 435. [83] l. x, De civit., c. 5, p. 242. [84] l. ii, De doctr. Christ., c. 8, p. 24.

Digitized by Google

apostolorum Epistolas his in *Stromatum*, quemadmodum *Pædagogi* libris, uti a nobis observatum, expresso eorum, a quibus scriptæ sunt, nomine a Clemente citatas leginus. Primam enim Petri nomine inscriptam in hæc ille verba citavit : ὁ θαυμάσιος Πέτρος φησίν. « Admirabilis Petrus dixit : Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas [85], » etc. Alibi vero : « Et Petrus, inquit, similia dicit in Epistola. » Atque ita etiam aliis in locis [86].

Simili quoque modo primam Joannis Epistolam laudat, et ab ipso datam esse testatur : φαίνεται Ἰωάννης ἐν τῇ μείζονι ἐπιστολῇ. « Videtur Joannes in majore epistola... Si quis viderit fratrem suum peccantem [87], » etc. Postea vero : « Et si dixerimus, inquit Joannes in Epistola, quod societatem habemus cum eo [88], » etc. Et adhuc infra eodem prorsus modo alia ejus testimonia in medium protulit [89]. At animum, quæso, advertas Clementem cum eam « majorem Joannis Epistolam » vocat, hoc loquendi modo diserte significasse alias quoque ab eodem Joanne apostolo fuisse compositas. Utramque porro illam cum Petri, tum Joannis Epistolam inter sacros Novi Testamenti libros esse suscipiendam, et communi omnium consensu receptam fuisse disertissime Eusebius asseverat [90].

Nec minus aperte Clemens Epistolam, Judæ nomine insignitam, ab illo divini Spiritus afflatu, sive, ut ipse loquitur, « prophetice » exaratam esse testificatus est. « De his, inquit, et similibus hæresibus existimo Judam prophetice, προφητικῶς, dixisse in Epistola : Similiter hi quoque sommiantes [91], » etc. Scimus quidem scripsisse Eusebium hanc Epistolam a Clemente, et in his, et in Ὑποτυπώσεων libris citatam, a nonnullis rejici [92]. Sed de illius auctoritate a nobis jam satis, uti arbitramur, in superiori dissertatione disputatum est [93].

Denique auctor noster Apocalypsis verba transcribens, eam Joanni nominatim attribuit : ὡς φησιν ἐν τῇ Ἀποκαλύψει Ἰωάννης· « Ut dicit Joannes in Apocalypsi [94]. » Recte quidem arguet aliquis : at quis ille Joannes, an apostolus et evangelista, vel alius eodem nomine nuncupatus fuerit, a Clemente non indicatur. Verum cum non alio ille nomine auctorem primæ Epistolæ, a Joanne evangelista scriptæ, appellaverit, de uno eodemque Joanne eum loqui vero est sane perquam similimum. Cæterum de hoc argumento et hacce de quæstione alibi non semel disputavimus [95].

Nihil itaque his amplius adjiciemus, nisi ea omnia, quæ de sacris Novi Testamenti scriptis Clemens memoriæ mandavit, ab Origene, uti apud Eusebium legimus [96], mirum plane in modum confirmari.

Ab hoc porro sacrorum divinæ Scripturæ librorum ordine procul abigenda est, quæ non semel in his *Stromatum* commentariis a Clemente nostro laudatur Petri *Prædicatio*. In primi autem libri fine ita ab illo citatur : « Ἐν δὲ τῷ Πέτρου *Κηρύγματι*, in Petri autem *Prædicatione* inveneris Dominum vocari legem et rationem [97]. » Quod quidem libro subsequente repetit [98]. Alio deinde in libro : « Πέτρος ἐν τῷ *Κηρύγματι*, Petrus in *Prædicatione* loquens de apostolis dicit : Nos autem cum evolvissemus libros quos habuimus prophetarum [99], » etc. Longum porro hujusce *Prædicationis* fragmentum παραφραστικῶς eodem nomine retulit : Πέτρος ἐν τῷ *Κηρύγματι* λέγει. « Dicit Petrus in *Prædicatione* [1], » etc. Nonnulla etiam ab Origene iisdem pene verbis, atque hocce in loco a Clemente nostro inde decerpta fuisse deprehendimus. Hoc autem opus ibi ab eodem Origene appellatur, « liber qui *Prædicatio* Petri inscriptus est [2]. »

Incompertum igitur hoc fuit Herveto, qui quidem quæ sit illa Petri *Prædicatio* nescire se ingenue fatetur. Neque etiam legerat, aut non amplius meminerat se hæc legisse quæ ab Hieronymo de illa scripta sunt : « Libri autem ejus Petri e quibus... tertius *Prædicationis*... inter apocryphas scripturas computantur [3]. » Hieronymo autem præiverat Eusebius, cujus hæc sunt itidem non animadversa ab Herveto verba : « Prædicationis et revelationis ejusdem Petri libros pro catholicis scriptis nunquam esse habitos constat, quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec recentiorum Ecclesiæ scriptorum, desumpto ex iis libris testimonio usus fuit [4]. » Quod ibi ait Eusebius librum *Prædicationis* Petri pro catholico nusquam habitum fuisse, *id* ex proxime citato Origenis, ac præsertim Hieronymi testimonio comprobatur. At cum neminem eo libro usum fuisse ibidem addidit, tum procul *dubio* memoria lapsus est. Ex ipsius siquidem *De præparatione evangelica* commentariis, ubi plura, uti diximus, ex his *Stromatum* libris descripsit, atque ex *Ecclesiastica* ejus, quæ citatur, *Historia* constat pervolutatos ab eo fuisse hos Clementis nostri libros, in quibus non semel, uti observavimus, deductum est *Prædicatione* Petri testimonium profertur [5].

156 Quædam præterea Clemens in hos *Stromatum* libros transtulit ex quadam commentatione, quam ipse Matthiæ Traditiones nuncupat [6]. « Et Matthias, inquit, in *Traditionibus* : Admirare præsentia. » Rursus autem [7] : « Dicunt in *Traditionibus* Matthiam apostolum inter cætera dixisse : Si electi vicinus peccaverit, peccavit electus. Nam si se ita gessisset, ut jubet Verbum, ejus vitam ita esset reveritus vicinus, ut non peccasset. » Denique ubi Carpocratianos refellit et exagitat, Matthiam testem sic producit [8] : « Dicunt Matthiam quoque sic docuisse : Cum carne quidem pugnare, et ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem et cognitionem. » Eadem ex Clemente nostro refert Eusebius [9]. Sed neuter ubi, aut quo in libro hæc ille docuerit, nobis declarat. Verum isthæc ex citatis a Clemente nostro Matthiæ *Traditionibus*, delibata fuisse vero minime absimile videtur.

Quæ autem sint hæ *Traditiones*, si a Baronio rogaveris, ab eo audies hunc librum, quo hæretici usi sunt, excidisse, ac proinde an germanus Matthiæ fetus fuerit, certo non posse constitui [10]. At si Clemens de illo, ibi loquatur, ubi de veteribus hæreticis Valentino, Marcione et Basilide scribit, κἂν τὴν Ματθίου αὐχῶσι προσάγεσθαι δόξαν, « etsi se glorientur se Matthiæ opinionem adducere, » dubium esse non potest, quin pseudepigraphum illum librum et apocryphum censuerit. Ab eo enim continenter additur [11] : « Fuit enim una omnium apostolorum sicut doctrina, ita et traditio, » a qua sane venditata ab hæreticis falsa fictaque Matthiæ opinio penitus discrepabat. Ut ut sit, illas Matthiæ *Traditiones* ab omnibus jam olim, ut nothas et spurias magno consensu proscriptas fuisse nullus inficiabitur.

Neque porro mirum tibi sit apocrypha hujuscemodi scripta a Clemente laudari, quandoquidem ille observat ab ipsomet Paulo in sua ad Titum Epistola citari ethnici poetæ Epimenidis versum,

[85] Strom. l. III, p. 457. [86] ibid., p. 473, l. IV, p. 493. [87] ibid., p. 525. [88] Strom. l. III, p. 389. [89] ibid., p. 439, 444, 445. [90] Euseb., l. III Hist., c. 25 p. 97. [91] Strom. l. III, p. 431. [92] Euseb., l. VI Hist., c. 13, p. 214, c. 14, p. 215. [93] Dissert. super., c. 3, art. 4. [94] lib. VI Strom., p. 667. [95] sup. l. II, dissert. 2, c. 7, § 10, et dissert. 6, c. 4, § 3, et ad Ambr. l. De virg., c. 14. [96] Euseb., l. VI Hist., c. 25, p. 226. [97] lib. I Strom. p. 357. [98] l. II, p. 390. [99] l. VI, p. 678. [1] ibid., p. 655 et seq. [2] tom. XIV, in Joan. Evang., p. 215. [3] Hier., De script. eccl., § 1. [4] Euseb., l. III Hist., c. 3. [5] lib. VI Hist. eccl., c. 13, p. 214. [6] lib. II Strom. p. 380. [7] l. VII, p. 748. [8] l. III, p. 436. [9] Euseb., l. III Hist., c. 29, p. 101. [10] Baron. ad an. Chr. 33, § 14. [11] Strom. l. VII, pag. 765.

Digitized by Google

et in prima ad Corinthios tragicum alterius, cujus nomen tacet, itidem pagani poetæ iambum : « Paulus Epimenidis etiam meminit in Epistola ad Titum sic dicens : Dixit quidam ex ipsis proprius propheta : Cretenses semper mendaces... ad Corinthios disserens de resurrectione mortuorum, tragico iambo usus est : Quid mihi prodest, si mortui non resurgunt..... Corrumpunt bonos mores colloquia prava [12]. »

Quis autem sit ille posterior poeta, et ea quæ hic a Clemente nostro ex utroque illo ethnico scriptore citata sunt, Hieronymus in sua ad Magnum epistola clare et perspicue exponit [13] : « Paulus, inquit, apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est, scribens ad Titum :

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί,

id est Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Cujus heroici hemistichium postea Callimachus usurpavit. Nec mirum, si apud Latinos metrum non servet ad verbum expressa translatio, cum Homerus eadem lingua versus in prosam vix cohæreat. In alia quoque epistola Menandri ponit senarium :

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί,

id est, corrumpunt mores bonos colloquia prava [14]. »

Ad hæc vero, postquam Clemens descripta in Actibus apostolorum Pauli apud Athenienses in Areopago de ignoto illis Deo perorantis verba retulit, ex quibus ultima hæc sunt [15] : « Sicut quidam vestrorum poetarum dixerunt : Hujus namque et genus sumus ; » ex iis omnibus hanc ille elicit conclusionem : « Ex quibus clarum est, quod etiam poeticis utens exemplis, ex Arati *Phænomenis*, approbat, quæ apud Græcos recte dicta sunt, et per ignotum Deum honorari quidem per circumlocutionem opificem Deum significavit. » Hoc autem Arati hemistichium integrum, sicut et alia plura carmina, ex illius *Phænomenis* postea exhibuit Clemens noster, et ex ipso, atque etiam ex Aristobulo Eusebius [16]. Quapropter apud Hieronymum hæc legimus [17] : « In Actibus apostolorum cum concionaretur ad populum, et in Areopago, quæ est curia Atheniensium, disputaret, inter cætera ait : Sicut et quidam de vestris poetis dixerunt : Ipsius enim et genus sumus. Quod hemistichium in *Phænomenis* Arati legitur, quem Cicero in Latinum sermonem transtulit, et Germanicus Cæsar, et nuper Avienus, et multi, quos enumerare perlongum est..... Inscriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus asseruit : Ignoto Deo; sed ita : Diis Asiæ, et Europæ, et Africæ, diis ignotis et peregrinis. Verum quia Paulus non pluribus diis indigebat, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent, et recte eum scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, et nescire non poterant. Hoc autem Paulus faciebat raro, et ut loci potius, quam ostentationis opportunitas exigebat. » Omnem porro hunc locum ideo integrum hic descripsimus, quia et Clemens noster, et alii complures non aliis verbis, quam his, quæ in Actibus apostolorum habentur. « Ignoto Deo, » aram Atheniensium inscriptam fuisse contendunt. At hæc inter hosce scriptores, et illum commentariorum in Titi epistolam auctorem discrepantia eo minus tibi mirabilis videri debet, quo magis nonnulli subdubitant, utrum isthæc in Epistolam Titi commentaria ab Hieronymo reapse profecta fuerint. Qui plura de hoc Arati hemistichio et illa aræ inscriptione scire cupit, is adeat Actuum apostolicorum interpretes.

ARTICULUS IV.

Quomodo Scripturæ sacræ testimonia his in Stromatum *libris citentur, ac de quibusdam, quæ hactenus inventa non fuerunt.*

Scripturæ sacræ testimonia eodem penitus modo in his *Stromatum*, atque in superioribus libris a Clemente nostro citantur et repræsentantur. Plura enim a se invicem sejuncta, atque aliquando ex variis libris, aut diversis eorum capitibus decerpta, ita simul ille conjungit, perinde atque ex uno eodemque loco ea desumpsisset. Sæpius autem illa tacito auctoris nomine transcribit. In vulgatis præterea horumce *Stromatum* editionibus multa male indicantur, et longe plura a nemine, unde excerpta fuerint, in margine notata occurrunt. Denique nonnulla quæ Clemens vel memoriter, vel ex diverso a nostris codice retulit, nondum inveniri potuerunt. Quæ quidem omnium oculis hic subjicienda esse duximus, ut quæ a nobis inventa sunt, aliis patefaciamus; quæ autem reperire non potuimus, ab aliquo divini verbi studioso homine nobis aliquando demonstrentur.

Primum itaque Hervetus dicit se non potuisse nec in Septuaginta, nec in nostra Vulgata sacrorum **157** librorum interpretatione hæc laudata a Clemente nostro invenire verba [18] : Διότι ἠλέησέν με ὁ Θεὸς, ἐστί μοι πάντα· « Quoniam Deus mei misertus est, sunt mihi omnia [19]. » Posterioribus autem horum Clementis *Stromatum* editionibus præpositi in earum margine adnotarunt Genes. xxv, sed omnino mendose. Nam hæc ipsa verba Jacobi sunt ad fratrem suum Esau Genes. xxxiii, 11, nisi quod apud Septuaginta pro διότι legimus ὅτι, et ante ἔστι copulativa καί posita est [20]. Quæ autem paulo post adhuc citantur : « Rex a Deo tu es in nobis [21], » isthæc in Geneseos xxiii, 6, scripta sunt.

Hunc vero Exodi locum : Καὶ σὺ λάλησον πᾶσι τοῖς σοφοῖς τῇ διανοίᾳ, οὓς ἐνέπλησα πνεῦμα αἰσθήσεως. « Et tu loquere omnibus sapientibus in cogitatione, quos implevi spiritu sensus [22], » in nullis sacræ Scripturæ sive Latinis, sive Græcis, aliisve codicibus Hervetus se reperisse nos admonet. Attamen hæc totidem verbis habentur apud Septuaginta Exodi xxviii, 3, nisi quod pro πνεῦμα αἰσθήσεως, apud eos legimus πνεύματος σοφίας καὶ αἰσθήσεως [23].

A nullo etiam notatum est ubi sint alia hæc verba, quæ Clemens Sapientiæ tribuit [24] : Σοφία λέγει· Ὁ δὲ ἐμοῦ ἀκούων, κατασκευάσει ἐπ' ἐλπίδι πεποιθώς. « Qui autem me audit, habitabit in spe confidens. » At certe illa non aliunde quam ex Proverb. i, 33, accepit, ubi hunc in modum repræsentantur : Ὁ δὲ ἐμοῦ ἀκούων κατασκευάσει ἐπ' ἐλπίδι. In Vulgata vero nostra : « Qui me audierit, absque terrore requiescet [25]. » Unde colligas ibi fuisse quasdam varias lectiones, et in Clementis codice adjectum πεποιθώς.

Non longe autem postea hoc Clemens Salomonis retulit effatum [26] : Ὁ σπείρων δικαιοσύνην, ἐργάζεται πίστιν. « Qui seminat justitiam, operatur fidem. » Sed in Septuaginta versione sic legitur..... Λήψεται μισθὸν πιστόν, « fidelem mercedem accipiet [27]. » Quæ quidem idcirco adnotamus, quia Hervetus observat facile perspici non posse quomodo hæc cum superioribus cohæreant. At ex allatis Septuaginta Seniorum verbis is videtur auctoris nostri esse sensus : Græci, qui recte philosophati sunt, Deum per speciem viderunt perlucentem, ac sui in investiganda veritate laboris mercedem, veram nimirum fidem, acceperunt.

Nulla adhuc in Clementinorum operum editione

[12] Strom. l. i, p. 299. [13] Hier. epist. 84, ad Mag. [14] Act. xvii, 28. [15] l. i, p. 315. [16] Euseb. lib. xiii Præpar. ev., cap. 12 et 13, p. 666 et 674. [17] Comment. in cap. i Epist. ad Tit. [18] lib. ii Strom., p. 405. [19] Genes. xxxiii, 11. [20] Ibid. [21] Genes. xxiii, 6. [22] Strom. l. i, p. 281. [23] Exod. xxviii, 3. [24] Strom. lib. ii, pag. 420. [25] Prov. i, 33. [26] Strom. l. i, p. 316. [27] Prov. xi, 21.

Digitized by Google

designatum est, ubi ille reperiatur Proverbiorum locus, ab auctore nostro sic citatus[28] : Δένδρον ζωῆς, φησὶν ὁ προφήτης, ἐν ἐπιθυμίᾳ ἀγαθῇ. « Arbor vitæ, inquit propheta, est in bono desiderio[29]. » Non alia profecto hujus prætermissionis videtur esse causa, nisi quia in Græca Septuaginta Seniorum interpretatione cap. XIII, 12, quæsitus non fuit. Ibi enim eadem verba, sola præpositione ἐν omissa, exhibentur.

Plura Clemens, prætermisso auctoris nomine, congerit Scripturæ loca[30], quæ Hervetus posteaquam frustra quæsivit, iis qui illa ostenderint, magnas se habiturum gratias pollicetur. Primus ex iis locus est : Ὥσπερ δοκιμάζεται χρυσὸς καὶ ἄργυρος εἰς κάμινον, οὕτως ἐκλέγεται καρδίας ἀνθρώπων Κύριος. Is autem Proverbiorum XVII, 3, sic legitur : Ὥσπερ δοκιμάζεται ἐν καμίνῳ ἄργυρος καὶ χρυσὸς, οὕτως ἐκλεκταὶ καρδίαι παρὰ Κυρίῳ.[31]. In Latina vero vulgata versione : « Sicut igne probatur argentum et aurum in camino, ita corda probat Dominus[32]. » Quem in locum vide, si velis, Nobilii notas.

Secundus locus his concipitur verbis : Ὁ μὲν ἐλεήμων ἀνὴρ μακροθυμεῖ. « Vir quidem misericors est longanimis[33]. » Ea vero omnia[34], exceptis duobus prioribus verbis ὁ μέν, eodem modo Proverb. XIX, 11, in Seniorum Græca versione invenies[35].

Tertii loci hæc sunt verba : Ἐν παντί τε μεριμνῶντι ἔνεστι σοφία. « Et in quolibet, qui est sollicitus, inest sapientia[36]. » Et hæc quidem haud dubie decerpta sunt ex eodem Proverbiorum libro cap. XIV, 23, juxta Septuaginta : Ἐν παντὶ μεριμνῶντι ἔνεστι περισσόν. Latina autem versio sic ea reddidit : « In omni opere erit abundantia. » Ubi vides varias adhuc fuisse hujus loci lectiones, atque Clementem suo legisse in codice σοφία pro περισσόν.

Dehinc continenter, quartoque loco, hæc Clemens refert[37] : Ἐμπεσεῖται γὰρ μέριμνα ἀνδρὶ νοήμονι. « In virum intelligentem cadit sollicitudo[38]. » Quæ totidem verbis apud Septuaginta Prov. XVII, 12, reperies. At in vulgata versione frustra hæc quæsieris.

Palam Hervetus insuper facit in mentem sibi non venisse unde Clemens hæc transcripserit Scripturæ verba[39] : Πανουργότερος ἔσται ἄκακος συνιών, ὁ δὲ σοφὸς δέξεται γνῶσιν. « Astutior erit simplex intelligens, sapiens autem suscipiet cognitionem. » Quidam autem in suis ad hunc Clementis locum scholiis nequidquam suspicatur eum collimasse ad illud Proverb. cap. I, 4 et 5. « Ut detur parvulis astutia..... audiens sapiens sapientior erit[40]. » De his enim nihil plane Clemens ibi cogitavit, sed ea sumpsit ex Proverb. cap. XXI, 11, ubi hæc legimus : Πανουργότερος γίνεται ὁ ἄκακος· συνιὼν δὲ σοφὸς δέξεται γνῶσιν. Verum hæc ille quidem ad sensus suos accommodavit.

Nullus etiam nobis indicavit ubi hæc occurrant[41] : Περισσεία γνώσεως τῆς σοφίας ζωοποιήσει τὸν παρ' αὐτῆς. De verbo autem ad verbum illa Ecclesiastis cap. VII, 1, apud Septuaginta repræsentantur, et in nostra Vulgata sic ex Græcis Latina facta sunt : « Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuant possessori suo. »

Præterea Hervetus ait nullibi a se reperta esse alia hæc Salomonis verba[42] : « Merito ergo dictum est apud Salomonem : Σοφία ἐν στόματι πιστῶν. Sapientia est in ore fidelium. » Nonnulli vero arbitrantur id desumptum fuisse ex libro Ecclesiastici cap. XXXIV, 8 : Καὶ σοφία στόματι πιστῷ τελείωσις. « Et sapientia ori fideli perfectio. »

Alia duo Sapientiæ nomine testimonia, a nullo nobis designata, hunc Clemens adhuc refert in modum[43] : « Audierunt pulchram illam, quæ dicit nobis, sapientiam : Εἰς μέσον ἀσυνέτων συντήρησον καιρόν· εἰς μέσον δὲ διανουμένων ἐνδελέχιζε. In medio insipientium observa occasionem; in medio autem cogitantium versare perpetuo[44], » καὶ πάλιν, et rursus : Σοφοὶ κρύψουσιν αἴσθησιν. « Sapientes occultabunt sapientiam. » Hervetus autem sibi minime occurrisse dicit ubinam in Salomonis Sapientia isthæc dicta sint. At primum totidem verbis in libro Ecclesiastici cap. XXVII, 12, ex Græca Septuaginta interpretatione invenire poterat. Secundum autem in Proverb. cap. X, 14, eodem modo, atque in Clementis textu legitur. Vulgata autem Latin : « Sapientes, inquit, abscondunt sapientiam[45]. »

Ubi vero Clemens quosdam insectatur hæreticos, qui blando verborum lenocinio, veluti canes cauda sua alios palpabant demulcebantque, atque ad suos errores et vitia blande allicere conabantur : « Hi, inquit[46], vocabantur πλῆκται ταῖς οὐραῖς, κατὰ τὸν προφήτην, **158** percussores caudis suis, juxta prophetam. » Sed quis sit ille propheta, vel ubi id dixerit, et Hervetus se ignorare fatetur, et cæteri omnes Clementinorum operum editores altissimo silentio prætermiserunt. Nec negare quidem possumus id dictu esse difficillimum. Nobis tamen haud ægre probabitur Clementem tantummodo alludere ad Isai. IX, 15 : Καὶ προφήτην διδάσκοντα ἄνομα, οὗτος ἡ οὐρά, quæ Vulgata Latina ita reddidit : « Et propheta docens mendacium, ipse est cauda[47]. »

Quid autem, quod nemo adnotavit, frustraque Hervetus perquisivit laudatum a Clemente Isaiæ testimonium[48] : Οἱ δὲ εὐσεβεῖς, φησὶν Ἡσαΐας, συνετὰ ἐβουλεύσαντο· « Pii autem, inquit Isaias, ea quæ sunt sapientia consultarunt. » Mirum sane. Nam illud apud Septuaginta totidem verbis Isaiæ exhibetur[49]. Duplicem alibi Clemens affert auctoritatem, quasi ex duobus prophetis desumptam, ubi hæc scripsit[50] : « Per hæc significavit omnia illa prophetica : Ἐὰν ἀνοίξῃς τὸν οὐρανὸν, τρόμος λήψεται ἀπὸ σοῦ ὄρη, καὶ ταχήσεται, ὡς ἀπὸ προσώπου πυρὸς τήκεται κηρός· Si aperueris cœlum, tremor ex te apprehendet montes, et liquescent, sicut a facie ignis liquescit cera[51]. Et per Isaiam : Quis mensus est cœlum palmo, et terram pugillo[52] ? » Utrumque tamen delibatum ex Isaia fuit. Et primum quidem ex illius cap. LXIV, 1, ubi totidem verbis, una tantum voce κηρός transposita reperitur; alterum ex ejus cap. XL, 12, juxta Septuaginta Seniorum versionem, a qua nonnihil Vulgata nostra discrepat.

Solo autem Scripturæ nomine Clemens testimonium a nullo indicatum adhibet[53], quod in prophetia Amos V, 13, ad verbum sic occurrit : Καὶ ὁ συνιὼν, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ σιωπήσεται, λέγει ἡ Γραφή· « Et qui intelligit, in tempore illo silebit; » Vulgata vero Latina : « Prudens in tempore illo tacebit[54]. »

Nullibi etiam, neque in Herveti commentariis, neque in Clementis nostri scholiis, neque in margine notatur, unde excerptus sit is Scripturæ locus, a Clemente hunc citatus in modum[55] : « Brevissime Scriptura enuntiavit, dicens : Ne multum verseris in verbis, μὴ πολὺς ἐν ῥήμασι γίνου. » Oleum vero et operam Hervetus perdidisse se dicit in his, quæ Clemens profert, investigandis Salomonis verbis[56] : Τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημά-

[28] Strom. l. III, p. 470. [29] Prov. XIII, 12. [30] Strom. l. II, p. 400. [31] Prov. XVII, 3. [32] Ibid. [33] Ibid. [34] Prov. XIX, 11. [35] Ibid. [36] Prov. XIV, 23. [37] Ibid. [38] Prov. XVII, 12. [39] Strom. l. I, p. 319. [40] Prov. XXI, 11. [41] Strom. l. I, p. 299. [42] Strom. l. II, p. 369. [43] Strom. l. V, p. 554. [44] Eccli. XXVII, 12. [45] Prov. X, 14. [46] Strom. l. III, p. 471. [47] Isai. IX, 15. [48] Strom. l. II, p. 390. [49] Isai. XXXII, 8. [50] Strom. l. V, pag. 608. [51] Isai. LXIV, 1. [52] Isa. XL, 12. [53] Strom. l. VI, p. 271. [54] Amos. V, 13 [55] Strom. l. I, p. 294. [56] Ibid. p. 368.

Digitized by Google

των, τοῦ δὲ ἀπίστου οὐδὲ ὀβολός. « Fidelis est totus mundus pecuniarum, infidelis autem ne obolus quidem. » Quamobrem censet idem Hervetus hæc ex Origenis hausta fuisse *Hexaplis*. Sed quonam, amabo te, argumento hos codices in manus Clementis devenisse probabit? Vero itaque similius est Clementem hæc eadem verba in suis Ecclesiastici legisse codicibus, quos a nostris haud parum diversos fuisse observavimus.

Tres rursus citati a Clemente loci supersunt a nobis non inventi [57]. Primus : Φροντιστὴς τε ὢν, ζωὴν ζητήσει· « Qui est sollicitus, vitam quæret. » Secundus : Ὁ ζητῶν τὸν Θεὸν, εὑρήσει γνῶσιν μετὰ δικαιοσύνης. « Qui Deum quærit, inveniet cognitionem cum justitia. » Tertius : Οἱ δὲ ὀρθῶς ζητήσαντες αὐτὸν, εἰρήνην εὗρον. « Qui eum recte quærunt, pacem invenerunt. »

Quartum addamus ab eodem Clemente sic alibi prolatum [58] : Ὃς δὲ ἂν ἐγχειρῇ τι πράσσειν μεθ' ὑπερηφανίας, τὸν Θεὸν παροξύνει, φησίν· « Quicunque autem superbia aliquid agere aggressus fuerit, Deum, inquit, irritat. »

Dubitabis forsitan utrum Clemens ad quædam Scripturæ verba collineare, vel ea simpliciter transcribere voluerit, ubi ipse dixit [59] : Λαμψάτω σοῦ τὰ ἔργα· καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος, καὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ πρὸ προσώπου αὐτοῦ· ἰδοὺ γὰρ ὁ Θεὸς, καὶ τὰ ἔργα αὐτοῦ. « Luceant opera tua. Et ecce homo et opera ejus ante faciem ejus. Ecce enim Deus et opera ejus. »

Sophoniæ autem prophetæ hæc Clemens ait esse verba [60] : « Et assumpsit me spiritus, et sustulit in quintum cœlum, et contemplabar angelos, qui Domini vocabantur, et diadema eorum impositum in Spiritu sancto, et erat sedes uniuscujusque eorum septuplo major luce solis orientis, habitantes in templis salutis, et laudantes Deum ineffabilem altissimum. » Observant nihilominus quidam Clementinorum scholiorum auctores hæc in Sophoniæ prophetia minime reperiri, atque idcirco ex apocryphis quibusdam lucubrationibus a Clemente nostro fuisse desumpta.

Quidam vero putant aliquem Esdræ locum, qui in editis ejus libris non invenitur, his a Clemente nostro exhiberi verbis [61] : Ἐν τῷ Ἔσδρᾳ γέγραπται· Καὶ οὕτως ἐγένετο Χριστὸς βασιλεὺς Ἰουδαίων ἡγούμενος πληρουμένων τῶν ἑπτὰ ἑβδομάδων ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν ταῖς ἑξήκοντα δύο ἑβδομάσιν ἡσύχασεν ἅπασα ἡ Ἰουδαία, καὶ ἐγένετο ἄνευ πολέμων· καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς ἅγιος τῶν ἁγίων ἐλθὼν, καὶ πληρώσας τὴν ὅρασιν, καὶ τὸν προφήτην, ἐχρίσθη τὴν σάρκα τῷ τοῦ Πατρὸς αὐτοῦ πνεύματι. « In Esdra scriptum est : Et sic fuit Christus rex, dux Judæorum, cum impletæ essent septem hebdomades in Jerusalem, et in sexaginta duabus hebdomadibus quievit universa Judæa, et fuit absque bellis, et Dominus noster Christus sanctus sanctorum cum venisset, et visionem implesset et prophetam, in carne unctus est Patris sui spiritu. » Sed jam monuimus spurios Esdræ libros, a nostris prorsus discrepantes, a Clemente nostro citari. Quid ergo mirum, si quædam ex iis in medium adduxerit, quæ in nostris exemplaribus non habentur amplius? Verum Clemens non aliud eo loci significare videtur, quam in Esdra scriptum haberi septem hebdomadibus ædificatum esse templum. Cætera autem, quæ sequuntur, Clementis, non Esdræ, si attente perpendas, verba esse fateberis.

Nobis porro promptum est hæc indicare, quæ Carpocratiani in nefarii erroris sui patrocinium afferebant, Scripturæ verba : Τῷ αἰτοῦντί σε ἐῶς, « a te petenti des; » et quod Clemens respondet id alia ejusdem sacri textus auctoritate funditus everti : « Subjungit, » inquit [62], ἐπιφέρει· Καὶ τὸν θέλοντα δανείσασθαι, μὴ ἀποστραφῇς· « Et eum qui velit mutuo accipere, ne averseris. » Uterque enim ille locus ad verbum legitur Matth., nisi quod pro δῶς hic δίδου habetur [63]. In Latina autem Vulgata his redditur verbis : « Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris. » Quamobrem Tertullianus [64] : « Omni, inquit, petenti te, dato, suum habet titulum, proinde ad eleemosynam pertinentem. » Denique eadem illa verba a Barnaba hoc citantur modo [65] : Παντὶ αἰτοῦντί σε, δίδου. « Omni petenti te, tribue. » Sed hæc tamen ex Lucæ Evangelio petita esse videntur [66].

Ubinam porro in sacris libris isthæc, quæ Clemens adhuc citat [67], scripta fuerint : Εἶδες γὰρ, φησὶ, τὸν ἀδελφόν σου, εἶδες τὸν Θεόν σου. « Vidisti enim, inquit, fratrem tuum, vidisti Deum tuum, » non facile dixeris. Quid vero, si ille ad ea tantum respexisse dicatur Matthæi verba [68] : « Domine, quando te vidimus esurientem? Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » Continenter **159** enim a Clemente additum est : « Servatorem puto Deum nunc nobis dictum esse. »

Ex quodam insuper Evangelio testatur Clemens hæc se fuisse mutuatum [69] : Οὐ γὰρ φθονῶν, φησὶν, παρήγγειλεν ὁ Κύριος· Ἐν τινι εὐαγγελίῳ· Μυστήριον ἐμὸν ἐμοὶ, καὶ τοῖς υἱοῖς τοῦ οἴκου μου. « Non enim invidens, inquit, præcepit Dominus : Mysterium mihi, et filiis domus meæ. » Ex his vero, qui in Clementis libros scholia ediderunt, unus existimat verba illa, in quocunque tandem Evangelio reperiantur, delibata fuisse ex Isaiæ prophetia XXIX, 16. Quamvis enim in antiquis Septuaginta editionibus minime occurrant, ea tamen in nuperæ Romanæ editionis adnotationibus adjecta, ab Augustino in Psalm. VIII, et a quibusdam aliis Ecclesiæ Patribus citata sunt. Ad hæc vero Hieronymus testatum fecit illa in Theodotionis interpretatione addita reperiri. Quæ quidem in Nobilii notis observata fuisse legimus.

Sed hæc sane observatio difficultatem omnino non tollit. Enimvero tametsi verba illa Isaiæ fuerint, inquirendum nihilominus superest, cur ea Clemens noster potius ex quodam Evangelio, quam ex libro Isaiæ a se desumpta fuisse tam asseveranter affirmaverit. At porro animadvertas velim Clementem simpliciter dixisse ἔν τινι εὐαγγελίῳ. Qua sane loquendi ratione hæc a se memoriter scripta fuisse satis aperte significat. Conjecturæ autem nostræ inde certe non parum accedit roboris, quod diversis in locis hæc eadem verba eodem plane modo ille non reddiderit. Inde enim facile intelligi potest illum Evangelii nomine ea citasse, quæ reipsa Isaiæ erant. Quid tamen vetat quominus illa in aliquo eorum, quæ, uti vidimus, non semel laudavit, apocryphorum Evangeliorum exemplari aliquando legisse credatur?

Quid plura? Nobis nullus hactenus edixit utrum ex Novi vel Veteris Testamenti scriptis hæc verba Clemens delibaverit [70] : Αἴτησαι καὶ ποιήσω, ἐνοήθητι καὶ δώσω· « Pete, et faciam; animo cogita, et dabo. » Neque id profecto cuilibet plane erit expeditum. Scimus enim Eliam, dum in cœlum raperetur, Elisæo dixisse : Αἴτησαί τι, ποιήσω σοι. « Pete quid, faciam tibi [71]. » Sed hæc nihil ad rem nostram faciunt. Vero itaque nobis similius videtur hoc testimonium a Clemente ex aliquo similiter apocrypho Evangelio transcriptum fuisse.

[57] Strom. l. II, p. 400. [58] Ibid. p. 492. [59] Strom. l. IV, p. 543. [60] Strom. l. V, p. 585. [61] Strom. l. I, p. 330. [62] Strom. l. III, p. 448. [63] Matth. V, 42. [64] Tertul. De bapt. c. 18. [65] Barnab. epist. § 9. [66] Luc. VI, 30. [67] Strom. l. I, p. 316; l. II, p. 591. [68] Matth. XXIV, 38, 39. [69] Strom. l. V, p. 578. [70] Strom. l. VI, p. 653 et 665; l. VII, p. 745. [71] IV Reg. II, 9.

Digitized by Google

Alibi Clemens narrat [73] Paulum apostolum « in Actibus apostolorum, » ἐν ταῖς Πράξεσιν τῶν ἀποστόλων, fecisse Epicureorum atque etiam Stoicorum philosophiæ mentionem. Sed in quo hujusce libri loco id occurrat, nullus animadvertit. Nobis vero vix ullus videtur esse ambigendi locus, quin ibi notetur Actuum cap. XVII, 18, ubi hi philosophi nominatim appellantur. Quo quidem de loco exstat Augustini in nova editione adversus Epicureos et Stoicos centesimus et quinquagesimus sermo.

Scriptoris demum scriptique tacito nomine, hæc Clemens a nemine indicata retulit [73] : « Ipse enim dixit : Non te dimittam, neque derelinquo, ut qui te dignum judicaverim propter veram et germanam electionem [74]. » At hic locus totidem verbis in Epistola ad Hebræos occurrit; etiamsi primitus, sed non eodem plane modo, in libro Josue inveniatur [75].

Porro autem antequam his finem imponamus, duo adhuc observanda sunt. Et primo quidem ubi Clemens Marcionis impugnat sectatores [76] : « Quid si, inquit, usurpent vocem Domini, qui dicit Philippo : Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me. » In Matthæi siquidem Evangelio hæc quidem verba legere est, quamvis transposita, atque aliter apud Lucam repræsententur [77]. Verum uterque evangelista illius, a quo hæc dicta fuerunt, nomen penitus omisit. Unde ergo Clemens Marcionisve asseclæ acceperunt hunc Philippum vocari? Nunquid ex eo, quod sæpius ab eodem nostro Clemente citatum vidimus, secundum Ægyptios, vel potius secundum Hebræos Evangelio? At cum utrumque non exstet, nihil hac de re certo quisquam statuere audeat.

Secundo animadvertendum est Clementem testatum [78] alibi fecisse principem publicanorum, qui Domino dixit : « Ecce dimidium bonorum meorum do, » ἐλεημοσύνην, eleemosynam (vel ut apud Lucam legimus, τοῖς πτωχοῖς, « pauperibus » [79]), ab aliquibus Zachæum et ab aliis Matthiam cognominari. Auctor vero *Recognitionum*, quæ Clementis nomine circumferuntur, hunc Matthiam eumdem atque Barnabam fuisse docet [80]. « Barnabas, inquit, qui in locum Judæ subrogatus est apostolus. » Sed quæ fides huic scriptori habenda sit, satis alibi ostendimus [81].

CAPUT V.

De virorum apostolicorum, et aliorum antiquissimorum scriptorum operibus de divinis traditionibus non scriptis, ac de veræ Ecclesiæ notis et characteribus.

ARTICULUS I.

De Barnabæ epistola, de libris Hermæ, de Clementis Romani epistola, de antiquis quibusdam Scripturæ sacræ interpretibus, ac de Tatiani et Cassiani scriptis.

Præter sacra Veteris Novique Testamenti scripta, ab auctoribus sancto Spiritu afflatis composita, Clemens noster aliorum, qui et primas post eos tenent, et discipuli illorum fuerunt, epistolis et libris in Christianæ religionis defensionem utitur, atque ipsorum auctoritate dogmata, nobis a Christo credita, propugnat et tuetur. Eam sane ob causam illos non solum locupletissimos divinæ veritatis testes citat, sed longa etiam ex variis illorum scriptionibus describit fragmenta, quibus falsas errantium hominum opiniones et commenta impugnat, ac funditus evertit.

A Barnabæ autem epistola initium ut ducamus, plura sane ex ea Clemens decerpsit [82], quæ a nobis alibi repræsentata sunt. Primo autem hujusce *Apparatus* nostri in libro non frustra, nisi nos mens nostra fallat, probare conati sumus [83] Barnabam, quem idem auctor noster non semel « apostolum et apostolicum, atque unum ex septuaginta ac Pauli auditorem » nuncupat, verum esse hujus epistolæ auctorem.

Nec pauciora sane ex Hermæ libro, qui *Pastor* dicitur, fragmenta in libros suos Clemens transtulit [84]. Nos vero quæ ex illo ipse Clemens delibavit, integra alibi quoque exhibuimus. Ad priorem porro ipsius locum, ab eodem auctore nostro citatum, duo observat Hervetus : primo hunc librum inter apocryphos computari; secundo ea, quæ Clemens ex illo descripsit, non inveniri in illo, qui nuper in bibliotheca editus est. Sed quæ sit hæc bibliotheca, **160** divinare non possumus. Is enim liber non solum in variis Bibliothecæ Patrum, sed etiam Orthodoxographiæ editionibus divulgatus est, ubi citata a Clemente nostro verba occurrunt. An autem ille liber apocryphus, aut verus genuinusque Hermæ fetus dici debeat, a nobis suo loco demonstratum esse putamus [85].

Multa quoque auctor noster ex vera genuinaque sibi cognominis Clementis Romani epistola hausit, ac totidem retulit verbis. Jam vero de ea aliquid, quod neque Hervetо tam prolixorum in Clementis nostri opera commentariorum scriptori, neque aliis ignotum esse debebat, nos supra attigimus [86]. Sed de illa eadem epistola fusius disputandi occasio aliquando sese nobis forsitan offeret. Interea tamen lubet animadvertere, primum illius locum a Clemente nostro ita exhiberi [87] : « Jam Clemens in epistola ad Corinthios his verbis, inquit, exponens differentiam eorum, qui sunt probati in Ecclesia : Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermonum, sit stupendus in operibus. » Rursum vero hæc alio in libro repetit, additque [88] : « Sit castus et mundus. Eo enim debet esse magis humilis, quo videtur esse major, dicit Clemens in epistola ad Corinthios. » Et hæc quidem Hervetus clara et perspicua esse concedit, sed quomodo illa cum superioribus, in primis vero cum subsequentibus : « Et alios quidem ex igne rapite, miseremini autem eorum, qui discernuntur, » cohæreant, se nescire profitetur. At ille profecto nesciebat, hæc posteriora verba Clementis Romani non esse. Plana autem et aperta est horum verborum cum aliis cohærentia, nec obscurus eorum sensus. Ibi enim Clemens noster de sapiente disserit, quem ille talem ait esse debere, qui aliquos a fallaciarum, vanorumque argumentorum ab aliis propositorum igne eripiat, et eorum qui a falsis prophetis secernuntur, misereatur.

Deinde vero auctor noster nanc epistolam no-

[73] Strom. l. I, p. 295. [73] Strom. l. II, p. 415. [74] Epist. ad Hebr. XIII, 5. [75] Josue I, 5 [76] Strom. l. III, p. 436. [77] Matth. VIII, 21; Luc. IX, 59. [78] Strom. l. IV, p. 488. [79] Luc. XIX, 8. [80] Lib. I Recog., § 60, p. 414. [81] Lib. I Appar., dissert. 11. [82] Strom. l. II, p. 373, 375, 389, 396, 410, 571, 577. [83] Lib. I Appar., dissert. 3. [84] Strom. l. I, p. 311, 355; l. II, p. 360, 379, 384 et seq.; l. IV, p. 503; l. VI, p. 638 et 679. [85] Lib. I Apparat., dissert. 4. [86] Lib. II Appar., dissert. 6, c. 10, § 3. [87] Strom. lib. I, p. 289. [88] Lib. VI, p. 647.

Digitized by Google

nomine Clementis, quem apostolum nuncupat, hunc laudat in modum [89]: « Clemens quoque apostolus in Epistola ad Corinthios, ipse quoque nobis, τύπον τινὰ τοῦ γνωστικοῦ, formam et exemplar gnostici describens, dicit: Quis apud vos versatus omni virtute, » etc. Denique ut id semel simulque dicamus, plura hujusce epistolæ §§ 1, 9, 11, 12, 17, 18, 21, 33, 36, 40, 41, 48, 49 et 50, transcripsit fragmenta, quæ quidem quia prolixiora sunt, indicasse sufficiat. Obiter porro observa hæc quæ a Clemente nostro citantur, aliquando intersecari, et quædam, quæ sua sunt, illis inseri, ac quandoque media interponi.

At quis non miretur Hervetum, qui in citatum a nobis [90] posteriorem Clementis nostri locum lectores suos serio admonet hujus epistolæ in Eusebii quidem *Historiæ* lib. III fieri mentionem, sed illius nihil jam amplius exstare, quam quod Clemens noster nobis hic reliquit? Quomodo enim Herveto incomperta ea esse potuerunt, quæ de illa Irenæus, uti a nobis observatum est, atque Origenes, Photius, atque alii scriptis tradiderunt [91]?

Quamvis autem ex dictis satis constet hanc epistolam Clementi Romano ab auctore nostro asseveranter ascribi, illa tamen alicubi solo Romanorum nomine ab ipso citata legitur [92]: « Quinetiam, inquit, in epistola Romanorum ad Corinthios scriptum est: Oceanus infinitus, et qui sunt post ipsum mundi. » Sed cur eam ita ille laudaverit, rationem nobis suggerunt Irenæus [93] atque Eusebius [94], qui hanc epistolam a Clemente, Romanæ Ecclesiæ nomine, scriptam fuisse non semel asseverant.

Memoria itaque lapsus est Clemens noster, nisi forte librariorum error sit, ubi quædam ejusdem epistolæ verba sic Barnabæ attribuit [95]: « Prophetæ dictum exponens Barnabas, infert: Cum multæ portæ sint apertæ, quæ est justitia, ea est in Christo, in quam beati sunt omnes qui sunt ingressi. » Hæc enim quæ alibi [96] ille ipse, tacito auctoris nomine, non tamen sine aliqua varia lectione retulerat, in Clementis Romani epistola, § 48, voce ἐν ante διχαιοσύνῃ addita, totidem verbis repræsentantur.

Quorumdam præterea doctorum sacræ Scripturæ interpretum explanationes in priora psalmi primi verba a Clemente nostro sic laudantur [97]: « Audivi ego virum in his rebus doctum dicentem consilium impiorum significare gentes; viam autem peccatorum, Judaicam opinionem, et pestilentiæ cathedram, hæreses accipientem. Alius autem dicebat magis proprie positam quidem esse primam beatitudinem in iis, qui non sunt sceleratas secuti sententias, quæ a Deo defecerunt. Secundum autem eorum, qui in lata via manent, vel eorum, qui nutriti sunt in lege, vel etiam eorum, qui ex gentibus non sunt ducti pœnitentia. Cathedra autem pestilentiæ et theatra fuerint, et judicia, ubi magis sequuntur improbas et exitiales potestates, et operum eorum societatem. » Qui sint illi eruditi sacrarum Scripturarum interpretes, definitu esse difficillimum nemo certe negabit. In re tamen tam obscura si nobis fas sit aliquam ex verbo ἀκήκοα, « audivi, » conjecturam facere, haud omnino absurde colligi posse suspicamur Clementem suos designasse præceptores, atque in primis Pantænum, quos ille, in schola Alexandrina, ut superius dictum est, sacram Scripturam explicantes audierat. Inficias tamen non ibimus alios adhuc, quemadmodum Alexandrum Jerosolymitanum, ab eo potuisse designari.

Moysem porro scriptorum omnium antiquissimum esse, atque ex illius et Hebræorum libris plura ab ethnicis philosophis delibata fuisse probat Clemens [98] Tatiani philosophi ad Græcos oratione, in qua illum de iis ἀκριβῶς, « accurate, » disputasse testificatur. Sed de hac oratione, et pertractato in illa de Moysis ætate argumento, disceptatum alibi a nobis fuit [99], ac rursus de illo ac de ipsius, quemadmodum Cassiani, laudata ab eodem Clemente nostro chronologia inferius disputabitur.

Citat porro Clemens [1] hujusce Cassiani etiam *Exegeticon*, quod utrum etiamnum exstet, se nescire Hervetus aperte significat. Qui fieri ergo potuit, ut ea aut non legerit, aut ejus ex animo exciderint, quæ de Clemente nostro disputans, sic scripsit Hieronymus [2]: « Meminit autem in Stromatibus suis voluminis Tatiani . . . . . et Cassiani cujusdam χρονογραφίας, quod opusculum invenire non potui? » Si enim illud non idem atque *Exegeticon* fuerit, cum eo tamen periisse, nemini vero non simile haud dubie videbitur. Utrum vero is Cassianus idem sit, ac præcipuus Docetarum hæreseos defensor, postea opportunior examinandi locus erit.

161 ARTICULUS II.

De sibyllis et earum oraculis, nec non Pauli de sibylla et Hydaspe oraculo, atque de Chami prophetia.

Non abs re omnino fuerit huic de Christianis auctoribus sermoni ea attexere, quæ de sibyllis et illarum de Christo, Christianaque, uti putant, religione oraculis, memoriæ Clemens noster mandavit. In primo autem *Stromatum* libro [3] hæc de sibylla narrat: « Heraclitus non humanitus, sed divinitus potius, dicit apparuisse sibyllam. Aiunt itaque Delphis in curia ostendi petram quamdam, super quam dicitur sedisse prima sibylla, quæ ex Helicone venerat, educata a Musis, cum esset filia Lamiæ Sidoniæ. Serapion autem in versibus dicit ne mortuam quidem a divinandi arte cessasse sibyllam: et id quidem quod ex ea in aerem recessit post obitum, id esse quod in sortibus divinat, et auguriis; ex eo autem quod in terram mutatum est corpore, exorta, ut consentaneum est, herba, quæcunque eam comedissent bestiæ, cum in eo loco essent, scribit perfectam futuri cognitionem per exta hominibus significasse. Ejus autem animam existimat eam esse faciem, quæ apparet in luna. » Quæcunque Clemens ibi de sibylla memorat, hæc ille non ex sua, sed Heracliti Serapionisque poetæ, et aliorum paganorum sententia proponit. At nullum plane tam male sanæ mentis hominem esse arbitramur, qui hæc a Clemente nostro tanquam certa et minime dubia proferri dixerit. Neque enim Christianæ religionis doctrina ita parum imbutus fuit, ut credidisse dicatur sibyllam post mortem a divinandi arte non cessasse, ac illius parte in aera transvolante, alteram in terra mansisse, ex qua herba, divinationum usui apta, orta fuerit, ac denique illius animam esse faciem, quæ in luna apparet. Certum igitur et ratum esse debet hæc a Clemente nostro contra paganos ideo adduci, ut falsas eorum opiniones, ipsa eorum, quæ tanquam vera et certa venditabant, expositione everteret, atque invicto ad hominem, ut aiunt, argumento impugnaret, funditusque destrueret.

De hac porro sibylla, ejus nomine, parentibus, versibus, et saxo unde oracula fudisse perhibetur, plurima narrat Pausanias [4], quæ quidem quia longiora sunt, et facile a quolibet in ejus libro pos-

[89] Strom. lib. IV, p. 516 et seq. [90] Lib. II Appar., dissert. 6, c. 10, § 3. [91] Orig. lib. II Periarch., c. 3; Phot. Bib. cod. 113 et 126; Cotel. De SS. Patr. oper., p. 88 et seq. [92] Strom. lib. V, p. 586. [93] Iren. lib. III, c. 3. [94] Euseb., lib. III Hist., c. 16 et 38, et lib. V, c. 6 [95] Strom. l. VI, p. 646. [96] Strom. lib. I, p. 288. [97] Strom. lib. II, p. 389, 390. [98] Strom. l. I, p. 320. [99] Lib. II Appar., dissert. 5. [1] Ibid. [2] De script. eccles., § 50. [3] Pag. 304. [4] Lib. X Phoc., p. 327.

Digitized by Google

sunt videri, ad illum curiosos lectores mittendos satius duximus.

Ex his porro, quæ Pausanias ibi posteritati reliquit, haud exigua lux afferri potest huic non solum Clementis nostri loco, sed etiam alteri, ubi rursus de sibyllis eo ille modo disserit [5]: « Sibylla, inquit, dicitur Orpheo antiquior. De ejus cognomine, et de iis, quæ ab ea prolata sunt, responsis, multa dicuntur, et cum esset Phrygia, appellatam esse Dianam, et cum ea ad Delphos accessisset, cecinisse :

O Delphi, Phœbi ferientis qui eminus estis
Servi, veni ad vos, Jovis expositura potentis
Ventem, germano succensens plurima Phœbo.

Est autem alia quoque, quæ vocatur Herophile Erythræa. Harum meminit Heraclides Ponticus in libro *De oraculis*. Mitto Ægyptiam, et Italicam, quæ Romæ habitavit Carmentale, cujus fuit filius Evander, qui Romæ templum Panis, quod Lupercal appellatur, condidit. »

Singula porro earum nomina, sic ille paulo post recenset [6] : « Sibyllarum, inquit, turba, Samia, Colophonia, Cumana, Erythræa, Pytho, Taraxandra, Macetis, Thessala, Thesprotis. »

De iis multi multa, ut alibi diximus [7], litteris consignarunt. Quapropter his, quæ a nobis tradita sunt, nunc illa tantummodo adjicienus, quæ ex Varrone sic Lactantius retulit [8] : « Sibyllas decem numero fuisse, easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse de Persis, cujus mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secundam Libyssam, cujus meminit Euripides in *Lamiæ* prologo. Tertiam Delphicam, de qua Chrysippus loquitur in eo libro, quem de divinatione composuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Nævius in libris *Belli Punici*, Piso in *Annalibus* nominat. Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem. . . . . Sextam Samiam, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam, nomine Amaltheam, quæ ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur. . . . . Octavam Hellesponticam, in agro Trojano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium, quam scribit Heraclides Ponticus Solonis et Syri fuisse temporibus. Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur, ut dea. . . . . cujus sacra senatus in Capitolium transtulerit. » Ex hoc haud dubie Lactantii loco eadem ab Isidoro descripta reperies [9]. Quamvis autem uterque alia, quam Clemens, sibyllarum nomina renuntiet; de iisdem tamen eos loqui in animum forsitan tuum facile induces, si memineris quam diversis nominibus sibyllæ, uti alibi a nobis animadversum est [10], a variis scriptoribus nuncupatæ fuerint.

Quædam insuper sibyllæ carmina non in his tantum, sed in superioribus etiam libris Clemens exhibet [11], sed cujusnam ex his sibyllis illa fuerint, tacitus prætermisit. Eam vero alicubi « Hebræorum prophetissam, παρὰ τῆς προφήτιδος τῶν Ἑβραίων, vel poeticam, ποιητικὴν, ut putant, » appellat [12].

At nihil profecto ille de sibylla magis animadversione, ac forsitan admiratione dignum prodidit, quam ubi ethnicos homines ad ejusdem sibyllæ, quemadmodum Hydaspis libros pervolutandos ab apostolo Paulo missos esse sic testatur [13] : « Paulus apostolus dicit : Libros quoque Græcos sumite, A agnoscite sibyllam, quomodo unum Deum significet, et ea quæ sunt futura : et Hydaspen sumite, et legite, et invenietis Dei Filium multo clarius et apertius esse scriptum, et quemadmodum adversus Christum multi reges instruent aciem, qui eum habent odio, et eos qui nomen ejus gestant, et ejus fideles, et ejus tolerantiam et adventum. »

Tota hujusce salebrosi loci difficultas in hoc posita est, quod Clemens quædam proferat verba, quibus Paulus ethnicos homines ad legendos cum sibyllæ, tum Hydaspis libros hortabatur. Etenim nullibi gentium exstitit unquam illa Pauli exhortatio.

Nodum difficultatis ut solvat Cotelerius, contendit hæc verba : Ὁ ἀπόστολος λέγων Παῦλος, non ad sequentia λάβετε καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους· « libros quoque **162** Græcos sumite, » etc., referri debere, sed ad superiora : οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας, « proprios suæ linguæ prophetas, » B dedit Deus, uti Petri *Prædicatio*, et Paulus apostolus declarabit. Clementis igitur, non vero Pauli, hæc verba esse suspicatur : « Libros Græcos sumite, » etc. Sed illa Cotelerii conjectura et explicatio peritioribus viris minime probatur; quippe quæ omnino cum tota Clementinæ orationis pugnet serie ac contextu. Et vero, cur Clemens addidit vocem λέγων ante Παῦλος, nisi ut subsequentia verba illius esse indicaret? Sed agedum, qua, quæso, ratione Cotelerius hæc, quæ post citata a nobis Clementis verba proxime subnectuntur : « Deinde uno verbo vos interrogat : Totus autem mundus, et quæ sunt in mundo, cujus sunt, nonne Dei? » ad Petrum potius, quam ad Paulum, ultimo loco laudatum, dicit esse referenda? Nullam certe attulit causam, nec ullam afferre poterat. Nam cum continenter Clemens adjecerit : « Propterea dicit Petrus Dominum dixisse, » etc., inde haud obscure colligitur priora verba non huic Petro, sed Paulo apostolo ab eo ascribi.

Probabilius itaque aliis videtur citatum fuisse a C Clemente pseudepigraphum, apocryphumque aliquod Pauli scriptum; aut potius quamdam, ubi hæc de sibyllis dixisse ferebatur, publicam concionem, quæ non scripto, sed verbo, et tanquam de manu, ut aiunt, ad manum ad Clementis usque tempora pervenerit. Nulli enim dubium esse potest scripta quædam fuisse apocrypha, quæ falso Pauli nomine circumferebantur. Tale enimvero est illud quod Gelasius summus pontifex *Pauli apostoli revelationem* nuncupat [14]. An autem hæc, vel quædam alia pseudepigrapha Apostoli scriptio a Clemente designetur, nemo facile divinabit.

Neque porro Novi tantum, sed Veteris etiam Testamenti falsas quasdam et suppositas citavit ille scriptiones [15]. Mentionem enimvero fecit Chami prophetiæ, ex qua Pherecydes multa in *Theologiam* suam transtulerat. Sed de ea jam aliquid alibi perstrinximus [16].

ARTICULUS III.

De humanis traditionibus rejiciendis, et de aliis divinis ad nos non scripto, sed verbo et viva voce transmissis.

Docet Clemens duplicis generis esse traditiones, alias quidem humanas, et ab hominibus ortas, quas Apostolus his proscribit verbis [17] : « Videte ne quis sit, qui vos seducat per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. » Qua

[5] Strom. lib. I, p. 323. [6] ibid., p. 333. [7] Lib. I Appar., dissert. 12, § 1. [8] Lib. I, De falsa relig., c. 6. [9] Lib. VIII Orig., c. 8. [10] Lib. I Apparat., dissert. 12, § 2. [11] Admon. ad gent., p. 32, 33, 44, 46; lib. II Pæd. p. 195, et lib. III, p. 223; Strom. lib. V, p. 601. [12] Admon. ad gent., p. 46, lib. II Pæd. p. 195. [13] Strom. lib. VI, p. 636. [14] Dist. 15, c. 3, Sanct. Roman. [15] Strom. lib. VI, p. 642. [16] Lib. II Appar., dissert., 5, c. 2, § 6. [17] Coloss. II, 8.

Digitized by Google

autem de hominum traditione loquatur Apostolus, sic Clemens edisserit [18]: « Traditionem humanam canoras dicit nugas, quæ versantur in oratione. Quamobrem ille quoque scribit : Juniores, quæstiones fugite [19], sunt enim pueriles hujusmodi contentiones. » In Græco Clementis textu legimus : τὴν λογικὴν τερθρίαν λέγει. Vox autem τερθρία seu τερθρεία idem Suidæ sonat ac λεπτολογία, hoc est de rebus minimi momenti disputatio. Quæ quidem explicatio a Clementis sensu aliena non videtur. Nam ille mentem suam clarius aperiens, hanc τερθρίαν idem ac pueriles, seu novas hominum de rebus exiguis verborum contentiones esse haud obscure significat. Ab hominibus autem Christianis illas omnino vitandas et repudiandas esse asserit.

Alias porro traditiones ab apostolis Christoque Domino ad homines profluxisse dicit, quas illi deinceps suo quique ordine a majoribus suis non scripto, sed verbo acceperant. Magistros quippe suos Clemens prædicat [20] : « Qui veram, inquit, beatæ doctrinæ servabant traditionem, παράδοσιν, statim a Petro, et Jacobo, et Joanne, et Paulo, sanctis apostolis : ita ut filius acciperet a patre ..... ad nos quoque, Deo volente, pervenerunt illa a majoribus data et apostolica deposituri semina. » A præceptoribus itaque suis, qui apostolorum discipuli fuerant, Clemens, non secus atque alii suæ ætatis Christiani, accepit quemadmodum filius a patre, non solum scripto, sed etiam verbo beatam doctrinæ evangelicæ traditionem.

Cur autem apostoli discipulis suis, et hi deinde aliis quædam non scripto, sed verbo tradiderint, hanc ille rationem paulo post reddidit [21] : « Jam vero non revelavit multis ea, quæ non erant multorum, sed paucis, quibus sciebat convenire, qui et ea possent accipere, et ex iis informari. Arcana autem, sicut Deus, verbo creduntur, non scripto. » Τὰ δὲ ἀπόῤῥητα, καθάπερ ὁ Θεὸς, λόγῳ πιστεύεται, οὐ γράμματι.

Ubi autem alio in libro [22] ex Apostoli ad Colossenses scribentis, verbis probat non omnium esse cognitionem, ibi continenter hæc subjungit : « Jam enim erant, quæ tradebantur Hebræis, ἀγράφως, sine scriptis. » Ab Apostoli igitur tempore erant quædam religionis nostræ placita, quæ Hebræis aliisque Christianam fidem profitentibus sine scripto, sed viva voce tradebantur.

Præterea Clemens hæreticos, qui sacram Scripturam pro Domini dignitate et secundum piam apostolorum traditionem non interpretabantur, hoc argumento confutat [23] : Παρακαταθήκη γὰρ ἀποδιδομένη Θεῷ, ἡ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου διδασκαλίαν, διὰ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ τῆς θεοσεβοῦς παραδόσεως σύνεσίς τε καὶ συνάσκησις. « Depositum enim, quod Deo redditur, est convenienter Domini doctrinæ per ejus apostolorum piam traditionem intelligentia et exercitatio. » Quid autem erat illa pia apostolorum de vero Scripturæ sensu traditio, nisi vera illius expositio, quam discipulos suos vel privatis in colloquiis, vel publicis in concionibus docere consueverant?

Neque in his tantummodo *Stromatum* libris divinas illas traditiones commendat et tuetur, sed Eusebio teste [24] : « In libro quem de pascha composuit coactum se affirmat a familiaribus suis, ut traditiones, quas ab antiquioribus presbyteris acceperat, scriptas posteris mandaret. » Antiquiores autem illi presbyteri, ut ibidem Eusebius observat, apostolorum erant discipuli, qui has traditiones ab iisdem apostolis, sicut et hi a Christo acceperant.

Denique ex eodem Eusebio superius animadvertimus [25] Clementem alio in libro, sicut et Origenem, testificari se ex vetustiorum presbyterorum traditione didicisse quo ordine scripta sunt Evangelia, et præter quatuor in omnibus Ecclesiis recepta, nullum aliud admittendum.

Traditionibus porro hujuscemodi, quæ ab apostolis atque etiam a Christo Domino manaverunt, maximam reverentiam summumque honorem deberi, nemo nisi insano errore plane obcæcatus unquam negaverit.

163 ARTICULUS IV.

De veræ Ecclesiæ, sacrum divinæ traditionis depositum custodientis, notis et characteribus.

Sacrum Christianæ illius doctrinæ, ad nos divinis cum Scripturis tum traditionibus transmissæ, depositum ab Ecclesia catholica integrum illibatumque servari extra omnem penitus controversiam positum est. At quæ sit vera illa Ecclesia, ac quomodo, quibusve notis ac characteribus ab alia qualibet falsa et schismatica secerni et distingui possit, luculenter Clemens noster explicat [26] : « Ecclesiam autem, inquit ille, non locum, sed electorum congregationem appello. » Hujus autem, quæ vere Dei templum est, tres potissimum assignat notas, quibus ab omnibus aliis congregationibus manifestissime discernitur. Primo enim, illa est omnium antiquissima, atque omnibus hæresibus vetustior. Secundo [27], illa sicut ipsemet Deus, una est, fidei scilicet, et doctrinæ in sacris Scripturis traditæ unitate, quam nullæ unquam hæreses discindere et labefactare potuerunt. Tertio, est καθολική, « catholica, » seu universalis, quæ non in quibusdam tantum terræ partibus, quemadmodum singulæ hæreses, sed per totum mundi orbem disseminata, homines secundum Dei propositum justos complectitur. Sola igitur illa vera est Ecclesia, quam Clemens hunc postea in modum describit [28] : « Et substantia ergo, et cogitatione, et principio, et excellentia solam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam in unitatem unius fidei, quæ est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento, quod est unum diversis temporibus, in quibus Dei voluntate per unum Dominum congregat eos, qui sunt jam ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. » Tum vero continenter illius excellentiam præstantiamque ab hac unitate commendat : « Cæterum, inquit, Ecclesiæ quoque eminentia, sicut principium constructionis, est ex unitate, omnia alia superans, et nihil habens sibi simile, vel æquale. » Veræ porro Ecclesiæ has certas ac minime dubias esse notas, ac proprios genuinosque esse illius, quibus a cæteris aliis distinguitur, characteres, eo Clemens noster efficacius probat, quo clarius ea omnia nulli penitus hæreticorum sectæ convenire ibidem ostendit. Et vero quam validis ille argumentis omnes hæreses et hæreticos ipsa vera Ecclesia recentiores esse convincat, infra a nobis demonstrabitur.

Unum itaque duntaxat hic adjiciamus, quod ipse tradidit [29], nos « per ipsas Scripturas discere demonstrative quomodo lapsæ sunt hæreses, et contra quomodo in sola veritate et antiqua Ecclesia sit perfectissima cognitio : » Δι' αὐτῶν τῶν Γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς, ὅπως μὲν ἀπεσφάλησαν αἱ αἱρέσεις, ὅπως δὲ καὶ ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τῇ ἀρχαίᾳ Ἐκκλησίᾳ ἡ τε ἀκριβεστάτη γνῶσις. Vides igitur quomodo Clemens repetat et inculcet præcipuam veræ Ecclesiæ notam esse illius præ cæteris omnibus sectis antiquitatem. At sedulo insuper animadvertas velim quam diserte ille asseveret ex Scripturis sacris certo et evidenter demonstrari qui sint hæreticorum errores, et in sola veritate et antiqua Ecclesia perfectissimam reperiri cognitionem.

[18] Strom. lib. I, p. 295. [19] II Tim. II, 23. [20] Strom. lib. I, p. 274. [21] Ibid., p. 275. [22] Lib. V, p. 57. [23] Lib. VI, p. 676. [24] Lib. VI Hist., c. 13, p. 215 [25] Sup. c. 4, art. 2. [26] Strom. lib. VII, p. 715. [27] Ibid. p. 764. [28] Ibid., p. 765. [29] Ibid., p. 755.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Deo, et Christo Domino, ac de perpetua sanctissimæ illius matris virginitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De etymologia nominis Θεός, *et de articuli* ὁ *ei præpositi significatione, de aliis Dei nominibus, illiusque natura, et attributis, atque de prædestinatione.*

Ex sacris et incorruptis illis divinæ Scripturæ et traditionis fontibus, atque ex certa et constanti veræ Ecclesiæ doctrina hausit Clemens sincera et orthodoxa religionis nostræ dogmata, quæ hisce in *Stromatum* libris ab ipso tradita et explicata passim occurrunt. Singulorum autem ad examen priusquam pro more nostro veniamus, paucis exponendum est quid ille de nominis Θεός, « Deus, » etymologia prodidit : Θεός, inquit [30], δὲ παρὰ τὴν θέσιν εἴρηται καὶ τάξιν, τὴν διακόσμησιν · « Deus dicitur expositione, ordine et administratione. » At de variis hujus nominis etymologiis, consule, si lubet, Vossii *Etymologicon*.

Nec omni procul dubio attentione illud indignum, quod Clemens a nobis observari voluit, quoties in Scriptura nomini Θεός articulus ὁ præponitur, toties omnipotentem Deum significari. Hæreticorum enim, humanam generationem damnantium, errorem his cum impugnat Geneseos verbis [31] : « Cognovit Adam uxorem..... Suscitavit enim mihi Deus aliud semen pro Abel [32] ; » ibidem subjungit : « Non enim Deum absolute dixit, qui articuli præmissione, nempe ὁ Θεός dicens, significavit eum, qui est omnipotens. » Ex hac siquidem posita a Clemente regula omnino evincitur persuasum ipsi fuisse Filium Dei in sacris Scripturis Deum omnipotentem totles appellari, quoties articulo ὁ præmisso, Θεός nuncupatur. Sed quia de Christi divinitate postea disseremus, id obiter adnotasse sufficiat.

Cæterum Clemens neque hoc nomine « Deus, » neque alio quolibet, neque ullis verbis infinitam et spiritualem supremi, ut aiunt, entis naturam proprie exprimi posse non solum Platonis testimonio, sed triplici etiam ratione demonstrat [33]. Quamobrem « si aliquando, ait ille, eum nominemus, non proprie vocantes, aut unum, aut bonum, aut mentem, aut ipsum id quod est, αὐτὸ τὸ ὄν, aut patrem, aut Deum, aut creatorem, aut dominum, non id dicimus, tanquam nomen ejus proferentes, sed propter ejus potestatem pulchris utimur nominibus ; ut in aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio. Non enim unumquodque ex his Deum significat, sed omnia simul omnipotentis indicant potentiam. » Docet tamen præcipuum et mysticum Dei nomen fuisse Jehova, quatuor, sicut et Θεός, constans litteris [34] : « Quinetiam mysticum, inquit, illud nomen tetragrammatum, quod iis solis imponebatur, qui poterant ingredi adytum ; dicitur autem Jehova, quod exponitur qui est, et qui est futurus. Quinetiam apud Græcos nomen Θεός litterarum continet quaternionem. » De nominis autem Jehova explicatione quod Clemens ibidem scribit, id ex Isaia et libro Apocalypsis desumptum videtur [35]. Qui vero de hoc aliisque Dei nominibus scire plura voluerit, adeat Hieronymum [36], qui apud Hebræos decem Dei nomina fuisse testatur.

A Adeat et Dionysii *De divinis nominibus* librum, 164 Drusii lib. *De tetragrammato*, Joannis Buxtorfii *Lexicon*, nec non et theologos in II part. D. Thomæ, quæst. 13, Estium, et alios in lib. I *Sentent.*, dist. 18 et 22, Kirker. et Martianæi nostri comment. *De decem Dei nomin.*, tom. II, nov. edit. Oper. Hieronym.

Proprium itaque Dei nomen cum nullum homines excogitare possint, nihil sane mirum, si eum cognitu et explicatu difficilem esse his Clemens probet Platonis verbis : « Patrem effectorem universi et invenire difficile et cum inveneris, ut apud omnes eloquaris, nequit fieri ; verbis enim minime explicari potest. » Eadem quoque a Theodoreto [37] descripta sunt. Sed in Platonis *Timæo* [38], unde procul dubio uterque Clemens et Theodoretus ea excerpsit, paulo aliter, sicut et apud Cyrillum Alexandrinum exhibentur [39].

B Verum tametsi Clemens ad Deum perfecte cognoscendum humani ingenii aciem, nisi ipsiusmet Dei ope et auxilio adjuvetur, obtusiorem esse dixerit [40] ; ille ipse nihilominus docet nullum hominem, si sanæ sit mentis, fuisse cognitionis Dei unius et omnipotentis plane expertem. Quinimo ostendit a Xenocrate et Democrito non penitus obscure significari in animantibus etiam ratione carentibus quamdam esse Dei notitiam. Si quis igitur homo Deum ignoraverit, hoc ipsi vitio vertendum, nec a culpa eum excusari posse haud dubitanter pronuntiat. Et vero sicut Christus in Novo Testamento omnes sic vocavit, « ut nulli possint excusare prætextum ignorantiæ ; ita in tempore data quidem est lex et prophetæ barbaris, philosophia autem Græcis, » quorum ministerio Deum creatorem agnoscere potuerunt [41].

C Hanc porro Dei cognitionem in Græcis philosophis valde imperfectam fuisse probat Clemens [42]. Et primo quidem, quia illi, ut citatus ab eo dixit Empedocles, parum noverunt de toto ; atque ex magno sacræ Scripturæ igne quamdam tantum de Dei notitia scintillam elicuerunt. Secundo autem [43], quia eorum tempore Christus, nondum homo factus, summas Dei perfectiones hominibus, quoad fieri potuit, non patefecerat.

D Porro autem cum infinite perfecta sit Dei natura, et supra omnem humanæ mentis captum et intelligentiam, hinc, inquit Clemens [44], fit, ut homo « non quod Deus est, sed quod non est » possit cognoscere. Novit itaque eum spiritalis esse substantiæ ; quandoquidem « figura et motus, vel status, vel sedes, vel locus, vel dextera, vel sinistra de Patre universorum ne sunt quidem cogitanda [45]. » Ipse siquidem est « prima causa, supra locum, et tempus, et nomen, et intelligentiam [46]. » Quapropter Moyses illum « sub aspectum non cadere et circumscribi non posse significavit. » Contra Stoicos igitur Clemens jure merito concludit [47] : « Non est Deus humana forma præditus, ut audiat, neque ei sensibus opus est, ut placuit Stoicis. » Si quæ igitur membra, si qua ira, vel minæ ipsi in Scripturis tribuantur, hæc Clemens allegorice explicanda esse asseverat [48]. Nihil ergo mirum, si nullas in Deo di-

[30] Strom. lib. II, p. 357. [31] Strom. lib. III, p. 460. [32] Gen. IV, 25. [33] Strom. l. V, p. 579, 582, 585, 587. [34] Ibid. p. 562. [35] Isai. XLI, 4 ; XLIV, 6 ; Apocal. I, 8. [36] Epist. ad Marcellam. [37] De Græc. affect. curat., serm. 2, p. 495, et serm. 4, p. 534. [38] Plato, t. III, p. 28. [39] Cyr. l. II contr. Jul., p. 30. [40] Strom., l. I, p. 355 ; l. V, p. 612, 615 ; l. VI, p. 697 ; l. V, p. 590. [41] Strom. l. II, p. 370 ; l. VI, p. 637 et 669 ; l. V, p. 615. [42] l. VI, p. 688. [43] l. I, p. 355. [44] l. V, p. 582. [45] Ibid. [46] p. 584. [47] l. VII, p. 720. [48] l. V, p. 580, 582 ; l. VI, p. 680 ; l. II, p. 392 et 395 ; l. VI, p. 682 ; l. IV, p. 477.

Digitized by Google

eat esse animi perturbationes, neque eamdem atque in hominibus continentiam, sed misericordiam tamen proprie, et ipsi soli sapientiam convenire.

Supremi autem Dei non solum incorporea, ut ait Clemens [50], est natura; sed ille quoque « expers principii, ἄναρχος, perfectum, et omni ex parte absolutum universorum principium, principii efficiens, et quatenus quidem est essentia, οὐσία, est principium loci efficientis; quatenus autem est bonum, moralis; quatenus autem rursus est mens, ratiocinantis loci, et judicantis. Neque enim, » ut alibi idem auctor noster loquitur [50], « hujus quod est esse dominum, et bonum principium accepit Deus, qui est semper id quod est. » Hinc ille contra paganorum hæreticorumque hominum errores sæpius ostendit Deum unum esse, et omnium creatorem : eum « ubique adesse, non autem certis ac definitis locis conclusum, illum omnia scire et audire, et nec vocem solum, sed etiam cogitationem [51]. »

Illius autem omnipotentiam, atque omnium quoque curam et providentiam non solum invictis Clemens noster argumentis demonstrat [52]; sed paganis quoque Hebræorum consuetudine edoctis eam cognitam fuisse asserit. Quid vero, quod hac Dei providentia « sublata, » videtur, inquit ille [53], « fabula Servatoris œconomia? » Μῦθος ἡ περὶ τὸν Σωτῆρα οἰκονομία φαίνεται.

Æterna porro est Dei, sicut justitia, ita et beneficentia; quippe « qui non cessabit unquam benefacere. » Neque sibi Clemens sinit objici Deum, mundo condito, ab omni, uti scriptum est, quievisse opere [54]. Ἀγαθὸς γὰρ ὢν, εἰ παύσεταί ποτε ἀγαθοεργῶν, καὶ τοῦ Θεὸς εἶναι παύσεται· ὅπερ οὐδὲ εἰπεῖν θέμις· « Nam cum sit bonus, si cessarit unquam benefacere, Deus quoque esse cessabit; quod nefas est dicere [55]. »

Clemens adhuc docet [56] esse unam tantum Ecclesiam catholicam, quæ « per unum Dominum congregat eos, qui jam sunt ordinati, quos prædestinavit Deus, cum eos justos futuros cognovisset ante mundi constitutionem [57]. » Δι' ἑνὸς τοῦ Κυρίου συνάγουσαν τοὺς ἤδη κατατεταγμένους οὓς προώρισεν ὁ Θεὸς δικαίους ἐσομένους πρὸ καταβολῆς κόσμου ἐγνωκώς. Divinam beatorum hominum prædestinationem, quam theologi gratiæ in præsenti et in futuro gloriæ præparationem definiunt, ex prævisis a Deo illorum meritis fieri ibi Clemens noster palam asseverare nonnullis videbitur. Sed cum ille divinæ gratiæ ad bona opera agenda, ut infra videbimus, necessitatem manifestissime stabiliat et propugnet; quid vetat quominus de ea prædestinatione loqui dicatur, qua Deus homines non ex suis meritis, sed divinæ suæ gratiæ auxilio justos futuros ad æternam cœlestis gloriæ felicitatem gratuito prædestinat? At a vero forsitan propius ille aberit, qui Clementem de eorum quidem, quos Deus justos futuros cognovit, prædestinatione loqui, sed de ejusdem cognitionis, et sive ante, sive post prævisa merita prædestinationis modo penitus tacuisse opinabitur. Quænam porro ex his verior sit Clementini sensus explicatio, aliorum nulli parti addictorum, solique veritati litantium hominum judicio statuendum relinquimus.

ARTICULUS II.

De suprema Christi divinitate.

Christi Domini et Filii Dei supremam divinitatem a Clemente nostro in superioribus illius libris evidentissime assertam vidimus. Jam vero quomodo illa in his *Stromatum* commentariis non minori perspicuitate et evidentia ab ipso propugnetur, considerandum a nobis est. Græcos itaque philosophos primum Clemens corripit [58], qui « fabulosum esse existimant per hominem Filium Dei loqui, et Deum habere filium, et eum esse passum; quo fit ut sua opinionis anticipatio eis persuadeat, ut non credant. » Quid, obsecro te, Græcis illis philosophis **165** « fabulosum » videbatur? Nunquid falsum et incredibile putabant Filium Dei adoptivum, ac merum hominem « per hominem loqui? » Nunquid « fabusolum » existimabant « Deum habere filium » adoptivum, qui vere passus mortuusque fuerit? Minime gentium. Ipsis ergo absurdum penitus et commentitium videbatur, quod Clemens cæterique Christiani prædicabant, Dei esse Filium, qui ejusdem omnino, cujus ille, naturæ, et unus idemque ac ille Deus, postea homo factus, passus tandem sit, et crucis supplicio vitam finierit.

Quid ergo mirum, si Clemens noster eum verum Dei Filium esse dixerit, qui ὑπερβάλλει πᾶσαν ἀνθρωπίνην φύσιν, « humanam omnem naturam superat..... ἦν γὰρ τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν· Erat enim lux vera..... οὐ μόνος Πατὴρ ὁ Θεός, cujus solus Pater est Deus. » Neque multo post : « Cum autem, inquit [59], dixerit : Fidelis Deus, cuinam pronuntianti par sit credere significat, iis autem declaratur Verbum ejus : et is fuerit Deus fidelis [60] : » ἀποφαίνεται δὲ ὁ Λόγος αὐτοῦ· καὶ αὐτὸς ἂν εἴη πιστὸς ὁ Θεός. Ibi certe auctor noster supremam Christi divinitatem aperte declarat. Superius enim a nobis observatum est [61] ipsum docuisse quoties articulus ὁ ante nomen Θεός ponitur, toties verum et summum Deum significari.

Eamdem profecto ob causam cum Platonem diis credendum esse dicentem induxisset, ipse multo potiori jure contendit veris Dei prophetis, ac potissimum Christo fidem habendam, « cum sit, inquit [62], verus Dei Filius, » Υἱὸν ὄντα γνήσιον. Nulla enim creatura nullusque duntaxat homo dici verus Dei Filius, γνήσιος Υἱός, potest; sed is solus, qui cum Deo Patre unus ejusdemque substantiæ et naturæ sit.

Hujus porro veri Filii Dei, Christi Domini, omnipotentem dicit esse voluntatem, qua in hominum corda introspiciens, occultiores eorum cogitationes cognoscit et intuetur : « Justis, inquit [63], appropinquat Dominus, et nihil eum latet ex nostris cogitationibus, et quas facimus animo dissertationibus. Dominum Jesum dico, qui omnipotenti sua voluntate corda nostra intuetur. » Audi, quæso, Græca illius verba : Τὸν Κύριον Ἰησοῦν λέγω· τὸν τῷ παντοκρατορικῷ θελήματι ἐπίσκοπον τῆς καρδίας ἡμῶν. Quis autem, amabo te, sua omnipotenti voluntate corda nostra perscrutatur, nisi solus verusque Deus?

Sed age, et videamus quomodo eamdem illius et voluntatis et potestatis omnipotentiam, ac supremam divinitatem rursus astruat et vindicet [64] : Ὁ γὰρ τοῦ Πατρὸς τῶν ὅλων Λόγος, οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ προφορικὸς, σοφία δὲ καὶ χρηστότης φανερωτάτη τοῦ Θεοῦ, δύναμίς τε αὖ παγκρατὴς, καὶ τῷ ὄντι θεία· οὐδὲ τοῖς μὴ ὁμολογοῦσι ἀκατανόητος, θέλημα παντοκρατορικόν. « Verbum enim Patris universorum non est hoc, quod profertur, sed sapientia et bonitas Dei manifestissima; et rursus omnipotens potestas, et vere divina, quæ non est ejusmodi, ut intelligentia comprehendi non possit vel ab iis, qui non confitentur, voluntas quæ omnia continet sua omnipotentia. » Nunquid clarius unquam explicari potest summa Verbi divinitas, divinaque ejus natura et substantia? Dicitur enim Λόγος οὐ προφορικός, Verbum Patris, non quidem externum, prolatum et transiens, sicut hominis verbum : ac proinde ἐνδιάθετος interius, et, ut theologi loquuntur, internum et immanens. Deinde dicitur esse sa-

[50] Strom. l. iv, p. 539. [56] l. v, p. 615. [51] Strom. l. vii, p. 719, 720. [52] l. v, p. 612, 547; l. vii, p. 702. [53] l. ii, p. 296; l. v, p. 615. [54] Genes. ii, 2. [55] Strom. l. vi, p. 684 [56] ibid. p. 669. [57] l. vii, p. 765. [58] Strom. l. i, p. 313. [59] l. ii. p. 367 et 368. [60] Ibid. p. 371. [61] art. super. [62] l. v, p. 589. [63] l. iv, p. 517. [64] l. v, p. 547.

Digitized by Google

pientia et bonitas Dei manifestissima, omnipotens potestas, vere divina, ac voluntas quæ omnipotentia sua omnia continet. Postremo de divino Verbo, cujus persona a Patre distincta sit, ibi a Clemente sermonem fieri inde liquet, quod ad eum cognoscendum « Patris ad ipsum attractione » opus esse paulo post ille asseveret [65].

Visne et id tibi aliis non minus perspicuis et evidentibus auctoris nostri verbis adhuc probari? Non longe quærenda sunt. Quibusdam siquidem interjectis, ait a Platone declarari veritatem esse ideam. « Idea autem, inquit Clemens [66], est intelligentia, quam barbari, (seu christiani) Λόγον Θεοῦ, dixerunt. » Tum deinde addidit : Προελθὼν δὲ ὁ Λόγος, δημιουργίας αἴτιος· ἔπειτα καὶ ἑαυτὸν γεννᾷ, ὅταν ὁ Λόγος σὰρξ γένηται, ἵνα καὶ θεαθῇ. « Verbum autem, quod progreditur, opificii causa est et creationis. Deinde etiam seipsum generat, quando Verbum caro factum fuerit, ut etiam cadat sub aspectum. » Nescio sane utrum post assertam in œcumenica synodo Nicæna Christi divinitatem aliquis eam clarius evident usque docuerit et explicarit. His tamen adde, si velis, a Clemente pluribus probari argumentis [67] Servatorem nostrum esse ipsum Dei Filium. At ea, quibus id demonstrat, rationum momenta illum verum summumque Deum esse convincunt.

Longioris profecto operæ foret omnia et singula Clementis nostri de summa Christi divinitate testimonia proferre, vel etiam percurrere. Missa itaque facimus ea, quibus ille apertissime declarat [68] Filium Dei esse faciem Patris, et paternæ proprietatis indicem, faciem Dei Jacob, et characterem gloriæ Patris [69], qui vult « gnosticum » esse sicut Patrem cœlestem, τουτέστιν ἑαυτόν, hoc est « seipsum [70]. » Deinde ipsum esse « Verbum, » qui tanquam sol, « undequaque » effusus, vel minima respicit ex iis, quæ in vita geruntur. Quod quidem Clemens, uti in superiori articulo vidimus, docuit [71] proprium, vel, ut theologi scholastici loqui amant, essentiale veri et summi Dei esse attributum.

His itaque aliisque prætermissis, quomodo Clemens Filium Dei ante omnes creaturas exstitisse, illumque verum et æternum Deum fuisse pronuntiaverit [72], paulo attentius perpendamus. Alicubi enim diserte tradit illum esse δημιουργόν, « Deum opificem; » alibi autem [73] in eo et per ipsum facta esse omnia, ac per eum « in lucem, et ad generationem accessisse omnem creaturam. » Nunquid et alia adhuc desideras? Audi, quæso, auctorem nostrum rursus loquentem : « Quoniam, inquit [74], unum est ingenitum, nempe Deus omnipotens, unum est etiam prægenitum, per quod omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Unus est enim revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium, ut scribit Petrus, præclare intelligens illud : *In principio fecit Deus cœlum et terram* [75]. » Ante omnes igitur creaturas, atque adeo extra earum ordinem, supremus ille, ac verus Deus, Filius Dei exstabat.

Nescii quidem non sumus Patrem a Clemente nostro et in his *Stromatum* libris et in *Pædagogo* universorum creatorem appellari [76]. At cum Filius, vel quia cum Patre omnia creavit, vel quia creando paternam voluntatem adimplebat, idem quoque ab ipso Clemente creator dicatur; inde liquet quam constanter ille crediderit Filium, quemadmodum Patrem, ante omnes creaturas exstitisse.

Neque sane nobis objicias Filium Dei a Clemente ante omnes quidem dici creaturas, sed non ab æterno suam accepisse a Patre substantiam. Nam A expressis **166** verbis Clemens eum vocat Filium, principium tempore et principio carens, et eorum, quæ sunt, primitias : Τὴν ἄχρονον καὶ ἀναρχον ἀρχήν τε, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων τὸν Υἱόν. « Tempore et principio carentem, et eorum, quæ sunt, primitias Filium [77]. »

Quamobrem illum alibi dicit esse infinitum, atque ex illius perfectionibus componi circulum, in quo nullus sit finis, nec principium, nullaque distantia, neque dimensio. « Filius, inquit Clemens [78], est sapientia, et scientia, et veritas, et quæcunque cum his ullam habent cognationem. Quinetiam habet, καὶ ἀπόδειξιν, καὶ διέξοδον, et demonstrationem et explicationem. Omnes autem spiritus potestates, δυνάμεις πνεύματος, cum simul una res factæ fuerint, ad idem conferunt, nempe ad Filium. Est autem infinitus unaquaque suarum potestatum notione. Quanquam non fit vere unum, ut unum; neque multa, ut partes, Filius, sed ut omnia unum, B unde etiam omnia. Est enim idem circulus omnium potestatum, quæ in unum circumvolvuntur, et uniuntur. Et ideo Verbum dictum est alpha et omega, cujus solius finis fit principium, et rursus desinit in id, quod est desuper principium, nusquam distantiam accipiens et dimensionem. » Intelligis sane quam aperte ibi Clemens definiat Filium Dei esse sicuti circulum infinitum, principio et fine carentem, quique proinde sit ejusdem cum Patre æternitatis et naturæ? Illum enim in seipso, et in unaquaque perfectionum suarum infinitum ita prædicat, ut nullum unquam tempus possit assignari, in quo non exstiterit. Quod autem Clemens ait, καὶ δὴ οὐ γίνεται ἀτεχνῶς ἓν, ὡς ἓν, οὐδὲ πολλὰ ὡς μέρη ὁ Υἱὸς, ἀλλ' ὡς πάντα ἓν, ἔνθεν καὶ πάντα. « Quanquam non fit vere unum, ut unum, neque multa, ut partes, Filius, sed ut omnia unum, unde etiam omnia; » etiamsi id omnino clarum apertumque non sit; his tamen verbis significare videtur omnes infinitasque Filii perfectiones, stricte etiam loquendo esse quid C unum notione, ἐννοίᾳ; illasque a seipsis, non sicut creati alicujus compositi, partes a se invicem esse divisas, sed reipsa, et in se esse unum, « unde » sunt « omnia. » Quantumvis porro hæc obscura et difficilia quibusdam videri possint, nobis certe sufficit a Clemente ibi manifestissime definiri Filium Dei esse suismet perfectionibus infinitum, principio et fine carentem et ab ipso esse omnia. Quid enim ad infinitam et ante omnia, hoc est ante et supra omnes creaturas exsistentem, seu æternam illius naturam, ac proinde summam et supremam ejus divinitatem asserendam efficacius evidentiusque desiderari potest?

Verum contra insurgit doctissimus vir Petavius [79], nobisque objicit ibi disertissimis auctorem nostrum dixisse verbis Filium, minime vero Patrem, posse demonstrari. Ergo, inquit Petavius, putavit Clemens Filium esse Patre suo inferiorem. Sed si recta sit hæc Petavii argumentatio, profecto D Clemens eodem ipso in loco, ubi infinitas Filii perfectiones et æternam, uti vidimus, eamdemque illius cum Patre naturam tam perspicue asseruit, sibi ipsi absurde contradixisse dicendus est. Absit autem ut eruditissimo auctori nostro hæc insulsissimæ contradictionis nota inuratur. Et certe Petavius falsam ex vero antecedente elicit conclusionem. Quid enim impedit quominus Filius Dei qui solus, non vero Pater, homo factus est, ipse quoque solus, non autem Pater, sub humanam demonstrationem cadat? Quid vero, si Clemens ibi tantum cum evangelistis dixerit [80], Patrem non seipso, sed per Filium, demonstrari? Nunquid idcirco Filium, quem æternum, immensum et infinitum ibidem prædicat, Patre in-

[65] p. 548. [66] p. 553. [67] l. VI, p. 674. [68] Ibid. p. 562. [69] l. VII, p. 733. [70] ibid. p. 748. [71] ibid. p. 711. [72] l. IV, p. 500. [73] l. VI, p. 644, 686, 687. [74] l. VI, p. 644. [75] Gen. I, 1. [76] lib. VI, p. 510; l. I Pæd., c. 8, p. 118 et seq. [77] l. VII, p. 700. [78] l. IV, p. 537. [79] t. II Theol. dogm., c. 4, p. 16. [80] Matth. XI, 27 : Joan. I, 8.

Digitized by Google

feriorem, nec naturæ divinæ participem credidit ? Neminem sane, si hæc attente perpendat, illud unquam dicturum putamus.

Age porro, et adhuc ostendamus quomodo alio ille in libro eamdem Christi divinitatem non minus perspicue stabiliat diserteque confirmet. De illius quippe natura hunc scribit in modum [81] : « Hæc est maxima excellentia, quæ omnia ordinat ex voluntate Patris, et optime gubernat universum, indefessa et inexhausta potestate cuncta operans, propterea quod agit, arcanas et abditas respiciens notiones. Nunquam enim a sua excedit specula Dei Filius; ut qui non dividatur, non dissecetur, non transeat de loco in locum; sit autem semper ubique, et contineatur nusquam, tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt, omnia audit, scit omnia, potestate scrutatur potestates. Ei subjecta est universa militia angelorum et deorum, Verbo, inquam, paterno, quod sanctam suscepit dispensationem, propter eum qui subjecit. » Hæc profecto de suprema Christi et Verbi divinitate Clementis verba adeo clara et dilucida sunt, ut is in scirpo nodum et tenebras in meridiano sole, clarius lucente, quærere videatur, qui contra vel minimum mutire audeat.

Petavius [82] itaque fatetur ibi Clementem honorifice de Filio Dei loqui. Et recte quidem. Quis enim unquam post Ariana tempora de illo honorificentius locutus est? At, inquit idem Petavius, hæc Platonici et Ariani dogmatis indolem sapiunt, quæ Clemens præmisit [83] : « Perfectissima autem, et sanctissima, et maxime principalis, et quæ maxime imperat, et est maxime regia, et longe beneficentissima est natura Filii, ἡ Υἱοῦ φύσις, quæ est soli omnipotenti propinquissima, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη. » Sed plumbeum sane est illud Petavii, atque etiam aliorum telum, vanaque et futilis argumentatio. Enimvero Clemens non proximam tantummodo, sed eamdem omnino cum Patre naturam Filii esse asseverat. Et certe nonne eamdem ille cum Patre dicit esse naturam Filii, qui ab ipso vocatur οὐ μεριζόμενος, οὐ ἀποτεμνόμενος, οὐ μεταβαίνων ἐκ τόπου εἰς τόπον, πάντη δὲ ὢν πάντοτε, καὶ μηδαμῇ περιεχόμενος, « qui non dividitur, non dissecatur, non transit de loco in locum, sit semper ubique, et nusquam continetur? » Quis, obsecro, ubique et immensus est? Quis nullo continetur loco, nisi ille qui plane eamdem cum Deo Patre naturam habeat? Quis « tota mens, ὅλος νοῦς, tota lux paterna, ὅλος φῶς πατρῷον, totus oculus, ὅλος ὀφθαλμός, qui omnia videt, omnia audit, et scit omnia ; » nisi ille, qui omnino ejusdem sit cum Patre et scientiæ et naturæ? Quis denique « omnia gubernat et ordinat? » Quis « indefessa et inexhausta potestate cuncta operatur; » nisi cui eadem penitus, ac Patri æterno, omnipotentia et natura est? Clemens igitur proximam et propinquissimam, hoc est conjunctissimam ideo dicit esse Filii naturam, quia una eademque est. Et certe vox προσεχεστάτη, qua Clemens utitur, nihil aliud ibi sonat quam « maxime conjuncta et adhærens. » Quo quidem vocabulo ille significat Filium, cum a Patre suo originem, divinamque suam naturam acceperit ipsi idcirco esse proximum, vel, ut antiqui Patres loquuntur [84], subordinatum, ita tamen ut unius ejusdemque cum ipso sit naturæ, **167** unusque et idem, sicuti tot ejusdem auctoris nostri testimoniis sole meridiano clarius probatum est, cum eo sit Deus.

Ad hæc vero, cur, quæso, ante synodi Nicænæ tempora « Filii Dei natura » a Clemente nostro non potuit catholico sensu « soli omnipotenti propinquissima » appellari; quandoquidem postea ab invictissimo ejusdem synodi defensore Basilio ulla absque hæsitatione idem Dei Filius dicitur, τάξει δεύτερος τοῦ Πατρός, « ordine a Patre secundus, quia ab illo est, » καὶ ἀξιώματι, et dignitate, ὅτι ἀρχὴ καὶ αἰτία τοῦ εἶναι αὐτοῦ ὁ Πατήρ, « quoniam origo et causa Pater ipsi est [85]. » Quid vero, quod ille, sicut et alii post Nicænam synodum Patres, haud dubitanter scribit Patrem dici Filio majorem, quia illius αἴτιος καὶ ἀρχή, causa et principium est? Nunquid ergo minus catholico sensu Filius a Clemente dictus est omnipotenti propinquissimus, quam ab aliis secundus a Patre, et Patre minor, sive quo Pater major est?

Non amplius itaque Petavius nobis objicere debebat, quæ paulo post Clemens subjunxit [86] : Οὔθ' ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων Κύριος, καὶ μάλιστα ἐξυπηρετῶν τῷ τοῦ ἀγαθοῦ, καὶ παντοκράτορος θελήματι Πατρός. « Neque ab alio prohibitus unquam fuerit, qui est omnium Dominus, et maxime boni et omnipotentis Patris voluntati serviens. » Ex iis enim quæ ibi Clemens disputat, facile intelligitur eo verbo ἐξυπηρετῶν, nihil aliud sibi voluisse quam voluntatem Patris a Filio perfectissime impleri. Ibi quippe apertissime docet a procuranda hominum salute Filium non posse unquam ab ullo prohiberi ; quippe qui « omnium sit Dominus. » Quod quidem semel et iterum hoc ipso in loco repetit. Præterea vero Clemens ibidem subtexuit [87] : « Ignoratio Deum non tangit, qui ante mundi constitutionem fuit Patris consiliarius; hæc erat enim sapientia, qua Deus delectabatur omnipotens. Dei enim virtus est Filius, utpote ante omnia, quæ sunt genita, Verbum Patris maxime principale et ejus sapientia. » Filium Dei, eodem penitus modo ac Patrem non Deum duntaxat appellat, sed illius etiam consiliarium, potestatem, verbum et sapientiam, qui ante mundi constitutionem, hoc est ante omne tempus et ab æterno unus erat cum illo Deus.

Quapropter sicubi ille nomine σοφίας τῆς πρωτοκτίστου a Clemente nuncupatur [88], cave ne credideris illam vocari creaturam. Norunt enim omnes, qui primoribus labris antiquorum Ecclesiæ Patrum documenta et scripta attigerunt, verbum κτίζειν ab eis pro creare et generare indiscriminatim adhiberi. Huc accedit, quod ipsemet Clemens alibi : « Salomon, inquit [89], ante cœlum, et terram, et omnia quæ sunt, τῷ παντοκράτορι γεγονέναι τὴν σοφίαν λέγει, omnipotenti dicit genitam fuisse sapientiam, » tametsi in sacro textu legatur ἔκτισε. Eamdem igitur utriusque vocis significationem esse Clemens arbitratus est.

Nemo ergo contra tam claram et apertam Clementis nostri de vera Filii divinitate sententiam nobis opponat illius *Hypotyposeon* libros, in quibus Photio, atque etiam, si velis, Rufino teste, « Filium quoque in creatis numerat. » Nam hos libros ab impio quodam hæretico et impudentissimo nebulone fœde corruptos, atque nefariis, quos Clemens genuinis suis in operibus funditus evertit, erroribus repletos fuisse nullus est qui nesciat. Ipsemet enim Photius ibidem adjecit [90] : « Alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius, ejus personam indutus; plane ut octo ipsos libros hisce blasphemiarum portentis, de iisdem identidem disserendo, ac sparsim, atque confuse, veluti stupore percussus, Scripturas producendo repleverit. » Nulla igitur his corruptissimis libris fides habenda, quæ econtrario negari certe nequit, neque iis omnibus, quæ ex veris ejusdem Clementis operibus de asserta Christi divinitate collegimus, neque illi etiam scriptori, qui teste Eusebio, Clementem haud dubie nostrum, in eorum retulit numerum, qui pro

[81] Strom. l. VII, p. 792. [82] t. II Theol. dogm. c. 4, p. 16. [83] loc. cit. [84] v. Bull. § 4, Defens. fid. Nic. [85] Basil., l. III advers. Eunom., init. t. II, p. 79; ibid. l. I, p. 55. [86] ibid., p. 703. [87] ibid. [88] l. V, p. 591. [89] l. VI, p. 683; Prov. VIII, 22. [90] Phot., ibid. cod. 109; Rufin. De adult. l. Orig., apud Orig. t. I, p. 494.

Digitized by Google

orthodoxi hujus dogmatis defensione ante supremum Victoris papæ pontificatum scripserunt. « Justinum, inquit ille [91], intelligo, et Miltiadem, et Tatianum, et Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas astruitur. »

Unum ergo restat a nobis observandum, Clementi visum esse orthodoxam de sanctissima Trinitate doctrinam tam certo et perspicue in sacris Scripturis declarari, ut eam paganis auctoribus, qui plura ex illis hauserunt, non omnino incognitam fuisse existimaverit. De Platone etenim hæc ille scribit [92] : Deum « omnium causam cum appellat, secundum autem circa secunda, et tertium circa tertia, non aliter intelligo quam sanctam significari Trinitatem : » οὐκ ἄλλως ἔγωγε ἐξακούω, ἢ τὴν ἁγίαν Τριάδα μηνύεσθαι. Post concilium quoque Nicænum Cyrillus Alexandrinus ex eodem, et alio, quem Clemens post Justinum martyrem hic retulit [93], Platonis loco similiter probat, non plane incompertum fuisse huic philosophorum coryphæo sanctissimæ Trinitatis mysterium : « Tametsi, inquit, secundum, et tertium nominat Deum, haud recte : sed suis, ut reor, ipse repugnans sententiis. Postquam enim eos unum dixit, in tres rursus dividit, et seorsim singulos, nisi quod Patrem ait opificis Deum oportere nominari. » Cyrillus itaque [94], haud secus ac Clemens noster, persuasum plane habuit Platonem sanctissimæ Trinitatis, quamvis obscurius nec omnino recte, re tamen vera fecisse mentionem. Ad inde haud incerto conficitur eamdem penitus fuisse Clementis atque Cyrilli de sanctissima Trinitate sententiam. Eodem quippe Platonis testimonio [95], quod etiamnum fusius et apud Eusebium [96], et in Platonis operibus legere est, uterque usus, simili modo ex eo argumentatur. His denique, si lubet, adjungamus a Clemente rursus observari similem, hoc est obscurum Patris et Filii sermonem a poetis Orpheo, Homero, et scenico philosopho Euripide fieri [97]. Sed hæc obscuritatis reprehensio, quid aliud, amabo te, nisi sanam omnino, et eamdem Clementis ac Patrum Nicænorum de Trinitatis mysterio doctrinam fuisse demonstrat? Quam constanter porro in hoc præcipuo Christianæ religionis dogmate propugnando ille perseveraverit, iis sane omnibus, quæ a nobis ex his *Stromatum* et aliis ejus libris adducta sunt, tam clare et invicte probatur, ut qui illud negare, vel in dubium vocare ausus fuerit, is meridiano soli lumen adimere velle videatur.

168 ARTICULUS III.

Singularis et nova recentioris cujusdam Sociniani contra Christi divinitatem opinio refellitur.

Postquam hæc a nobis contra veteres novosque Arianorum et Socinianorum errores ita disputata ac stabilita sunt, venit in manus nostras furtivus quidem nescio cujus Sociniani hominis libellus, quo ille ex Platonis Λόγῳ factam fuisse a secundi Ecclesiæ sæculi Patribus secundam sanctissimæ Trinitatis personam intolerabili prorsus audacia asseverat. Sed quis os impurissimum et incredibilem plane scriptoris illius impudentiam ferat, qui cum negare non possit summam Christi divinitatem a Clemente nostro palam et aperte prædicari ac defendi, stulte omnino et insulse garrit illum ex primis Ecclesiæ Patribus esse unum, qui ex Platonis schola in sacratiora Christianæ Ecclesiæ adyta hoc novum dogma invexit. Fingit enim vir ille audacissimus primo post Christi ortum sæculo Christianos omnes, qui gentilis philosophiæ nuntium plane remiserant, Christi negasse divinitatem ; secundo autem sæculo ineunte Justinum martyrem, ac postea Clementem nostrum, Platonis imbutos doctrina, eam Christianis documentis accommodasse, atque ex Dei Λόγῳ, Verbo, sapientia, aliisque, quæ Plato divinæ attributa dicebat, distinctas a Deo Patre, sed ejusdem naturæ personas constituisse.

Sed quis stupendum illud atque omnibus hactenus inauditum paradoxum in hominis alicujus mentem venisse, illudque ab ipso tam insolenter in lucem proferri, et doceri non obstupescat? Missum enimvero facimus hoc commentum plane penitusque rejici, et impugnari ab ejusdem, cujus scriptor iste neotericus fautor est, sectæ hominibus, qui Justinum martyrem, et Clementem nostrum in suas contra Christi divinitatem partes trahere conati sunt. Ex solita siquidem errantium hominum contradictione adversus insulsissimum opinionis monstrum, quod seipso corruat necesse est, pugnandum esse non arbitramur.

Illius itaque falsitatem ex iis evidentissime probamus, quibus doctissimos Ecclesiæ Patres, primo et secundo ejusdem Ecclesiæ sæculo, atque ipsummet etiam Clementem nostrum supremam Christi divinitatem, agnovisse constanterque vindicasse in hac aliisque superioribus nostris dissertationibus abunde demonstratum est.

Deinde vero ridiculum plane vigilantis hominis somnium est a Justino martyre, aut quolibet alio, cum Platonica philosophia in Christianam Ecclesiam introductum fuisse hoc de eadem Christi divinitate documentum. Quod quidem ut planum omnibus et manifestum fiat, prius sedulo observandum est extra nascentis et adolescentis Ecclesiæ limina philosophiam gentilem, uti Socinianus quoque ille scriptor fatetur nosque infra ostendemus, procul fuisse amandatam. Postea vero Clemens, aliique eruditissimi homines quod in ea aliisque philosophorum placitis verum erat, quodque ab Hebræis ethnici philosophi hauserant, a Christianis admittendum esse variis rationum momentis conviceruat. Sed tum illi, quemadmodum etiam infra dicetur et diligenter animadverti debet, plures eosque acerrimos experti sunt adversarios, qui, cum id præfracte negarent, non sine longo temporis lapsu, aliquid et paganorum philosophia a nostris susceptum est. Ex his itaque ita observatis evidenter colligitur falsum omnino esse Clementis, multoque minus Justini martyris ætate, qua hujusce altercationis æstus major erat, novum de Christi divinitate dogma et Platonis Academia in Christianorum Ecclesiam potuisse transmitti. In eum enimvero, qui id tentare ausus fuisset, omnes certe Christiani, ac præsertim gentilis philosophiæ inimici illico involassent, nec impune tulissent ab illo funditus everti præcipuum fidei nostræ fundamentum. Qua ergo fronte Clemens noster in suis omnibus scriptis, præcipue vero in his *Stromatum* libris, ubi tantopere vera ethnicæ philosophiæ documenta a Christianis recipienda esse probat, divinitatem Christi, uti vidimus, passim asseruit et vindicavit? Cur adversariorum suorum insidias et malevolentiam minime deprecatus, eas amoliri non conatur, imo vero de iis nequidem cogitat? Cur hoc dogma, non secus ac alia, quibus nemo unquam refragatus est, tam aperte et confidenter proponit ac propugnat? Nonne id manifestissimo nobis indicio est hanc communem semper fuisse omnium Christianorum opinionem et sententiam?

Quid vero, quod ille non minus planum facit Platoni, utpote Hebræorum scientia instructo, non bene compertum fuisse sanctissimæ Trinitatis mysterium, atque in eo exponendo a veritate non parum descivisse? Quid etiam, quod idem Clemens nihil ex his, quæ ille philosophorum facile princeps de Dei Λόγῳ, Verbo, et sapientia dixerat, sed

[91] Euseb., l. v Hist., c. 28, p. 196. [92] lib. v Strom., p. 598. [93] Justin., Exhort. ad Græc., p. 21. [94] l. viii cont. Julian., p. 272. [95] Plato, t. III, epist. 8, ad Erast., etc., et epist. 2 ad Dionys.; Euseb., l. i Præpar. ev., c. 16, 17 et 18. [97] Strom. l. v, p. 581, 604.

Digitized by Google

alia, sicut diximus, illius de divina Trinitate testimonia in medium adduxit?

Sed agedum, qua, quæso, tandem ratione Clemens, aliique ejusdem ætatis scriptores ex duobus tantummodo Dei attributis, minime vero ex aliis distinctas a Patre, sed ejusdem naturæ personas fecisse dicuntur? Nulla certe ratio, neque ab hoc Sociniano scriptore, neque ab ullo alio unquam afferri poterit. Sed pudet tædetque in absurdissima opinione, ex putido hæretici hominis cerebro nata, diutius refellenda commorari.

ARTICULUS IV.

De Christi in mundum venturi prænuntiis et oraculis, ac præsertim de septuaginta Danielis hebdomadibus.

Cur Filius Dei, verus æternusque Deus, humanam carnem statuto quodam tempore induere homoque fieri voluerit, hanc Clemens contra Cassianum affert rationem [98]: ut nostrum primique hominum parentis peccatum, inobedientia perversaque voluptate admissum, deleret aboleretque. Porro autem illum Christi ad homines adventum, sive, ut theologi loquuntur, incarnationem ab ipso mundi exordio variis divinisque prophetarum oraculis fuisse prænuntiatam, sic auctor noster luculenter tradidit: « Venientis, inquit [99], ad homines Domini, qui nos erat docturus, innumerabiles fuere significatores, annuntiatores, præparatores, præcursores ab alto ex mundi constitutione, per opera, per verba præsignificantes, prædicentes esse venturum, et quomodo, et quando, et quænam essent futura signa. Eminus certe lex præmeditatur et prophetia. Deinde præcursor (videlicet Joannes Baptista) ostendit præsentem, postquam prædicatores docentes **169** adventus virtutem significant. » Quæ autem fuerint hæ prædictiones, et quomodo suum sortitæ sint effectum, a nobis demonstrari nihil penitus necesse est. Hoc enim argumentum non modo ab omnibus fere scholasticis theologis, sed ab aliis etiam doctissimis scriptoribus cum recentioribus tum antiquis, atque in primis Eusebio et Huetio [1], integris maximisque de illo editis voluminibus, fusissime et eruditissime pertractatum esse nullus profecto est, qui vel nesciat, vel eorum libros facile adire non possit.

Nefas tamen putamus ea silentio prætermittere, quæ auctor noster ad explicandum celeberrimum Danielis de futuris usque ad Christum hominem factum hebdomadibus oraculum scripto tradidit. Tria itaque, quæ ad propositum nostrum maxime pertinent, sunt accurate enucleanda: primo, quæ vera sit Clementis nostri de hoc vaticinio sententia, genuinaque, de qua nonnulli inter se digladiantur, illius interpretatio: secundo, quid in illa jure vel injuria arguatur; ac tertio tandem, quæ sint aliorum de eadem prædictione opiniones.

Ante omnia vero, cum integrum Danielis textum Clemens noster descripserit, a nobis accurate ob oculos cuique subjiciendum est quo et quam diverso ab aliis modo hunc ille exhibeat: « Septuaginta, inquit [2], hebdomades abbreviatæ super populum, et super civitatem sanctam tuam, ut consumatur peccatum, et obsignet peccata, et deleat iniquitates [3], τὰς ἀδικίας (Euseb. [4] ἀνομίας), et ut expiet (Euseb. et Polygl. addunt ἀδικίας, iniquitates, seu injustitias), et ut agat justitiam sempiternam, et obsignet visionem, et prophetam, προφήτην (Euseb. προφητείαν, prophetiam), et ut ungat Sanctum sanctorum: et cognosces et intelliges ab exitu sermonis, ut respondeas ἀποκρίνασθαι (Euseb. et Polygl. ἀποκριθῆναι, respondeatur), et ædificetur Jerusalem. Usque ad Christum ducem hebdomades septem et sexaginta duæ, et convertetur, et ædificabitur platea et murus καὶ τεῖχος (variæ lectiones et Polygl. addunt περί), *et inanientur*, κενωθήσονται (Polygl. ἐκκενωθήσονται) tempora. et post sexaginta duas hebdomadas exterminabitur chrisma, et judicium non erit, οὐκ ἔσται (Poly. et Euseb. οὐκ ἔστιν, non est) in ea, et civitatem et sanctum destruet cum duce veniente; et exscindentur inundatione, et usque ad finem belli abbreviati, συντετμημένου (L. συντετηγμένου) internecionibus, et confirmabit testamentum multum, πολλήν (Euseb. et Polygl. πολλοῖς, multis) hebdomade una, et in dimidio (ante ἡμίσει adde τῷ) hebdomadis tolletur sacrificium meum (Euseb. deest μοῦ), et libamen, et in templo abominatio desolationum (Euseb. et Polygl. addunt ἔσται), et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur in desolationem. »

Hucusque sacer editorum Bibliorum textus, nihilque in illo neque apud Eusebium amplius habetur. Pergit tamen Clemens, et continenter subnectit hæc sacri textus verba: Καὶ ἡμίσου τῆς ἑβδομάδος καταπαύσει θυμίαμα θυσίας, καὶ πτερυγίου ἀφανισμοῦ, ἕως συντελείας, καὶ σπουδῆς τάξιν ἀφανισμοῦ. « Et dimidium hebdomadis cessare faciet thymiama sacrificii, et expansio destructionis, usque ad consummationem et instar destructionis libaminis. » Sed in Anglicanis polyglottis inter variantes lectiones animadvertitur ante hæc verba, « testamentum multis hebdomade una; » vel ut notat Nobilius, post hæc duo verba, « sacrificium meum, » isthæc, quæ paulo aliter in editione Aldina et in Vaticanæ margine repræsentatur, scripta olim fuisse: Καὶ ἡμίσου τῆς ἑβδομάδος καταπαύσει θυσιαστήριον καὶ θυσίας, καὶ πτερυγίου ἀφανισμοῦ, καὶ ἕως συντελείας, καὶ σπουδῆς τάξει ἐπὶ ἀφανισμῷ. Nobilius autem observat pro καὶ πτερυγίου aliter haberi ἕως πτερυγίου. « Et dimidium hebdomadis cessare faciet altare, et sacrificia et alæ (*al.* usque ad alam) a desolatione, usque ad consummationem et festinationem ponet in desolationem. » Denique Tertullianus [5], ubi Danielis textum descripsit, illa posteriora verba omisit, hæcque habet a nostris diversa: « Usque ad Christum ducem hebdomadas septem et dimidiam, et sexaginta duas et dimidiam, et convertet, » etc.

His ita observatis, jam examinandum est quomodo illud Danielis oraculum Clemens interpretetur: « Quod itaque in septem hebdomadibus, inquit [6], ædificatum sit templum, hoc clarum est. In Esdra enim scriptum est: Et sic fuit Christus rex, dux Judæorum, cum impletæ essent septem hebdomades in Jerusalem, et in sexaginta duabus hebdomadibus quievit universa Judæa, et fuit absque bellis, et Dominus noster Christus, Sanctus sanctorum, cum venisset, et visionem implesset, et prophetam, in carne unctus est Patris sui spiritu. In his sexaginta duabus hebdomadibus, quemadmodum dixit propheta, et in una hebdomade Dominus: dimidium hebdomadis tenuit Nero regnans, et in sancta civitate Jerusalem statuit abominationem, et in dimidio hebdomadis, et ipse sublatus est, et Otho, et Galba, et Vitellius. Vespasianus autem et imperium obtinuit, et Jerusalem diruit, et sanctum desolatum reddidit. »

Postea vero pluribus paginis interjectis: « Præterea, inquit [7], illa quoque sunt referenda ad chronologiam, dies, inquam, quos significat Daniel a desolatione Jerusalem, Vespasiani anni septem menses septem. Duo etiam anni adjunguntur Othonis, et Galbæ, et Vitelli, septemdecim mensibus, octo diebus: et sic fiunt anni tres, menses sex, quod est dimidium hebdomadis, quemadmodum dixit Daniel propheta. Dixit enim bis mille trecentos dies fuisse, ex quo stetit abominatio a Nerone in civitatem sanctam usque ad ejus eversionem.

[98] Strom. l. III, p. 466. [99] Strom. l. VI, p. 697. [1] De demonst. evang. [2] Strom. l. I, p. 330. Dan. IX. 24 et seq. [3] Demonst. evang. l. VIII, p. 381. [4] L. adv. Judæos, c. 8. [5] Lib. I Strom., p. 330. [6] Ibid. p. 340.

Digitized by Google

Sic enim ostendit dictum, quod subjicitur : *Quousque stabit visio, sacrificium sublatum, peccatum desolationis, quod datum est : et potestas et sanctum conculcabitur. Et dixit ei : Usque ad vesperam dies bis mille trecenti, et tolletur sanctum*[8]. Hi ergo bis mille trecenti dies fiunt anni sex, menses quatuor, quorum dimidium tenuit Nero, imperium obtinens, et fuit dimidium hebdomadis ; dimidium autem Vespasianus cum Othone, Galba et Vitellio. Et ideo dicit Daniel : *Beatus qui pervenerit ad dies mille trecentos triginta quinque*[9]. Ad eos enim usque dies fuit bellum, post hæc autem cessavit. Ostenditur autem hic quoque numerus ex subjecto capite, quod sic habet : Et a tempore immutationis perennitatis, et quo data fuerit[10] abominatio desolationis dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui sustinuerit et pervenerit ad dies mille trecentos triginta quinque. »

Hæc est Clementis nostri de Danielis oraculo, et assignatis ab eo hebdomadibus sententia. Quæ quidem ut facilius intelligatur, animadvertendum primo est has Danielis hebdomadas juxta Clementis mentem neque dierum esse, neque decenniorum, **170** neque jubilæorum, seu quinquaginta annorum, neque sæculorum, sive annorum centum, uti nonnullis perperam visum est : sed ut ipse aperte declarat, annorum ; ita ut unaquæque hebdomas septem constet annis. Enimvero ille, uti vidimus, expressis dixit verbis annos tres et menses sex esse hebdomadis dimidium. De annis porro solaribus eum loqui eo facile colligitur, quod ad Romanorum imperatorum annos, qui solares procul dubio erant, illos accommodet. Ex ipsius itaque et aliorum certiore opinione septuaginta hebdomades annos quadringentos nonaginta conficiunt. Quibus profecto cum duas alias dimidias hebdomades, sicut et Tertullianus, sed paulo aliter, uti dictum est, a Daniele adjectas esse putaverit ; inde liquido patet persuasum ipsi fuisse his Danielis hebdomadibus annorum quadringentorum nonaginta septem summam constitui. Hucusque autem Clementis de his hebdomadibus sententia et explicatio vera doctioribus videtur, et opinioni anteponenda aliorum, qui usque ad prænuntiatam a Daniele « abominationem desolationis, » et Christi ortum, aut brevius, aut longius, quam par est, temporis spatium assignant.

Secundo igitur notandum est præcipuam ac pene totam in explicandis Danielis hebdomadibus difficultatem in earum initio et fine statuendo esse positam. Utrum autem hæc a Clemente nostro recte circumscribantur, aut quid in eis circumscribendis peccasse et a vero aberrasse dicatur, jam investigandum est.

Primus ergo in medium prodeat Hieronymus[11], et quid in ea Clementis sententia falsi arguat, attendamus : « Clemens, inquit, vir eruditissimus, presbyter Alexandrinæ Ecclesiæ, parvipendens annorum numerum, a Cyro rege Persarum usque ad Vespasianum et Titum imperatores Romanos, septuaginta annorum hebdomadas dicit esse completas, id est annos quadringentos nonaginta, additis in ipso numero duobus millibus trecentis diebus, de quibus supra diximus : Persarumque et Macedonum, et Cæsarum tempora in his hebdomadibus enumerare conatur ; cum juxta diligentissimam supputationem a primo anno Cyri, regis Persarum atque Medorum, in quo imperavit et Darius, usque ad Vespasianum et eversionem templi, supputentur anni sexcenti triginta. » Clementem igitur magni erroris, nimirum ducentorum quadraginta annorum anachronismi Hieronymus accusat, reumque agit. Alii quoque ejusdem fere aberrationis Clementem arguunt, eo ducti argumento, quia a primo Cyri anno, qui primus Olympiadis quinquagesimæ quintæ fuit usque ad Jerosolymitanum excidium quod Olympiade ducentesima duodecima contigit, Olympiades centum quinquaginta octo, atque adeo anni sexcenti viginti octo numerentur.

Verum Petavius[12] putat veram Clementis mentem et opinionem neque his satis fuisse perspectam, neque ipsimet Hieronymo, qui non animadvertit septuagesimam hebdomadem solitariam, et ab aliis sejunctam a Clemente distrahi. Fatetur quidem Clementem perobscure loqui, hunc tamen genuinum verumque arbitratur esse illius sensum. Hebdomadarum, inquit Petavius, initium ille a primo Persici imperii anno, Cyri autem secundo, sumpsit, putatque septem primas hebdomades secundo absolvi Darii anno. Neque porro censuit septuaginta hebdomadas sibi conjunctas esse et continuatas, sed earum tres partes a se invicem temporibus disjunxit. Primum siquidem intervallum annorum quadraginta novem a primordiis Cyri perducit usque ad Darii secundum. Dehinc vero duas supra sexaginta hebdomadas, id est annos quadringentos triginta quatuor subjunxit. Opinatus est autem ad aliquem Christum desinere, et utramque illiam hebdomadum partem, et hoc temporis intervallum ; ita ut primo quidem intervallo, seu elapsis septem hebdomadibus, Jerosolymæ exstiterit ἡγούμενος Christus. Quo quidem nomine Petavius existimat Judaici populi, postquam sua illi libertas restituta est, principem ac ducem esse intelligendum. Deinde vero aliud hebdomadarum sexaginta duarum intervallum a Clemente clauditur vel Christi ortu, vel ejus baptismo ; neutrum enim ille satis aperte designavit. Denique ultimæ seu septuagesimæ hebdomadis, ab aliis sejunctæ, dimidiam partem imperio consignat Neronis, quo regnante « abominatio desolationis » in templo posita est. Alteram vero dimidiam partem occupavere Otho, Galba, Vitellius, ac Vespasiani primordia ad ultimam usque Jerosolymorum tam civitatis quam templi vastationem.

Addit adhuc Petavius septuaginta Jeremiæ annos juxta Clementis nostri mentem et sententiam a primo inchoari Olympiadis quadragesimæ octavæ anno, qui undecimus Joachimi et Nabuchodonosoris septimus est, et ad Darii secundum perduci.

Atque hanc doctissimus Petavius arbitratur esse veram Clementis opinionem. Nam alioqui, inquit, sibi ipsi nimis aperte Clemens contradiceret, utpote qui persuasum habeat, Persis imperantibus, annos ducentos triginta quinque, et inde ad Cleopatræ mortem annos trecentos quatuor, atque ita a Cyro ad Actiacam victoriam quingentos triginta novem annos fluxisse. Verumtamen in Clementis opinione plura falsa et absurda esse haud dubitanter Petavius asseverat.

An autem ille auctoris nostri mentem melius quam alii exploratam habuerit, in dubium haud immerito vocari potest. Primum enim de interjecto a Clemente intra septuaginta hebdomadas aliquo temporis intervallo nullum quidem in hoc libro vestigium apparet. At, inquit Petavius, nisi illud interponatur, Clemens immanis anachronismi condemnandus est. Sed ad scriptorem errore liberandum fas non est ea illi ascribere, de quibus et nullum habet verbum, et ne cogitasse quidem videtur.

Alia porro illius excusandi et percipiendæ illius mentis ratio iniri forsitan potest. Non enim ita clarum et apertum est, quicquid dicat Petavius, unde Clemens septuaginta hebdomadarum initium ceperit. Et certe quamvis ille chronologiam regum Persarum exhibeat, eamque a Cyro ordiatur, et Zorobabelem ut templum Jerosolymitanum instauraret, anno secundo Darii Hystaspis filii missum dixerit ; non inde tamen sequitur Clementem asseverasse septuaginta hebdomadas a primo Cyri anno suum

[8] Dan. VIII, 13, 14. [9] Dan. XII, 12. [10] ibid. 10, 12. [11] Comment. in c. IX Dan., p. 1151. [12] l. XII De doctr. temp. c. 30.

Digitized by Google

accepisse principium. At, inquit Petavius, ab eo Cyri anno usque ad Darium Clemens quadraginta novem annos computat. Eo igitur numero septem, uti ille ait, ab Esdra computatæ hebdomades comprehenduntur. Verum hæc conclusio Petavii est, non vero Clementis, qui nullibi dixit has hebdomades his Cyri, ejusque successoris Cambysis annis contineri. Quid autem, quod Clemens illam regum Persarum chronologiam non ideo retulit, ut cum ea septem **171** primas componeret Danielis hebdomades, sed ut Hebræos sacrosque scriptores cæteris antiquiores esse demonstraret?

Fatemur quidem finem harum hebdomadarum, cum Romanorum imperatorum annis ab illo haud indiligenter comparatarum, ad Vespasiani usque tempora, ac Jerosolymorum cum urbis, tum templi excidium produci. At quo diligentius hanc instituit comparationem, eo clarius patet ipsi in mentem non venisse, ut illarum exordium cum Persici regni primordiis contenderet. Ad hæc vero, legis ad restaurandum Jerosolymorum templum a Cyro datæ, qua quidem ii, qui inde Danielis hebdomades inchoari censent, unico opinionis suæ fundamento innituntur, nullam plane Clemens mentionem fecit. Verum econtrario ille diserte narrat quomodo Zorobabel, templi Jerosolymitani restituendi causa, secundo Darii anno missus fuerit. Incertum igitur est utrum ille ab hoc tantum temporis puncto Danielis hebdomadas initium sumpsisse putaverit.

Quidquid vero de hac tam obscura, ut ait Petavius, Clementis opinione dicatur, negari sane non potest eam eo majoribus implicari difficultatibus, quo ille longius quam par est earum, ut diximus, hebdomadarum tempus protraxisse haud immerito arguatur. Quamobrem si quis in ejus opinione, quam tamen nonnulli postea propugnarunt, sit error, is sane in allatum ab ipso ex quodam apocrypho Esdræ libro testimonium refundendus est.

Cæterum is lapsus Clementi nostro ideo facilius condonabitur, quia plures sunt et veterum et recentiorum de his Danielis septuaginta hebdomadibus, ac præsertim de illarum exordio et fine opiniones. Tam varias quippe et diversas in sententias illi abierunt, ut tot eorum sensus, quot capita esse videantur. Has porro singulatim recensere a nostro instituto tam alienum est, quam id operosius a Petavio, Baillio, aliisque, sed in primis a synopsis criticorum auctore factitatum [14].

Quænam autem ex iis sententiis, quæ a soluta captivitate Babylonica initium harumce hebdomadarum ducunt, celebriores fuerunt, si scire aveas, tres aut quatuor præcipuas tibi repræsentabimus. Itaque prima, de qua hactenus disputavimus, et quæ Clementi nostro non uno eodemque sensu ascribitur, illorum est, qui Danielis hebdomades primo aut secundo Cyri anno primordium habuisse, et Jerosolymorum urbis et templi ruina terminari autumant. Altera hebdomadarum initium statuit Artaxerxis Longimani anno septimo, et earum in Christi morte finem. Tertia eas asserit anno secundo Darii aut Hystaspis, aut Nothi incœpisse, ac Neronis desiisse anno duodecimo, quo bellum Romanos inter et Judæos ita gerebatur, ut tribus postea annis, sexque elapsis mensibus Jerusalem diruta soloque æquata fuerit. Quarta illarum consignat principium anno vigesimo Artaxerxis Longimani, et finem anno post Christi mortem quadragesimo, vel, ut aliis placet, intra ultimæ hebdomadis spatium, quo Christus crucis supplicio vitam finivit.

Quæ autem sint harum aliarumque opinionum firmamenta, et quid in illis sit validum aut imbecillum, certum vel incertum, disces ex Hieronymo, qui Africani, Eusebii, Hippolyti, Apollinaris, Clementis nostri et Tertulliani sententias retulit, atque ex recentioribus, Scaligero, Petavio, Huetio, Baillio, et aliis cum theologis, tum sacræ Scripturæ interpretibus, atque etiam historicis et chronologis [15].

ARTICULUS V.

De Christi Domini ortus et baptismi anno et die.

De anno et die quo Christus, juxta illam Danielis prædictionem aliorumque prophetarum oracula, natus et mortuus est, quæ Clemens noster statuerit eo accuratius examinanda sunt, quo ea ab Herveto minus intellecta, aliis forsitan difficiliora videri possunt. At de natali Christi anno hæc ille scribit [16]: « Natus est Dominus noster vigesimo octavo anno, cum primum jusserunt censum descriptionemve fieri tempore Augusti. Quod autem hoc verum sit, sic scriptum est in Evangelio secundum Lucam: Anno autem quinto decimo Tiberii Cæsaris, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium. » Et rursus in eodem: « Erat Jesus veniens ad baptisma quasi triginta annorum. » Anno igitur vigesimo octavo imperii Augusti Cæsaris Christum Dominum natum esse Clemens noster diserte pronuntiat. Quapropter ipse paulo post: « Quem dicunt, inquit [16], vigesimum octavum annum Augusti. »

Verum celeberrimi et antiquissimi scriptores Christum anno ejusdem imperatoris vel quadragesimo primo, vel quadragesimo secundo ortum fuisse valde asseveranter affirmant. Irenæus siquidem hæc de eo totidem verbis tradidit [17]: « Natus est Dominus noster circa primum et quadragesimum annum Augusti imperii. » Tertullianus vero magis expresse et enucleate illum anno quadragesimo primo Augusti natum esse asseverat: « Videmus autem, ait ille [18], quoniam quadragesimo et primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus. Et supervixit idem Augustus, ex quo nascitur Christus, annis quindecim. » Eusebius tamen eumdem natalem Christi diem in annum subsequentem rejicit: « Annus, inquit [19], jam agebatur secundus et quadragesimus imperii Augusti. A subacta autem Ægypto, et ab interitu Antonii et Cleopatræ, in qua Ptolemæorum in Ægypto dominatio desiit, octavus ac vigesimus; cum Servator noster Jesus Christus prima illa descriptione census, quæ facta est Quirinio Syriæ præsidente, secundum prophetarum de illo vaticinia, in Bethlehem Judææ natus est. » Quamobrem in ejus *Chronico* hic Christi natalis annus ipso quadragesimo secundo imperantis Augusti anno consignatur. Eusebio non semel Epiphanius aliique subscripserunt [20].

Quamobrem Hervetus, Eusebii, uti ipsi videbatur, auctoritate fretus, ratusque corruptum esse Græcum Clementis textum, pro « vigesimo octavo anno Augusti, » legendum « quadragesimo primo anno Augusti, » persuasum ita habuit, ut eumdem Clementis textum ausus fuerit in sua interpretatione Latina immutare. Sed perperam. Nesciebat enim ille, aut certe animum non adverterat, quod tamen apud chronologos vulgare et tritum est, duo in primis esse Octaviani imperii initia, unum quidem ipso, vel sequenti anno, quo Julius Cæsar occisus fuit; alterum vero ab Actiaca victoria, seu post Antonii et Cleopatræ mortem, quando Augustus rerum potitus est. Ab hoc autem tantum secundo temporis puncto, Clemens et populares ejus Ægyptii, qui tunc, teste Eusebio, relicta Ptolemæorum dominatione, in Augusti potestatem erant redacti, solebant illius **172** imperii primordia computare. Et hæc

[14] in Dan. c. IX. [15] Hier. in c. IX Daniel. Euseb. l. VIII De demonstr. evang., c. 2. Scal. l. VI, De emend. tem. p. 526 et seq. Petav. l. XII, De doctr. temp. c. 30 et seq. Huet. Demonst. ev. p. 435 et seq. Baillius l. I Operis histor., quæst. 18 et seq. p. 62 et seq. [16] Strom. l. I, p. 339. [16] Ibid. p. 340. [17] Iren. l. III, adv. hæres. c. 25. [18] Tertul. l. adv. Jud., c. 8. [19] Euseb. l. I Hist., c. 5. [20] Epiph., Hæres. p. 48 et 51; Alog. § 22, p. 444, et l. De ponder. et mens. § 11, p. 169.

Digitized by Google

quidem, si quid opus esset, invictissime probat jam citata a nobis Eusebii auctoritas et historia, ubi juxta illam posteriorem Ægyptiorum, ac proinde Clementis nostri sententiam, Christum vigesimo octavo Octaviani imperii anno natum esse non minus perspicue quam Clemens noster significat. Hervetus itaque non hunc Eusebii locum, tametsi omnibus satis obvium, sed quod solum laudavit, *Chronicon* ejus legisse multis sane videbitur. In suis ergo scribendis in hos *Stromatum* libros commentariis quantam ille diligentiam adhibuerit, non ex hoc solum, sed aliis quampluribus locis quilibet poterit haud difficiliter animadvertere. Sed hæc obiter.

Auctor porro noster non solum natalem Christi annum, sed illius quoque ortus, non secus ac baptismatis et mensem, et diem ex aliorum tamen potius, quam ex sua sententia sic enarrat [21]: « Sunt autem qui curiosius natalis Domini non solum annum, sed etiam diem addunt, quem dicunt vigesimum octavum Augusti in vigesimum quintum Παχων. Basilidis autem sectatores ejus quoque baptismi diem celebrant, totam præcedentem noctem in lectionibus transigentes. Dicunt autem eum esse quintum decimum annum Tiberii, quintum decimum mensis Tubi; aliqui autem eum esse undecimum ejusdem mensis. Quinetiam dicunt ex iis aliqui eum natum esse vigesimo quarto aut vigesimo quinto Pharmuthi. » At Hervetus hunc in locum observavit Ægyptiorum dies et menses, quos Clemens ibi tam accurate notat, nec sibi esse cognitos, nec intelligere quinam dicatur dies vigesimus octavus « Augusti in vigesimum quintum Pachon. » Fatetur quidem ab Epiphanio horum mensium nomina recenseri, sed aliam a nostra esse Ægyptiorum eos computandi rationem; quippe qui, teste Cel., lib. xv, cap. 19, annum a Cancro incipiant. Quapropter hæc iis, quibus magis perspecta fuerint, examinanda relinquit. Verum de Ægyptiacis illis mensibus disputant non modo Beda lib. *De temp. rat.*, cap. 9, et in hunc librum Noviomagus, sed recentiores quoque chronographi Calvisius, *Isagog. chronol.*, cap. 9; Scaliger *De emendat. temp.*, p. 188; Petavius, *Rationar. tempor.*, part. II, cap. 12, et lib. VII *De doctr. temp.*, cap. 13, pag. 650, et Kirker, tom. II *Œdip. Ægypt.* part. II, cap. 1 et seq., et præcipue pag. 275 et seq.

Ex his autem scriptoribus omnes facile discent, quod Hervetus ignoravit, Ægyptiacum mensem Pachon incipere die vigesima sexta Romani Aprilis; Tubi die vigesima septima Decembris, et Pharmuti die vigesima septima Martii. Narrat itaque Clemens triplicem suo tempore fuisse, haud dubie Ægyptiorum, de Christi natali die opinionem, ac visum quibusdam fuisse eum in lucem editum die vigesima quinta Pachon, hoc est Mani nona, aliis vero die vigesima quarta, aut vigesima quinta Pharmuti, id est decima nona aut vigesima Aprilis, aliis denique decima quinta aut undecima Tubi, hoc est duodecima aut octava ineuntis nostri Januarii.

Ab hac autem ultima sententia quidam putant non longe recedere Epiphanium, qui natalem Christi diem, uti ait Petavius, hunc in modum accuratissime describit [22]: « Cum enim Januario mense natus esset octavo Idus Januarii, qui est apud Romanos Januarii dies sextus, Ægyptiis porro Tubi, Syris sive Græcis Audinæi sextus; Cypriis sive Salaminis quinti mensis dies quintus, Paphiis Julii decimus quartus, apud Arabes vero Aleom vigesimus primus, Cappadocibus Atartæ decimus tertius, Hebræis Tebeth decimus tertius, Atheniensibus Mæmacterionis sextus. » Et hæc quidem sunt Epiphanii verba, quibus significare potius videtur, quo mensis Januarius nomine apud illas nationes appellaretur, quam utrum illæ eodem ac Romani die mensis Januarii natalem Christi diem celebrarent.

Quod autem idem Epiphanius Christum octavo Idus, sive sexto Januarii die natum esse addidit, in hoc certe ab Hieronymo ita vapulat: « Apud orientales populos, » Hieronymi verba sunt [23], « post collectionem frugum et torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, et Januarius quartus. Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, et Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est; non ut quidam putant natalis in carne; tunc enim absconditus est, et non apparuit. »

Cæterum Clemens noster de Christi natali die non suam, sed aliorum opiniones protulit. Hos autem quidam hæreticos fuisse opinantur. Sed quia Clemens nullum ibi nominat, imo vero quia Basilidianos ibidem, aliis omissis, nominatim appellat, id non videtur certum omnino et indubitatum.

Cum autem ipse Clemens aperte dixerit hanc non omnium, sed aliquorum tantum fuisse sententiam, inde haud incerto colligere possumus plures alios ab ea discessisse. Quo autem die Ægyptii hunc diem Christi natalem contigisse crediderint, illiusque celebraverint solemnitatem, ita refert Cassianus [24]: « Mos iste in regione Ægypti servatur ex institutione antiqua, ut peracto Epiphaniorum die, quem sacerdotes illius provinciæ dicunt esse diem baptismi Christi, vel nativitatis ejus secundum carnem. Unde et de utraque illa unam tantum faciunt solemnitatem, non duas, sicut fit in Occidentis partibus. »

Variæ igitur, uti ex dictis liquet, in una eademque regione, sive in iisdem provinciis et regnis olim fuerunt, atque etiam nunc sunt de illo ipso die opiniones. Recentiorum etenim quatuor potissimum sententiæ numerari possunt, quarum prima quorumdam est, qui hunc diem assignari et definiri posse inficiantur. Secunda Calvisii et Scaligeri, qui illum sub Septembris finem contigisse contendunt. Tertia Nisbeti Christum initio Aprilis ipsa mortis ipsius die et hora natum esse affirmat. Quarta denique est Baronii, Petavii, aliorumque quamplurimorum, qui hunc diem ex veteri Ecclesiæ traditione in vicesimum quintum Decembris incidisse existimant. Quibus autem harumce opinionum assertores nitantur rationum firmamentis, si scire aveas, videsis Baronium in Notis ad Martyrolog. 25 Decembris, et in *Apparat. ad annal.* § 120 et seqq.; Calvisium cap. 46 et 47 *Isagog. chronol.*; Scaligerum lib. VI *De emendat. temp.*, pag. 506 et seqq., et lib. III *Can. isagog.*, pag 305 et seq.; Petavium in citatum Epiphanii locum, et lib. II *De doctr. temp.*, cap. 1 et seq., et cap. 7; Baillium lib. II Operis hist., quæst. 1, 2 et 3; Pagi in *Apparat. chron.* § 138 et seq., atque alios.

173 ARTICULUS VI.

Quot annos Christus publice concionatus sit, ac de ipsius mortis anno, mense et hora, atque de numero Græco τιη, 318, *crucis et nominis illius typo ac figura.*

Clementem nostrum varias de natali Christi Domini die opiniones referentem, et audivimus, et quid contra doctiores viri dixerint, palam ac more nostro sincere et ingenue ante omnium posuimus oculos. Quid autem ipse de unico Christi post baptismum suum prædicationum ac proinde ultimo illius vitæ anno scripserit, eodem animi candore jam exponamus.

Certum quidem illud videtur, quod ab ipso alicubi scriptum legimus [25]: « Tricesimo quidem anno prædicavit Dominus. » Sed alibi postquam hæc

[21] Strom. l. I, p. 340. [22] hær. 51, § 24, p. 446. [23] Jer. in cap. Ezechiel., p. 728. [24] collat. 10, c 1. [25] Strom. l. VI, p. 658.

Digitized by Google

protulit Lucæ verba : « Et erat Jesus veniens ad baptisma quasi triginta annorum [26]. » continuo subjungit [27] : « Et quod anno solo oporteret eum prædicare, καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, hoc quoque sic scriptum est : *Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me* [28]. Hoc et propheta dixit et Evangelium. Quinto decimo ergo anno Tiberii et quinto decimo Augusti, sic implentur triginta anni usque ad tempus quo passus est. » Nihil certe his verbis clarius et expressius. Verum quo clariora evidentioraque sunt, eo certe majori admiratione omnes affici debent. Ecquis vero non mirabitur quomodo quivis Christianus homo, Evangeliorum lectione vel levissima imbutus, ac proinde multo magis Clemens noster, tam præclara eruditione et doctrina excultus, in sententiam iisdem Evangeliis adeo contrariam et repugnantem abire potuerit ?

Auctori nihilominus nostro suffragari videtur Origenes, cujus hæc sunt verba [29] : « Indicium autem effusæ gratiæ in labiis ejus, hoc est quod brevi tempore transacto (anno enim et aliquot mensibus docuit) universus tamen orbis doctrina et fide pietatis ejus impletus est. » Scimus quidem alio in libro [30] inter ejus opera edito tres annos et dimidium Christi prædicationibus hunc in modum assignari : « Debuerant hi, qui tres annos et dimidium fuisse passionis Job astruunt, tres menses et dimidium dicere ; ut certe vel ex parte veritati non resisterent, et Dominicum exemplum illud consimilarent. Tribus namque annis et dimidio prædicavit Dominus a baptismo usque in passionem. Sic et ipsa historia non tres annos significat, sed breve mensium tempus. » Sed hujusce commentationis auctor cum alius omnino ab Origene sit, nulli plane mirum videbitur si a falsa ejus opinione discedat, aut eam corrigat et emendet.

Tertullianus tamen, sicut Origenes, videtur Clementis nostri sententiæ his verbis patrocinari [31] : « Post Augustum, qui supervixit post nativitatem Christi, anni quindecim efficiuntur : cui successit Tiberius Cæsar, et imperium habuit annis viginti duo, mensibus septem, dies novem. Hujus quinto decimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta, cum pateretur. » Africanum quoque ac Lactantium Tertulliano assensos esse ideo quidam aiunt, quia uterque Christum quinto decimo Tiberii anno a Judæis interfectum perhibent [32]. Verum præterquam quod in Græco Africani textu legitur ἐκκαιδέκατον, decimum sextum, qui in annum secundum Olymp. CCII ab illo memoratæ incidit, neuter sane quo anno Christus mortuus est, ibidem definit.

Fac tamen illos omnes, atque etiam Gaudentium, Clementis nostri opinioni subscripsisse, nulli tamen inde eam veram esse unquam probabitur. Ex sacris siquidem Evangeliis plane constat tria ut minimum a Christo Domino post baptismum paschata, atque adeo tres ut minimum annos, per quos publicis concionibus et prædicationibus operam dedit, fuisse expletos.

At rogabit forsitan aliquis cur in hunc errorem, sacræ evangelistarum historiæ adeo contrarium, tam imprudenter Clemens aut alii quidam eruditi homines impegerint. Facilis est et obvia responsio. Patet enim illum ex iis, quæ retulit, citatis a Luca Isaiæ verbis : « Annum acceptabilem Domini prædicatum misit me [33], » in animum sibi induxisse Christum uno duntaxat post baptismum et ante mortem suam anno publicas apud Judæos habuisse conciones.

Itaque Clementis nostri hallucinatio, tametsi excusari omnino nequeat, eo tamen a benigno lectore minui poterit, quod ille postquam Christum anno Tiberii decimo quinto cruci fuisse affixum dixisset, aliorum recenset opiniones, qui ipsius mortem in subsequentem annum rejiciendam putaverant. Præstat autem ipsamet Clementis in medium adducere verba, quibus et ejusdem Christi mortis non solum annus, sed etiam dies ab illis assignatus memoratur : « Et de ejus, inquit ille [34], passione subtilius disserentes, aliqui quidem sexto decimo anno Tiberii Cæsaris, vigesimo quinto Phanemoth, alii vero vigesimo quinto Pharmuthi, alii vero Pharmuthi vigesimo nono dicunt passum esse Dominum. » At hi menses, uti jam a nobis observatum, Ægyptiaci sunt, quorum primus Phanemoth vigesimo quinto Februarii, secundus autem Pharmuthi vigesimo septimo Martii initium ducebat. Quamobrem ex his aliqui Christum vigesima prima Martii die, alii autem vigesima, aut vigesima quarta Aprilis mortuum esse existimabant. In quam porro sententiam Clemens propendeat, ipsemet ibidem penitus silet. Cæterum in eo quo Christus mortuus est designando die eruditissimi nostræ et superioris ætatis scriptores non parum a seipsis dissident. Alii siquidem ex constanti, ut aiunt, per tria priora Ecclesiæ sæcula traditione die vigesima quinta Martii, alii die vigesima tertia ejusdem mensis, alii tertia Aprilis, vel etiam alio die eum a Judæis interemptum fuisse asseverant. Sed hacce de quæstione præter citatos a nobis superiore articulo auctores, legesis Gerardi Vossii dissert. *De annis quibus natus, baptizatus et mortuus est Christus*, et Henschenii ac Papebrochii ad 25 Martii observationes.

Postremo unum restat a nobis animadvertendum, quod de mortis Christi hora Clemens alicubi [35], sed quasi per transennam perstrinxit : Τοιοῦτόν τι καὶ ἡ ἕκτη ὥρα τῆς σωτηρίου οἰκονομίας ἐμφαίνει, καθ' ἣν ἐτελειώθη ὁ ἄνθρωπος. « Tale quid ostendit etiam hora sexta salutaris œconomiæ, qua consummatus fuit homo. » Quid autem his verbis aliud sibi vult Clemens, nisi Christum hora sexta egisse animam, extremumque edidisse mortalis suæ vitæ spiritum ?

Nos quidem non fugit quantæ in conciliandis evangelistarum de hac suprema Christi hora variis, atque uti videtur, sibi invicem oppositis sententiis et narrationibus, difficultates occurrant. At Clemens **174** ibi non obscure innuit Christum ante horam sextam cruci fuisse affixum, et ipsa hora sexta ex hac vita recessisse. Utrum autem vera sit hæc illius opinio, et inde aliqua evangelistas secum conciliandi ratio suppeditetur, aliorum arbitrio judicioque decernendum ultro relinquimus. Qui plura de hac quæstione scire voluerit, is varios legat Evangelii interpretes, atque Augustinum lib. III *De consen. evang.*, cap. 13, auctorem *Commentariorum in Psalmos* apud Hieronymum, in psal. LXXVII ; Sixtum Sen. lib. VI *Biblioth.*, adnot. 131 ; Baronium ad annum Christi 34, § 162 et seqq. ; Petavium lib. XII *De doctr. tempor.*, cap. 19 ; Baillium lib. II *Operis histor. et chron.*, quæst. 14.

His obiter addamus Clementem [36], ubi de 318 Abrahæ vernaculis, quibus captivum fratrem suum Lot liberavit, breviter disputat, observasse Græci illius τιη' numeri prima littera τ crucem Domini, et duobus aliis ι et η ipsius sacrum Jesu nomen significari. At id ab illo ex antiquissima, quam sæpius citat, Barnabæ epistola desumptum videtur [37]. Illud quoque Ambrosius non semel [38], et Paschasius Ecclesiæ Romanæ diaconus [39], seu potius Faustus Re-

[26] Luc. III, 23. [27] Lib. I Strom. p. 340. [28] Isa. LXI, 2. [29] L. IV Periarch., c. 1, p. 467. [30] in lib. II Job, p. 260. [31] Tertul., lib. adv. Jud., c. 18. [32] Euseb., l. VIII Demonst. ev., § 2, p. 589 ; et Hier. in Daniel. c. IX, p. 148 ; Lact., l. IV, c. 10. [33] Isa. LXI, 2. [34] Strom. l. I, p. 340. [35] Strom. l. VI, p. 684. [36] Strom. l. VII, p. 656. [37] Barnab. epist., p. 6. [38] Ambros., l. I de Abrah., c. 3, p. 287 ; l. II, c. 7, p. 330 ; Prolog. in l. I De fid. c. 18, p. 467. [39] Paschas., l. I De S. Spir., c. 1.

Digitized by Google

giensis, aliique Patres dixerunt. Plura hanc in rem, si libeat, legere poteris animadversa a Cotelerio in suis ad Barnabæ epistolam notis, pag. 18 et seqq.; Moynio *Var. sacr.*, pag. 780 et seq., et quæ nos ad Ambrosii libros subnotavimus.

ARTICULUS VII.

De summa Christi perfectione, et utrum Clemens illum famis, sitis, doloris, aliarumque humanarum affectionum et motuum expertem crediderit.

Quamvis Clemens, uti ante dictum est [60], corpus Christi minime pulchrum esse docuerit, ipsum tamen eumdem Christum Dominum eximiis perfectissimisque animi dotibus et virtutibus pulcherrimum fuisse perquam asseveranter affirmat [61]: « Quod si quis, inquit, affirmet justos, etsi sint deformes corpore, quatenus quidem sunt mores justissimi, esse pulchros, propemodum nullus sic dicens, videri possit male dicere: Et species ejus deficiebat præter omnes filios hominum, dicit prophetia. » Quamobrem ille alibi solum Christum omnibus simul virtutibus præditum et perfectum fuisse apertissime docet et prædicat: « Perficitur, inquit [62], et consummatur aliquis, et ut pius ac religiosus, et ut tolerans, et ut continens, et ut operarius, et ut martyr, et ut gnosticus. In omnibus autem simul perfectus, nescio an ullus sit, nisi solum is qui propter nos induit hominem. »

Ea porro eumdem Christum omnium plane maxima omnigenæ virtutis perfectione ita ornatum existimavit; qua ille solus cunctarum non solum animæ perturbationum, sed corporearum etiam necessitatum expers semper et immunis fuerit. « Talis, inquit ipsemet auctor noster [63], est gnosticus; ut in eum solæ cadant affectiones, quæ oriuntur ut corpus maneat, nempe fames, sitis et similia. Sed in Servatore quidem corpus, ut corpus, necessaria postulare ministeria, ut permaneat, fuerit ridiculum. Comedebat enim non propter corpus, quod sancta virtute continebatur; sed ne eis, qui una cum eo versabantur, in mentem veniret de eo aliter sentire, sicut certe postea quidam existimarunt, eum apparuisse visione et phantasmate. Ipse autem, ut semel dicam, passionis erat expers, ut quem nullus subiret motus, neque voluptas, nec dolor. »

At plures Clementem nostrum, quemadmodum in minuenda corporis Christi pulchritudine, ita in augendis ejusdem illius corporis dotibus nimium et extra veritatis cancellos egressum fuisse opinantur. Ibi enim perspicue docere videtur Christum ideo tantum comedisse, ne susceptum ab eo corpus, apparens tantummodo et adumbratum, non autem verum putaretur. Quamobrem nullas plane videtur in Christo admittere famis, sitis, doloris, tristitiæ, et alias etiam minime vitiosas affectiones. Atqui eum revera esurisse, sitivisse et doluisse, aliisque animi corporisque motibus affectum fuisse Matthæi aliorumque evangelistarum testimonio ita certum est, ut id sine errore ab ullo unquam negari possit.

Verum si mens et sententia Clementis nostri, ac ea quæ alibi de Christo scripsit, attente ac diligenter examinentur, quivis facile perspiciet tantum abesse, ut Ille omnes doloris aut tristitiæ sensus, aliasque humanæ naturæ affectiones, ac si velis infirmitates, a Christo Domino removere penitus voluerit, quin potius aperte pronuntiet vere patibilem fuisse Christi carnem, utpote quæ, sicut vere mortua est, ita ante mortem, dolores et cruciatus vere passa fuerit. Præstat autem ipsummet loquentem audire [64]: « Jam vero universa quoque œconomia, quæ prædicta est a prophetis de Domino, videtur vere parabola iis qui veritatem non norunt, quando Filium Dei, qui fecit omnia, carnem suscepisse, et in utero virginis conceptum esse, quatenus fuit genita sensilis ejus caruncula, καθ' ὃ γεγένηται τὸ αἰσθητὸν αὐτοῦ σαρκίον. Et consequenter quatenus fuit genita, passam esse, τοῦτο πεπονθότα, et resurrexisse unus quidem dicit, alii vero audiunt, Judæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam, ut dicit Apostolus. Aperte autem Scripturæ et iis, qui aures habent, verum ostendentes, illud ipsum quod passa est caro, quam suscepit Dominus, ὃ πέπονθεν ἡ σὰρξ, ἣν ἀνείληφεν ὁ Κύριος, Dei virtutem et sapientiam annuntiant. »

At, inquies, nonne Clemens eam solam cur Christus comederit rationem affert, ne ficta et adumbrata caro ab eo suscepta crederetur? Verum qui hæc nobis objectant, animum non satis adverterunt hanc rationem ibi a Clemente afferri, quia sui temporis hæreticos, qui veram Christi carnem negabant, strictim et pro more suo breviter confutat et refellit. Quamvis igitur eam solam rationem ibi attulerit, quia ad illos confutandos eam solam sufficere putabat; inde tamen alias ab illo exclusas nullus jure merito inferre potest. Et vero aliam ille ipse ibidem suggerit. Ait enim [65] Christi corpus, « quod sancta virtute continebatur, ut corpus necessaria non postulare ministeria, ut permaneat. » Quid enim, quæso, aliud his verbis sibi vult, quam Christum fami et siti, aliisque commotionibus nulla necessitate fuisse obnoxium? quandoquidem ejus corpus « sancta virtute continebatur, » δυνάμει συνεχόμενον ἁγίᾳ, hoc est divinitate, quæ ipsum ejus corpus poterat sine potu et cibo, quibus alii homines indigent, sustentare, eique præbere incrementa. Ad veram itaque, sanam et orthodoxam eorum opinionem Clemens accedit, qui censent Christum his ita usum, ut tamen non indiguerit, potueritque corpus suum sine illorum adminiculo sustentare, atque omnes famis, sitis, doloris aliæque affectiones in eum non necessario **175** ceciderint, sed in libero voluntatis ejus arbitrio semper fuerint positæ. Et hæc quidem Basilii Magni [66], ut alios taceamus, erat sententia, quam ipse his verbis exprimit: Christus « edit et bibit, non iis indigens, sed tibi normam atque modum eorum, quæ corpori et humanæ vitæ necessaria conveniunt, ostendens. Sic itaque flevit, modeste querendo et lamentando, nimiumque dolorem et vehementem afflictionem omnino corrigendo..... Quemadmodum enim cibus, quem ipse degustavit, non est voluptatis, sed potius abstinentiæ quædam occasio, et ut paucis contenti simus, frugalitatis exemplum; sic et ejus lacrymæ non flendi nobis lex, sed honeste flendi regula quædam, secundum quam convenit honeste et cum decoro, servatis naturæ legibus, quæ tristia sunt perferre. » Contende, obsecro, hujus Basilii Magni Clementisque nostri verba et dicta. Ille dicit Christum comedisse quidem et bibisse, sed iis non indigentem; hic vero corpus Christi necessaria illa non postulasse, ut permaneret. Basilius docet Christum comedisse et bibisse, ut in eo frugalitatis haberemus exemplum; Clemens autem, ne Christus simulatum corpus assumpsisse diceretur. Quid ergo in his Clementis magis quam in Basilii verbis reprehensione dignum? Qui plura de his scire voluerit, is theologos scolasticos adeat, in III *Sent.*, distinct. 15, et in D. Thomam, III part., quæst. 15, art. 5 et seqq.; Thomassinum lib. IV *Theolog. dogmat.*, cap. 11, 12, 13; et Coutantium nostrum, in præfat. ad Hilarii Opera, § 131 et seq.

[60] Dissert. super., cap. 4, alt. 3. [61] Strom. l. II, p. 368. [62] l. V, p. 525. [63] Strom. l. VI, p. 649. [64] Strom. l. VI, p. 677. [65] ibid. pag. 649. [66] T. I, homil. de grat. agend., p. 362.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII.

Cur Christus cælibem vitam duxerit? Ipsum esse inexplicabile sacrificium et vitæ æternæ ostium, atque solum omnium hominum magistrum; et quid de illius apud inferos prædicatione Clemens senserit.

Cur Christus cælibem in hoc mundo vitam duxerit, tres plane, quæ observatione dignæ sunt, rationes Clemens reddit: « Primum quidem, ita ille loquitur [47], propriam sponsam habuit Ecclesiam; deinde vero nec homo erat communis, ut opus haberet etiam adjutore aliquo secundum carnem; neque erat ei necesse procreare filios, qui manet in æternum, et natus est solus Dei Filius. » Quibus sane verbis non modo suprema Christi divinitas, de qua superius disputatum est, disertissime asseritur; sed tria etiam non minimi sane ponderis auctor noster profert argumenta, quibus pulchre ostendit cur ipsemet Christus per totum mortalis vitæ suæ tempus cælebs permanere voluerit.

Docet præterea Clemens illum esse non tantum « inexplicabile, ut ipse loquitur [48], sacrificium, quod pro nobis sanctificatur, » et ostium per quod solum omnes homines, etiam philosophi, si salvi esse velint, in cœlestem patriam ingredi possunt; sed eum quoque « solum esse omnium hominum magistrum et præceptorem: « Solus, inquit [49], est magister, qui est solus altissimi casti Patris, qui erudit hominem. » Quinimo alibi addidit [50]: « Is est magister omnium quæ orta sunt, Dei consiliarius, qui præscivit omnia. Is autem ab alto, a prima mundi constitutione multifariam multisque modis et docuit et perficit. »

Sed in hoc Clemens erroris condemnatur, quod tradiderit Christum, divinum præceptorem nostrum, his qui in inferno detinebantur, sive Judæis, sive gentilibus, annuntiasse Evangelium, ita ut ii « qui præ cæteris egregie vixerant, et eorum quæ peccarunt ducti sunt pœnitentia..... salvi fierent per propriam uniuscujusque cognitionem. [51] » Dixit autem Hebræis aut gentilibus; dubius enim hæsit, an solis Hebræis Evangelium a Christo fuerit annuntiatum. Quamobrem cum paganos homines, qui pie vitam egerant, ejusdem gratiæ et misericordiæ participes factos putaret, hæc idcirco adjecit [52]: « Sin autem Judæis solum annuntiavit Evangelium, quibus defuit ea quæ est per Christum agnitio et fides, clarum est utique quod cum apud Deum nullus sit personarum respectus, apostoli quoque, sicut hic, ita et illic annuntiarunt Evangelium iis qui ex gentibus erant apti ad conversionem. »

Neque porro hanc sententiam obiter strictimque, ut sæpius alibi, proponit et perstringit; sed omnes contendit animi nervos ut eam probet, omnibusque, si fieri possit, plane persuadeat. Varia siquidem argumenta tum ex sacræ Scripturæ et Hermæ *Pastoris* auctoritate, tum ex ipsamet ratione petita congerit, quibus eam, quantum in se est, demonstrare conatur. Primum autem Scripturæ testimonium, paulo aliter quam ex Septuaginta interpretatione, ex Jobi libro desumptum est [53], quo infernus, hoc est, ut putat Clemens, non locus, sed ii qui in inferno erant, vocem virtutemque Christi audivisse perhibentur. Alia vero testimonia ille depromit præsertim ex Evangelio, ubi post Christi mortem multa mortuorum hominum corpora, « ut ad meliorem, inquit, locum » transferrentur, resurrexisse legimus.

Tum deinde hanc opinionem suam alio duplici testimonio conatitur stabilire et corroborare; ac primo quidem Isaiæ, qui bovis et ursæ figura Judæos ac gentiles simul futuros, et Deum ab agri bestiis benedicendum prædixit [54]. Postremo suffragium adhibet Psalmistæ, qui futuram gentilium salutem in duobus psalmis haud obscurius designasse ipsi videtur [55].

Aliorum porro, quæ ipse ex ratione desumit, argumentorum hoc in primis fundamentum est. Cum de solis qui pie et juste, etiamsi non perfecte, vitam egerunt, paganis loquatur, neque æquum, neque credibile censet eodem atque impios et injustos supplicio affici. « Nam quis, inquit [56], sanæ mentis et justorum et peccatorum animas esse existimaverit in una condemnatione, injustitiæ maculam inurens Providentiæ? » Deitaque, pergit ille, qui personarum non est acceptor, consilium, providentiam, bonitatem, omnipotentiam decebat ut gentiles, sicuti diximus, justi, non secus ac Judæi, quocunque tandem in loco essent, a Christo vel apostolis edocti et vera cognitione informati, post actam eorum quæ admiserant peccatorum pœnitentiam, æterna salute donarentur.

Hæc sane fuit Clementis opinio ex Hermæ potissimum delibata *Pastore*, cujus non solum hoc in loco, sed alio etiam in libro ipsissima verba transcripsit [57]. An autem illius mentem et sensum sit assecutus, haud exigua sane dubitandi ratio est. Quæ enim Hermas de illa apostolorum apud inferos prædicatione scripsit, ea allegorico sensu intelligi posse alibi ostendimus [58]. Contra vero Clemens non solum illa litterali sensu accepit, verum etiam nulli parcit operæ et labori, omnique argumentorum genere probare nititur Christi apostolorumque prædicatione paganos, non secus atque Judæos, qui pie in hac vita, etsi non perfecte, vixerant, adductos fuisse ad **176** pœnitentiam, qua deinde æternam salutem adepti sunt.

Eidem opinioni subscripsit Jobius, cujus apud Photium hæc sunt verba [59]: « Princeps apostolorum cur iis qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit..... hoc est infideles, qui propter infidelitatem suam peccatores remanserunt, damnantur, quasi plane caro facti et divulsi a spiritu; quotquot autem etiam apud inferos, Christo, qui erat ipsa justitia, crediderunt, spirituali lætitia perfruuntur. »

Alii adhuc longius progressi sunt, quales fuere auctores libelli sive sermonis *De Paschate*, et commentariorum in Pauli Epistolas apud Ambrosium [60], nec non apud Gregorium papam [61] Georgius presbyter, et Theodorus Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus, contra quos ille sic disputat: « Sed ne dilectionem vestram in mea disputatione immorer, quid de hac hæresi Philaster in libro quem *De hæresibus* scripsit, dixerit, cognoscat, cujus hæc sunt verba: « Sunt hæretici, qui dicunt Dominum in infernum descendisse, et omnibus post mortem etiam « ibidem se nuntiasse, ut confitentes salvarentur. » Inter hæreses quoque eamdem opinionem ita recenset Augustinus [62]: « Alia, inquit, descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos, et omnes exinde existimat liberatos. » Quapropter postquam ille hanc, sicut et superiorem Clementis, aliorumque sententiam in sua ad Evodium [63] epistola egregie confutavit, « erroneamque » esse convicit, quid catholica fides præscripserit, his explicat verbis: « Quamobrem teneamus firmissime quod fides habet fundatissima auctoritate firmata.... In quibus etiam hoc est, quod apud inferos fuit (Christus) solutisque eorum doloribus, quibus eum erat im-

[47] Strom. l. III, p. 446. [48] lib. V Strom. pag. 580 et 590. [49] l. IV, p. 539. [50] l. VI, p. 644. [51] ibid. p. 637 et seq. [52] p. 658. [53] Job XXVIII, 22. [54] Isai. XI, 7; XLIII, 20. [55] psal. IX, 12, 16; et XV, 11. [56] ibid., p. 637. [57] Strom. l. II, p. 379. [58] sup. l. I Appar. dissert. 4, art. 18. [59] Phot., Bibl., cod. CCXXII, pag. 628. [60] Ambr., appen., serm. 35, p. 437, in c. V Epist. ad Rom., v. 15. [61] Gregor. Magn., l. VI, epist. 15. [62] Aug., l. De hæres., § 79. [63] epist. 164, ad Evod.

Digitized by Google

possibile teneri, a quibus etiam recte intelligitur solvisse et liberasse quos voluit, corpus, quod in cruce reliquerat, in sepulcro positum recepisse. » Gregorius vero a nobis jam laudatus : « Nihil, ait [64], teneatis, nisi quod vera fides per catholicam Ecclesiam docet, quia descendens ad inferos Dominus, illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viventes in carne per suam gratiam in fide et bona operatione servavit. » Nec alia profecto fuit mens D. Thomæ [65] aliorumque theologorum, atque in primis Estii [66] in Magistrum sententiarum. Ex quibus colligas quid de quodam recentiore theologo statuendum, qui post Œcumenium docet [67] « Christum dici a Petro post mortem inferis illapsum, nonnullis sui notitiam et salutem impertisse, nimirum illis qui vitam suam recte composuerant, et sic affecti fuerant, ut, si tunc Christus advenisset, ad ejus fidem accipiendam essent animo parati. »

ARTICULUS IX.

De perpetua Mariæ, Christi matris, virginitate, et commentitia illius ab obstetrice inspectione.

A Christo Domino ad sanctissimam ejus Matrem ut gradum faciamus, quid de illibata illius virginitate Clemens statuerit, a nobis considerandum est. Eam autem non solum alicubi « virginem, quæ genuit, » appellat [68], sed de illa adhuc alibi hæc scribit [69] : « Sed, ut videtur, multis in hodiernum diem Maria videtur puerpera propter ortum Filii, cum non sit puerpera. Quidam enim dicunt eam, postquam peperisset, inspectam ab obstetrice, inventam virginem. Tales autem nobis sunt Scripturæ Dominicæ. . . . . Peperit, et non peperit, inquit Scriptura, ut quæ ex se, non ex conjunctione conceperit. » Quosdam Clemens procul dubio hæreticos, de quibus a nobis alibi actum est, notat et corripit, qui virginem Christiparam, sicut alias mulieres, et concepisse et peperisse perperam affirmabant. Contra igitur Clemens docet illam sine viri congressu concepisse, et virginitate integra peperisse, ac tandem post partum adhuc inventam fuisse virginem. Iisdem quoque armis eademque ratione Tertullianum contra eosdem procul dubio hæreticos, quos Academicos non aliqua sine irrisione vocat, pro Mariæ virginitate sic dimicasse legimus [70] : « Agnoscimus conceptum et partum virginis Mariæ, de quo Academici isti : Peperit, et non peperit, virgo, et non virgo ; quasi non, et si ita dicendum esset, a nobis magis dici conveniret. Peperit enim, quæ ex sua carne ; et non peperit, quæ non ex viri semine. Et virgo, quantum a viro; non virgo, quantum a partu. » Ita doctissimus ille Africanus perfectissimam Dei genitricis Mariæ ante partum virginitatem constanter tuetur ac propugnat. At si his posterioribus verbis eamdem, ut quidam opinantur, Dei genitricem in partu virginem non fuisse ab eo dici pertinacius aliquis contendat, is sciat illum tam longe ab orthodoxa veritate quam a Clementis nostri mente et sententia recedere.

Quinam autem ii fuerint, qui, ut ait auctor noster, sanctissimam illam Christi Matrem, an post partum virgo esset, ab obstetrice inspectam tradiderunt, si quæras, respondebimus eos haud dubie apocryphorum librorum esse scriptores. Neque enim id in sacræ Scripturæ libris, aut probatis Patrum operibus [71], sed in Jacobi proto-Evangelio fuse, nec sine miraculo parum credibili descriptum invenire est. Res vero longe aliter ex occultis et arcanis, scriptisque Judæorum traditionibus, sed nulla penitus fide dignis a Suida narratur [72]. De his igitur aut similibus apocryphis lucubrationibus haud dubie Clemens intelligendus est. At quantumvis ea apocryphæ, ac si velis, falsæ, fictæ et commentitiæ fuerint, ex citato tamen earum loco [73] exploratum omnino habemus integram illibatamque Mariæ ante partum, in partu et post partum virginitatem ab eodem Clemente nostro probari et asseri [74]. Denique his illud addamus, quod nobis pene excideral, Christum alio in opere a Clemente fructum virginis vocari : ὁ Χριστὸς, ὁ τῆς Παρθένου καρπός, « Christus virginis fructus. » At de perpetua illa Mariæ virginitate nonnulla alibi attigimus [75].

CAPUT VII.

De gratiæ necessitate, de libero hominis arbitrio, de illius peccatis, ac de peccato originali.

ARTICULUS I.

De divinæ gratiæ ad singula quæque bona opera agenda, et ad mortem usque in eis perseverandum necessitate.

Mortis Christo Domino tot cruciatibus et tormentis a Judæis allatæ is effectus fuit, ut Dei justitiæ pro omnium hominum peccatis non solum cumulatissime satisfaceret, sed ipsis etiam gratiam, **177** auxiliumque et adjutorium, quo omnis homo, et sine quo nullus unquam boni aliquid, ad æternam salutem conducentis, agere potest, affatim impertiretur. Divinæ autem illius gratiæ summam ad bona quælibet et salutifera opera rite agenda necessitatem, quam nemo unquam sine erroris labe negavit, Clemens noster passim agnoscit et prædicat. Quapropter quam clare et constanter ipse orthodoxum illud Christianæ fidei documentum asseveret, eo diligentius a nobis enucleandum est, quo quidam Græcæ Ecclesiæ Patres hoc frigidius propugnasse nonnullis videntur.

Argumentum porro istud ut ea qua solemus ingenuitate et sinceritate pertractetur, primum observabimus quonam ille modo piorum et virtute præditorum hominum cogitationes in eorum animum induci docuerit. Hæc autem sunt Græca illius verba [76] : Ἀλλὰ καὶ αἱ τῶν ἐναρέτων ἀνθρώπων ἐπίνοιαι κατὰ ἐπίνοιαν θείαν γίγνονται, διατιθεμένης πως τῆς ψυχῆς, καὶ διαδιδομένου τοῦ θείου θελήματος εἰς τὰς ἀνθρωπίνας ψυχάς, τῶν ἐν μέρει θείων λειτουργῶν συλλαμβανομένων εἰς τὰς τοιαύτας διακονίας. « Quinetiam eorum cogitationes, qui sunt virtute præditi, per divinam fiunt inspirationem, cum anima aliquo modo afficitur, et divina voluntas in humanas animas transmittitur, dum qui sunt singulares Dei administri, ad talia opem ferunt ministeria. » Cum piorum hominum cogitationes et « divina inspiratione, » et Dei administro-

[64] lib. vi, § 14. [65] D. Thom., III p., q. 52, art. 6 et 7. [66] Estius in III Sent., § 4. [67] De incarn., l. XIII, c. 18. [68] Strom. l. IV, p. 469. [69] l. VII, p. 756. [70] Tertul., l. De carn. Christi, c. 23. [71] In orthodoxo grap., p. 8. [72] Suidas ad vocem Ἰησοῦς. [73] Pæd. l. II, c. 6, p. 102. [74] Conf. Ambros., Expos. Luc., l. II, § 57 ; l. De instit. virg., et in epist. 42 et 63. [75] l. II Appar., dissert. 6, c. 7, § 5. [76] l. VI, p. 693.

Digitized by Google

rum ope et ministerio haberi atque suscipi tam aperte auctor noster profiteatur, nonne de utraque tam externa quam interiore Dei gratia ibi satis clare locutus est?

Nonne ad ipsam quoque interiorem gratiam et salutare Christi auxilium ea planius adhuc spectare videntur, quibus diserte significat nos, nisi nobis infusa « a mala conversatione, » hoc est peccatis nostris caligo ignorantiæ salutari Mediatoris adjutorio depellatur, non posse neque nosmetipsos, neque Filium Dei, neque ejus Patrem, recte, atque ut oportet, cognoscere. Scribit enim[77] nos a dialectica manu duci « ad veram sapientiam, quæ quidem est divina potestas, quæ ea quæ sunt, ut quæ sunt, cognoscit, habens id quod est perfectum, libera ab omni perturbatione, non sine Servatore, οὐκ ἄνευ τοῦ Σωτῆρος, qui a nostræ animæ videndi potestate, a mala conversatione infusam caliginosam ignorationem divino Verbo amovit, et reddidit id quod est optimum ac præstantissimum, ut recte cognoscamus hominem Deumque. Is est, qui revera ostendit quomodo nos ipsos cognoscere oporteat, qui universorum Patrem cui vult revelat, et facit ut intelligat, quoad fieri potest, ut humana natura comprehendat. « Nemo enim novit Filium, nisi Pater, neque Patrem, nisi Filius, et cui Filius revelaverit. » Sine Servatore igitur, id est sine divina Servatoris nostri gratia, si Clemens existimavit a nobis non posse neque peccato infusam ignorantiæ caliginem removeri, neque nosmetipsos, neque Deum Patrem, neque Filium, quomodo oportet cognosci, quis non videt his ejus verbis summam divinæ gratiæ ad amovendam ignorationem, nosque, ac Deum recte, et sicuti oportet, cognoscendos necessitatem plane penitusque astrui et stabiliri?

At non ibi tantum, sed alio in loco eamdem ad Deum rite cognoscendum gratiæ necessitatem ipsemet Clemens ratione demonstrat, additque[78]: « Sive ergo Pater ipse ad se trahit quemlibet, qui pure vixerit et processerit ad notionem beatæ naturæ et in quam non cadit interitus; sive liberum quod est in nobis arbitrium veniens ad boni cognitionem, septa transilit, ut dicitur in gymnasiis; non tamen absque eximia gratia, πλὴν οὐ χάριτος ἄνευ, τῆς ἐξαιρέτου, erigitur, et exsurgit anima, et extollitur supra ea quæ supereminent, quidquid grave est deponens, et reddens ei quod est cognatum. »

Quid vero, quod adhuc alibi dixit ad comparandam quantulamcunque Dei cognitionem opitulatrice Dei gratia nobis opus esse? « Qui Deum, inquit[79], sibi ascribunt magistrum, vix perveniunt ad Dei notitiam, opem eis ferente gratia ad quantulamcunque cognitionem: τῆς χάριτος αὐτοῖς συλλαμβανούσης εἰς ποσὴν ἐπίγνωσιν, utpote voluntate voluntatem, et sancto Spiritu sanctum Spiritum contemplari assuefacientes; quoniam Spiritus Dei scrutatur profunda; animalis autem homo non capit ea quæ sunt spiritus. » Ex humanæ igitur naturæ infirmitate ille colligit gratiam Dei ad Deum quocunque modo recte cognoscendum esse necessariam.

Neque hanc tantum veram cognitionem, sed neque continentiam, sive ut « a concupiscendo » quis se contineat, absque gratia Dei haberi posse disertissime Clemens noster asseverat[80]: « Quæ est autem, inquit, ex nostra sententia non concupiscere; non ut quis concupiscens se fortiter gerat, sed ut etiam a concupiscendo se contineat. Non potest autem ea aliter accipi continentia, nisi gratia Dei. Ἀλλ' ὅπως καὶ τοῦ ἐπιθυμεῖν ἐγκρατεύηται. Λαβεῖν δὲ ἄλλως οὐκ ἔστι τὴν ἐγκράτειαν ταύτην ἢ χάριτι τοῦ Θεοῦ. Et ideo dixit: *Petite, et dabitur vobis*[80a]. » Ipsam itaque continentiam, atque a « concupiscendo » abstinentiam, uti expressissime Clemens loquitur, sine Dei gratia nunquam assequi possumus.

Age vero, et audi quomodo idem auctor noster illius etiam ope et auxilio nos graviores superare tentationes edisserat: « Si quis, ait ille[81], altercans dicat: Et quomodo fieri potest ut caro imbecilla resistat potestatibus et spiritibus dominationum? Illud sciat, quod omnipotenti et Domino freti, in eoque habentes fiduciam, adversamur potestatibus tenebrarum et morti. » Objicienti igitur quomodo caro infirma possit tentationes vincere, resistere diabolo, et pro Christi confessione tormenta constanter perferre, huic non respondet id in liberi nostri arbitrii potestate esse positum, vel hoc animi ingeniique humani non superare vires: sed ὅτι τῷ Παντοκράτορι καὶ τῷ Κυρίῳ θαῤῥοῦντες, certam habentes fiduciam in Omnipotentem et Dominum, qui carnis nostræ infirmitati gratia sua opem ferat, nosque omnipotente auxilio suo adjuvabit.

Et vero quomodo sine gratia Dei dixisset posse vinci tentationes, cum ipse adversus Basilidianos ostendat[82] fidem, quæ bonarum omnium actionum fundamentum est, minime, uti illi garriebant, esse naturalem, aut a natura nobis insitam, sed veram esse Dei gratiam et donum ab eo nobis ultro concessum? Postquam enimvero variis argumentis illum funditus evertit hæreticorum errorem, tum postea concludit[83]: « Quæ est scientia, est habitus demonstrativus; fides autem gratia, ἡ πίστις δὲ χάρις. » Prius vero eodem plane modo dixerat[84]: « Est enim donum doctrina pietatis, gratia vero fides: » Δωρεὰ γὰρ ἡ διδασκαλία τῆς θεοσεβείας, χάρις δὲ ἡ πίστις.

Græcorum quoque, hoc est paganorum, haud **178** prorsus absimilem falsam opinionem his postea verbis jugulat et destruit[85]: « Non est ergo, inquit, amplius fides merito temere reprehendenda, ut et facilis et vulgaris, et quæ sit quorumlibet. Si humanum enim esset studium, ut existimant Græci, etiam exstinctum esset. Sin autem augetur, non est ubi non est. Dico ergo fidem, sive fundata sit a charitate, sive etiam a timore, ut dicunt accusatores, esse divinum aliquid, ut quæ neque ab alia mundana amicitia divellatur, neque a timore præsente dissolvatur. » Fides ergo, quam Clemens dicit[86] esse « principium actionis et fundamentum bonæ electionis, » si sit Dei donum et gratia, quis negare audeat persuasum illi omnino fuisse eam non solis nostris operibus, meritis aut viribus comparari, sed a Deo, id est divino ejus munere, nobis infundi et inspirari?

Ad bonas porro quaslibet actiones gratiam Dei adhuc necessariam esse evidentissime idem Clemens noster definit, ita tamen ut ad opus bonum efficiendum cum ea liberum animi nostri arbitrium agat, suamque cum illa operam conferat. Audi, quæso, illius verba, et ad ea animum adverte: « Neque, ait ille[87], fieri potest, ut sine libero animi nostri arbitrio et instituto consequamur, neque universum est positum in nostra voluntate, quale sit, quod eventurum est; gratia enim servamur, χάριτι γὰρ σωζόμεθα, sed non absque bonis operibus; sed oportet quidem, cum natura apti simus ad bonum, ad id aliquod adhibere studium. Oportet autem mentem quoque habere sanam, et quæ nulla retardetur pœnitentia a boni venatione, ad quod quidem maxime divina opus habemus gratia, πρὸς ὅπερ μάλιστα τῆς θείας χρήζομεν χάριτος, rectaque doctrina, castaque et munda animi affectione, et Patris ad ipsum attractione, καὶ τῆς τοῦ Πατρὸς πρὸς αὐτὸν ἕλκῆς[88]. » Hæc sane adeo plana et

[77] Strom. l. I, p. 355. [78] l. V, p. 583. [79] l. VI, pag. 697. [80] l. III, p. 450. [80a] Matth. VII, 7. [81] l. IV, p. 493. [82] l. II, p. 363 et seq. [83] p. 364. [84] l. II, p. 288. [85] l. II, p. 372. [86] l. II, p. 368. [87] l. V, p. 547. [88] Centuriat. centur. 2, c. 4, p. 46.

Digitized by Google

aperta sunt, ut il etiam qui erga Clementem nostrum minime propenso affecti sunt animo, fateri cogantur ibi ab ipso vere agnitam divinæ gratiæ ad bene agendum necessitatem. Et certe nullus profecto est tam hebes et tardus, qui non videat quam clare et perspicue divinæ gratiæ necessitas ac libera hominis cum ea agentis operatio ibidem a Clemente nostro explicetur.

Quid præterea quod πᾶσα ὠφέλεια βιωτική, « omnis, inquit[89], utilitas, quæ ad vitam pertinet, » hoc est quælibet hominis actio, quæ ad vitam æternam promerendam utilis est, « suprema quidem ratione a Deo omnipotente, qui præest omnibus, Patre, perficitur per Filium, qui etiam propterea est servator omnium, inquit Apostolus, maxime autem fidelium. » Quomodo autem omnis illa utilitas, seu bona actio a Deo Patre per Filium perficitur, nisi interiore et divina illius gratia, sine qua homo nihil boni et ad æternam salutem conducentis facere unquam potest?

Plura si adhuc desideres, ea, quæso, diligenter attende, quæ ab eo alibi scriptis tradita sunt[90]: « Clarum est, aiebat, quod bonam ipsorum naturam et sanctum institutum honorans, iis qui bene vivere constituerunt, vires inspirat ad reliquam salutem, alios quidem solum adhortans, aliis vero, qui ex se digni evaserunt, opem ferens..... Quemadmodum autem medicus præbet sanitatem iis qui opem ei ferunt ad sanitatem, ita etiam Deus æternam salutem eis qui opem illi ferunt, et cum eo cooperantur ad cognitionem et ad bonas actiones. » At observes velim horum Clementis verborum : « Qui ex se digni evaserunt, » eum non esse sensum, iis a Deo opem ferri, qui « ex se, » seu ex solis naturæ suæ viribus, sed qui « ex se, » cum divina gratia, uti dictum est, agentes, et bona opera efficientes « digni evaserunt. » Ibi enim Clemens de « gnostico, » seu perfecto Christiano loquitur, qui non solum justus est habituali, ut aiunt, justitia, sed qui etiam maximos in Christiana virtute fecit progressus. Quapropter ibidem adjecit[91] : « Hunc quoque Deus adjuvat propinquiore honorans curatione. » Aperte igitur docet Clemens[92] homines ut bene agant a Deo adjuvari non solum adhortationibus, seu externa aliqua, verum etiam interiore gratia, opem illis ferendo, ita tamen ut cum illo, tanquam ægroti cum medico, συνεργοῦσι πρὸς γνῶσίν τε καὶ εὐπραγίαν, « cooperentur ad cognitionem et bonas actiones. »

Denique paulo ante dixerat eumdem « gnosticum, » etiamsi ad summum conscenderit cognitionis apicem, a Deo tamen postulare, ut contemplatio augeatur, et in virtute et justitia semper maneat et perseveret : « Qui autem ad summum jam pervenit cognitionis gradum, precatur ut contemplatio augeatur et permancat; sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Jam vero petet etiam ut a virtute nunquam excidat, maxime adjuvans et dans operam, ut perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere. » Qui autem dicit contemplationis incrementa ac ultimam in bono et virtute perseverantiam a Deo peti et flagitari, is certe hoc non in sua potestate situm, sed merum Dei donum et gratiam esse existimat.

ARTICULUS II.

De libero hominis arbitrio, et utrum Clemens ei plus æquo tribuerit.

Vidimus hactenus quam plene constanterque Clemens, iis etiam qui ipsi minime favent ultro fatentibus, summam gratiæ Christi necessitatem docuerit, palamque professus fuerit. Verum illi ipsi parum æqui orthodoxæ antiquorum scriptorum et Patrum doctrinæ æstimatores eumdem Clementem nostrum sibi semper non constitisse, et libero hominis arbitrio plus quam par erat tribuisse, atque adeo illum divinæ gratiæ necessitatem aliquando minuisse, ac e medio tantum non sustulisse audacter accusant. Utrum autem justa vel injusta sit hæc accusatio, nunc investigandum est.

In quo itaque situm sit liberum hominis arbitrium, seu hominis libertas, sic Clemens definit[93]: « Id est in nostra potestate, cujus ex æquo sumus domini, cum eo quod ei adversatur, ut philosophari, vel non; et credere, et non credere. Per hoc ergo, quod sumus æque participes utriusque eorum, quæ inter se adversantur, invenitur fieri posse id quod est in nostra potestate. Quinetiam præcepta ejusmodi a nobis possunt fieri, et non fieri, quæ consentaneum est ut consequatur laus et vituperatio; et qui rursus puniuntur propter ea, quæ ab ipsis admissa sunt peccata, propter ipsa sola puniuntur. » Ibi certe hominis libertatem in eo positam esse dicit, ut possit aliquid facere vel non facere, et ut ipse Clemens loquitur, credere aut non credere, ac philosophari aut non philosophari. Quod quidem illud ipsum est, quod scholastici nostri libertatem contradictionis appellant.

Quid sit etiam voluntarium, ipse quoque sic enarrat[94] : « Voluntarium est, vel quod est ex appetitione, **179** vel quod ex instituto ac electione, vel quod ex cogitatione : » τὸ δὲ ἑκούσιον ἢ τὸ κατ' ὄρεξίν ἐστιν, ἢ τὸ κατὰ προαίρεσιν, ἢ τὸ κατὰ διάνοιαν. At Clemens his verbis potius unde et cur aliquid sit voluntarium explicat, quam accuratam voluntarii definitionem exhibet.

In hac autem humanæ libertatis, seu liberi arbitrii ac voluntarii explicatione, nihil plane est aut non sanum aut non orthodoxum. Quid igitur in his exponendis Clemens peccavit? Nihil certe. Quamobrem diligenter expendas velim, ubi morosi illi homines eum statos veræ doctrinæ limites prætergressum esse criminantur. Nobis autem objicient tribus in locis aliquid humani liberi arbitrii viribus plus æquo ab ipso concedi et attribui. Primus petitur ex illius ad gentes *Admonitione*, ubi post hæc Christi verba : « Vestrum est regnum cœlorum, » continuo Clemens subnectit[95] : « Vestrum est, si velitis, liberam animi voluntatem ad Deum dirigendo; si tantum velitis, inquam, credere, et compendium sequi prædicationis. » Secundus in libro secundo *Stromatum* ita legitur[96] : « Nos autem qui libera et absoluta potestate eligere et vitare a Domino datum esse hominibus a Scripturis accepimus. » Tertius denique ex his ejusdem libri verbis decerptus ab eis fuit[97] : « Defectio, et recessus, et inobedientia sunt in nostra potestate, sicut etiam est in nostra potestate obedientia. Quocirca judicantur etiam quæ sunt voluntaria. »

Sed quid, amabo te, his tribus in locis occurrit, quod veræ et catholicæ de libero hominis arbitrio doctrinæ statutisque de illo decretis et sanctionibus non sit plane consentaneum? Nunquid Clemens noster ibi ullo prorsus modo nos absque divina Servatoris gratia vel minimum quid recte et Christiane credere, aut pie et sancte velle vel agere, dixit aut asseruit? Minime quidem. Et vero tantum abest ut id dixerit, aut etiam cogitaverit, quin potius aperte, uti vidimus, Christianam fidem esse Dei donum prædicet. Quid vero, quod ille, uti etiam a nobis observatum est, disertissimis verbis asseverat liberum, quod in nobis est, arbitrium, non absque eximia Dei gratia ad boni venire aguitionem, et ad ea quæ supereminent extolli? Quid denique, quod non minus perspicue docet, quemadmodum adnotavimus, « universum » non esse in nostra potestate, quandoquidem Dei gratia servamur?

Plures sane alii in Clementis *Stromatibus* aliis-

[89] Strom. l. VI, p. 695. [90] l. VII, p. 727. [91] ibid. [92] ibid., p. 726. [93] Strom. l. IV, p. 536. [94] l. II, p. 387. [95] Admon. ad gent., p. 62. [96] Strom. l. II, p. 363. [97] Ibid., p. 386.

Digitized by Google

que ejus scriptis loci occurrunt, ubi eodem penitus modo de humana libertate loquitur et disputat. Verum quia eadem omnino est ubique illius doctrina, iis describendis tempus frustra terendum esse non duximus. Quapropter hoc animadversione haud prorsus indignum illius effatum tantummodo repræsentabimus[98] : « Malo (scilicet homini) bonum est maximum id, quod non est in sua potes ate. » Cæterum quam recte Clemens inobedientiam et quodlibet aliud peccatum in nostra potestate positum esse dixerit, et quam orthodoxa sit ejus de peccatis sententia, jam attente expendendum a nobis est.

ARTICULUS III.

Quid sit peccatum, et in quo consistat; de peccatis voluntariis et involuntariis; quomodo peccatum, infortunium et scelus inter se differant; quæ sint peccatorum principia et remedia; quod discrimen inter peccatum et vitium, ac de duplici alio peccatorum genere.

Quid sit peccatum his Clemens verbis plane et perspicue exponit[99] : « Peccare certe inter actiones ponitur, non inter substantias : ἀμέλει τὸ ἁμαρτάνειν ἐνεργείᾳ κεῖται, οὐκ οὐσίᾳ. Quamobrem nec Dei est opus. Dei autem inimici dicti sunt peccatores, qui sunt inimici mandatorum, quibus non obediunt, sicut amici qui audiunt ; hi quidem propter conjunctionem, illi vero propter alienationem ex libero animi arbitrio profectam appellati. Nihil enim sunt inimicitiæ, neque peccatum absque inimico et peccatore. »

His Clemens verbis haud prorsus imperfectam nobis exhibet peccati notionem. Primo siquidem pronuntiat peccatum « poni inter actiones, » quo quidem nomine se de actuali, ut aiunt, peccato loqui significat.

Deinde autem hoc ipso « actionis » vocabulo, non solum id quod facto et verbo exterius efficitur, sed ipsas cogitationes malas et prava desideria intelligit. Nam, ut plura taceamus, quibus asserit concupiscendo peccari, illud duntaxat proferemus ab eo pronuntiatum[1] : « Dominus scrutatur corda et renes, et judicatur is, qui respexit ad concupiscentiam. Quare etiam dicit : Ne concupiscas. » Ad hæc vero ipsemet Clemens ostendit[2] triplex illud peccati genus, nimirum verbo, facto et cogitatione luculenter a Moyse declarari.

Tertio aperte tradit peccatum non esse substantiam, hoc est ipsam malitiam, vel, ut scholasticorum more loquamur, id quo peccatum formaliter constituitur, nihil omnino esse physici. Et vero malitia, seu formale peccatum, ut ipse innuit, est defectus et quædam a Dei lege et a mandatis alienatio. Quam sane ob causam peccatores ibi ab ipso mandatorum Dei inimici appellantur.

Denique palam ille facit peccatum ex libero animi arbitrio seu libera hominis electione proficisci. Quapropter alio in libro hæc ab ipso scripta legimus[3] : Αὐτίκα ὁ μὲν κακὸς φύσει, ἁμαρτητικὸς διὰ κακίαν γενόμενος, φαῦλος καθέστηκεν, ἔχων ἣν ἐκὼν εἵλετο. Ἁμαρτητικὸς δὲ ὢν, καὶ κατὰ πράξεις διαμαρτάνει. Quæ quidem Hervetus sic Latina fecit: « Jam qui est natura quidem malus, cum propter vitium factus sit peccator, redditus est improbus, id habens quod elegit. » Verum præterquam quod totum hunc locum Latine non reddidit, ille certe Græcam vocem κακὸς φύσει non satis clare et distincte his Latinis verbis « natura malus » interpretatus esse videtur. Vox autem φύσις cum Latine non solum naturam, sed etiam indolem et naturalem propensionem significet, idcirco totus hic Clementis locus sic verti potest : « Jam vero is, qui sola indole et propensione naturali est malus, propter malitiam factus peccator, ipse improbus redditus est, id habens quod elegit. Peccator autem per actiones peccat. » At Clemens his sane verbis hominem libera sua electione et voluntate peccare non obscure declaravit.

Visne tamen brevius aliquid et expressius proferri? In promptu illud est : « Peccatum, inquit ille[4], est voluntaria injustitia. Injustitia autem est vitium voluntarium. »

180 Cave tamen ne credideris nullum omnino nisi voluntarium peccatum a Clemente agnosci. Ipse enimvero involuntaria plura esse profitetur, quæ quidem etiamsi non omnia, ex iis nihilominus quædam jure merito pœnis digna esse contendit. Nos enim monet homicidium et seminis profluvium Mosaica quidem lege puniri. Addit vero[5] quoddam adhuc involuntarium esse peccatum, quod simili ac voluntarium pœna multabatur. Quodnam vero illud sit, ex ipso disce[6] : « Quanquam ille quoque punietur, tanquam propter voluntarium, si quis animi perturbationem traduxerit ad veritatem. Revera enim est puniendus is qui est verbi genitalis incontinens, quod ipsum quoque est animi affectio aliena a ratione, quæ prope accedit ad futilem loquacitatem. Fidelis eligit res celare spiritu. » Fatetur Hervetus se non intelligere quomodo dici possit hominem, « tanquam propter voluntarium » aliquod peccatum, esse pœnis afficiendum, « qui animi perturbationem traduxerit ad veritatem. » Suspicatur autem Clementem ibi de illo homine sermonem facere, qui aliqua animi perturbatione correptus, sacra nostra mysteria, nempe eucharistiam, paganis omnino occultandam, temere divulgat. Sed veremur ne hæc docti viri conjectura multis non probetur. Quod quidem ut facilius percipi possit, describenda sunt Græca Clementis nostri verba : Καί τοι κἀκεῖνος ὡς ἐπὶ ἑκουσίῳ κολασθήσεται, εἴ τις μεταγάγοι τὸ πάθος ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν. Τῷ ὄντι γὰρ κολαστέος ὁ ἀκρατὴς τοῦ γονίμου λόγου· ὃ καὶ αὐτὸ πάθος ἐστὶ ψυχῆς ἄλογον, ἐγγὺς ἀδολεσχίας ἴον. Πιστὸς δὲ ᾖρηται πνοῇ κρύπτειν πράγματα. Tota autem hujusce loci difficultas in his versatur verbis : ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν et γονίμου λόγου. At Hervetus priora male reddidisse videtur, « traduxerit ad veritatem, » ex quibus vix ullus sensus elici queat. Quamobrem melius forsitan reddi possunt, « traduxerit contra veritatem. » Quid autem aliis verbis γονίμου λόγου sibi Clemens velit, dictu sane difficilius est. Quamvis enim ea proprie et ad verbum idem Græce sonent ac Latine « genitalis verbi, » quid tamen hæc significent, explicatu non magis promptum est et expeditum. Ad illius porro explicationem observa, quæso, verbum γόνιμος a Clemente prius usurpari, ubi ait: Συνεργεῖ οὖν καὶ ἡ (seu potius γῆ, uti ab aliis animadversum) γόνιμος ὑπάρχουσα πρὸς τὴν τῶν σπερμάτων καταβολήν. Quod sic Latinus interpres vertit[7] : « Adjuvat itaque terra fertilis ad seminum dejectionem. » Nec male quidem. Verbum enim γόνιμος idem non solum ac « genitalis, » sed etiam atque « fecundus, » Latine sonat. Ex quibus hic verborum Clementis sensus colligi poterit : Is quoque « tanquam propter voluntarium punietur, qui animi perturbationem contra veritatem traduxerit. Revera enim est puniendus, qui est verbi genitalis, seu fecundi, incontinens, » hoc est qui fecundum verbum intra veritatis limites non continet. « Quod ipsum quoque est animi affectio, quæ prope accedit ad futilem loquacitatem. Fidelis autem eligit res celare spiritu, » nimirum ne nimia loquacitate cancellos veritatis prætergrediatur.

Si quis tamen cum Herveto propter hæc poste-

[98] l. II, p. 403. [99] Strom. l. IV, p. 511. [1] l. II, p. 387. [2] ibid., p. 390. [3] Strom. l. VI, p. 663. [4] Strom. l. II, p 388. [5] ibid., p. 387. [6] ibid. [7] l. II, p. 370.

Digitized by Google

riora verba Clementem de sacris nostris mysteriis, pagano homini non patefaciendis, loqui pertinacius contendat, illius certe opinioni non admodum refragabimur, modo tamen ille non magis de eucharistia quam de alio quolibet religionis nostræ mysterio Clementem intelligendum esse concesserit. Ex utraque enimvero explicatione, id quod ad rem nostram facit, æque omnino conficitur, a Clemente aliquod agnosci peccatum, quod, licet involuntarium sit, justo tamen supplicio vindicatur. Illud quippe tametsi, cum admittitur, propter animi perturbationem sit involuntarium, quia nihilominus voluntaria fuit hæc animi perturbatio, idcirco illud peccatum primitus et in sua causa reapse voluntarium fuit.

In horum porro firmamentum illud haud absurde adduci potest, quod Clemens ibidem dixit [8]: « Inter se prope sita (esse, et distingui) peccatum, infortunium, scelus, seu injuste factum, ἀδίκημα. » Nam quid unumquodque eorum sit, ita ille explicat: « Peccatum est, verbi gratia, luxuriose et intemperanter vivere. Infortunium autem tanquam inimicum inscienter occidere. Scelus est sepulcrorum effossio aut sacrilegium. »

Præterea Clemens alibi docet duo esse peccatorum principia, ignorantiam et infirmitatem, quarum priore fit, ut bene de iis quæ agenda sunt non judicetur; posteriore autem, ut ea de quibus recte judicatur non fiant. « Sunt duo, inquit [9], cujusvis peccati principia, ignoratio et imbecillitas. Est autem utrumque in nostra potestate, cum nec velimus discere, nec cupiditatem continere. Ex his autem unum quidem est, per quod non recte judicant; alterum vero, per quod non possunt exsequi quæ recte sunt judicata. »

Ibi autem animadvertas velim, quomodo Clemens dicat utrumque peccatum et ignorantiæ et infirmitatis in nostra esse potestate, et vere voluntarium, atque adeo jure merito puniri.

Utriusque remedium ibidem assignat, et ignorantiæ quidem cognitionem evidentemque ex Scripturis demonstrationem; infirmitatis vero κατὰ λόγον exercitationem, quæ a fide et timore, παιδαγωγουμένη instituitur et docetur. Alio autem in libro [10] his duobus alia adhuc addidit remedia: « Eleemosynis, inquit, et fide purgantur peccata; timore autem Domini quilibet a malo declinat. » Sed de fide et timore, et aliis peccatorum remediis postea disputabimus.

Juvat interim cum eodem Clemente nostro animadvertere peccatum, etsi a vitio, κακίᾳ, profluat, ab illo tamen sicut ab effectu distingui. Κακία μέν, ita ille loquitur [11], δι' ἄγνοιαν, οὐ μὴν ἄγνοια· οὐδὲ γὰρ τὰ πάθη, οὔτε τὰ ἁμαρτήματα κακίαι, καί τοι ἀπὸ κακίας φερόμενα. « Vitium quidem est propter ignorationem, non tamen ignoratio; neque enim affectus, neque peccata sunt vitia, etsi procedant a vitio [12]. »

Denique vitium a Clemente nostro dicitur usu et consuetudine propemodum ingenerari [13], ac « gnosticum » seu perfectum Christianum probe scire « solum vitium esse inimicum, et exitium afferre iis qui proficiunt ad cognitionem. »

ARTICULUS IV.

De peccato originali, ubi obiter de Adami peccato.

181 Quam recte Clemens de singulorum hominum peccatis sentit et disputat, tam parum accurate de originali peccato, omnibus hominibus communi, sensisse insimulatur. Quinimo non desunt adhuc quidam hujusce ætatis scriptores, qui illum ejusdem originalis peccati vim minime intellexisse accusent. Utrum autem jure vel injuria hæc erroris macula ipsi inuratur, jam ad explorandum nobis pro officio incumbit. Aiunt itaque illum de originali peccato aut non satis apte et convenienter loqui, aut de eo non omnino persuasum scripsisse [14]: « Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ cecidit exsecrationem, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, ὡς ἔοικεν, consequenter ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ, propter quam etiam corpus. Et quando dixit David [15]: « In peccatis conceptus « sum et in iniquitatibus concepit me mater mea, » dicit prophetice quidem matrem Evam, sed Eva fuit mater viventium; etsi in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum. Si autem quicunque etiam a peccato ad fidem convertitur, a peccatoris consuetudine tanquam a matre convertitur ad vitam, feret mihi testimonium unus ex duodecim prophetis, qui dixit: « Videam primogenita pro impietate, fructum ven« tris mei pro peccatis animæ meæ [16]. » Non accusat eum, qui dixit: « Crescite et multiplicamini: » sed primas impulsiones et motus ex generatione, per quos Deum non cognoscimus, dicit impietates. Si quis autem ea ratione dicit malam generationem, illa etiam ratione dicat bonam, quatenus in ipso veritatem cognoscimus. » Ex hoc Clementis loco, quem, ne quid dissimulasse videamur, integrum repræsentavimus, quidam arguunt eruditissimum illum virum aut labem peccati originalis plane negavisse, aut saltem ad illam, ubi maxime opus erat, nequaquam animadvertisse, nullamque illius fecisse mentionem. Nonne enim, inquiunt, puerum recens natum ab illa penitus eximit, cum ait: « Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ cecidit exsecrationem, qui nihil est operatus? » Putabat igitur Clemens sub exsecrationem Adæ cecidisse neminem, nisi postquam aliquid, videlicet mali, operatus est. Quid vero, quod Jeremiæ verba [17]: « Exsecranda dies, in qua natus sum; » et Davidis [17']: « In peccatis conceptus sum, » mirabili plane sensu interpretari videtur; ita ut in peccatis concipi, non sit concipi in parentum peccato, quod in liberos transfundatur, sed in ipsis hominum peccantium factis et actibus. Atque hanc non modo heterodoxi, sed quidam etiam catholici homines contendunt esse veram quidem, sed minus orthodoxam Clementis nostri de peccati originalis labe opinionem. Eorum porro rationes et argumenta ita sincere et candide a nobis proposita sunt, ut eorum viribus aliquid potius additum, quam quidquam plane subtractum fuerit.

At priusquam quid in iis veri sit aut falsi demonstremus, atque ut auctoris nostri mens et sensus facilius intelligi possit, sedulo animadvertendum est illum ibi disputare contra quosdam hæreticos, atque in primis Cassianum, qui et nuptias diaboli inventum, et generationem, sive quemlibet viri cum femina concubitum malum, nefarium et scelestum esse impie prædicabant. Hi autem in pessimi erroris sui defensionem tribus illis Jeremiæ, Jobi et Davidis testimoniis abutentes, quartum addebant, ex his quarti libri Esdræ decerptum verbis [18]: « Cur enim non fuit uterus matris meæ sepulcrum, ne viderem afflictionem Jacob et laborem generis Israel? » Quamobrem Clemens, ut ex iisdem Scripturis interfum ab eis telum retundat, sic contra ipsos argumentatur: « Dicant ergo nobis ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ exsecrationem cecidit, qui nihil est operatus? Restat ergo eis, ut videtur, consequens ut dicant malam esse generationem, non solum eam quæ est corporis, sed etiam quæ est animæ. » Qua quidem argumentatione manifestum ipse facit his rationibus et Scripturæ testimoniis, quibus hæretici pro-

[8] l. II, p. 387. [9] l. VII, p. 761. [10] l. II, p. 391. [11] l. VII, p. 758. [12] ibid., p. 709. [13] ibid., p. 737. [14] Strom. l. IV, p. 468. [15] Psal. L, 7. [16] Mich. VI, 7. [17] Jer. XX, 14. [17'] Psal. L, 6. [18] Esdr. l. IV, c. 5, v. 35.

Digitized by Google

bare volebant generationem corporis malam esse, lisdem quoque confici et probari, quod iidem illi recte et constanter negabant, malam et vitiosam esse animæ generationem. Tantum autem abest, ut Cassianus, ejusque, contra quos Clemens disputat[19], sectatores depravatam animæ generationem crederent, quin potius ii ipsi, ut alibi ostendimus, contendebant substantiam animarum esse Dei naturam. Quis autem sanæ mentis homo inficias ire voluerit hoc unicum ad hominem, ut aiunt, argumentum, ad absurdam hæreticorum illorum de mala corporis generatione opinionem penitus evertendam potuisse Clementi nostro sufficere?

Quamvis ergo ille de peccato originali nihil ibi prorsus dixisset, ex ejus tamen silentio concludi nequit ab eo aut minime agnitam, aut negatam illius originalis peccati labem. Quid enim, amabo te, si doctissimus ille vir persuasum habuit ad refellendos hosce hæreticos nihil sibi opus esse, ut ad originalis peccati expositionem confugeret? Quid vero, si hæreticos interrogando, eos ad publicam peccati originalis confessionem etiam invitos cogere voluerit?

Urgebis tamen Jeremiæ verba ab ipso non de peccato originali, sed de populi peccatis et inobedientia explicari. Jeremias quippe, inquit auctor noster, ea protulit: « Non absolute exsecrandam dicens generationem, sed populi peccata ægre ferens, et inobedientiam. » Verum nunquid Clemens dixit hanc solam esse objectorum sibi ab hæreticis verborum interpretationem, nec ullam aliam æque veram a quoquam afferri posse? Hanc itaque, alia minime excepta, attulit; quia sola ad destruendum hæreticorum errorem plane sufficiebat.

Ad objecta autem ab hæreticis hæc Davidis verba: « In peccatis conceptus sum, » cum respondet: « Et si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum; » nunquid jure merito argui potest nullam prorsus peccati originalis fecisse mentionem? Ibi enim ille unum pro sua, seu potius catholicæ Ecclesiæ sententia; alterum contra impium Cassiani aliorumque hæreticorum commentum pronuntiavit. Et pro sua quidem orthodoxaque sententia dixit: Καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίαις συνελήφθη, « et si in peccatis fuit conceptus. » Contra hæreticos vero: Ἀλλ' οὐκ αὐτὸς ἐν ἁμαρτίᾳ, οὐδὲ μὲν ἁμαρτία αὐτός, « sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum. » Quibus profecto verbis Clemens noster haud obscure declarat, **182** etiamsi David, ut catholica docet Ecclesia, in peccatis, id est originali peccato, conceptus fuerit; non inde tamen ab hæreticis posse inferri illum in peccato, vel potius peccatum fuisse, eo nimirum sensu, quo illi stulte omnino garriebant vitiosam et corruptam esse Davidis, cæterorumque hominum generationem, ejusque auctorem non Deum esse, sed diabolum.

Denique non minus attenta consideratione dignum videtur Clementis ad Michææ verba responsum. Clamabant etenim hæretici illum in prophetiæ suæ libro scripsisse: « Videam primogenita pro impietate fructum ventris mei pro peccatis animæ meæ. » Sed ad hæc, quemadmodum ad superiora Davidis verba, Clemens duo reponit. Primo quidem Michæas, uti ipsemet Clemens loquitur: « Non accusat eum, qui dixit: Crescite et multiplicamini, » hoc est, divinus ille propheta Deum non accusat, qui cum dixerit: « Crescite et multiplicamini, » non malam sicut Cassianus ejusque fautores, sed bonam generationem esse aperte significavit. Secundo Michæas, et ita quidem auctor noster prosequitur: « Primas impulsiones et motus ex generatione, per quos Deum non cognoscimus, dicit impietates: » Τὰς πρώτας ἐκ γενέσεως ὁρμὰς, καθ' ἃς θεὸν οὐ γινώσκομεν, ἀσεβείας λέγει. Quomodo autem ex Michææ verbis colligere Clemens potuit ipsum dixisse primas ex ipsa, A quam malam non esse contendit, generatione impulsiones et motus esse revera impietates, nisi persuasum ipse omnino habuerit hominem nasci originali coinquinatum peccato, ex quo tanquam ex fonte et prima origine exoriuntur illi pravi motus, perversæque impulsiones, « per quas Deum non cognoscimus? »

Ne tamen adhuc instarent hæretici, atque frustra putarent se inde posse concludere malam omnino et a diabolo esse hominis generationem, eapropter Clemens addidit eam eatenus esse bonam, quatenus per ipsam Deum cognoscimus. Nisi enim nati essemus, Deum utique nunquam potuissemus cognoscere.

Vides igitur quomodo Clemens pravum hæreticorum de mala hominis generatione errorem destruendo, et varias eorum rationes ex sacra Scriptura petitas diluendo, de originalis peccati labe pravisque illius effectibus penitus non tacuerit, multoque minus illud fuerit inficiatus. Denique tametsi illud omnino tacitus ibi prætermisisset, quia B etiam sine illius commemoratione omnes hæreticorum cavillationes solvere et evertere facillime poterat, ex ejus utique silentio, quantumvis altissimo, confici nunquam poterit negatum ab ipso fuisse peccatum originale, aut non agnitam ejus labem et maculam.

Contra tamen insurget fortasse aliquis, nobisque objiciet Clementem nostrum putasse sanctorum saltem hominum filios nasci originalis peccati penitus immunes: « Eorum siquidem, inquit ille[20] qui sunt sanctificati, sanctum quoque, ut puto, semen est. » Sed verus horum verborum sensus ut percipiatur, totus locus describendus est: « Sceleratum, ait Clemens, dicentes isti esse coitum, qui ipsi quoque ut consisterent, ex coitu accepere, quomodo non fuerint scelerati? Eorum autem qui sunt sanctificati, sanctum quoque, ut puto, semen est. Ac nobis quidem debet esse sanctificatus non solum spiritus, sed et mores, et vita, et corpus. Nam quanam ratione dicit Paulus apostolus esse sanctificaC tam mulierem a viro, aut virum a muliere? » Eosdem ibi Clemens ac superius exagitat hæreticos, qui συνουσίαν, coitum, sive quemlibet viri cum muliere concubitum, scelus et flagitium esse somniabant. Ridiculum autem illud opinionis commentum ideo nunc confutat Clemens, quia ipsimet illius fautores sceleratos se esse fatebantur. Præterea « sanctificatorum, » pergit Clemens, « sanctum, ut puto, semen est, » non ea quidem sanctitate, qua sine baptismo possit quis aut æternam felicitatem adipisci, aut remissionem accipere peccatorum: sed tali sanctitate, quali Apostolus scribit virum aut mulierem infidelem a fideli « sanctificari. » Quamobrem Tertullianus ad Clementis nostri mentem satis apposite dixit[21]: « Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanatos procreari ait tam ex seminis prærogativa, quam ex institutionis disciplina. Cæterum, inquit, immundi nascerentur, quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelD ligi volens fidelium filios; ut hujus spei piguore matrimoniis, quæ retinenda censuerat, patrocinaretur. Alioquin meminerat Dominicæ definitionis: Nisi quis nascerctur ex aqua et spiritu, non ibit in regnum Dei, id est non erit sanctus. » Sed de his plura Augustinus lib. II *De peccat. mer. et remiss.*, cap. 26, pag. 62, et lib. III, c. 12, p. 82, et alibi; nec non et Hier. epist. 153 ad Paulin., ubi et hunc Tertulliani locum laudasse videtur, quamvis errore aliquo, vel memoriæ lapsu liber *De monogamia* in ejus textu citatus legatur.

Sed agedum, jamque videamus quomodo Clemens noster aliis in libris ipsum originale peccatum reipsa agnoverit[22]. Eorumdem igitur, quos supra notavimus, hæreticorum, nuptias in odium Creatoris condemnantium, ubi objecta diluit, peccatum esse animæ mortem demonstrat. Sed quo, putas, argu-

[19] lib. II Appar., c. 7, art. 3; et sup. hoc lib., c. 13, art. 3. [20] Strom. l. III, p. 445. [21] Tertul. De anim., c. 39. [22] Strom. l. III, p. 453.

Digitized by Google

mento utitur? His ipsissimis Apostoli verbis [23] : « Et ideo quemadmodum per unum hominem peccatum ingressum est in mundum, per peccatum quoque mors ad omnes homines pervasit, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, in quo omnes peccaverunt. »

Quo autem modo omnes in Adamo peccaverint, sic ipse postea haud obscure explicare videtur, ubi hanc cur Filius Dei homo factus sit, reddit rationem : « Certum est, inquit [24], Dominum quoque venisse ..... ad eos qui sensibus seu cogitationibus aberraverant, ad nos, inquam, venit Servator ; quæ quidem ex nostra in præceptis inobedientia corrupta sunt, dum nimis avide voluptatem persequeremur, cum forsitan protoplastus noster tempus prævenisset, et non in tempore matrimonii gratiam appetisset et aberrasset. » Εἰς τοὺς πεπλανημένους τὰ νοήματα, εἰς ἡμᾶς, ὁ Σωτὴρ ἀφίκετο· ἃ δὴ ἐκ τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς παρακοῆς ἐφθάρη, φιλησονούντων ἡμῶν, τάχα που προλαβόντος ἡμῶν τὸν καιρὸν τοῦ πρωτοπλάστου, καὶ πρὸ ὥρας τῆς τοῦ γάμου χάριτος ὀρεχθέντος καὶ διαμαρτόντος. Dicit itaque Clemens nos inobedientia aberravisse et peccavisse, nimis avide voluptatem tum persequendo, cum ante statum tempus et horam protoplastus noster gratiam matrimonii appetisset, atque idcirco aberrasset.

Advertendum porro est Clementem ibi consulto addidisse τάχα που, hoc est « forsitan, » qua quidem voce utrum revera hoc sit Adæ peccatum, quo conjugii, et cum Eva conjuge sua statutum concubitus tempus præverterit, non omnino certum se esse confitetur. Et sane hanc opinionem quibusdam tantum, iisque, uti videtur, hæreticis attribuit. Qua quidem nec rejecta nec admissa, manifestum utique facit ex ea ab iisdem hæreticis concludi non posse malam esse generationem : « Et si, inquit [25], cum ex brutis animantibus insidiosi consilii rationem cepisset **183** serpens et persuasisset, dicat Adam assensum esse cum Eva conjunctioni, nempe quod hac natura alias usi non essent protoplasti, ut nonnulli existimant ; rursus maledictis incessitur creatio, ut quæ rationis expertium animantium natura homines fecerit imbecilliores, quorum exempla consecuti sunt, qui a Deo primi formati fuere. Sin autem natura quidem eos, sicut bruta, deduxit ad filiorum procreationem ; moti autem sunt citius quam oportuit, fraude inducti, cum adhuc essent juvenes, justum quidem est Dei judicium in eos, qui non exspectarunt voluntatem ; sancta autem generatio, per quam consistit mundus, » etc. Quidquid porro hac de sententia Clemens statuisse dicatur, non obscurum sane est eum fateri nos in Adamo peccavisse, atque idcirco originali peccato esse inquinatos.

Quod quidem inde adhuc, nec prorsus immerito stabiliri potest, quod alibi ab ipso scriptum legimus [26] : Quemadmodum Deus « est pater omnium per creationem ..... sic nos rursus conversos vult effici ut pueros, eum qui vere Pater est agnoscentes : ut qui simus regenerati per aquam, » nimirum baptismatis. At quomodo fieri potest illa omnium per baptismatis aquam regeneratio, nisi ex morte quæ originali peccato allata est?

Verum, inquiet aliquis, non Clemens originis peccatum negare videtur, quando sic disputat [27] : « Job autem justus : Ipse, inquit, nudus egressus sum ex utero matris meæ, et nudus illuc revertar ; non nudus a possessionibus, hoc enim est et parvum et commune, sed ut justus recedit nudus a vitio et peccato, et ab informi simulacro, quod eos consequitur qui injuste vixerunt. Hoc enim fuit, quod dictum est : Nisi conversi effecti fueritis ut puelli, mundi quidem carne, sancti vero anima, per abstinentiam a malis operibus, ostendens quod nos tales esse vult, quales etiam genuit ex matrice aquæ. » Verum quid, quæso, ibi contra sinceram de originis peccato doctrinam? Clemens etenim postquam de perfecta peccatorum in « gnostico » purgatione disseruisset, ex citato Jobi testimonio docet eum a vitio et peccato præsertim idololatriæ vacuum et mundum ex hoc mundo egredi debere, ut in requiem et æternam felicitatem septimo et octavo numero designatam ingrediatur.

Recte quidem, inquies. Atqui Clemens dicit hominem ex utero matris suæ ita exire, sicut ex hoc mundo vitii et peccati expers et immunis exire debet. Nullam ergo agnovit peccati originalis labem.

Sed animum, obsecro, advertas Clementem ibidem ex Christi colligere verbis ipsum velle ut nos ex hoc mundo exeuntes, simus reipsa tales, « quales etiam genuit ex matrice aquæ, » οἵους καὶ γεγέννηκεν ἐκ μήτρας ὕδατος, sacri scilicet aqua baptismatis, qua omnes plane quorumlibet peccatorum sordes eluuntur. Quid igitur his verbis auctor noster aliud innuit, nisi nos ex solis sacri baptismi undis, non autem ex matris et genitricis nostræ alvo puros et peccato vacuos prodire?

Nos quidem non fugit Nicetam Heracleæ metropolitam in sua Græcorum Patrum in hunc Jobi librum catena hunc in modum retulisse Clementis nostri verba [28] : « Nudus a vitio et peccato, quasi ex utero matris e terra initio formatus sum, nudus in eam revertar ; non autem a possessionibus, hoc enim parvum et vulgare esset, sed a vitio et peccato, et a tenebricoso idolo, quod eos excipit, qui injuste vixerunt. » Verum non omnino constat utrum ex *Stromatum* libris hæc Nicetas excerpserit. Plura siquidem continenter ex eodem Clemente nostro subjungit, quæ quidem sicut unde hausta sint, plane incertum est, ita etiam isthæc ex hisce libris sumpta non fuisse haud immerito colligi potest. Quia tamen quædam ex his quæ retulimus, in supra citato a nobis libro ad verbum, nonnullis tamen interpositis et detruncatis, occurrunt, demus alia etiam omnia in eo scripta fuisse. Sed quid inde, amabo te, contra originis peccatum? Nihil prorsus. Terra enimvero, ex qua formati sumus, ea ipsa est ex qua Adamus a Deo factus est. Atqui Adamum ab omni vitio et peccato nudum et vacuum ex ea procreatum esse quis ambigat? Porro autem in his, quæ ex ipsismet *Stromatum* libris transcripsimus, Clemens nullam prorsus terræ mentionem facit, ac de sacra tantum loquitur baptismatis « aquæ matrice, » qua homo ab omni vitio et peccato liber et solutus generatur.

CAPUT VIII.

De mundi rerumque omnium creatione et præstantia.

ARTICULUS I.

Mundum totum simul, nullo interjecto temporis spatio, a Deo creatum ; ac de his verbis : Quo die fecit Deus cœlum et terram.

De homine peccatore hactenus. De totius autem mundi ac præsertim primi hominis creatione, illiusque cum corporis tum animæ dotibus, quid Clemens noster animadversione dignius tradiderit, nunc expendamus. Primum igitur ille non solum aperte docet mundum et omnia, quæ ab initio totus ipse mundus complectebatur, simul nulloque

[23] Rom. v, 12. [24] Strom. l. III, p. 466. [25] ibid., p. 470. [26] ibid., p. 463. [27] Strom. l. IV, q. 538. [28] Caten. Græc. Patrum in Job, edita a Pet. Junio, p. 59.

Digitized by Google

interjecto temporis intervallo, fuisse a Deo condita et creata : verum etiam cur ea subcisivis nihilominus temporibus creata dicantur, diserte sic explicat : « Quæ diversis, inquit [29], diebus fuerunt creationes, maxima acceptæ sunt consequentia ; utpote quod omnia, quæ facta sunt, quæ simul creata sunt cum cogitatione, honorem sint habitura ex eo quod antiquius, nec sit futura par eorum æstimatio. Neque voce fuisset declaratus uniuscujusque ortus, si acervatim et simul omnia fecisse dicta esset creatio. Oportebat enim aliquid primum quoque nominasse. Propterea ergo prima prophetice dicta sunt, ex quibus secunda, cum omnia simul potestate facta sint ex una essentia. Est enim una, ut opinor, Dei voluntas in una identitate. Quomodo autem in tempore facta fuerit creatio, si una cum iis quæ sunt tempus quoque factum fuerit? » Vides quomodo ille non tantum asseveret, sed et probet cur omnia simul creata fuerint, quamvis in sacris Scripturæ libris legamus ea non simul, sed diverso tempore, variisque diebus condita.

Neque id Clemens semel dixisse contentus, idem paulo post repetit [30] : « Ut ergo discamus mundum esse genitum, non in tempore autem facere Deum existimemus, subjunxit prophetia [31] : Hic est liber generationis, et eorum quæ sunt in ipsis, quando facta sunt, quo die fecit Deus cœlum et terram. Illud enim : quando facta sunt, enuntiationem significat indefinitam et expertem temporis. Hoc autem : quo **184** die fecit Deus, hoc est in quo, et per quem fecit omnia, et sine quo factum est nihil, significat eam quæ per Filium fit operationem, quem dicit David : Hic est dies, quem fecit Dominus, exsultemus, et lætemur in eo, hoc est per eam quæ per ipsum tradita est cognitionem, divinis fruamur epulis. Dies enim dictum est Verbum, quod occulta illuminat, et per quod in lucem et ad generationem accessit unaquæque creatura. » Aliam ibi Clemens profert rationem cur Deus mundum non in tempore, sed simul totum creaverit. Sed hæc ratio quodam Scripturæ divinæ testimonio firmatur, quod in sacro illius textu, non iisdem plane verbis ac in Clementis nostri contextu, fortassis librariorum incuria habetur. Sed de his Nobilii, si velis, notas consule.

Ad illius porro de mundo et omnibus quæ in illo erant, non in tempore, sed eodem instanti et simul a Deo creatis opinionem quod spectat, prævium sequi videtur Philonem, cujus hæc sunt verba [31*] : « Tum igitur omnia simul sunt condita. In quo quidem universali opificio necesse erat servari ordinem, propter futuram generationem aliarum rerum ex aliis. » Et rursus alibi [32] : « Rusticanæ, ait, simplicitatis est putare sex diebus, aut utique certo tempore mundum conditum ; quia totus mundus vicissitudo est dierum ac noctium, quam solis motus super terram sub terraque meantis necessario conficit. Sol autem pars cœli censetur ; ut fatendum sit tempus posterius mundo esse, quippe quod mundi est effectus. Nam cœli motus indicavit naturam temporis. » Philoni quoque subscripsit Origenes [33], atque etiam Athanasius [34], et alii quidam Ecclesiæ Patres. At in primis videndus est Augustinus libro *De Genesi ad litt.*

Contra vero longe plures mundum distinctis diebus, quemadmodum in Genesis libro narratur, factum esse existimant. Qua de sententia, jam fere omnium communi probata consensu, adeundi sunt theologi scholastici in lib. II *Sentent.*, dist. 12, et in D. Thom. I part., quæst. 74, art. 2; Petavius lib. I *De opific. mundi*, cap. 5, et sacræ Scripturæ in Genesim interpretes.

Denique Clemens hoc Geneseos verbum « die, » quo Deus memoratur fecisse cœlum et terram, de Filio ejus intelligendum esse opinatur. Sed plerique Patres non illud, sed prima Geneseos verba « in principio, » de eodem Dei Filio interpretati sunt. Videsis Origenem, homil. 1 in Genes.; Eusebium, lib. VII *Præpar. evang.*, cap. 12; Ambrosium lib. I in Hexaem., cap. 4, § 15; Augustinum serm. 1, de Script. et alibi; Cassianum, collat. VIII, cap. 7; Methodium, lib. *De creat.* apud Combef.; Eucher. *Quæst. in Genes.*, Greg. Turon., lib. I *Histor.*, cap. 1; Zach. Christianum libro II *Consult.*, cap. 3, tom. X *Spicil.* Dacher.; Aponium, lib. VI in Cant.; Alcuinum, interrog. 26 in Genes. et lib. II *De fide S. Trinit.*, cap. 14; Rupert., libro VII *De divin. offic.*, cap. 3, et lib. II, cap. 15; Petr. Blesensem, lib. *Contr. perf. Jud.*, cap. 5; Brunonem Sig., in lib. IV *Sent.* cap. 1, et alios a Petavio adhuc citatos lib. I De opific., cap. 1, pag. 229, tom. III *Theolog. dogm.*

ARTICULUS II.

De angelorum creatione, atque eorum naturæ præstantia, et gratiæ ad perseverandum necessitate ; alios aliis esse superiores ; de illorum erga homines officiis et muniis ; de angelis custodibus atque prævaricatoribus, et qua hi doctrina mulieres imbuerint, ac de illis quid pagani scriptores tradiderint.

Mundum et omnia quæ in eo sunt, simul eodemque momento creata fuisse si Clemens credidit, cur ergo, inquies, hominem angelis « tempore et indumento » inferiorem esse asseverat? Nonne his verbis indicat angelos ante hominem, creatos, ac proinde mundum non simul, sed diversis temporum intervallis a Deo procreatum? Sed audi, quæso, quomodo Clemens noster de iis loquatur, nec magno forsitan labore illum sibi ipsi minime contradixisse intelliges. Nam hæc illius sunt verba [35] : « Et quidnam est, in quo differt homo a bestiis, et eo rursus Dei angeli sapientiores? Et minuisti eum, inquit, paulo minus ab angelis. De Domino enim non accipiunt Scripturam, quamquam ille quoque carnem ferebat, sed de eo qui est perfectus et gnosticus, qui et tempore et indumento diminutus est ab angelis. » Quorumdam itaque sententiam ibi Clemens refert, qui citata Psalmistæ verba non de Christo Domino, tametsi de eo intelligi possent, interpretabantur, sed « de gnostico et perfecto Christiano, ἐπὶ τοῦ τελείου, καὶ γνωστικοῦ, τῷ χρόνῳ καὶ ἐνδύματι ἐλαττουμένου παρὰ τοὺς ἀγγέλους, qui tempore et indumento diminutus est ab angelis. » At quamvis Clemens huicce opinioni subscripsisset, quid inde, amabo te, contra illius de toto mundo simul condito opinionem? Non enim ibi ille de quolibet homine, neque de Adamo, sed de perfecto et gnostico Christiano disputat. Hunc autem dicit esse angelis ἐλαττούμενον, minorem, et inferiorem ἐνδύματι, « indumento, » hoc est corpore, καὶ χρόνῳ, « et tempore, » haud dubie quia homo, ut ad summum perfectionis apicem ascendat, longiori quam angelus tempore indiget. Quod quidem ex mox dicendis clarius patebit. Interim obiter observabimus theologorum, qui mundum diversis diebus creatum existimant, communem cum D. Thoma [36] nunc esse sententiam angelos simul cum corporea creatura conditos, quamvis ex antiquissimis Ecclesiæ Patribus non infimi nominis plurimi eos ante corporeum mundum creatos putaverint. Eorum nomina si scire aveas, apud Estium [37] legere poteris.

Angelos autem non solum « gnostico » et perfecto Christiano superiores, sed et sicut « gnosticum » in terra, ita illos in cœlo rem præstantissi-

[29] Strom. l. VI, p. 684. [30] ibid., p. 686. [31] Genes. II, 4. [31*] Philo, l. De mundi opif., p. 14. [32] Lib. allegor., p. 41. [33] Orig., l. VI contr. Cels., p. 502. [34] Athan., orat. 2 contr. Arian., p. 528 nov. edit. [35] Strom. l. IV, p. 477. [36] D. Thom. I part., quæst. 61, art. 3. [37] Est. in lib. II Sent., dist. 2, § 3.

Digitized by Google

mam esse palam Clemens pronuntiat : « In terra, ait [58], res est præstantissima homo, ὁ θεοσεβέστατος, qui est maxima in Deum pietate. In cœlo autem res est præstantissima angelus, qui loco propius et jam purius est æternæ et beatæ vitæ particeps. »

Tametsi porro auctor noster angelos adeo excellentis et præstantis naturæ fuisse persuasum omnino habuerit, dicit tamen eos aliquando divino quodam eguisse dono, cujus adipiscendi gratia Deum rogare debuerunt : « Cum sit, inquit [59], unus bonus Deus, ab ipso ex bonis alia quidem dari, alia vero permanere precamur nos et angeli, sed non similiter. » Ait itaque Clemens nos, quemadmodum **185** angelos, aliquid a Deo postulare : ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, « sed non similiter. » Quodnam autem sit illud inter nostram angelicamque precationem discrimen, sic ille edisserit : Οὐ γάρ ἐστι ταυτὸν αἰτεῖσθαι παραμεῖναι τὴν δόσιν, ἢ τὴν ἀρχὴν σπουδάζειν λαβεῖν · « Non est enim idem petere, ut donum permaneat, aut ab initio, ut id accipiamus, contendere. » Quibus utique verbis ille satis perspicue declarat nos ab initio divinæ gratiæ donum a Deo petere, ut boni aliquid, quo cœleste præmium mereamur, agamus. Verum ipsemet Clemens non minus clare tradit angelos, quos a creationis suæ initio gratia et virtute præditos fuisse pro certo ponere videtur, perseverantiæ donum, quo scilicet in ea qua conditi erant justitia perseverarent, tantummodo postulasse. Et vero cum ex eis aliquos, uti jam dictum est, et ex infra dicendis adhuc patebit, in peccatum incidisse fateatur, hinc quoque et alios ne similiter prolaberentur, et in bono ac virtute permanerent, divina gratia opus habuisse collegit, et professus est. De « gnostico » etenim sermonem ubi facit, hæc de angelis adhuc habet [60] : « Novit aliquos quoque ex angelis propter socordiam humi esse lapsos, quod nondum perfecte ex illa in utramque partem proclivitate in simplicem illum atque unicum expedissent se habitum. »

Scimus quidem quibusdam visum fuisse eosdem angelos etiam postea quam in bono confirmati fuerint, aliquid obsequiis, quæ hominibus exhibuerant, meruisse [61]. Sed huic Magistri sententiarum opinioni, jam dudum proscriptæ, nota erroris inusta est. Videsis theologos scholasticos in hunc Magistri locum, et in D. Thom. I part., quæst. 62, art. 2, ac Petavium tom. III *Dogm. theolog.*, lib. I, *De angel.* cap. 16, pag. 96 et seq.

Quanquam autem angeli, teste Clemente nostro, ejusdem omnes sint naturæ, ex illis tamen alios aliis superiores, majorisque ordinis et potestatis esse hunc ille in modum nobis exposuit [62] : « Septem, inquit, sunt, quorum maxima est potentia, primogeniti angelorum principes. » Ἑπτὰ μέν εἰσιν οἱ τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντες πρωτόγονοι ἀγγέλων ἄρχοντες. » Ibi certe Clemens ad illum alludere videtur vel Tobiæ locum [63] : « Ego sum Raphael angelus, unus ex septem, qui adsumus ante Dominum ; » vel etiam Apocalypseos [64] : « Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt. » Hos itaque, qui « ante Dominum, » et in conspectu « throni ejus » assistunt, ait Clemens esse « primogenitos angelorum principes. » Quod quidem rursum hoc ipsismet Danielis [65] testimonio confirmari potest : « Michael unus ex principibus primis, » Μιχαὴλ εἷς τῶν ἀρχόντων.

Quosdam vero his esse inferiores, et quæ sint eorum officia et munia, sic auctor noster alio in libro edisserit [66] : « Hic est qui dat Græcis sapientiam per inferiores angelos, διὰ τῶν ὑποδεεστέρων ἀγγέλων. Sunt enim jussu divino et antiquo per gentes distributi angeli, » εἰσὶ γὰρ συνδιανενεμημένοι προστάξει θείᾳ καὶ ἀρχαίᾳ ἄγγελοι κατὰ ἔθνη. Docet igitur Clemens et primo quidem angelos esse per gentes distributos, qui scilicet eis præficiuntur, et regnorum sunt tutores ac defensores. Ex illis autem unus procul dubio erat, de quo apud Danielem scriptum legitur [67] : « Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus. »

Secundo Clemens testatum facit angelos esse distributos « jussu divino et antiquo ; » quibus verbis innuere videtur illos non solum in veteri, sed in novo etiam testamento hæc obiisse munia.

Denique addidit Dominum Græcis dedisse sapientiam « per inferiores angelos. » At eo sapientiæ nomine non aliud, uti infra dicetur, quam nonnulla gentilis philosophiæ certa ac veritati plane consentanea documenta et placita intelligit. Data porro opera ille « per inferiores angelos, » ea cum Græcis communicata esse declarat ; ut nobis haud dubie tacitus insinuet alia, quæ majoris momenti erant, hominibus superiorum angelorum ministerio patefieri.

Illi porro nobis divinam voluntatem annuntiant non solum signo quodam corporeo, aut aspectabili figura, sed eam quoque in intimos humani animi sensus transmittunt : « Divina, inquit [68], voluntas in humanas animas transmittitur, dum qui sunt singulares divini administri ad talia opem ferunt ministeria. » Porro autem his ministeriis angeli sic homines servant, aut eis serviunt, ut eos semper reddant meliores [69].

Ea vero præter generalia angelorum erga homines ministeria et officia, non obscure Clemens noster tradidit ex iis aliquos « singulis » hominibus ad eorum procul dubio custodiam deputatos « Per gentes, ait [70], et civitates sunt distributæ angelorum præfecturæ ; τάχα δὲ καὶ τῶν ἐπὶ μέρους, ὧν ἑνίους ἀποτετάχαταί τινες · Fortasse autem etiam ex iis sunt deputati singulis. » Vel magis ad verbum, « fortasse autem ex eis nonnulli quibusdam singulatim deputati sunt. »

At quamvis Clemens noster ibi dubius et hæsitans de angelis custodibus loqui videatur, de iis tamen alibi ipse ulla sine dubitatione suam tunc fert sententiam, ubi superius paganos scriptores ex sacris nostris auctoribus plura furatos esse ut ostendat, hæc de Platone habet [71] : « Parvorum autem convenienter Scripturæ et minimorum angelos, Deum videntes, quinetiam nostri curationem et visitationem, quæ ad nos venit per angelos, qui nobis præsunt, indicans, non veretur scribere : Postquam omnes animæ vitam elegissent, ita ut sortitæ erant, ordine accedere ad Lachesim ; illam autem eum, quem unusquisque elegit dæmonem, cum eo mittere vitæ custodem, et ut adimpleat ea quæ elegerit. » Vides itaque hæc non quidem de Lachesi, nec de animarum ante sui corporis exsistentiam electione, quod fabulosum utique et a paganis fictum esse putabat, sed de angelis hominum custodibus a Clemente nostro non dubitanter amplius, sed asseveranter et certo pronuntiari. Atqui si persuasum ille habuit isthæc de iisdem angelis a Platone κατὰ τὴν γραφήν, « secundum Scripturam, » et ei convenienter fuisse litteris consignata, nullus ipse profecto dubitavit unicuique homini ab ipso vitæ suæ exordio angelum quempiam, qui eum custodiat et tueatur, a Deo fuisse addictum ac præpositum. Illum porro Clementis locum, ab Eusebio descriptum [72], et citata ab eodem Clemente Platonis verba in ejusdem philosophorum coryphæi invenies operibus tom. II, libro X *De republ.*, pag. 617.

[58] Strom. l. VII, p. 701. [59] ibid., p. 721. [60] lib. VII Strom. p. 726. [61] lib. II Sent., dist. 11. [62] Strom. l. VI, p. 685. [63] Tob. XII, 15. [64] Apoc. XIV, 5 et 6. [65] Dan. X, 13. [66] Strom. l. VII, p. 702. [67] Dan. X, 13. [68] Strom. l. VI, p. 693. [69] Strom. l. VII, p. 701. [70] Strom. l. VI, p. 693. [71] Strom. l. V, p. 592. [72] Euseb., l. XIII Præpar. evang., c. 13, p. 670.

Digitized by Google

Postea vero Clemens [83] in ejusdem de hisce angelis sententiæ confirmationem hæc, quæ ab Eusebio adhuc transcripta sunt [84], profert Orphei carmina :

Astant angelicus populus, queis maxima cura
Mandata est hominum...

Et rursus illa Menandri [85] :

186 *Adest viro cuilibet dæmon bonus,*
Ut primum quisque nascitur, vitæ sacer
Præses regendæ ; quippe dæmonem malum
Esse haud fatebor, qui boni lædat viri
Vitam...

De his porro præter Scripturæ sacræ interpretes in Geneseos cap. XLVIII, 16; psalm. XL, 11; Matthæi VIII, 10, legendi sunt theologi scholastici in lib. II *Sentent.*, dist. 11, et in D. Thom., I part., quæst. 113; Petavius tom. III *Theolog. dogm.*, lib. II, cap. 6, ubi non modo Ecclesiæ Patrum, sed etiam ethnicorum scriptorum auctoritate illud idem de angelis custodibus Christianum dogma probat et defendit. Sed his scriptoribus plane excidit allatum a nobis Clementis nostri non minimi certe ponderis testimonium, atque etiam Origenis lib. III *Periarch.*, pag. 458, ubi Hermam et Barnabam ejusdem opinionis assertores et testes citat. Quibus adjungendus est Theodoretus serm. 3, tom. IV, pag. 537, et Plutarchus lib. *De Iside et Osiride*, pag. 360 et seq. Verum hocce de argumento jam aliquid perstrinximus lib. I *Appar.*, dissertatione 5, articulo 14 et 19.

Neque porro bonos tantum, sed etiam malos angelos paganis scriptoribus non incognitos fuisse Clemens putavit. Ipsi enimvero probatur, quod de utrisque Phocylides cecinit : « Phocylides, inquit [86], angelos dæmones, ἀγγέλους δαίμονας, vocans, alios quidem ex his esse bonos, alios vero malos his ostendit : nam nos quoque accepimus aliquos, qui defecerunt.

Dæmonibus non una viris natura nocendi est :
Sunt etenim longe venientia qui mala possunt. »

Et vero Clemens alibi [87], ut jam animadvertimus, scribit quosdam angelos ὑπὸ ῥᾳθυμίας, « propter socordiam » cecidisse. Alio autem in libro quæ sit ea socordia et peccatum angelorum paulo enucleatius exponit [88] : « Jam vero angeli quoque quidam cum fuissent incontinentes, victi cupiditate, huc e cœlo descenderunt. » De hoc angelorum lapsu et peccato jam plura a nobis disputata sunt, præsertim lib. II *Apparat.*, dissert. 2, cap. 7, § 17, et dissert. 3, cap. 5, § 3, atque super. dissert., cap. 6, art. 1, ubi de egregoris.

At illud magis singulare est, quod rursus Clemens de iisdem angelis obiter tradidit [89] : « Angeli illi, inquit, quibus superna sors obtigerat, delapsi ad voluptates, enuntiarunt arcana mulieribus, et quæcunque ad eorum venerant cognitionem, cum alii celarent angeli, vel potius reservarent in adventum Domini. Illinc profluxit doctrina providentiæ et sublimium rerum revelatio. » Paucis ibi verbis multa de pravis prævaricatoribusque angelis Clemens prodidit, quæ falsitatis erroris que notam effugere non posse haud plane immerito multis videbuntur. Ait enim antequam « prophetia Græcis fuerit tradita, » hoc est priusquam Græci aliquid ex sacris nostris scriptoribus accepissent, angelos ad voluptates haud dubie corporeas delapsos, mulieribus, quibuscum concubuerant, arcana, et ea omnia patefecisse, quæ ad eorum cognitionem venerant, et quæ boni angeli eas celaverant, vel potius « in adventum Domini » crediderant esse reservanda. Atque inde ipse colligit ad homines profluxisse doctrinam providentiæ et sublimium rerum cognitionem.

Verum cui hæc credibilia fient? Nam quomodo pravi angeli cum mulieribus concumbere potuerunt, nisi ii ipsi naturæ corporeæ fuisse dicantur? Deinde vero quomodo illi a Clemente veris documentis mulieres imbuisse perhibentur, quandoquidem alii scriptores longe probabilius existimant eas ab iisdem malis angelis in errorem atque in primis idololatriæ et libidinis peccata allectas et inductas? Sed de his nos jam satis, uti observatum est, alibi disputavimus.

Denique ubi Clemens multa extra communem naturalemque rerum ordinem ab iisdem pravis angelis, vel eorum opera, quædam patrata fuisse memorat, hæc ibidem scriptis mandavit [90] : « Existimant autem nihil referre an has animas, τὰς ψυχάς, deos an angelos dicamus. Jam vero qui sunt eorum doctrinæ periti, in multis templis, tanquam deorum statuas, omnes fere mortuorum loculos posuere, dæmones quidem vocantes eorum animas, eas autem coli ab hominibus docentes, ut quæ divina providentia propter vitæ puritatem potestatem acceperint, ut ad hominum ministerium locum, qui est circa terram, obirent. Sciebant enim aliquas animas ex natura corpore teneri. Sed de his cum agetur de angelis, mox suo tempore disseremus. » Itaque hanc Clemens notat fuisse paganorum opinionem dæmones esse mortuorum hominum, sed piorum animas, quæ ut aliis hominibus auxilio et subsidio essent, « locum qui est circa terram, obibant. » Sed Tatianus hunc errorem, uti alibi diximus [91], refert ac refellit.

Auctor vero noster, quid de hac opinione sentiat, cum ad rem suam id nihil faceret, ad alium scriptorum suorum locum nos misisse contentus, silentio prætermittit. Ita enim ille : Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν τῷ *Περὶ ἀγγέλων* λόγῳ προϊούσης τῆς γραφῆς κατὰ καιρὸν διαλεξόμεθα. An autem fidem suam aliquando liberaverit, aut per otium promissis stare, et hunc tractatum in lucem emittere ipsi non licuerit, nemo, uti opinamur, facile dixerit. At si adhuc exstaret illud auctoris nostri *De angelis* scriptum, ex eo procul dubio quid de illis eorumque natura, dotibus et officiis censuerit, longe magis exploratum haberemus. Quæ autem fuerint paganorum de angelis opiniones paucis perstrinxit Joan. Anton. Venerius lib. *De oraculis et divinationibus antiquorum*, cap. 3 et 4.

187 ARTICULUS III.

Quam perfectus Adam a Deo creatus fuerit; hominem constare corpore et anima plane spirituali et immortali; utrum Clemens inter corpus et animam aliquid medium agnoverit, ubi de animalium ratione carentium animabus; quæ sit animæ humanæ in corpore sedes, ac qua ratione homo factus sit ad Dei imaginem et similitudinem.

Ab angelis ad homines ut descendamus, auctori nostro, quam perfectus anima et corpore Adamus a Deo creatus sit, explicanti libet auscultare. « Adamum, inquit ille [92], dicimus fuisse perfectum, quod attinet ad formationem ; nihil enim ei defuit ex iis quæ homini formæ et speciei characterem tribuunt. Ille autem dum fieret, accepit perfectionem, et justificatus est per obedientiam. Hoc erat quod in virum crescebat, nempe id quod in ejus potestate erat situm, seu liberum arbitrium. Quod autem elegerit, atque adeo id quod erat vetitum elegerit, non est culpa in Deum conferenda. »

Contra hanc Clementis sententiam, quantumvis veram et certissimam, quidam hæretici objiciebant

[83] Strom. l. v, p. 608. [84] Euseb., ibid. p. 686. [85] ibid., Strom. p. 610. Euseb. ibid., p. 689. [86] Strom. l. v, p. 600. [87] Strom. l. vii, p. 726. [88] Strom. l. iii, pag. 450. [89] Strom. l. v, p. 550. [90] Strom. l. vi, p. 631, 631. [91] lib. II Appar., dissert. 5, c. 2, § 3. [92] Strom. l. iv, p. 555.

Digitized by Google

Adamum a Deo nec perfectum nec imperfectum creari potuisse. Si enim, inquiebant, imperfectus fuerit formatus, « Quomodo perfecti Dei imperfectum est opus, et maxime homo? Sin autem perfectus, quomodo transgreditur præcepta? » Sed huic objectioni ex superius dictis satis jam fecerat, cum dixit [63] Adamum, sui juris et libero voluntatis arbitrio præditum, a Deo sic fuisse conditum, ut et bonum et malum eligere, atque ita « in virum, » hoc est virtutibus « crescere, » et augeri potuerit.

Verumtamen impiis hæreticis, illud tam scite et recte dictum vellicare conantibus, nunc adhuc respondet [64]: « Audiant a nobis quod perfectus quidem non fuit factus in constitutione, sed aptus ad suscipiendam virtutem; multum enim refert factum esse aptum ad eam acquirendam. » Censet itaque Clemens Adamum eo sensu perfectum a Deo fuisse formatum, non quidem ita ut eum tanto virtutum cumulo exornaverit, ut proficere amplius non posset; sed in ea justitiæ et virtutis perfectione conditum, ut ad majorem acquirendam et suscipiendam aptus semper fuerit. Et vero quis ignorat Adamum, postquam a Deo creatus est, sicut revera peccavit, ita etiam bonis actionibus potuisse aliquid mereri, atque idcirco gratiæ et virtutis accipere incrementum? Quinimo Deus Adamo, uti ex Ecclesiæ Patribus haud pauci testantur, usu arboris scientiæ boni et mali interdixit, ut meriti et virtutis, ac præsertim obedientiæ materiam illi suppeditaret. Adisis theologos in D. Thomam I part., quæst. 95, art. 4; Petavium tom. III *Theolog. dogm.*, lib. II *De opif.*, cap. 9, pag. 340.

Quibus porro partibus concretum hominem Deus creaverit, ex his disces Clementis nostri verbis [65]: « Compositus est, ait, ex parte rationis participe, et experte rationis, anima et corpore, ἐκ λογικοῦ καὶ ἀλόγου συγκείμενος, ψυχῆς καὶ σώματος. Sed corpus quidem et terram operatur, et tendit ad terram; anima autem ad Deum extollitur. » Hanc autem docet esse corpore longe subtiliorem, ac plane simplicem et incorpoream, et idcirco non potuisse aquis diluvii mergi et exstingui: « Anima quæ est res longe subtilior, λεπτομερέστερον, corpore, » ita ille loquitur [66], « minime potuerit affici ab aqua, quæ est crassior, διὰ λεπτότητα, καὶ ἁπλότητα μὴ κρατουμένης, ἢ καὶ ἀσώματος προσαγορεύεται, ut quæ propter subtilitatem et simplicitatem minime superetur, quæ etiam appellatur incorporea. » Nemo sane homo est, qui non perspiciat quam perspicue Clemens asseveret humanam animam naturæ esse non modo spiritualis et incorporeæ, sed etiam immortalis. Quapropter non minus diserte alibi docet eam esse præcipuam hominis partem, quæ nullo prorsus modo a parentibus, quemadmodum corpus, generatur; sed ab ipsomet Deo creata, in illud ingreditur [67]. Ἐπεισκρίνεται δὲ ἡ ψυχὴ καὶ προεισκρίνεται τὸ ἡγεμονικόν, ᾧ διαλογιζόμεθα, οὐ κατὰ τὴν τοῦ σπέρματος καταβολὴν γεννώμενον, « Ingreditur autem anima, et etiam prius ingreditur principalis facultas, qua ratiocinamur, quæ non generatur per dejectionem seminis. » Addit [68] eam esse omnium actionum nostrarum principium, quo « universa actio hominis perficitur. »

Et id quidem sic ille ostendit. Ubi primum homo est genitus, initium vitæ ab iis accipit, « quæ perturbationibus sunt obnoxia. » Tum spiritus carnalis et corporeus, qui motu facillimus est, sortitur nutriendi, augendi et movendi facultatem. Atque in hoc sita est pars hominis, expers quidem rationis, sed animata, ἐψυχῶσθαι, « et per corpus primum patitur, καὶ πρωτοπαθοῦν διὰ σώματος· atque per corporeum hunc spiritum homo sentit, concupiscit, lætatur, irascitur, alitur, augetur. Quinetiam per eum actiones aggreditur convenienter ei, quod mens cogitarit et conceperit, τὰ κατ' ἔννοιάν τε καὶ διάνοιαν [69]. » Ratiocinandi vero facultas et principalis, τὸ λογιστικὸν καὶ ἡγεμονικόν, humanæ causa constitutionis dicitur, eaque « habet liberam eligendi facultatem, in qua inquisitio, disciplina et cognitio. » Ad illam autem omnia referuntur, « ac propter illam, καὶ δι' ἐκεῖνο, vivit homo, et certo modo vivit. » Demum victis cupiditatibus, « regnat præcipua animæ pars, unde ratio proficiscitur, βασιλεύει τὸ ἡγεμονικόν. »

Quid ergo mirum si Clemens animam post resurrectionem nullius sexus esse affirmaverit [70]? « Ipsæ, inquit, per se ex æquo sunt animæ; animæ neutræ, nec masculæ, nec feminæ; quandoquidem, neque uxores ducunt, nec nubunt. » Ambrosius autem de ipsa anima, quocunque sit in statu, generatim scribit [71]: « Anima sexum non habet; sed ideo fortasse femineum nomen accepit, quod eam violentior æstus corporis agit; ipsa autem impetus carnis amore sui molli quadam et blanda ratione demulcet. » Denique ut alios complures missos faciamus, Gregorius Nazianzenus in oratione de Gorgonia sorore sua hæc scribit [72]: « Atque illud conspicuum fecisti masculum et feminam, corporis, non item animæ discrimen esse. »

Animadvertas tamen velim Clementem in homine agnoscere corporeum quemdam spiritum, σωματικὸν πνεῦμα, per quod sentit, alitur et augetur. Præterea vero alibi [73] animam corpoream, σωματικὴν ψυχήν, in « gnostico, » ait esse, cui illa « detrectanti spiritui et experti rationis frenum injicit. » Quinimo ipse dicit [74] Mosaicæ legis sacrificia significavisse « emundationem partis animæ, quæ caret ratione, τὴν ἀποκάθαρσιν τοῦ ἀλόγου μέρους τῆς ψυχῆς, esse Deo acceptam. »

Verum nos alibi adnotavimus [75] veteres quosdam scriptores ex his Apostoli ad Thessalonicenses verbis [76]: « Ut integer spiritus vester, et anima, et corpus **188** in adventu Domini servetur, » triplicem in homine, ut ait Hieronymus, distinxisse substantiam: spiritum, quo sentimus; animam, qua vivimus; corpus, quo incedimus. Utrum autem huic opinioni Clemens subscripserit, cujusve naturæ hanc animam esse crediderit, ut possis intelligere, audi, quæso, quid ille, ubi contra statuas et imagines disputat, de animabus scripto tradidit: « Non cadunt, inquit [77], animæ sub aspectum, non solum quæ sunt compotes rationis, sed etiam animæ aliorum animantium. Corpora autem ipsorum nunquam fiunt partes ipsarum animarum, sed instrumenta, ut quibus aliæ quidem insideant, aliarum vero sint vehicula, aliarum vero alio modo possessiones. » Intellexisti haud dubie quam apertissime Clemens definiat quamlibet animam, etiam ipsorum ratione carentium animantium sub aspectum non cadere, ψυχαὶ ἀόρατοι. Deinde corpora eorum non fieri animarum partes, τὰ δὲ σώματα αὐτῶν μέρη μὲν αὐτῶν οὐδέποτε γίνεται τῶν ψυχῶν, sed earum esse ὄργανα, « organa et instrumenta, » diverso tamen disparilique modo. Aliarum enim sunt ἐνιζήματα, « sedes, » aliarum vero ὀχήματα, « vehicula, » aliarum denique κτήματα, « possessiones, bona et facultates. » Ex quibus concludit nullius plane animæ posse fieri aut formari imaginem. At nulli profecto inde colligere licet Clementem existimasse omnes omnium animantium animas minime esse corporeas, sed spiritualis naturæ et substantiæ.

Quæ ergo, inquies, illius ita disputantis est mens, et quæ ejus opinio et sententia? Non alia certe esse videtur, nisi animam cujuslibet animan-

[63] l. VI, p. 662. [64] ibid. [65] Strom. l. IV, p. 477. [66] l. VI, p. 641. [67] ibid., p. 681. [68] ibid. [69] ibid., p. 664. [70] Ambros., l. De virgin., c. 15, § 93, p. 236. [71] Greg. Nazian., orat. 11, p. 184. [72] Strom. l. VII, p. 747. [73] ibid., p. 717. [74] lib. II Appar., dissert. 5, c. 2, § 4, et dissert. 6, c. 9, § 1. [75] 1 Thess. V, 23. [76] Strom. l. VI, p. 696.

Digitized by Google

tis non esse partem illius corporis; sed in illo sic includi, ut a nemine nec videri nec pingi possit. Et vero Clemens ibi de animalium ratione privatorum potius quam de hominum animabus disserit. Cæterum si contendas Clementem ibi dixisse in hominibus esse quamdam animam, quæ inter corpus ejus et spiritum, seu spiritualem substantiam sit media, et id validis rationibus convincas, inde procul dubio conficies illum veterum, de quibus dictum est, opinioni suffragium suum tulisse.

At diligentissime caveas velim, ne ipsum absurdi accuses erroris, quo nihil aliud præter corpoream et mortalem substantiam in homine esse impii quidam homines frustra opinati sunt. Non enim in his solum libris, sed in aliis, uti jam probavimus, ipse Clemens noster evidentissime docet hominis animam, seu spiritum hominis esse incorporeum, simplicem ac spiritualem. Et in hujusce assertionis confirmationem id quidem afferri posset, quod ab ipso dicitur[78.79] : « Anima nocte cessans a sensibus convertitur ad seipsam, et est magis prudentiæ particeps. » Ex veteribus autem philosophis hanc Clemens noster doctrinam procul dubio hauserat. Tullio siquidem, post antiquiores philosophorum principes, sic illa probatur [80] : « Cum ergo est somno sevocatus animus a societate et cogitatione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prævidet. Jacet enim corpus dormientis, ut mortui; viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino ex corpore excesserit. Itaque appropinquante morte, multo est divinior. » At porro undelibet illud Clemens hausisse dicatur, ex dictis certo et evidentissime patet persuasum ipsi plane penitusque fuisse animam humanam non corporeæ, sed spiritualis, atque adeo immortalis esse substantiæ ac naturæ.

Qua vero corporis in parte sit hæc anima, et quæ illius sedes, ita Clemens edisserit [81] : « Merito ex terra quidem corpus dicit formari Moyses, quod dicit terrenum Plato tabernaculum; animam autem ratione præditam desuper inspiratam fuisse in faciem. Hic enim dicunt collocatam principalem animæ facultatem, τὸ ἡγεμονικόν, ingressum animæ in protoplastum, per accessionem sensuum interpretantes, et ideo factum esse hominem ad imaginem et similitudinem. Dei enim imago est ratio divina et regia, homo impatibilis; imago autem imaginis mens humana, εἰκὼν δὲ εἰκόνος ἀνθρώπινος νοῦς. » Mens, inquit, humana, ἀνθρώπινος νοῦς, seu τὸ ἡγεμονικόν, præcipua ratiocinandi facultas, suam in hominis facie sedem habet. At si curiosius inquisieris num Clemens illam in tota, vel tantum in aliqua faciei, προσώπου, parte sedem fixisse putaverit, respondebimus eum, sicut a nobis superius dictum est, alio in libro diserte tradidisse in cerebro esse illius sedem. Adjiciamus, si lubet, hanc sententiam a Platone eum forsitan accepisse. De anima enimvero ille disertissime pronuntiavit [82] : « Hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus. » Verum de hoc argumento, et de ejusdem animæ motibus et cogitandi modis in superiori dissertatione, cap. 6, art. 2, disputavimus.

Difficilius itaque Herveto illud videtur, quod Clemens ibi hominem ad Dei imaginem et similitudinem, εἰκόνα καὶ ὁμοίωσιν, hac ratione probat esse factum : εἰκὼν μὲν γὰρ Θεοῦ λόγος θεῖος καὶ βασιλικὸς, ἄνθρωπος ἀπαθής. « Dei enim imago est ratio divina et regia, homo impatibilis. » Verumenimvero hæc ipse Hervetus cum non satis intellexisset, suspicatus est illa duo verba ἄνθρωπος ἀπαθής, nisi Græco textui aliquid desit, fuisse illi perperam inserta, atque idcirco penitus delenda. Sed doctus ille vir animum non satis adverterat hæc apud Eusebium [83], qui hunc auctoris nostri locum descripsit, eodem penitus modo repræsentari. Deinde vero illa genuina esse ejus verba, nec a quoquam in Clementis textum intrusa cuivis, paulo diligentius consideranti, obscurum omnino esse non potest. Nam his verbis ἄνθρωπος ἀπαθής, quis alius, nisi Christus Dominus designatur, quem Clemens dicit esse divinum et regium λόγον, sermonem, aut Dei, si velis, rationem? Sensus itaque illius hic est : Christus homo « impatibilis, » ac divina et regia ratio, est prima Dei imago : mens autem humana imago hujusce imaginis est. Et hanc esse veram Clementis nostri mentem inde probari haud prorsus inepte potest, quod ipse alio in libro hæc scripsit in verba [84] : « Est Dei imago ejus Verbum, Λόγος.... Verbi autem imago est homo. Vera mens est, quæ in homine est, qui ad Dei similitudinem propterea factus esse dicitur, prudentiæ, quæ in corde, divina ratione assimilatus, et ea ratione Verbi rationisque particeps. »

At priori in loco Clemens addidit [85], ex Moyse posse colligi aliam in homine esse Dei assimilationem et similitudinem, quando nimirum ille vero Dei cultu, et sedula ac perfecta præceptorum ejus observantia fit virtute præditus.

Quæ quidem ipse Clemens alibi fusius enodatiusque exponit [86] : « Perfecta, inquit, hæreditas est eorum, qui evadunt in virum perfectum ad imaginem Domini. Similitudo, ὁμοίωσις, autem non est, ut quidam existimant, in figura humana, τὸ σχῆμα τὸ ἀνθρώπειον, est enim impia hæc consideratio; sed nec quæ in virtute primæ causæ traditur assimilatio; est enim **189** hæc quoque impia traditio eorum, qui exspectarunt eamdem esse virtutem hominis et Dei omnipotentis..... ad Dei ergo fit similitudinem, qui est in filium adoptatus, et in numerum amicorum cooptatus, ex eo quod est cohæres dominorum et deorum, si, quemadmodum ipse docuit Dominus, per Evangelium fuerit consummatus. » Planum sane et manifestum est Clementem ibi agere non quidem de ea potissimum Dei similitudine et imagine, ad quam homo sua creatione factus est, sed quæ a viro « gnostico, » sive homine Christianis virtutibus aucto et perfecto, potest in hac vita comparari. Attamen de priori etiam imagine, omnibus hominibus naturaliter insita, aliquid sane intermiscuit.

Falsas enimvero de ea Dei similitudine opiniones rejicit ac repudiat, atque illam quidem primum jure merito proscribit, quæ hanc similitudinem in humani corporis figura constitutam esse prædicabat. Deus etenim ad humanæ figuræ instar compositus corporeus dicendus esset. Quod sane Clemens recte contendit effatu esse impium. Quapropter alio in libro ubi probat hominem aliis beneficiendo similem Deo, illiusque imaginem fieri, ibi hæc habet [87] : « Quod enim est ad imaginem, εἰκόνα, et similitudinem, καὶ ὁμοίωσιν, non ex corpore significatur (nefas enim est mortale assimilari immortali), sed mente et ratione, κατὰ νοῦν καὶ λογισμόν, qua et eam quæ est in benefaciendo, et eam quæ in imperando obsignat Dominus similitudinem. » Rursus autem alibi [88] : « Num ergo, μήτι οὖν, merito, inquit, dictus est homo factus esse ad Dei imaginem, non quod attinet ad figuram constructionis, οὐ κατὰ τῆς κατασκευῆς τὸ σχῆμα· sed quoniam Deus quidem ratione omnia architectatur; gnosticus autem factus, ratiocinandi facultate bonas et honestas peragit actiones. » Verum de his adhuc, ubi de « gnostici » hominis summa perfectione agetur.

[78.79] lib. IV Strom., p. 530. [80] Cicer., l. I De divinat., pag. 266. [81] Strom. l. v, p. 593. [82] Plato in Timæo, t. III, p. 90. [83] Euseb., l. XIII Præpar. evang., c. 13, p. 671. [84] Admon. ad gent., p. 62. [85] Strom. l. v, p. 594. [86] Strom. l. VI, p. 671. [87] l. II, p. 405. [88] l. VI, p. 682.

Digitized by Google

At certe Clemens, sicut in *Admonitione ad gentes* asserit in hominis mente esse Dei imaginem, ita et in his *Stromatum* libris recte negat eam in humano corpore esse impressam. De ea autem imagine, quam creatione sua homo accepit, a Clemente id dictum fuisse ex his quæ disputata sunt, liquido colligitur. Augustinus [88] porro et Theodoretus [90] eos hæreticorum numero ascripsere, qui in hominis corpore dicebant esse Dei imaginem. Videsis, si lubet, Epiphanium [91], qui plerasque omnes de hac quæstione sententias recensel et discutit. Denique Petavius [92] plura de ea disputat, de qua et nos alibi quædam præstrinximus.

CAPUT IX.

De novæ legis sacramentis.

ARTICULUS I.

De sacro baptismate, quo abluti Christiani sese invicem fratrum nomine compellabant, et de illius apud paganos et Judæos figuris et imaginibus, ac de hæreticorum baptismo.

Tametsi Adamus tantis et tam eximiis, ut dictum est, naturæ sanæ et integræ dotibus ornatus, a Deo creatus fuerit; eum tamen, nosque in ipso divinum ejusdem Creatoris nostri præceptum transgrediendo peccavisse, et ab illo felici statu dejectos fuisse supra docuimus. Ex hoc autem omnium malorum nostrorum fonte et origine non solum scaturivit perversa et effrenata cupiditas, ac prava in quodlibet peccatum propensio; sed inde etiam inflicta sunt hominibus vulnera, quibus sauciati atque etiam peccato mortui nascimur, et postmodum in varia crimina incurrimus. Ad ea autem vulnera sananda delendaque peccata Servator noster Christus Dominus plura remedia, ac potissimum novæ suæ legis sacramenta instituit ac subministravit. Quia vero nonnulla de iis Clemens noster hisce *Stromatum* libris notatu digna inseruit, hæc certe a nobis sine aliqua animadversione prætermitti non debent.

Baptismate igitur, quod sacramentorum omnium, uti neminem fugit, primum est, asserit ille nos peccato mortuos regenerari: « Ut qui, ait [93], simus regenerati per aquam, » nimirum baptismatis. Quapropter hanc eamdem divini lavacri undam matricem et vulvam aquæ, μήτραν ὕδατος, appellat [94], ex qua puri sanctique gignimur.

Quomodo autem quælibet vitæ anteactæ peccata eo facilius et liberalius sacris hujusce lavacri undis, quo alia postmodum patrata difficilius abluantur et deleantur, his ille verbis edisserit [95]: Ἰστέον μέντοι, τοὺς μετὰ τὸ λουτρὸν τοῖς ἁμαρτήμασι περιπίπτοντας, τούτους εἶναι τοὺς παιδευομένους· τὰ μὲν γὰρ προενεργηθέντα, ἀφείθη, τὰ δὲ ἐπιγινόμενα ἐκκαθαίρεται. « Sciendum est autem eos, qui post lavacrum in peccata incidunt, eos esse qui castigantur. Quæ enim prius facta sunt, dimissa sunt; quæ autem postea fiunt, expurgantur. » Quid autem hoc loquendi modo aliud auctor noster innuit, nisi peccata, quæ ante baptismum admissa sunt, sola spiritalis lavacri aqua facile abstergi; quæ autem postea perpetrantur, hæc longe difficilius, nec sine castigatione condonari et expurgari? Videsis ea de re, si animus est, Morinum lib. III *De pœnitent.*, cap. 4, 5 et seq.

Post susceptum autem baptismi sacramentum, Christiani sese fratrum nomine compellabant. « Eos, inquit Clemens [96], fratres appellamus, qui sunt eodem verbo regenerati: » ἀδελφοὺς τοὺς τῷ αὐτῷ λόγῳ ἀναγεννηθέντας, προσαγορεύομεν. Cujus sane appellationis consuetudo, ab ipsiusmet Ecclesiæ incunabulis exorta, cum ea crevit et adolevit. De ea autem Tertullianus [97]: « Sed et quod fratrum, ait, appellatione censemur, non alias, opinor, infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri summus jure naturæ matris unius, etsi vos parum hominem, quia mali fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem ad unam lucem expaverunt veritatis. » Nec absimilia videbis apud Minutium Felicem in *Octavio*, Arnobium et alios. Attamen docet quoque Clemens [98] omnes homines alio titulo, nimirum morum, fidei et operum consensione, esse fratres; atque id ipsiusmet Platonis testimonio confirmat. Quod quidem obiter adnotasse satis esse debet.

Nostri porro sacri baptismatis imaginem non solum apud Judæos, sed etiam gentiles fuisse Clemens noster ostendit [99]. Et apud gentiles quidem in eo, quod de Penelope et Telemacho cecinit Homerus *Odyss.* A' et Δ'. Apud Judæos autem, quia mos eorum erat ut sæpe in lecto tingerentur. Sed scite Clemens monet hæc plane imperfecta fuisse baptismata, quandoquidem non lavacro, sed animo mundi **190** purique esse debemus. Legesis, si vacat et lubet, illustrissimi Abrincensis episcopi lib. II *Alnetan. quæst.*, cap. 20, pag. 268 et seq.

Ad hæreticorum autem baptisma quod attinet, idem Clemens noster ex citatis Proverbiorum verbis colligit illius aquam ab ipsius auctore non convenientem et germanam reputari. Sic autem Clemens loquitur [1]: Εἶτα ἐπιφωνεῖ· Οὕτω γὰρ διαβήσῃ ὕδωρ ἀλλότριον· τὸ βάπτισμα τὸ αἱρετικὸν οὐκ οἰκεῖον καὶ γνήσιον ὕδωρ λογιζομένη. « Deinde acclamat: Ita enim trajicies aquam alienam; baptisma hæreticum non convenientem et germanam aquam reputans [2]. » Græca autem vox οἰκεῖος idem sonat ac domesticus et familiaris, cui a Clemente ἀλλότριος, alienus, opponitur. Quamobrem nihil aliud ibi ille docere videtur, quam hæreticorum baptisma non esse veræ Christianorum familiæ ac domus, sed alienæ, atque idcirco nec genuinum, nec germanum. Quid autem, amabo te, hæc aliud sonant, nisi illud semper esse malum et illicitum, quamvis non semper sit invalidum, ut theologi scholastici loquuntur? Verum de hac quæstione alias. Interim videsis quæ de illa in Ambrosii *De mysteriis* [3] librum subnotavimus.

ARTICULUS II.

De eucharistiæ sacramento, ac pœnitentia, et utrum hæc iterari possit.

Quamvis Clemens de eucharistiæ sacramento, quod maxime paganis occultandum erat, pauca hisce in *Stromatum* libris deliberaverit, aperte tamen

[88] August., hær. 76. [90] l. IV Hær. fab., § 10. [91] Hær. 70, Audian., et in Ancor., § 55. [92] t. III Dogm. theol., l. II De opific., c. 9. [93] lib. III Strom., p. 465. [94] l. IV, p. 558. [95] ibid., p. 556. [96] Strom. l. II, p. 378. [97] Apol. c. 39. [98] Strom. l. II, p. 373; l. VII, p. 745, 751; l. V, p. 595 et 611. [99] Strom. l. IV, p. 431. [1] Strom. l. I, p. 317. [2] Prov. IX, 18, juxta LXX. [3] c. 4, § 23, p. 329.

Digitized by Google

docet in oblato a Melchisedech pane et vino fuisse illius typum et figuram : « Melchisedech, inquit [4], rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum in typum eucharistiæ : » Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ, ὁ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου, ὁ τὸν οἶνον καὶ τὸν ἄρτον τὴν ἡγιασμένην διδοὺς τροφὴν, εἰς τύπον εὐχαριστίας. Nobiscum, quæso, hæc Clementis verba parumper expende. Dixit vinum et panem, a Melchisedech oblatum fuisse, eucharistiæ figuram ; et ipse tamen idem illud vinum et panem, τροφὴν ἡγιασμένην, haud dubitanter appellat. Atqui si simplex nudaque eucharistiæ figura fuit, teste Clemente, « nutrimentum sanctificatum, » persuasum procul dubio ipsi esse debuit eucharistiæ sacramentum hoc typo, quo figurabatur, esse longe præstantius et excellentius. In quo autem, obsecro te, posita erit hæc excellentia, nisi in eo quod eucharistiæ sacramentum mera non sit amplius figura, sed longe sacratiorem cibum, corpus scilicet Christi et sanguinem revera complectatur ? Et hanc quidem Clementis nostri mentem esse, etiamsi paulo obscurius explicatam, ex his quæ superius disputavimus [5], haud plane immerito colligi potest. Nonne etiam ita quoque argumentatus est Ambrosius [6] ? « Cognovisti præstantiora ; potior est enim lux, quam umbra ; veritas, quam figura ; corpus auctoris, quam manna de cœlo, » quod quidem manna eucharistiæ typus et figura erat.

Denique Clemens sacramentum corporis et sanguinis Christi, solo simplicique εὐχαριστίας nomine, et hic et loco mox citando nuncupat. Prius autem ab Ignatio Antiocheno episcopo [7] fuerat ita cognominatum.

Eucharistiæ porro institutione Clemens præcepta Domini prius cognoscenda esse quam observanda, hunc sane, qui notari debet, probat in modum [8]. « Propterea Servator, cum panem accepisset, primum locutus est, et gratias egit : ἄρτον λαβὼν, πρῶτον ἐλάλησεν, καὶ εὐχαριστήσεν. Deinde cum panem fregisset, apposuit, ut comedamus ex ratione, ἵνα ζῇ φάγωμεν λογικῶς, » id est, recte dignoscendo et animum ad illud advertendo quod comedimus.

Testatur insuper auctor noster [9] suo jam tempore morem invaluisse, ut postquam « quidam » divisissent eucharistiam, unicuique ex populo partem ejus sumere permitterent : Τὴν εὐχαριστίαν τινὲς διανείμαντες, ὡς ἔθος, αὐτὸν δὴ ἕκαστον τοῦ λαοῦ λαβεῖν τὴν μοῖραν ἐπιτρέπουσιν. « Eucharistiam cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. » Dionysius quoque Alexandrinus de eodem more ad Xistum summum pontificem hæc scribit [10] : « Qui ad sacram mensam astiterit et manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit, qui illum exceperit et corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi particeps fuerit. » Plura eam in rem, quæ innumeris Patrum cum Græcorum tum Latinorum testimoniis firmari posset, huc congerere nihil necesse est. Si quis tamen eorum testimonia curiosius legere velit, adeat cardinalis Bona librum secundum *Rer. liturgic.*, capite decimo octavo, § 3 et 4.

Porro autem Clemens [11] eos hæreticorum gregi annumerat, « qui sola aqua utuntur in eucharistia. » De his autem disputavimus lib. II *Apparat.*, dissert. 1, cap. 6, art. 1.

Cum ea porro sit humanæ naturæ fragilitas, ut in peccatum sæpe sæpius incidat, docet Clemens [12] eorum omnium etiam, quæ post baptisma commissa sunt, peccatorum agendam esse pœnitentiam. Ipsa enimvero non solum, ut ille ait [13], soleat « generare veniam, » sed « Dei voluntas est, ut servetur is, qui paret præceptis, et suorum peccatorum ducitur pœnitentia. » Addit autem ipse ibidem [14] : Ἡ συγγνώμη δὲ οὐ κατ' ἄφεσιν, ἀλλὰ κατ' ἕξιν συνίστατα. « Consistit autem venia non ex remissione, sed ex medicatione. » Quid his autem verbis sibi vult Clemens, nisi peccati veniam a Deo dari, non modo ut illud remittatur eique adhibeatur medicina, verum etiam ut non perpetretur amplius ?

Pœnitentiæ vero quæ alia utilitas et fructus sit, ita ex Scriptura ille nobis ostendit [15] : « Recte dictum est de pœnitentibus illud eloquium : Deum elegisti hodie, ut esset Deus tuus, et Dominus elegit te hodie, ut esses ejus populus. » Multa alia de pœnitentia illiusque necessitate et utilitate disputat, quæ cum passim obvia et omnibus facilia sint, ad ea examinanda properemus, quæ pluribus obscura et difficilia, nec omnino erroris immunia videntur. Hermæ igitur testimonio fretus, dicit [16] pœnitentiam, quam ille *Pastoris* in libro « magnam intelligentiam » vocavit, in iis primum esse, quos sacro baptismate tinctos, idololatriæ aliorumque præteritæ vitæ peccatorum pœnitet. In alia autem si deinceps post baptismum inciderint, Deus eorum misertus, dedit ipsis « unam adhuc non pœnitendam pœnitentiam [17]. » At non defuerunt, qui in his verbis aliquid Novatianæ hæreseos veneni a Clemente nostro imprudenter propinati causentur.

Sed ii immerito sane hanc severioris censuræ notam doctissimo auctori nostro inurunt. Ibi enim ille prævium secutus Hermam, de publica loquitur pœnitentia, quæ primis Ecclesiæ sæculis, uti nullus, nisi historiæ ecclesiasticæ omnino ignarus, **191** nescit, nosque in nostris ut ad eumdem Hermæ et Ambrosii libros observationibus demonstravimus [18], semel tantum agebatur.

Urget tamen Hervetus in hoc esse errorem, quod Hermas, cui Clemens assentitur, haud hæsitanter affirmet hominibus, post sacrum baptismatis lavacrum in peccatum lapsis, unam tantum pœnitentiam semel concedi, aliam vero iis nequidquam prodesse. Verum Hermas eo sensu hanc non prodesse et inutilem censet ; quia ad secundam pœnitentiam publicam nullus tunc ab Ecclesia admittebatur. Deinde in eo præcise Novatianorum errorem versari ostendimus, quod quæcunque a criminum reis pœnitentia ageretur, eos absolvendi ministris Ecclesiæ datam esse potestatem negarent. At hoc ab Herma aut a Clemente nostro ullibi scriptum aut traditum nemo unquam probabit. Denique Clemens ea, quæ ex Herma objiciuntur, hoc tantum in loco, neque alibi descripsit. Ex quibus omnibus plane conficitur nihil aliud ab illo, quam ab Herma et aliis Ecclesiæ Patribus assertum, unam duntaxat esse post baptismum publicam pœnitentiam.

Instabit fortasse aliquis : Nonne hæresim Novatianam hæc omnino redolent, quæ Clemens ibidem subtexuit [19] : « Hic autem etiam qui postea peccavit, deinde pœnitentia ducitur, etiamsi veniam assequatur, debet erubescere ; ut qui non amplius lavetur in remissionem peccatorum. » Verum auctor noster ibi non de secunda, sed de prima post salutare lavacrum publica pœnitentia loquitur. Sensus itaque illius est gentilem hominem, et alium cujuslibet peccati reum, sacra baptismatis aqua ullis absque aliis pœnitentiæ publicæ pœnis in remissionem peccatorum ablui et lavari. Quamobrem ipse ibidem addidit : « Ergo ex gentibus et priore illa vita ad fidem incitatus, remissionem peccatorum

[4] Strom. l. IV, p. 539. [5] Dissert. super., cap. 5, art. 2. [6] l. De myst., c. 8, § 48, p. 338. [7] Epist. ad Smyrn., § 7. [8] Strom. l. I, p. 292. [9] Ibid., p. 271. [10] Euseb., l. VII Hist., c. 9, p. 255. [11] Strom. l. II, p. 347. [12] l. VI, p. 668. [13] l. II, p. 402, p. 390 et p. 391. [14] Ibid. [15] l. II, p. 402. [16] l. II, p. 353. [17] Ibid. [18] lib. VII Appar. dissert. 4, art. 5, p. III et seq. In Ambros., l. II De pœnit., c. 10, § 95. [19] p. 386.

Digitized by Google

semel est consecutus, » genitali scilicet lavacro, et gravibus absque pœnitentiæ publicæ laboribus et pœnis. « Hic autem, » subjungit Clemens, « qui etiam postea peccavit, etsi veniam consequatur, debet erubescere; » publicam nimirum agens pœnitentiam, « ut qui non amplius lavetur in remissionem peccatorum, » nempe baptismi sacramento; quippe quod iterari nunquam possit. Denique cum de hoc homine pœnitentiam illam agente dicit, κἂν συγγνώμης τυγχάνῃ, « etsi veniam consequatur et impetret, » his certe verbis sicut catholicum dogma diserte propugnat, et tuetur; ita hæreticam Novatianorum opinionem funditus evertit.

Nec minus catholico sensu ab ipso scribitur [20]: « Apparet ergo, sed non est pœnitentia, sæpe petere veniam de iis quæ sæpe peccamus, » hoc est, nec vera nec sincera habetur illius pœnitentia, qui in eadem peccata, quorum sæpe veniam petivit, labitur. At hoc celebri effato nihil in veterum Ecclesiæ Patrum scriptis magis tritum et vulgare.

ARTICULUS III.

De sacris ordinibus episcopi, presbyteri et diaconi, et quam recte a Clemente distinguantur.

Tres in Ecclesia esse sacros episcoporum, presbyterorum et diaconorum ordines non solum a se invicem, sed a cætero etiam Christianorum grege distinctos ita aperte Clemens declarat, ut id Centuriatores [21], tametsi magis iniquo quam propenso in illum animo fuisse constet, palam ultroque confiteri cogantur. Et re quidem vera ille eorumdem ordinum comparatione probat beatorum et æterna felicitate fruentium varios esse gradus [22]: « Nam hic quoque in Ecclesia progressiones episcoporum, presbyterorum, diaconorum sunt, ut arbitror, imitationes gloriæ angelicæ, et illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos exspectare, qui insistentes vestigiis apostolorum vixerunt in perfectione justitiæ, convenienter Evangelio. Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus primum quidem diaconos futuros, deinde cooptandos esse in presbyteratum perfectum gloriæ; gloria enim differt a gloria, donec creverint in virum perfectum. » Tres itaque illos ecclesiasticæ hierarchiæ gradus a se invicem distinguit, docetque alios aliis esse superiores.

Præterea non minus perspicue diaconos et presbyteros ab aliis Christianis fidelibus discriminat. Paulo enim superius scribit « gnosticum » esse quidem presbyterum et diaconum, sed improprie tantum et metaphorice, pietate nimirum, ac vitæ integritate et sanctimonia, non autem ordinatione, utpote qui « ab hominibus non ordinetur [23]. » Sed præstat Clementem suis verbis loquentem audire: « Hic est, inquit, revera presbyter Ecclesiæ, et verus diaconus, id est, minister Dei voluntatis, καὶ διάκονος ἀληθὴς τοῦ θεοῦ βουλήσεως, si faciat, et doceat quæ sunt Domini, non ut qui ordinetur ab hominibus, neque quod justus censeatur presbyter, sed quod justus refertur in presbyteratum. Et licet hic in terris non fuerit prima sede honoratus, sedebit in quatuor et viginti thronis populum judicans, ut dicit Joannes in Apocalypsi. » Non potest sane sacer presbyteri et diaconi ordo a plebeio et cætero Christianorum statu clarius dilucidiusque secerni. Quantumlibet enim, teste Clemente, perfectus fuerit laicus et sæcularis, ut ille ait, « gnosticus; » a presbytero tamen et diacono distinguitur, « nec prima sede honoratur; » quippe qui « non ordinetur ab hominibus, » οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων χειροτονούμενος, hoc est, manuum impositionem, qua presbyter vel diaconus inauguraretur, ab hominibus non acceperit. Ex quibus adhuc colligitur Clementem autumasse Christianos impositione manuum sacro diaconi et presbyteri ordine initiari.

Diaconatum porro a presbyteratu, quemadmodum utrumque ab episcopatu tam perspicue Clemens noster discernit, ut id presbyteranorum secta homines cum negare non possent Blondellus [24] illorum coryphæus ad elevandam eruditissimi nostri scriptoris auctoritatem mirum plane effugium excogitaverit. Fatetur enim hanc trium ordinum distinctionem ex Ecclesiarum usu natam ab illo admitti; quam tamen ille ipse Clemens divinitus per apostolos institutam pleno ore inficiatus est.

Verum ubi, amabo te, ullum exstat Clementis hanc distributionem ab apostolis institutam negantis, vel de ea dubitantis, verbum? Ubi ulla vox, imo ubi illum vocis sermonisve vestigium? Nullum certe Blondellus protulit, nec poterit unquam proferre. Et vero ibi procul dubio ejusdem Blondelli, viri inter suos acutissimi, judicium jure merito desiderabis. Quas enim, putas, ad opinionem suam probandam affert rationes? Eas certe quæ nullius plane sunt roboris, vel quibus non tam probat a Clemente negari institutam ab apostolis trium illorum ordinum distinctionem, quam ab illo non admitti. Primo enim nobis ille objicit Clementem binos tantum **192** ecclesiasticos ordines, nec plures sacras functiones agnovisse. Ergo si ita est, inquimus, certe is ipsemet Blondellus falso dixit triplicis sacri ordinis admissam a Clemente nostro distributionem.

Urget tamen ille, aliaque in medium adducit Clementis verba, quibus de presbyteris diaconisque ita disputat [25]: « Similiter autem in Ecclesia eam quidem, quæ facit meliores, presbyteri servant imaginem; eam autem, quæ servit, diaconi. Ambobus his ministeriis angeli Deo serviunt in dispensatione rerum terrenarum, et ipse gnosticus. » Inde autem Blondellus conficere se posse putat Clementem non plures quam duas sacrorum ordinum functiones agnovisse, βελτωτικὴν presbyterorum, et diaconorum ὑπηρετικήν. Sed hac illius argumentatione rursus contra ipsum concluditur distributionem triplicis ordinis ex usu Ecclesiæ, uti idem Blondellus, natam, et a Clemente nostro admissam, eidem Clementi revera non fuisse compertam. Nunquid ergo Clemens tam absurde quam Blondellus sibi ipsi contradixit? Absit sane. Et certe si ille duas tantum ibi memorat duplicis ordinis functiones, non alia profecto causa fuit, quam quia probandum susceperat duplicem tantummodo esse cultum, qui circa res humanas versatur.

Sed age, et contra Blondellum, si lubet, acrius instemus. Clemens ibidem duplices illas presbyteri et diaconi functiones cum medicina et philosophia compouit. Nunquid ergo inde Blondellus, aut quilibet alius sanæ mentis homo, inferre poterit alias disciplinas, aliamque præter illas scientiam a Clemente nostro non agnosci? Quis non videat nihil prorsus hac Blondelli argumentatione esse magis futile et imbecillum? De episcopali itaque ordine hoc in loco Clemens ideo tacuit, quia id ad rem suam nihil faciebat. Ubi autem mentionem illius facere necesse credidit, tunc certe, uti dictum est, eumdem ordinem, fatente Blondello, a presbyteratu et diaconatu aperte distinxit.

At, inquit Blondellus, « presbyterio » dignus, « apostolico » gradui a Clemente ascribitur. Optime quidem. Nam ibi Clemens de Matthia loquitur, qui vitæ morumque integritate et innocentia « se præbuit dignum ut fieret apostolus [26]. » Quid autem inde contra factam ab eodem Clemente episcopi presbyterique distinctionem?

Contra tamen adhuc clamat Blondellus presbytero

[20] ibid. [21] cent. 2, c. 10, p. 149. [22] Strom. l. vi, p. 667. [23] ibid. [24] De episc. et presbyt., § 2, p. 36. [25] Strom. l. vii, p. 700. [26] Strom. l. vi, p. 667.

Digitized by Google

jus primæ omnium sedis, πρωτοκαθεδρίας, atque adeo episcopalis sedis et ordinis, a Clemente nostro ibidem attributum. Verum id a Clementis mente omnino alienum est. Nihil quippe aliud ibi ab ipso traditur, nisi « gnosticum, » et justum hominem in presbyteratum diaconatumque metaphorice referri. Qui quidem etiamsi in hac vita non fuerit prima sede honoratus, in altera tamen sedebit populorum judex et arbiter. At ibi Clemens non amplius « gnosticum » cum vero presbytero comparat. Fac tamen comparasse, quid inde elicies, nisi Clementem jus aliquod presbytero ascripsisse primæ sedis, diacono scilicet, cujus ibidem meminit, haud dubie majoris? Et sane cum paulo post episcopum presbytero atque diacono superiorem esse declaret, aliud procul dubio superius primæ cathedræ jus episcopo ab ipso quoque assignari fatendum est.

Denique objicit Blondellus eum, cui Joannes apostolus adolescentem commendaverat[27], a Clemente episcopum et presbyterum ullo absque discrimine appellari. Esto, Clemens utroque nomine indiscriminatim usus aliquando fuerit, nihil certe inde promovebit Blondellus; nisi episcopi munia et functiones presbytero a Clemente alicubi ascripta esse demonstraverit. Atqui hoc neque Blondellus probavit, nec ullum unquam probaturum confidimus. Accedat etiam illud, ut Clemens hunc episcopum, quemadmodum Pearsonius observat[28], ob provectam ætatem, πρεσβυτέρου, seu senioris nomine compellare potuerit. Postremo hic et alibi ostendimus[29] a Clemente nostro episcopatum a presbyteratu non solum evidentissime distingui, sed illum quoque huic ab eo præponi, et majoris constituti ordinis et dignitatis.

Porro autem antequam huic de sacris Ecclesiæ ministris disputationi finem imponamus, animadvertere juvat, quanto ii in honore habendi sint, quandoquidem de « gnostico, » quem Clemens improprie et metaphorice, ut dictum est, presbyterum appellat, et de ethnicis sacerdotibus, hæc litteris consignavit[30]. « Hic (gnosticus) homo est vere regalis, hic sacerdos sanctus Dei; quod quidem nunc quoque servatur apud eos, qui sunt doctissimi ex barbaris, qui sacerdotale genus provehunt ad regnum. » De hoc autem ethnicorum more legesis Strabonem libro I *Geograph.*, pag. 23, et lib. XIV, pag. 633; Ciceronem lib. I *De divinat.*, pag. 270, Dionys. Halicar. init. lib. V *Antiquit. Roman.*, et Casaub. in Sueton., pag. 101.

ARTICULUS IV.

De eorum, qui his sacris ordinibus initiati erant, cœlibatu.

Utrum Clemens sacris illis, ut vidimus, ordinibus inauguratos cælibes esse debere crediderit, a nobis fortasse aliquis, nec jure quidem immerito inquiret. Ubi enim doctissimus ille vir hæreticos conjugii osores et inimicos refellit, sic contra eos Apostoli auctoritate dimicat[31] : « Quin et unius quoque uxoris virum usque admittit, seu sit presbyter, seu diaconus, seu laicus : κἂν πρεσβύτερος ᾖ, κἂν διάκονος, κἂν λαϊκός, utens matrimonio citra reprehensionem, ἀνεπιλήπτως γάμῳ χρώμενος. Servabitur autem per filiorum generationem : σωθήσεται δὲ διὰ τῆς τεκνογονίας. » Nonne his, inquies, Clemens verbis perspicue significat presbyteros diaconosque, non secus ac laicos, a Clemente quemadmodum ab Apostolo admitti, qui matrimonio citra reprehensionem utentes gignendis liberis operam dabant? Quinimo eos filiorum generatione dicit esse salvandos.

Hanc porro esse veram genuinamque auctoris nostri mentem et sententiam inde nonnulli colligunt, quod ipse contra eosdem hæreticos sic disputet[32] : « An etiam reprobant apostolos? Petrus enim et Philippus filios procrearunt; Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. Et Paulus quidem certe non veretur in quadam epistola sua appellare conjugem. » Ita quidem Centuriatores argumentantur, adduntque : « Quem locum in testimonium sanæ doctrinæ ejus sæculi etiam Eusebius et Nicephorus adnotarunt. » Sed ibi de sincera integraque horum scriptorum fide haud immerito expostulabis.

Cur enim, obsecro, subsequentia Clementis verba fallaci plane fraudulentoque silentio penitus dissimulaverunt? Pergit quippe Clemens : « Quam non circumferebat, quod non magno ei esset opus ministerio. **193** Dicit itaque in quadam epistola : Non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et reliqui apostoli? Sed hi quidem, οὗτοι μέν, ut erat consentaneum, ministerio quod divelli non poterat, prædicationi scilicet, attendentes, non ut uxores, sed ut sorores circumducebant mulieres, quæ una ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant, per quas etiam in gynæceum absque ulla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini. » Animum, quæso, adverte, et singula nobiscum perpende Clementis nostri verba. Ibi ille hæreticorum nuptias damnantium errorem exemplo testimonioque apostolorum radicitus evellit, hac nimirum ratione, quod ex iis nonnulli conjugio copulati, uxores circumduxerant. Verum quibus, amabo te, conditionibus, eas, teste Clemente nostro, circumducebant? Duas ipse easque notatu dignissimas reddit. Prima quidem est, ut per eas evangelica Christi doctrina apud mulieres, privatis in domibus degentes, ad quas viri non sine aliqua reprehensione malave suspicione ingredi poterant, tutius securiusque disseminaretur. Secunda autem, et quæ ad rem nostram maxime facit, ea erat, ut quas apostoli secum ducebant, easdem absque ullo, tametsi alias licito, conjugii usu et commercio, tanquam sorores haberent. Putavit itaque Clemens quosdam apostolos, videlicet Petrum et Philippum, atque etiam, si ita velis, Paulum, de quo tamen mox disputabitur, uxores olim quidem duxisse, sed quibuscum, postquam apostolica aucti sunt dignitate, cælibem vitam egerunt.

Huc autem accedit quod auctor noster postea de Paulo hæc scriptis tradidit[33] : « Sed si accinctus quis esse velit et expeditus, non volens procreare liberos propter eam, quæ est in procreandis liberis molestiam et occupationem, maneat, inquit Apostolus, ἄγαμος, ὡς κἀγώ, cælebs ut ego. » Quid ad asserendam prædicandamque cælibem Pauli in apostolatu vivendi rationem his Clementis verbis clarius atque enucleatius? Quid vero, quod Eusebius, quem Clementis nostri verbis a se descriptis atque etiam opinioni subscripsisse haud plane immerito arbitrantur, eodem plane sensu non solum de Paulo, sed de omnibus divino ministerio consecratis hæc scripsit in verba[34] : « Oportere, dicit sermo divinus, episcopum unius uxoris virum esse. Verumtamen eos, qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio occupati, continere deinceps seipsos a commercio uxoris decet. »

Urgebit tamen aliquis Clementem, Pauli auctoritate fretum, in eo, qui prior citatus est, loco de presbyteri diaconique, sicut de laici, loqui conjugio, ac dixisse illos omnes « per filiorum generationem » servari.

At cum apostolorum, atque in primis Pauli cælibatum ab eo tam clare et asseveranter prædicari

[27] Euseb., l. III Hist., c. 23. [28] Pearson. in Ignat. epist. vindic. part. II, p. 168. [29] dissert. super., c. 5, art. 3. [30] Strom. l. VII, p. 720. [31] Strom. l. III, p. 464. [32] ibid., p. 448. [33] ibid., p. 454. [34] Euseb. l. II De demonst. ev., c. 9, p. 33.

Digitized by Google

audierimus, inde forsitan aliquis haud inepte conficiet hæc posteriora illius verba non ad presbyterum et diaconum, sed laicum esse referenda. Sensus etenim illius hic esse videtur : Paulus « unius uxoris virum admittit, seu sit presbyter, seu diaconus, sive etiam laicus : servabitur autem, » ille scilicet laicus, « per filiorum generationem. » Quod quidem ad opinionem hæreticorum nuptias damnantium funditus evertendam plane sufficiebat. Unius porro uxoris virum ad sacros Ecclesiæ ordines a Paulo admitti declarat, id est eum qui unis tantummodo nuptiis illigatus et nunquam bigamus fuerit. Quamobrem ille adversus eorumdem hæreticorum errorem eadem Pauli auctoritate decertans : « Cum episcopum, inquit [35], qui domui recte præsit Ecclesiæ ducem constituat. Domum autem Dominicam unius mulieris constituit conjugium. »

Nec absurde forsitan in hujusce explicationis firmamentum afferri potest, quod testatum Epiphanius fecit sancitos fuisse de horum, qui sacris ordinibus initiati erant, cælibatu, ecclesiasticos apostolicosque canones. Nemini quippe credibile fiet eos a Clemente nostro perfractos, irrisosque, atque habitos pro nihilo. De illis vero ita Epiphanius [36] : « Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi, aut hypodiaconi ordinem admittit ; sed eum duntaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus. Quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici canones præcipue servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt? Respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ac convivere solet, ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur. » Quis Epiphanio hæc tam asseveranter pronuntianti fidem derogare audeat? Neque enim latas continentiæ cælibatusque leges tanta confidentia citare potuit, nisi eas suis ipsemet oculis legerit, aut illas testibus firmatas cognoverit omni exceptione majoribus. »

Verum arguet aliquis hoc esse plane infirmum et caducum. Si quæ enimvero ea de re datæ sint leges, non diu ante Epiphanii tempora sanciri potuerunt. Non minus siquidem ille hypodiaconos, quam alios majori ordine inauguratos, his legibus teneri asseverat [37]. Quapropter ubi eosdem ex virginibus, vel ex monachis, aut certe ex iis qui ab uxoribus suis continerent, seligi testificatur, de sui potius, quam superiorum sæculorum moribus ille procul dubio disputare censendus est.

Sed hoc perperam objicitur. Nam ipse Epiphanius constanter affirmat eam legem ab ipsis apostolis fuisse conditam : « Singulares, inquit [38], nuptias commendat, cum sacerdotalia munera et ornamenta cum iis, qui post unas nuptias continentiam servaverint, aut in virginitate perstiterint, communicanda esse velut in quodam exemplari monstraverit; id quod apostoli deinde ecclesiastica sacerdotii regula honeste ac religiose decreverunt. » Præterea Hieronymus hanc sacrorum Ecclesiæ ministrorum continentiam non solum ab apostolis, sed etiam a Christo Domino profluxisse haud obscure innuit : « Christus, ait ille [39], virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium pudici. » At si contendas A Hieronymum ibi contra hæreticos longius quam par erat disputationis æstu abreptum, atque etiam ab Epiphanio falsam apocryphamque legem citari, tu te, si eam recte probaveris, sententia maneat. Porro de illo sacrorum Ecclesiæ ministrorum cælibatu aliquid in Ambrosianis nostris observationibus perstrinximus [40]. Sed hoc argumentum a pluribus copiose tractatur, a sanctis Patribus uti Hieronymo in suo præsertim *Contra Jovinianum* libro I, pag. 27, etc., a theologis scholasticis in IV *Sentent.*, distinct. 37, ac 194 D. Thom. 2-2, quæst. 88, art. 11; controversistis uti Bellarmino lib. I *De cleric.*, cap. 18 et seqq.; historicis, veluti Baronio ad an. Christi 58, num. 12 et seqq.; sacræ Scripturæ interpretibus in II ad Timoth. cap. III, aliisque criticis auctoribus ; Thomassino tom. I *Discipl. eccles.*, parte I, lib. II, c. 23; Godofredo in leg. 44, titul. De episc., etc., tom. VI, pag. 86 et seq., et aliis.

B

ARTICULUS V.

De Petri uxore et filia.

Quæ de tribus apostolis Petro, Philippo et Paulo superius a Clemente litteris mandata vidimus, hæc nunc singillatim examinanda sunt. De Petro itaque et Philippo hæc habet [41] : Πέτρος μὲν καὶ Φίλιππος ἐπαιδοποιήσαντο· « Petrus autem et Philippus liberos procrearunt. » At Petrus, Epiphanio teste [42], uxorem ex Capharnaum oppido duxerat : « Hic ex Bethsaida, inquit, oriundus, ex oppido Capharnaum, uxorem duxerat, quæ duo oppida haud procul a se invicem dissita sunt. » Alibi vero scribit hanc a Petro ductam, antequam ad apostolatum a Christo Domino vocaretur : « Ducta, inquit [43], jam uxore, cum et liberos haberet et socrum, a Judæorum cæremoniis sese ad Christum aggregavit. » Quamobrem Hieronymus adversus Jovinianum sic pugnat [44] : « Petrus et cæteri apostoli, ut ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem uxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Evangelium nesciebant. Qui assumpti postea in apostolatum, relinquunt officium conjugale. Nam cum Petrus ex persona apostolorum dicit ad Dominum : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, respondit ei Dominus : Amen dico vobis, quoniam nemo est, qui dimiserit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in sæculo isto, et in sæculo futuro vitam æternam. » Et in epistola 34 ad Julianum : « Habuit et Petrus uxorem, et tamen cum reti eam et navicula dereliquit. » His annumerandus est auctor *Quæstionum Veteris et Novi Testamenti*, qui de eodem Petro hæc memoriæ prodidit [45] : « Et ut hoc loco aliquid de apostolis dicatur, quod ad robur pertinet causæ, certe sanctus Joannes castimoniæ fuit custos; condiscipulus autem ejus, id est, sanctus Petrus, uxorem habuisse cognoscitur, et ut primatum acciperet inter apostolos, ei non obstitit generatio filiorum. »

C

D

Petri autem filiæ nomen fuisse Petronillæ varia martyrum Acta, quemadmodum Martyrologia perhibent. Sed quæ eis fides habenda, disces ex Baronio ad annum Christi 69, num. 32 et 33, ac Bollando ad Maii 12 in Actis SS. Nerei et Achillei, c. 14, pag. 10 et 11, ad Maii 31, pag. 420.

In iisdem SS. Nerei et Achillei Actis legimus eamdem Petronillam, paralysi laborantem, ab ipsomet patre suo Petro sanatam fuisse. Verum Augustinus hoc ex apocryphis libris haustum et a Manichæis alia de Petro negantibus probatum declarat [46] : « Quod etsi, inquit, magna cæcitate vituperant, cum in apocryphis pro magno legunt et

[35] Strom. l. v, p. 472. [36] Epiph. hæres. 59, Cathar., § 4. [37] Epiph. Exposit. fid., § 21. [38] hæres. 48, Cataphry., § 9. [39] Hieron., Apolog. adv. Jovin., in fin. [40] Ambros. l. I, De offic. minist., c. 50, § 258. [41] Strom. l. III, p. 448. [42] Epiphan., hær. 51, Alogor., § 15. [43] hær. 30, Ebion., § 22. [44] Hier., l. I adv. Jovin., p. 27. [45] apud August., t. III edit. Bened., quæst. 127. [46] August. t. VIII l. in Adimant. Manich., c. 17, p. 139 edit. Bened.

Digitized by Google

illud, quod de apostolo Thoma memoravi, et ipsius Petri filiam paralyticam factam precibus patris, et hortulani filiam ad precem ipsius Petri esse mortuam. Et respondet quod id ipsis expediebat, ut illa solveretur paralysi, et illa moreretur; tamen ad preces apostoli factum esse non negant. »

Denique de Petri uxore hæc Clemens adhuc litteris commendavit [47] : « Aiunt certe beatum Petrum, cum vidisset uxorem suam duci ad mortem, lætatum quidem esse quod vocaretur et quod domum reverteretur; cumque eam adhortatus et consolatus esset, nomine quoque compellasse ac dixisse : Heus tu memento Domini. » Eamdem historiam narrat Nicephorus [48], sed post Eusebium [49], qui cum eam memoratu dignam censuisset, a Baronio [50] veritati haud absona judicatur.

ARTICULUS VI.

De Philippi filiabus, et utrum Paulus uxorem duxerit.

Ad Philippum apostolum quod spectat, eum Clemens et filias procreasse, et illas postmodum in matrimonium collocasse non hæsitanter affirmat [51]. At utrumque non minimam eruditis viris creat difficultatem. Certum siquidem est, et ex Actuum apostolorum libro constat [52] quatuor Philippo fuisse filias, de quibus ibi legimus : « Intrantes domum Philippi evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes. » Sed hic Philippus ibi « evangelista » dicitur, « et unus de septem, » haud dubie primis Ecclesiæ diaconis, ac proinde ab apostolo Philippo plane diversus.

Quamobrem quidam Clementem nostrum in eo erroris aut memoriæ lapsus accusant, quod hunc Philippum diaconum cum apostolo confuderit. Ad opinionis autem suæ confirmationem ii testimonium proferunt Hieronymi, qui probari posse non putat, præter Petrum, apostolos non fuisse virgines. Sed his alii facile respondent Hieronymi mentem ex superioribus ipsius verbis esse omnibus manifestam. Ait quippe [53] : « Nunc nobis de canone (sacræ scilicet Scripturæ) omne certamen est. » Ex sola igitur Scriptura, inquit sanctus doctor, probare nemo poterit ullum ex apostolis præter Petrum virginem non fuisse.

Verum etiamsi ex hoc Hieronymi loco probari nequeat Philippum apostolum quasdam ex uxore sua suscepisse filias, ex antiquissimis tamen Ecclesiæ Patribus et scriptoribus, imo vero ex ipsomet Hieronymo [54] id demonstrari potest. Ille enim ipse alio in libro nobis post Eusebium [55] exhibet hæc Polycratis Ephesini ad Victorem papam scribentis verba : « Philippus unus fuit ex duodecim apostolis, mortuus est Hierapoli cum binis filiabus, quæ consenuerunt in virginitate. Altera quoque ejus filia, quæ spiritualem quamdam vitam duxit, Ephesi sepulta est. » Et hæc quidem Eusebius postea adhuc totidem repetit verbis [56]. At priori loco hæc ex Caii dialogo addidit [57] : « Quatuor post hæc Philippi filiæ prophetides fuerunt Hierapoli Asiæ civitate, ubi etiam earum et patris Philippi sepulcrum visitur. » A Papia demum ait earumdem Philippi filiarum mentionem fieri [58].

Quoniam tamen duobus duntaxat prioribus in locis Philippus ille apostolus ab Eusebio nuncupatur, urgent alterius sententiæ patroni in Latina Eusebianæ historiæ interpretatione, a Rufino adornata, priori loco Latine redditum « unus ex apostolis, » altero autem « evangelista. » Atqui huic evangelistæ, sicut et pluribus aliis, nomen apostoli a Tertulliano aliisque [59] tributum est. Sed Rufinus ibi Græci auctoris sui textum Latina sua versione non reddidisse ab **195** aliis arguitur. Neque enim Valesius nos admonuit ullo in Græco Eusebianæ historiæ codice aliter quam ab ipso transcriptum est haberi. Quinimo bonam ibi desiderat Christophorsoni fidem, qui pro uno ex duodecim apostolis, unum ex septem diaconis substituit.

Contra vero, depravatum ibidem fuisse Eusebii textum inde convinci quidam existimant, quod eo loci subjecta Caii narratio de Philippo tantum diacono possit intelligi. Ad hæc vero, Eusebius illam cum verbis, ex Actuum apostolicorum libro superius citatis, plane consentaneam esse significat. Atqui sacro illo in libro Philippus evangelista renuntiatur.

Hujus non minimæ difficultatis nodum nonnulli secare potius quam solvere conantur, cum respondent Philippum apostolum a diacono Philippo fuisse revera diversum, atque adeo distinguendas utriusque filias; ita ut quatuor Philippi diaconi filiæ Cæsareæ in Palæstina quieverint; ex tribus vero aliis, quæ Philippi apostoli erant, duæ Hierapoli in Phrygia, et tertia Ephesi in Asia sint sepultæ. Sed si vera sit hæc illorum responsio et sententia, ipsi certe Clementem nostrum ab impacto præposteræ confusionis errore volentes nolentes liberant. Non enim amplius dicere poterunt filias Philippi apostoli, cum diaconi cognominis filiabus ab eo confundi.

At certe plures gravioris eumdem auctorem nostrum erroris reum agunt, quia Philippi apostoli filias, quas Polycrates virgines permansisse testatur, has ille a suo patre matrimonio locatas asseverat. Verum id ex Polycratis verbis non plane omnino elicitur. De tertia siquidem Philippi filia sic ipse loquitur [60] : Ἐν ἁγίῳ Πνεύματι πολιτευσαμένη. « Spiritualem quamdam vitam duxit. » Hæc autem non significant illam fuisse semper virginem. Imo vero quia Eusebius ibidem expresse dixit duas ejus sorores « in virginitate consenuisse [61], » inde non inepte colligitur persuasum Eusebio fuisse hanc aliud amplexatam vivendi genus, et conjugio fuisse aliquando copulatam.

Cæterum de hac sane, uti omnes fatentur, perobscura quæstione aliis, quod verius æquiusque censuerint, decernendum ultro relinquimus. Nobis certe adnotasse sufficiat Clementis nostri opinionem auctoritate Polycratis sic firmari ac stabiliri, ut plures cum Græci tum Latini scriptores de ea penitus convicti, filias a Philippo apostolo susceptas crediderint. At si quis validioribus argumentis easdem in virginitatis statu omnes perseverasse ostenderit, huic quominus alii assensum præbeat, minime prohibemus.

Non parum etiam difficultatis illud habet, quod Clemens ultimo loco de Paulo apostolo dixit [62] : « Non veretur in quadam epistola suam appellare conjugem. » Quamvis enim a nobis supra probatum fuerit Paulum per apostolatus sui tempora cælibem transegisse vitam, inquirendum tamen adhuc superest, utrum revera ille prius aliquando uxorem duxerit. At Origeni si fidem habeamus, duæ hac de re fuerunt antiquissimorum auctorum opiniones : « Paulus ergo, inquit ille [63], sicut quidam tradunt, cum uxore vocatus est, de qua dicit ad Philippenses scribens : Rogo etiam et te, germana compar, adjuva illas quæ cum ipsa sunt. Ex consensu igitur liber effectus, se servum nominat Christi. Si vero, ut aliis videtur, sine uxore; nihilominus qui liber

[47] Strom. l. vii, p. 736. [48] Nicephor., l. ii Hist., c. 44. [49] Euseb., l. iii Hist., c. 30, p. 102. [50] Baron. ad an. lxix, num. 32. [51] Strom. l. v, p. 448. [52] Act. xxi, 8. [53] Hier., l. i adv. Jovin., p. 23. [54] lib. De script. eccles., c. 55. [55] Euseb., l. iii Hist., c. 31, p. 102. [56] lib. v Hist., c. 24, p. 191. [57] lib. iii Hist., c. 31, p. 103. [58] lib. iii Hist., c. 39, p. 112. [59] Tertull., lib. De baptism., c. 18, Auctor. Constitut. apost., l. vi, c. 7, p. 290. Coteler. in hunc locum. [60] Strom. l. iii, p. 355. [61] Euseb., l. iii Hist., c. 31, p. 102. [62] Strom. l. iii, p. 448. [63] Origen. in Epist. ad Rom. c. i, 1.

Digitized by Google

vocatus est, servus est Christi. » Itaque si Origenes in patronorum prioris sententiæ numerum Clementem aggregavit, ex ipsius dictis colligere haud immerito possumus hæc esse Pauli verba, quibus Clemens ab ipso conjugem suam appellari arbitratus est. At hæc ex illius ad Philippenses Epistola [64] desumpta sunt, ubi pro verbo « germana » nunc « germane » habetur. Verumtamen quia Clemens nullam Pauli epistolam nominatim designat, utrum hæc ab illo citetur, quis certo definire poterit? Quid autem, quod Theodoretus eos severe castigat, qui loco citato Paulum conjugis suæ mentionem fecisse existimant? Utcunque porro res se habeat, persuasum sane Eusebius [65] habuit Clementem his, quæ protulimus, verbis « enumerare apostolos, » Paulum scilicet, non secus ac Petrum et Philippum, « qui uxores habuerant. »

At certe tamen nonne ecntrario Clemens Paulum unquam connubio junctum fuisse inficiatur, ubi postquam de conjugibus et matrimonio copulatis disseruisset, hæc continenter subjunxit [66]: Ἀλλὰ κἂν εὔζωνός τις εἶναι θέλῃ, οὐχ αἱρούμενος τὴν παιδοποιΐαν διὰ τὴν ἐν παιδοποιΐᾳ ἀσχολίαν, μενέτω, φησὶν ὁ Ἀπόστολος, ἄγαμος, ὡς κἀγώ. « Sed si quis expeditus esse velit, propter eam, quæ est in procreandis liberis, molestiam et occupationem, maneat, inquit Apostolus, cælebs, ut ego. » Quod si nihilominus quis contendat et certis rationum momentis demonstret Clementem ibi de cælibe tantum Pauli, apostolatus officio fungentis, vita fecisse sermonem, in sua ille sententia permaneat. Noverit tamen paucos admodum ei suffragatos. Omnes enim plerique scriptores, atque in primis Tertullianus [67], Hieronymus [68], Epiphanius [69], Augustinus [70], aliique Paulinarum epistolarum interpretes Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus [71], plurimique alii cum antiqui tum recentiores eumdem apostolum ita ἄγαμον fuisse censent, ut nullum unquam connubium inierit.

ARTICULUS VII.

De summa apostolorum post Christi resurrectionem perfectione.

Utrum apostoli, dum in hac mortali vita degerent, ad supremum Christianæ perfectionis apicem pervenerint, planum ut Clemens faciat, primum observat [72] « perfectum multis modis accipi, prout is est, qui in unaquaque virtute se gerit; » ita ut aliquis singulari aliqua virtute, puta pietate, continentia, religione, tolerantia, perfectus et consummatus sit. Fatetur deinde Clemens se nescire an ullus præter Christum Dominum omnibus simul virtutibus fuerit unquam perfectus et plene ornatus. Tertio ille docet [73] esse aliud perfectorum hominum genus donis nimirum Spiritus sancti, de quibus Apostolus ad Corinthios scribit [74]: « Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii quidem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii autem gratiæ sanitatum in eodem Spiritu, alii vero operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii autem interpretatio linguarum. » Ex quibus Clemens colligit [75] prophetas quidem prophetia, justos justitia, confessione martyres, aliosque aliis donis esse perfectos: « Apostoli autem, inquit [76], fuere pleni in omnibus, » videlicet memoratis ab Apostolo S. Spiritus donis. Quamobrem continuo subjungit: « Invenies itaque, si volueris, ex eorum rebus gestis et scriptis eorum cognitionem, vitam, prædicationem, justitiam, castitatem, prophetiam. » Hanc porro esse illius mentem inde liquet, quod superius **196** sicut vidimus, dixerit solum Christum omnibus simul virtutibus fuisse perfectum. Eadem profecto fuit Augustini doctrina, qui contra Pelagianos demonstrat [77] præter Christum Dominum neminem unquam fuisse hominem, ne ipsum quidem Paulum, in hac mortali vita omnis omnino peccati expertem. Quod quidem cum lib. II *De peccatorum meritis et remissione* copiose probavisset [78], sic concludit [79]: « Potest ergo fieri, sicut dixi, ut jam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cujus nondum sit perfectus et doctor: potest esse perfectus justitiæ cognitor, nondum perfectus effector. Cum ergo legitur in Scripturis cujusque perfectio, in qua re dicatur, non negligenter intuendum est; quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur perfectus. » Rursus autem alio in libro [80]: « Legitur sane homo sine crimine, legitur sine querela; at non legitur sine peccato, nisi Filius hominis, unus idemque Dei Filius unicus, » etc. Quocirca Pelagianorum errorem sic alibi refellit atque exagitat [81]: « Pelagiani novi hæretici, religiosi amatores et laudatores videntur sibi esse sanctorum, si non audeant dicere imperfectæ illos fuisse virtutis; cum hoc confiteatur vas electionis, qui considerans ubi adhuc esset, et quia corpus quod corrumpitur aggravat animam. Non quia jam acceperim, ait, aut jam perfectus sim, fratres, ego meipsum non arbitror comprehendisse. Et paulo post tamen qui se negaverat esse perfectum: Quotquot ergo perfecti, inquit, hoc sapiamus; ut ostenderet secundum istius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit nondum esse perfectum, » etc. Hæc ille uberius postea adhuc prosequitur. Ad eum itaque librum, si plura velis, te mittimus, et ad theologos in II *Sentent.*, distinct. 41 et D. Thom. 2-2, quæst. 184, art. 2, et 1-2, quæst. 109, art. 8.

Sed quosdam audire nobis videmur, non solum clam mussitantes, sed etiam palam objicientes Clementem dilucide planeque docuisse apostolos post Dominicam resurrectionem nullis animi perturbationibus, ac nulli proinde peccato obnoxios deinceps fuisse. Quis enim, instabunt illi, alius potest esse horum Clementis verborum sensus [82]? « Apostoli autem cum iram, et metum, et cupiditatem per Dominicam doctrinam ex uberiori quadam cognitione superassent, ne ea quidem, quæ videntur, bona ex iis quæ passionem inferunt motionibus, utpote confidentiam, æmulationem, gaudium, cupiditatem susceperunt; ut qui propter firmum quemdam et stabilem statum mentis, nihil penitus mutarentur; sed in exercitationis habitu semper manentes, alieni ab alteratione post Domini quidem certe resurrectionem. » Quid ergo? Putantne Clementem existimasse apostolos post Christi resurrectionem tantæ perfectionis attigisse culmen; ut in nullum plane vel minimum, et ut aiunt, veniale peccatum postea inciderint? Si hæc Clementis opinio fuerit, ea sane falsitatis errorisque insimulatur ab Augustino, qui contra Pelagianos demonstrat eisdem apostolis, sicut et aliis perfectis Christianis, ob istius vitæ infirmitatem usu venisse, ut in hæc leviora peccata prolaberentur: « Quid sanctius in novo populo, inquit [83], apostolis? Et tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere: « Dimitte nobis debita nostra. » Omnium igitur piorum, sub hoc onere corruptibilis carnis, et in istius vitæ infirmitate gementium, spes

[64] c. IV, 3. [65] lib. III Hist., c. 30, p. 101. [66] Strom. l. III, p. 454. [67] Tertull., l. II Ad uxor., c. 3; l. III, De monog., c. 3 et 8; l. De exhort. castit., c. 3 et 8. [68] Hier., epist. 11 et 23; l. I Advers. Jovin. [69] Epiphan., hær. 58, § 4. [70] Aug., t. VIII, l. De oper. monach., c. 4. [71] Interpret. in Epist. I ad Cor. IX, 5 et ad Philip. IV, 3. [72] Strom. l. IV, p. 525. [73] ibid., p. 527. [74] I Cor. XII, 9, 10. [75] Strom. l. IV, p. 527. [76] p. 528. [77] c. 5 et seq. [78] p. 43 et seq. [79] ibid., c. 15, p. 52. [80] lib. De perfect. inst. tit., c. 12, § 29, pag. 180. [81] lib. Contr. duas epist. Pelag., c. 5, § 15, p. 457. [82] Strom. l. VI, p. 650. [83] lib. III Contr. duas epist. Pelag., c. 5, § 15, p. 457.

Digitized by Google

una est, quod advocatum habemus ad Patrem Jesum Christum justum, et ipse est exoratio peccatorum. » Eadem habet in enarratione in psalmum CXLII, atque sermone 135 in Joannem [84]: « Dicite, sancti apostoli, posteaquam surrexit Dominus et confirmavit vos, Spiritu sancto misso de cœlo, cessans habere peccatum..... ait unus ipsorum..... respondet et dicit: Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, » etc. Itaque Augustinus fixum ratumque habuit apostolos, etiam divina Spiritus sancti gratia post Christi ascensionem confirmatos, ea leviora ac venialia contraxisse peccata, quæ ille docet oratione Dominica dimitti.

Verum non alia Clementis nostri quam Augustini esse sententia nobis prorsus videtur. De statu enim et habitu mentis, seu, ut loqui amant, de statu habituali ibi ille disserit [85], quo factum esse vult, ut apostoli atque etiam « gnosticus, » perfectusque Christianus nunquam mutentur: Ἀλλ' ἐν ἕξει ἀσκήσεως ἀεὶ μένοντες ἀναλλοίωτοι. « Sed in exercitationis habitu semper maneant invariabiles et immutabiles, » in charitate scilicet et gratia, ut vulgo aiunt, sanctificante; ita ut ab illa nullo unquam peccato mortali, nec ullis animi perturbationibus divellantur, neque a Deo, cui intime conjuncti sunt, separentur: « Neque enim, » subjunxit Clemens, « versatur in rebus gravibus et molestis, cum ex eis, quæ sunt in vita, nihil grave molestumve existimet, neque potest eum aliquid abducere a Dei charitate, » οὐδὲ ἀποστῆσαί τι καὶ τούτου αὐτὸν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ἀγάπης δύναται. Ab apostolis ergo Clemens exclusit eas omnes animi perturbationes et affectiones, ac, si velis, passiones, quibus a Dei amore et charitate, ac sanctificante gratia excideremt, atque in lethale aliquod peccatum prolaberentur. Sed de hac apostolorum cum ἀπαθείᾳ tum immutabilitate, et in bono perseverantia adhuc infra, ubi de « gnostico, » erit dicendi locus.

Præterea vero Clemens non semel asseverat eosdem apostolos fuisse perfectos verosque « gnosticos, » qui omnia, quæ sunt nobis dubia et inexplicabilia, animo comprehenderunt. « Jam audemus, inquit [86], dicere gnosticum omnia scire, et firma comprehensione comprehendere ea etiam, quæ sunt nobis dubia et inexplicabilia, cujusmodi fuit Jacobus, Petrus, Joannes, Paulus, et reliqui apostoli. »

ARTICULUS VIII.

Utrum Philippus, Thomas, Levis et Matthæus martyrii palmam consecuti sint, et de Matthæi abstinentia.

Eosdem apostolos rursus Clemens et gnosticos et perfectos appellat, qui Christum imitantes, pro Ecclesiis a se fundatis martyrio vitam finiere. Christum, ait Clemens [87], « imitantes apostoli, ut qui revera essent gnostici et perfecti, ὡς ἂν τῷ ὄντι γνωστικοὶ καὶ τέλειοι, pro Ecclesiis, quas fundarunt, passi sunt. » Qui autem fuerint illi apostoli, an omnes, an pauci, ibi Clemens non indicat quidem; sed quia ille respondet Heracleoni hæresiarchæ, qui Matthæum, Philippum, Thomam et Levim pretiosam pietate, sanctimonia, ac bonis operibus, nullo autem inflicto a tyrannis supplicio mortem obiisse contendebat; hinc certe haud plane immerito colligi potest de his potissimum institui a Clemente sermonem. At si is revera sit, uti videtur, non satis a quibusdam animadversus, **197** Clementis nostri sensus, præclarum profecto gravissimumque de illorum martyrio testimonium habebimus.

Cur ergo, inquies, id tacuit Polycrates, ubi Philippi martyrium prædicandi vix opportunior unquam occasio dari ipsi poterat. In sua etenim ad Victorem summum pontificem epistola plurimos Ecclesiarum Asiæ martyres nominatim commendat, et de Philippo eorum primo in hæc tantum scribit verba [88]: « In Asia magna quædam lumina exstincta sunt..... Philippus scilicet unus e duodecim apostolis, qui mortuus est Hierapoli. » Inficias ire non possumus Polycratem ibi usum esse verbo κεκοίμηται, quod tranquillam et pacificam potius quam suppliciis illatam mortem significat. Quamobrem quid ea de re statui debeat, ab aliis lubentius audiemus.

Nescii quidem non sumus in quadam Eusebiani *Chronici* citata a Baronio [89] editione martyrium Philippi memorari; sed hoc in aliis illius cum editionibus tum variis codicibus manuscriptis non occurrere plures jam adnotarunt.

Narrat Nicephorus [90-91] Matthæum sopitis, in quos ob Christi confessionem conjectus fuerat, ignibus, placide exhalavisse animam. Sed id ille non omnibus persuasit. In quibusdam tamen Græcorum Menologiis Matthæus igne consumptus, et in Latinis Martyrologiis simplicius martyrio dicitur coronatus. Videsis Baronii in Martyrologium [92] observationes.

Longe autem pluribus scriptoribus Thomæ martyrium probatur. Theodoretus enim illum celeberrimis martyribus sic annumerat [93]: « Pro Pandiis, Diasiisque, ac Dionysiis, et aliis festis vestris, Petri, et Pauli, et Thomæ et Sergii, et Marcelli, et Leontii et Pantaleemonis, et Antonini, et Mauricii, aliorumque martyrum solemnitates peraguntur. » Gaudentius quoque episcopus Brixiensis [94]: « Horum, inquit, quatuor beatas habemus in præsenti reliquias, qui regnum Dei, et justitiam prædicantes, ab incredulis et iniquis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur, Joannes in Sebastena urbe provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas et Lucas apud Patras Achaiæ civitatem consummati referuntur. » Nec alio plane absimili modo Nilus apud Photium ait [95]: « Vindemia decerptus est Paulus, et alius racemus martyrio maturescens Thomas apparuit. » Is autem cum Paulo adjungatur, ipsum quoque, de quo agitur, Thomam apostolum esse quis sibi facile non persuadeat? Quid vero, quod Gregorius Turonensis [96] de martyrio ejus « ex passionis » illius historia, quam haud dubie legerat, hoc nobis scriptum reliquit? « Thomas apostolus secundum passionis ejus historiam, in India passus esse declaratur. » Quem in locum videsis Ruinartii nostri observationes.

Ultimus tandem a Clemente Levis memoratur. Quis autem ille fuerit, fatetur Hervetus sibi non satis esse compertum; nisi forte sit Lebes episcoporum Jerosolymitanorum catalogo ascriptus. Et re quidem vera, ubi Eusebius hunc catalogum texuit [97]: Λεβίς, inquit, δωδέκατος· « Levis duodecimus ordine fuit. » At ab auctore tamen nostro de apostolis cum sermo fiat, et ille Levis ab eorum tempore longe sit remotus, de alio potius quam de isto eum loqui vero est longe similius. Quis ergo, inquies, Levis inter apostolos seu apostolicos viros censeri debet? Fatemur quidem hunc non posse a quoquam facile designari. Duos etenim eo nomine insignitos in Evangelio legimus. Prior est Levis, quem Marcus [98] et

[84] t. IV, p. 1592 et 1593. t. V, p. 659, § 8. [85] loc. cit. [86] Strom. l. VI, p. 648. [87] l. IV, p. 503. [88] Euseb., l. III Hist., c. 31, p. 102; l. V, c. 24, p. 191. [89] Baron. ad an. 54, § 3. [90-91] Nicephor., l. II Hist., c. 41. [92] ad 21 Sept. [93] Theod., t. IV, in fine serm. 8, de martyrib., p. 607. [94] Gaudent., serm. 13 in dedic. basil. SS. XL martyr. Bibliot. Patr., t. IV. [95] Phot., Bibliot. cod. 276, p. 1538. [96] Lib. I De glor. martyr., cap. 32. [97] Euseb., l. IV Hist., c. 5, p. 117. [98] Marc. II, 14.

Digitized by Google

Lucas [99] publicanum fuisse perhibent. At si ille idem fuit ac Matthæus, quemadmodum plurimi arbitrantur, de eo Clemens, quem a Matthæo penitus discriminat, intelligi non debet. Quosdam porro scimus non deesse criticos, qui eumdem Levi publicanum alium ab apostolo Matthæo fuisse existiment, idque his Origenis [1] verbis probare conentur: « Sit et Levi publicanus, qui Jesum secutus est. Non erat tamen ex apostolorum numero, nisi juxta quædam exemplaria secundum Marcum Evangelii. » Quibus respondent alii illud ab Origene non serio, sed per concessionem duntaxat Celso datum. Verum infirma prorsus videtur hæc responsio, nec Origenis textui consentanea.

Quapropter si quæ ad Origenis confirmandam opinionem suppeterent argumenta, de hoc Levi explicandum esse Clementis, seu potius Heracleonis locum nobis haud multum refragantibus probaretur. A

Alius tamen præterea fuit, cui Λεββαῖος, aut Λευαῖος, vel, ut quidam aiunt, Λέβης cognomen impositum dicitur. Is autem Judas est, et alio nomine Thadæus, de quo nonnulli [2] auctorem nostrum intelligi volunt. Sed cum hæc omnia meris plane conjecturis, nec certis atque evidentibus argumentis innitantur, quid de hac quæstione statui debeat ab aliis audire quam aliquid pronuntiare malumus.

In Matthæi porro mentionem quoniam incidimus, animum ad id advertas velim, quod de ejus abstinentia Clemens narrat [3]. « Matthæus, inquit, apostolus seminibus, baccis, et oleribus, absque carnibus utebatur. » Vix enim qui præter Clementem illud scriptis consignaverit, aliquem invenias.

CAPUT X.

De matrimonio.

ARTICULUS I.

Quomodo matrimonium a Clemente definiatur, quam bonum sit, et quomodo conjuges eo uti debeant.

Hisce in *Stromatum* libris eo uberius et accuratius de matrimonio Clemens disputat, quo illud varii ætatis suæ hæretici impugnarent acrius, ac tanquam scelestum et nefarium incredibili prorsus temeritate et impudentia proscriberent et condemnarent. Sed ex hac gravissima concertatione, tanquam ex lapidum conflictu atque tritu, major sanæ veræque doctrinæ ignis a nobis elicietur.

Primo itaque matrimonium a Clemente sic definitur [4]: Γάμος μὲν ἔστι σύνοδος ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ πρώτη κατὰ νόμον, ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ· « Matrimonium est prima et secundum legem viri et mulieris conjunctio ad legitimorum filiorum procreationem. » Ex hac autem matrimonii definitione liquet juxta Clementis mentem illud esse non quamlibet viri et mulieris conjunctionem, sed κατὰ νόμον, « secundum legem. » At cum « legem » indefinite dixerit, eo verbo forsitan de industria usus est; ut eo significaret non solum divinam, quæ in sacris litteris et ab apostolis sancita fuerat, sed humanam quoque sæcularium scilicet principum legem, juxta quam conjugium, ut legitimus solemnisque contractus civilis sit, ab omnibus iniri debet. Quamobrem alio **198** in libro [5] hoc de illo nec plura edixit: « Unusquisque nostrum habet, si velit, potestatem uxorem legitime ducendi, κατὰ τὸν νόμον γαμεῖν, in primis, inquam, nuptiis, τὸν πρῶτον λέγω γάμον. »

Quamvis autem utroque in loco Clemens dixerit, « primam conjunctionem, » nemo tamen inde inferat secundas nuptias ab illo improbari. De illis enimvero eum æquius judicasse infra ostendemus. Hæc itaque verba in matrimonii definitione ideo addidit, quia secundæ nuptiæ iis, qui se continere nequibant, apostolica indulgentia concedebantur. D

Denique Clemens docet finem matrimonii esse legitimam filiorum procreationem. Non unicus tamen, ipsomet auctore, est ille matrimonii finis. Aliud siquidem ipse declarat esse ejus munus et ministerium, atque alium proinde et finem, nimirum gerendam eorumdem filiorum, quemadmodum uxoris, atque etiam domus curam, « ad quam, inquit [6], data est mulier adjutrix. » Sed de his jam alias, et adhuc infra. B

Quæ quidem sicut aperta et clara, ita et vera ac propria matrimonii notio illud bonum, justum et æquitati omnino consentaneum esse tam invicte demonstrat, ut mirum sit præter quosdam paganos, eosque maxime voluptarios, qui id negarent, inventos fuisse homines. Plurimorum tamen Clemens, uti Basilidianorum, Isidori, Carpocratis, Epiphanis, Marcionitarum, aliorumque, de quibus infra dicetur, nefarios, impios ac pene stupendos de eodem illo matrimonio errores recenset, eosque evertit ac radicitus amputat.

Omnes porro illas hæreticorum falsas opiniones, seu potius opinionum monstra et portenta, ad duo tantum capita redigit [7]: « Aut enim, inquit ille, docent indifferenter vivere, » hoc est, nihil in hoc mundo esse boni vel mali, nullum vitium, nullamque virtutem, sed omnia esse indifferentia: « Aut modum tonumque excedentes per impietatem et odium profitentur continentiam, » per odium scilicet Creatoris, quem malum esse opinati, nuptias quoque malas et diabolum earum auctorem esse impie garriebant. Horum autem omnium futiles rationes variasque cavillationes tanta perspicuitate diluit ac destruit, quanta soliditate et invictissimis rationum momentis bonum esse conjugium demonstrat. C

At tametsi illud bonum esse invictissime Clemens probaverit, ipse nihilominus ait [8]: « Neque est uxor ducenda cuilibet, neque semper, sed tempus quoque est, in quo convenit, et persona cui convenit, et ætas ad certum usque terminum. Neque ergo est cuilibet uxor quælibet ducenda, neque semper: sed neque omnino et impudenter ac temere, sed ei qui aliquo modo se habet, et qualis, et quando oportet, et liberorum gratia, et ea quæ est in omnibus similis, et non vi aut necessitate virum amantem diligit. » Nec omnibus itaque, ut recte Clemens docet, nec omni ætate, nec quolibet tempore fas est inire conjugium; sed personæ, cui illud convenit, cujus ætas sit conjugio matura et apta ad liberos, ut in alio opere dixerat [9], suscipiendos, ac denique conjugii tempus seligendum. Præterea uxor ducenda debet ei, cui nuptura est, omnino, κατὰ πάντα, « in omnibus » esse similis, moribus scilicet,

[99] Luc. v, 27. [1] Origen., l. I contr. Celsum, t. II, p. 427. [2] Origen., præf. in Epist. ad Rom., p. 296. Hier. in Matth., p. 29. Theodor., quæst. 16 in Numer. [3] Pæd., l. II, c. 1, p. 148. [4] Strom. l. II, p. 421. [5] l. III, p. 457. [6] ibid., p. 459 et 461. [7] l. III, p. 442. [8] l. II, p. 421. [9] lib. II Pædag., cap. 10, et super dissert., c. 5, art. 3.

Digitized by Google

ingenio et professione, ita ut amantem virum sponte sua redamet.

Celebratis porro nuptiis, « conservandum est matrimonium, » Clementis verba sunt [10], « tanquam sacra statua, mundum ab iis, quæ polluunt; utpote qui a somno quidem expergiscamur cum Domino, eamus autem dormitum cum gratiarum actione, et oremus :

Cum somno indulges, lux et cum fulserit alma;

Tota nostra vita Dominum testantes, pietatem quidem ac religionem anima possidentes, temperantiam autem usque ad corpus deducentes. »

Deinde ibidem ostendit quam modeste et pie uxor se gerere debeat, a suspicione et crimine, atque omni etiam vano superfluoque cultu aliena, assiduis precibus vacans; ac fida domus suæ custos, a sui aspectu eos, quoad fieri potest, excludat, qui ad eam non pertinent.

Manifestum alibi [11] quoque facit quomodo sanctum felixque possit esse conjugium; quid uxori, si viro, B ut pie vivat, persuadere nequiverit, agendum; et tradita ab Apostolo conjugibus præcepta ob omnium ponit oculos.

Ad hæc vero : « Eum, inquit [12], qui uxorem duxit pro liberorum procreatione, exercere oportet continentiam; ut ne suam quidem concupiscat uxorem, quam debet diligere, honesta et moderata voluptate operam dans liberis. » Quamobrem divina lege statutum esse probat [13] debere « viros uti moderate uxoribus, et propter solam liberorum susceptionem. » Sed illum de his eodem modo, atque etiam fusius disserentem jam audivimus [14].

ARTICULUS II.

De secundis nuptiis, an de illis recte Clemens senserit, et de patriarcharum veteris testamenti polygamia.

Apud Centuriatores male audit Clemens noster, quod secundas nuptias cujusdam imperfectionis, C nec sine peccato esse tradiderit. Videamus ergo an jure vel injuria ab illis, aliisque idcirco corripiatur et vapulet. Primum autem Clemens citato a Centuriatoribus libro de primis secundisque nuptiis ita decernit [15] : « Monogamiam, et quæ consistit in uno solum matrimonio honestatem, μονογαμίαν καὶ τὴν περὶ τὸν ἕνα γάμον σεμνότητα, admiramur; dicentes tamen oportere aliorum misereri, et alterum alterius onera portare; ne quis cum recte stare videatur, ipse quoque cadat. De secundis autem nuptiis : « Si uraris, inquit Apostolus, jungere matrimonio. » Quid autem ibi, quod divinæ Apostoli doctrinæ non sit omnino conveniens et consentaneum ? Nihil certe. Et vero ipsemet Clemens postea adhuc ostendit hoc ab eodem Apostolo fuisse traditum : « Monogamiam, ait ipse [16], introducit propter liberorum procreationem et domus curam gerendam, ad quam data est mulier adjutrix, et si cui Apostolus propter intemperantiam et ustionem D ex venia secundum concedit matrimonium. Nam hic quoque non peccat quidem ex testamento, non est enim ex lege prohibitus ; non implet autem summam illam perfectionem, quæ agitur ex Evangelio. » Quid, obsecro te, ad falsam duplicis erroris maculam, Clementi nostro a Centuriatoribus temere illatam, penitus eluendam his verbis efficacius atque expressius desiderari potest ? Primum enim quonam clariori modo nobis significare auctor noster poterat secundas nuptias esse « sine peccato, » quam cum disertissime scribit illas ab Apostolo, sic ex venia concedi : ut qui secundo matrimonio, δευτέρου γάμου, illigatur, οὗτος οὐχ ἁμαρτάνει, « is non **199** peccat; » quandoquidem illud nulla lege interdictum est.

Secundo non ibi Clemens dicit in secundo matrimonio esse reapse imperfectionem aut peccatum; sed qui secundo matrimonio copulatur, hunc non attingere commendatam in Evangelio supremam vitæ Christianæ perfectionem.

Quapropter ubi matrimonium ab illo, ut vidimus, definitur [17] : « Prima viri et mulieris secundum legem conjunctio ; » vel ubi ab ipso quoque scriptis traditum est [18] : « Unusquisque nostrum habet potestatem ducendi uxorem, secundum legem, in primis, inquam, nuptiis ; » vel ubi tandem monogamiam ab eo dicitur [19] constitui Apostoli verbis, quibus mulieri, viro suo mortuo, rursus in Domino nubendi potestatem facit, sed si vidua permanserit, beatam prædicat ; his omnibus loquendi modis nihil aliud ipsemet idem auctor noster sibi voluit, nisi secundas nuptias, propter hominis incontinentiam, apostolica indulgentia et venia fuisse permissas, easque etiamsi non sint peccatum, quod quidem ab Apostolo permitti non potuit, tantæ tamen non esse perfectionis, quantæ est viduitatis, virginitatisque, et sanctæ continentiæ status.

At contra tamen insurget aliquis, nec aliqua sine elati animi concitatione, nobis objiciet ipsissima Clementis nostri verba, quibus disertissime asseruit eum tam catholice sentire, qui ab uno ad plura matrimonia prolapsionem dixerit esse fornicationem, quam ille hæreticus est, qui primum matrimonium fornicationem dicere audeat. Atqui fornicatio procul dubio est peccatum. Ergo et secundæ, atque a fortiori aliæ deinceps nuptiæ ab eo reipsa dicuntur esse peccatum.

Sed utrum hæc vera sit Clementis mens et sententia, ut dignoscatur, omnia illius verba hic describenda sunt : « Ad eos autem, inquit [20], pudore afficiendos et reprimendos, qui sunt proclives ad secundas nuptias, apte Apostolus alto quodam tono eloquitur. Inquit enim : Ecce omne peccatum est extra corpus ; qui autem fornicatur, in proprium corpus peccat. Si quis autem matrimonium audet dicere fornicationem, rursus legem et Dominum insectans, maledictis impetit. Quemadmodum enim avaritia, et plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adversetur sufficientiæ ; et ut idololatria est ex uno in multos Dei attributio ; ita fornicatio est ab uno matrimonio ad plura prolapsio. » At quomodo, uti jam diximus, secundæ nuptiæ ab Apostolo, ac deinceps a nostro Clemente ex indulgentia concedi et permitti potuerunt, si vere sint fornicatio, et ea fornicatio sit peccatum ?

Attente igitur expendendum est quid fornicationis nomine Clemens intellexerit. Tribus autem, uti ipse ait, modis fornicatio, imo et adulterium, ἥ τε πορνεία, ἥ τε μοιχεία apud Apostolum sumitur. Nam avaritia ab ipso fornicatio appellatur ; utpote quæ opposita sit αὐταρκείᾳ, quæ est habitus, ita ille loquitur [21], « iis quibus oportet, contentus, et qui per se acquirit ea, quæ ad beatam vitam conferunt. » Secundo dicit idololatriam ab eodem Apostolo vocari fornicationem, quia est « ex uno in multos Dei attributio : » sive quia nos ab uno et vero Deo avertens, ad multos adeoque falsos deos convertit. Eadem itaque ratione secundæ et aliæ nuptiæ ab illo tertium ac simile fornicationis genus esse dicuntur ; quoniam hominem ab ea perfectione, quæ in primo matrimonio est, propter ipsius incontinentiam, abducunt ac removent.

Cæterum quamvis Clemens secundas atque a fortiori alias deinceps nuptias aperte cujusdam argueret imperfectionis, a plurium tamen antiquissimorum Ecclesiæ Patrum non recederet opinione,

[10] l. II, p. 424. [11] l. IV, p. 525. [12] l. III, p. 450. [13] ibid., p. 456. [14] Dissert. super., c. 5, art. 3. [15] lib. III Strom., pag. 428. [16] ibid., p. 461. [17] p. 421. [18] p. 457. [19] p. 459. [20] p. 464. [21] Pæd., lib. II, cap. ult., p. 211.

Digitized by Google

de qua nos tom. II *Apparat.*, dissert. 3. cap. 5, § 4. Sed præter multos a nobis illic laudatos, alios a Cotelerio in suis ad *Pastoris* librum observationibus. pag. 64, adhuc citatos invenies.

Clementem porro de secundis post conjugis mortem nuptiis disputantem hactenus audivimus. Quid autem ille de veteris testamenti patriarcharum, qui plures simul uxores habebant, polygamia, docuerit, strictim juvat attingere. Fatetur autem illam, tametsi Christianis omnino vetita sit, justa tamen causa fuisse patriarchis illis ab ipsomet Deo concessam. « Tunc enim, inquit ille [22], id exigebat Deus, quando oportebat genus humanum augeri et multiplicari. » De Abrahamo autem nominatim eodem plane modo pronuntiat [23]: « Ex tribus uxoribus liberos susceperat, non ut frueretur voluptate, sed quod speraret, ut puto, in principio genus multiplicare. » Quam quidem rationem, ut minime dubiam, ac omnino certam profert Ambrosius [24], fusiusque explicat. Videsis, si placet et vacat, quæ in ejusdem Ambrosii libros subnotavimus, et quæ de Abrahami aliorumque patriarcharum polygamia theologi scholastici in IV *Sentent.*, distinct. 33, et in D. Thom. supplem. quæst. 65, art. 2, disputarunt.

ARTICULUS III.

De matrimonii vinculo nunquam dissolvendo.

Quam arctum et indissolubile sit matrimonii vinculum his Clemens noster explicat verbis [25]: « Quod autem consuluit Scriptura uxorem ducere, et nec a conjugio unquam permittit discedere, legem aperte constituit: Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem existimat conjungi matrimonio, vivo altero ex separatis. » Docet itaque neminem ad ineundum matrimonium ulla Scripturæ lege astringi; sed ubi initum est, tunc conjux divina lege tenetur conjugem nunquam dimittere.

Verum quidem est, inquiunt aliqui, arctissimum conjugii vinculum ibi a Clemente summopere commendari. At quia ibidem adjecit πλὴν εἰ μὴ ἐπὶ λόγῳ πορνείας, inde colligere se posse putant Clementi persuasum fuisse hoc idem matrimonii vinculum adulterio revera et dissolvi, et innocenti conjugi licuisse aliud, cum vellet, inire matrimonium. Quocirca quod subnectit Clemens adulterium esse, vivente conjuge, matrimonio copulari, ibi aiunt subaudiri, excepta fornicationis causa; ob eam enim solam secundum, vivente conjuge, matrimonium licitum esse putavit: qua quidem causa sublata, esset reipsa adulterium.

Sed veremur ne hi Clementis mentem assecuti non fuerint. Audi enim, quæso, quid postea ille subtexuit [26]: « Qui autem dimissam accipit uxorem, mœchatur, inquit: Si quis enim dimiserit uxorem, mœchatur ipsam, hoc est cogit eam mœchari. Non solum autem qui dimisit, est ejus causa, sed etiam qui eam suscipit, præbens mulieri peccandi occasionem; si enim non suscipiat, revertetur ad virum. » Quid, obsecro te, hæc sibi volunt? Nonne Clemens ibi disertissime significat matrimonii vinculum etiam **200** propter fornicationem non ita esse solutum ut dimissæ mulieri liceat alteri viro nubere, aut in uxorem ab altero accipi? Nonne expresse tradit fore ut illa, si nulli nupserit, ad virum revertatur? Hoc igitur divortio nihil aliud Clemens, nisi solam uxoris a viro disjunctionem, sive, ut theologi loquuntur, conjugum quoad torum, non quoad vinculum separationem intellexisse videtur.

Et re quidem ipsa hunc esse Clementis nostri sensum ea adhuc, quæ subsequuntur, haud obscure demonstrant. Pergit enim [27]: « Quid vero lex (ni- A mirum Mosaica), ut reprimat ad vitia propensionem, jubet de medio tolli eam, quæ adulterata, et adulterii fuerit convicta; sin autem fuerit uxor sacerdotis, jubet eam igni tradi? Obruitur autem adulter quoque lapidibus, sed non in eodem loco, ne mors quidem sit eis communis. Neque vero lex cum Evangelio pugnat, sed ei consentit; quidni enim, cum sit utriusque suppeditator Dominus? Quæ enim est fornicata, vivit quidem peccato, sed mortua est mandatis; quæ autem ducta est pœnitentia, ut quæ sit regenerata per vitæ conversionem, habet vitæ regenerationem, mortua quidem vetere fornicatrice, in vitam autem rursus ingressa ea, quæ est genita per pœnitentiam. » Planum ibi Clemens facit in hoc legem veterem cum evangelica consentire, ut uxor adulterii convicta de medio tollatur. Lex quippe vetus jubet eam obrui lapidibus, aut si uxor sit sacerdotis, igne comburi. Lex vero evangelica illam mandatis et vitæ spirituali mortuam declarat. Sed B hæc nova lex, quæ veteri longe plurimum mansuetudine antecellit, adulteram interfici non præcipit, ut detur ipsi pœnitendi locus, ac sincera veraque pœnitentia ad vitam scilicet spiritualem revocetur. Post actam porro sceleris sui pœnitentiam ad virum suum reverti, et ab ipso suscipi potest. Non existimavit ergo Clemens matrimonium adulterio ita dirimi, ut secundo postea conjugio etiam innocenti conjugi copulari fas fuerit. Alteram enim uxorem si vir duxisset, non utique potuisset amplius priorem adulteram recipere; quam tamen postquam pœnitentiam egit, ab ipso suscipiendam esse Clemens testificatur.

Nec est sane, quod quis nobis objiciat Clementi, et antiquissimis Ecclesiæ Patribus, penitus incognitam fuisse excogitatam a scholasticis theologis matrimonii quoad torum et quoad vinculum disjunctionem. Ex ipsomet siquidem Apostolo sic illam Clemens probavit [28]: « Quod ex consensu ad tempus C orationi vacat conjugium, doctrina est continentiæ. Adjecit enim illud quidem, ex consensu, ne quis dissolveret matrimonium. Ad tempus autem, ne ex necessitate exercens continentiam is, qui uxorem duxerit, aliquando labatur in peccatum, ut qui in id incidat, ut suo quidem conjugio parcat, alienum autem concupiscat. » Nemini profecto dubium esse potest Clementem ibi loqui de conjugibus quoad torum duntaxat, et ad aliquod temporis spatium, ut orationi facilius vacarent, a se invicem separandis. At cum addit, « ex consensu, » nimirum mutuo, « ne quis dissolveret matrimonium, » aliud ostendit esse divortium, quo matrimonii vinculum penitus dissolvitur ac dirimitur. Illud porro, vivente conjuge, solvi omnino ac dirimi unquam posse satis aperte Clemens inficiatus est. Eadem quoque est sententia Tertulliani, qui ad uxorem suam scribit [29]: « Quot sunt, qui statim a lavacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? Voluntariis spadonibus D pro cupiditate cœlesti, salvo matrimonio, abstinentia toleratur. » Eidem sententiæ maximo sane consensu suffragantur et alii Patres, quos in re certissima nominibus appellare suis supervacaneum duximus.

Porro autem cum ex Apostolo Clemens docuerit conjuges posse quidem a se invicem ad tempus separari, sed tantum ex mutuo « consensu, » animadverte, quæso, an inde jure merito possit colligi solam fornicationis causam ad uxorem quomodocunque dimittendum in Evangelio ideo memorari; quia ob eam solam vir uxorem suam, adulterii, ream, etiam reclamantem, invitam et repugnantem dimittere poterat. Sed de hac quæstione alibi disputavimus [30].

[22] Strom. l. III, p. 461. [23] l. II, p. 493. [24] Ambros., l. I de Abrah., c. 4, § 24, p. 291. [25] Strom. l. II, p. 424. [26] ibid. [27] ibid. [28] Strom. l. III, p. 458. [29] Tertul., l. I Ad uxor., c. 6. [30] lib. I Appar., dissert. 4, art. 24.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De perpetuo virginitatis et continentiæ statu et voto.

Perpetuæ continentiæ et castitatis ac cælibatus statum non minus quam matrimonium Clemens approbat et commendat. Jam enim ab illo audivimus matrimonium Scripturæ sacræ auctoritate consuli. At si ab illa tantum consulitur et non præcipitur, non minus virginitatis et cælibatus quam conjugii professionem amplecti cuilibet integrum piumque est. Sed argumentis minime indigemus, quandoquidem, ubi Clemens disertissime pronuntiavit unicuique in eo, quem elegit, sive conjugii, sive cælibatus statu esse perseverandum [31] : « Propositum, inquit, uniuscujusque, tam ejus qui se castravit et qui rursus propter liberorum procreationem seipsum conjunxit matrimonio, debet perseverare, non cedens et acquiescens ei, quod est minus ac inferius. » Nec semel id dixisse contentus, idem paulo post non minus perspicue repetit [32] : « Omnes Apostoli, inquiens, Epistolæ . . . . . utrumque admittunt, et eum qui Deo agendo gratias moderate utitur matrimonio, et eum qui, ut vult Dominus, vivit in castitate, εὐνουχίᾳ, quemadmodum vocatus est unusquisque, inoffense et perfecte eligens. »

Visne aliquid expressius ? Ausculta, quæso, ipsi adhuc ex ejusdem Scripturæ auctoritate disputanti [33] : « Rursus dicit Dominus : Qui uxorem duxit, ne expellat ; et qui non duxit, ne ducat. Ὁ κατὰ πρόθεσιν εὐνουχίας ὁμολογήσας μὴ γῆμαι, ἄγαμος διαμενέτω. Qui ex proposito castitatis professus est uxorem non ducere, maneat cælebs. » Videant sane votorum castitatis et continentiæ, a monachis et religiosis viris emissorum, osores quid contra hanc claram et apertam Clementis nostri definitionem vel obgannire vel latrare valeant. Quid enim inter votum castitatis nuncupantem et κατὰ πρόθεσιν εὐνουχίας ὁμολογήσαντα discriminis intercedit ? Nunquid Clementem de errore aliquo postulabunt ? At ibi ille contra hæreticos ex communi et recepto Ecclesiæ more et usu dimicat. Sed de hoc continentiæ et virginum voto a nobis jam actum est in nostra ad Ambrosii *De virginibus* libros admonitione [34].

Verumtamen aliquis forsitan objiciet votum, ut theologi aiunt, non posse nisi propter melius et perfectius quoddam bonum a quoquam nuncupari. Atqui Clemens matrimonium cælibatu et virginitate præstantius atque excellentius esse decernit [35]. « Qui enim fuerit perfectus, » ita ille loquitur, « exempla habet apostolos, et revera vir probatur, non in eo **201** quod vitam elegerit monasticam ; verum ille viros vincit, qui in matrimonio et liberorum procreatione, et domus cura ac providentia, citra voluptatem et dolorem se exercet, et cum in familiæ versetur curatione ; indivulsus tamen est a Dei charitate, insurgitque adversus omnem tentationem, quæ affertur per filios, uxorem, et famulos, et possessiones. » Qui ergo connubio junctus est, et insurgentes undique ex filiis, uxore, famulis, possessionibus tentationes, a Dei charitate minime divulsus et distractus, superavit, is alteri virginitatem cælibatumque profitenti a Clemente nostro anteponitur.

Sed qui ita argumentabitur, ille animum ad ea advertat quæ Clemens continenter subjunxit : « Ei autem qui domum non habet, magna ex parte evenit, ut non tentetur. Qui ergo sui solummodo curam gerit, vincitur ab eo, qui cum sit inferior quidem, in iis quæ pertinent ad suam salutem κατὰ τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν, superior autem in iis, quæ ad vitæ spectant dispensationem, exiguam revera conservat imaginem, veritatis providentia. » Cælibem igitur in iis tantum, quæ ad vitæ, hoc est, domus et familiæ dispensationem spectant, conjugibus inferiorem esse affirmat. At hunc ipsum tentationibus minus obnoxium, atque adeo in iis, quæ ad salutem attinent, conjugibus contendit esse superiorem. Nemo autem de iis, quæ tentationem removent pericula, et quæ ad salutem magis conducunt, vota fieri posse jure unquam merito negabit.

Urgebis tamen Clementem alio in libro, ubi virginem cum vidua componit, dixisse [36] : Ἤδη τινὲς καὶ τῆς παρθένου τὴν χήραν εἰς ἐγκράτειαν προτείνουσι, καταμεγαλοφρονήσασαν ἧς πεπείραται ἡδονῆς. Quod interpres Latinus ita reddidit : « Jam nonnulli quoque præferunt viduam virgini, quod attinet ad continentiam, ut quæ quam experta est voluptatem, magno et excelso animo contempserit. » Ergo, inquies, Clemens viduam, quæ virum experta est, virgini prætulit. Neque patienter feres tibi responderi in posterioribus Clementinorum operum editionibus pro illis verbis, « virgini, quod attinet ad continentiam, » hæc fuisse substituta, « virgini incontinenti. » Nihil quippe Græco Clementis textui magis contrarium proferri poterat.

Quocirca diffiteri quidem non possumus hanc hominum, textum auctoris sui tam perverse adulterantium, aut inscitiam, aut fraudem, malamque fidem a nemine posse unquam excusari. Sed hi, neque primus etiam Latinus interpres, Clementis sensum percepere. Nobis enim hic esse videtur : « Jam vero nonnulli viduam ad virginis continentiam extendunt, utpote quæ voluptatem, quam experta est, summe despiciat. » Neque sane aliam fuisse illius mentem, inde profecto probare possumus, quod ab illo alibi scriptum legitur [37] : Ὁ γὰρ ἐπιθυμήσας, καὶ κατασχὼν ἑαυτοῦ, καθάπερ ἡ χήρα, διὰ σωφροσύνης αὖθις παρθένος. « Qui enim concupivit et seipsum continuit, instar est viduæ, quæ est rursus virgo per temperantiam. » At nullus certe sani capitis homo inde unquam concludet statum virginitatis matrimonio aut viduitati ab auctore nostro fuisse postpositum.

CAPUT XI.

De Christianis virtutibus, et quibusdam Christianorum moribus.

ARTICULUS I.

De cardinalibus, uti aiunt, virtutibus, atque in primis de continentia servanda et impugnanda voluptate, mortisque meditatione.

Ad communes omnibus Christianis virtutes ut jam veniamus, primo adnotandum est virtutem a Clemente alicubi definiri [38] : Ἡ ἀρετὴ αὐτὴ διάθεσίς ἐστι ψυχῆς σύμφωνος ὑπὸ τοῦ λόγου περὶ ὅλον τὸν βίον. « Ipsa virtus est affectio animæ sub imperio rationis per totam vitam consonans et respondens. »

Plura autem de virtutibus singulatim ille pertractat [39], quæ quidem cum facilia sint, iis explicandis nihil necesse est nos diu immorari. Præclare siquidem et accurate definit et explicat quid sit pie-

[31] l. III, p. 459. [32] ibid., p. 462. [33] ibid., p. 467. [34] tom. II Amb., p. 142 et seq. [35] Strom. lib. VII, p. 741. [36] Strom. l. IV, p. 469. [37] Strom. l. VII, p. 742. [38] Pæd., l. VII, cap. ult., p. 136. [39] Strom. l. II, p. 304 et seq ; l. VI, p. 662, et l. VII, p. 709 et seq. et 738 ; l. II, p. 397 et seq.

Digitized by Google

tas, et quænam sint eæ, quæ a theologis quatuor virtutes cardinales dicuntur, justitia, prudentia, temperantia et fortitudo. Hujusce autem fortitudinis species esse dixit tolerantiam [46], mentis sublimitatem, μεγαλοφροσύνην, magnitudinem animi, μεγαλοψυχίαν, liberalitatem et magnificentiam. At de liberalitate et magnificentia, humanitate et benignitate non minus quam de aliis virtutibus enucleate disserit. Ad hæc vero ipse docet beneficentia et fortitudine hominem Deo similem fieri [47]. Denique omnes illas virtutes sibi invicem ita connexas et conjunctas esse declarat, ut neque una sine altera haberi, neque de ulla qualibet sine alia disputari possit.

Quoniam autem ipsa virtus nobis non est ingenita, sed ad eam comparandam nati apti sumus, eaque aptitudo non virtus, sed motus est ad virtutem [48]; idcirco hæc labore, disciplina et exercitatione acquiri debet. Atque inde fit, ut alii ad minorem, alii ad majorem et perfectam virtutem perveniant.

Porro autem aliqua sine animadversione illud prætermitti non debet, quod Clemens de castitate, ac proinde de aliis, quæ paganis et Christianis hominibus communes erant, virtutibus affirmare non dubitat illam non esse bonam, nisi propter amorem Dei operam ei demus: Οὐδὲ εὔνουχία ἐνάρετον, εἰ μὴ δι' ἀγάπην γίνοιτο τὴν πρὸς Θεόν. « Castitas non est virtute prædita, nisi fiat propter dilectionem in Deum [49]. »

In castitatis vero mentionem quia incidimus, ea paulo uberius lubet exponere quæ auctor noster de continentia contra hæreticos passim disputavit. Nobis autem hanc continentiæ, ἐγκράτειας, definitionem exhibet [50]: « Continentia est corporis despicientia convenienter pactis cum Deo initis. » Ἐγκράτεια σώματος ὑπεροψία κατὰ τὴν πρὸς Θεὸν ὁμολογίαν. Cujus definitionis hanc ipse rationem reddit [51]: « Non solum enim in rebus venereis, sed etiam in aliis, quæ anima perperam concupiscit, non contenta necessariis, versatur continentia. » Scimus quidem continentiam paulo aliter a sancto Thoma [52] aliisque theologis scholasticis definiri. At certe ea virtus, ab ipsis significatione longe strictiori quam a Clemente nostro circumscribitur. Eam procul dubio ob rationem in alio libro ipse dixit [53]: « Continentia est affectio, quæ non transilierit ea, quæ visa fuerint ex recta ratione. Continens autem est is, qui continet eas appetitiones, quæ sunt præter rectam rationem; vel qui se ipsum continet, ne appetitione efferatur præter rectam rationem. »

202 In quo autem paganorum philosophorum et Christianorum continentia discrepet, sic Clemens edisserit [54]: « Humana continentia, quæ est ex sententia philosophorum Græcorum, profitetur pugnare cum cupiditate et in factis ei non inservire. Quæ est autem ex nostra sententia non concupiscere, non ut quis concupiscens se fortiter gerat, sed ut etiam a concupiscendo se abstineat. » Unde ille scite collegit Christianam continentiam philosophica esse præstantiorem.

Illius porro a Christianis observandæ causam et incitamentum his declarat verbis [55]: « Nos propter dilectionem in Dominum, et propter ipsum honestum amplectimur continentiam, templum Spiritus sanctificantes. Honestum est enim propter regnum cœlorum se ipsum castrare ab omni cupiditate, et emundare conscientiam a mortuis operibus ad serviendum Deo viventi. » Quocirca hæreticos, qui in carnis odium, et paganos, qui vanis humanisque tantum rationibus continentiam amplectebantur, castigat, et illos impios, hos autem plane ignaros et improvisos esse ostendit.

Christianæ itaque continentiæ eam affirmat esse excellentiam, ut quamvis in Deum, qui nullius rei indiget nullique perturbationi obnoxius est, non cadat, illius tamen observatione ad divinam naturam accedamus.

Ad eam autem continentiam assequendam, amputanda est, inquit ille [56], cupiditas. Quæ quidem ut resecetur, voluptas illius fomes exstirpanda ac funditus tollenda est [57]. Voluptatis porro notionem « dicunt esse lenem et blandum, » ita ille loquitur [58], « motum cum aliquo sensu. » Verum sicut cupiditatis fomitem dicit esse voluptatem, ita et voluptatis principium docet esse cupiditatem [59], πάσης ἡδονῆς ἐπιθυμία κατάρχει. « Omnis voluptatis principium est cupiditas. Cupiditas autem, » uti ipse prosequitur, « est molestia et sollicitudo, quæ propter egestatem aliquid appetit. » Alibi tamen voluptas, uti ab eo dicitur [60], primam generat cupiditatem; πρώτην ἐπιθυμίαν γεννᾷ. « Quæ, » sicut ille pergit [61], « est desiderium et appetitus, ὄρεξις, a ratione alienus ejus qui ei κεχαρισμένος, obsecutus est. » At nonne his posterioribus verbis satis aperte significat cupiditatem et voluptatem sese mutuo generare?

Rursus vero nos ille commonet ἐπιθυμίαν, cupiditatem, et ὄρεξιν, appetitionem, a peritioribus ita a se invicem distingui, ut illam voluptati et intemperantiæ ascribant; hanc vero, quæ rationis motus est, in his esse contendant, quæ secundum rationem sunt.

Cæterum tametsi voluptas Christiano homini fugienda, nec omnino necessaria sit ejus affectio, veruntamen, ait Clemens [62], « est appendix et consequentia, ἐπακολούθημα, quædam naturalium necessitatum famis, frigoris, matrimonii. Si itaque fieri posset, ut absque ea biberetur, vel alimentum susciperetur, vel liberi procrearentur, non posset ostendi alius ejus usus. Neque enim operatio, neque affectio, sed neque aliqua pars nostri est voluptas. » Quid vero, quod ipse fatetur [63] eamdem voluptatem non solum interdiu, sed etiam noctu in ipsis insomniis, nos cum præstigiis inescando mordere, nobisque insidiari? Quamobrem adversum eam, tanquam adversus inimicum divina, ut ait Apostolus, armatura, atque timore, et legis filia cautione, debemus pugnare, animamque nostram a perturbationibus segregare, atque eam quoque perdere, et mortis meditatione occupari. Nos porro commonefacit [64] cum hæc scriberet, tum totam Ecclesiam et viris et mulieribus plenam fuisse, qui per omne vitæ suæ tempus mortem, quæ ad Christum excitat, meditabantur. Sed de his adhuc postea dabitur disserendi locus.

ARTICULUS II.

De fide.

Ex theologicis virtutibus prima procul dubio est fides, quam Clemens ex Apostolo hunc describit in modum [65]: Πίστις πρόληψις ἐκούσιός ἐστι, θεοσεβείας συγκατάθεσις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, κατὰ τὸν θεῖον Ἀπόστολον. « Fides est voluntaria anticipatio, pietatis assensio, rerum quæ sperantur substantia, argumentum eorum quæ non videntur, ut est sententia divini Apostoli. » Addit tamen ab aliis definiri: « Rei non apparentis unientem assensionem. » Ex sua vero ipse opinione, vel saltem nullo auctore citato, hanc profert fidei definitionem [66], Ἡ μὲν πίστις

[46] ibid., p. 405. [47] l. II, p. 395. [48] l. VI, p. 662; l. IV, p. 494. [49] l. III, p. 447. [50] ibid., p. 427 [51] ibid. [52] D. Thom., 2-2, quæst. 155, art. 1. [53] l. II, p. 395. [54] Strom. l. III, p. 450. [55] ibid., p. 451. [56] l. II, p. 395. [57] l. III, p. 443. [58] l. II, p. 406. [59] l. III, p. 443. [60] l. II, p. 521. [61] l. IV, p. 521. [62] l. II, p. 411. [63] ibid., p. 412. [64] ibid., p. 407 et seq.; l. IV, p. 497. [65] l. II, p. 362. [66] ibid., p. 371.

Digitized by Google

ὑπόληψις ἑκούσιος, καὶ πρόληψις εὐγνώμονος προκαταλήψεως. « Fides quidem est voluntaria existimatio, et anticipatio prudentis præcomprehensionis. » Itaque ex hac definitione planum ibidem facit, quomodo illa ab opinione aliisque animi habitibus differat.

Fidem porro, quemadmodum scientiam, duplicem esse Clemens ostendit [61], unam quidem humanam, quæ ex rhetoricis et dialecticis argumentis deducta, opinio tantummodo dici potest. Altera autem divina est, qua nimirum Deo præcipienti obsequimur, et illi in sacris Scripturis loquenti credimus. Et hæc quidem certissima cognitio est, nulli non solum errori unquam obnoxia, sed qua etiam sanantur infirmi et mortui ad vitam revocantur.

De hac tantum fide quæstio nunc habetur. Docet autem Clemens illam simul cum spe habitare [62], posseque nos per eam absque demonstrationibus, nec sapientia hominum, sed Dei virtute æternam adipisci salutem [63]. Quamobrem ab ipso adhuc dicitur [64] : Πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις. « Fides, ut ita dicam, est rerum magis necessariarum seu urgentium (videlicet ad salutem) cognitio. » Quosdam itaque Clemens severe castigat, qui illam a cognitione ita distinguebant, ut hanc de Spiritu sancto, et fidem de Filio esse garrirent. Filium quippe sicut et Patrem cognoscere et credere debemus.

Quia vero fidem voluntariam esse asseruerat [65], id alibi ipse eo probat, quod ipsa fide Deo per Scripturas loquenti assensu plane libero credimus. Atque inde funditus errorem quorumdam evertit hæreticorum, qui fidem nobis innatam esse falso prædicabant.

Quamvis autem tam asseveranter affirmet fidem esse voluntariam, non minus tamen diserte pronuntiat illam, uti paulo ante vidimus [66], esse Dei donum, et nobis divinitus infundi.

Quantæ porro cuilibet ad æternam salutem consequendam necessitatis sit hæc ipsa fides, Clemens passim tradit, repetit et inculcat. Cæteras enimvero scientias obsonio et bellariis, sine quibus vita utique sustentari potest, similes esse docet ; fidem vero nobis, quemadmodum « panis ad vivendum » esse necessariam : « Et quæ est, inquit [67], ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad vivendum. Quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis et bellariis. »

Nunquid magis expressum aliquid desideras? **203** Attende, obsecro, considera quid idem Clemens, Barnabæ auctoritate nixus, de fide aliisque virtutibus scriptum nobis reliquerit [68] : « Cum dictæ virtutes sint elementa cognitionis, evenit ut fides sit magis elementaris, quæ gnostico est æque necessaria, ac ei qui in mundo vivit, ad vivendum respiratio. Ut autem absque elementis non possumus vivere, ita nec absque fide possumus assequi cognitionem. Hæc est ergo basis veritatis. » Non solius itaque Clementis nostri, sed etiam Barnabæ opinio fuit, fidem ad vitam spiritualem et cognitionem, non minus quam respirationem ad vitam naturalem producendam, omnibus esse omnino necessariam.

Nihil ergo mirum, si ipse alio in loco ullum plane hominem sine fide vivere, vitam scilicet spiritualem, non posse concludat [69] : « Nullum, inquit, usquam genus neque agricolarum, neque pastorum, neque eorum qui versantur in civitatibus, potest vivere, nisi ejus quod est præstantius et melius, A nimirum Dei fide præoccupatum prævenitumque fuerit. » Quocirca tam de gentilibus quam Judæis apertissime pronuntiat [70] : « Iis quidem qui erant justi ex lege, fides deerat ; et ideo cum eos curaret Dominus, dicebat : « Fides tua te salvum fecit. » Iis autem, qui erant justi ex philosophia, non solum opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent a cultu simulacrorum. » Persuasissimum itaque Clemens habuit fidem in Dominum cuilibet pagano homini, quantumvis pio et justo, plane penitusque necessariam fuisse [71]. Quapropter asseveranter ille affirmat [72] non solum bona opera nemini post mortem, nisi fidem habuerit, prodesse ; sed quemlibet etiam seu fidelem seu gentilem sine fide justissime condemnari. Unde jure merito fides ab ipso appellatur [73] : Ἰσχὺς εἰς σωτηρίαν, καὶ δύναμις εἰς ζωὴν αἰώνιον. « Virtus est ad salutem, et potentia ad vitam æternam, per quam, » ut citatus ab eo Pastor seu Hermas scribebat [74], « servantur B electi Dei : » δι' ἧς σώζονται οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ Θεοῦ. Denique « fide sola, » addit ipse [75] « existimant se consequi principium universorum, » Deum scilicet.

Fidem porro illam auctor noster docet [76] « principium esse actionis, et prudentis electionis fundamentum ; » imo vero et cognitionis : « De Deo etenim non dubitare, sed credere est fundamentum cognitionis. » Continenter porro subjungit [77] : « Est autem utrumque Christus ; fundamentum, inquam, et ædificium, per quem est principium et finis. Et extrema quidem non docentur, nempe principium et finis, fides, inquam, et charitas. » Fides itaque est principium et charitas finis. Utraque autem ita a Christo emanat et profluit, ut non doceatur. Quocirca paulo post ille concludit [78] fidem esse brevem et compendiosam eorum, quæ necessaria sunt, cognitionem, atque hanc per doctrinam Domini super fidem ædificari. Denique asserit [79] fidem esse C sedem, seu basim, ἕδρασμα, charitatis, atque ipsa necessitudine, quæ inter utramque intercedit, charitate fideles fieri : « Charitas, inquit, ea quæ illi cum fide intercedit, amicitia, φιλία, facit fideles. Fides autem est basis ac stabilimentum » charitatis.

Ex oleastri porro in bonam olivam inserti comparatione ab Apostolo instituta, manifestum Clemens deinde facit infidelem in Christum fide transferri, additque [80] : « Melius est autem uniuscujusque fidem in ipsa inseri anima. » Cujus hanc ipse continuo reddit rationem : « Sanctus enim Spiritus per eam quodammodo distributus transplantatur, prout uniuscujusque circumscriptio incircumscripte, » κατὰ τὴν ἑκάστου περιγραφὴν ἀπεριγράφως, hoc est, per fidem Spiritum sanctum incircumscripte in uniuscujusque credentis secundum illius dispositionem et meritum inseri et transplantari. Quamobrem ipse alibi scribit [81] : Ἡμεῖς τῷ πεπιστευκότι προσεπιπνεῖσθαι τὸ ἅγιον Πνεῦμα D φαμέν· « Nos quidem dicimus S. Spiritum inspirari ei qui credidit... sed non ut pars Dei in unoquoque nostrum. »

Quamvis autem fateatur [82], sublata omni dubitatione seu quærendi causa, fidem firmari et stabiliri, nos nihilominus serio admonet [83] eam solam esse non debere, sed præterea inquisitione esse opus. Etenim fides, ipsomet attestante [84], via est ad assequendam veritatem, et illa « ad verbum Domini, et ad Filium nos attollit ; οὐδέπω συνίεμεν ἀπόδειξιν εἶναι τὸ ῥῆμα Κυρίου. Nondum intelligimus demonstrationem esse verbum Domini. » Et vero, ut

[61] l. II, p. 381 et 362, ac 372. [62] l. V, p. 383. [63] l. V, p. 549. [64] l. V, p. 544. [65] l. II, p. 362 et 363 ; l. V, p. 545, 546 et 589. [66] sup., cap. 7, art. 1. [67] Strom. l. I, p. 319. [68] l. II, p. 373. [69] l. V, p. 612. [70] l. VI, p. 637. [71] l. II, p. 288. [72] l. VI, p. 669. [73] l. II, p. 384. [74] ibid. [75] ibid., p. 364, 369. [76] ibid., p 362 ; l. V, p. 589. [77] l. VII, p. 731. [78] ibid., p. 732. [79] l. II, p.372. [80] l. VI, p. 673. [81] l. V, p. 590. [82] ibid., p. 547. [83] ibid., p. 570. [84] l. II, p. 370.

Digitized by Google

ille ait [85], fidei meditatione fit scientia, quæ stabili ac firmo nixa est fundamento. Neque tamen sinit inde ab aliquo inferri aliquid in fide esse dubium aut incertum. Nam, « qui divinis credidit Scripturis, inquit [86], firmum habens judicium, cui contradici nequit, demonstrationem ejus, qui Scripturas dedit, vocem accipit. » Quapropter haud dubitanter asseverat [87] fidem scientia esse præstantiorem, et illius κριτήριον. Et id quidem Theodoretus ex Aristotele retulit [88].

Quanta autem sit fidei vis et potentia his Clemens verbis perspicue ostendit [89] : « Disciplina ergo est parere præceptis, quod est Deo credere, et fides Dei potentia, quæ est vis veritatis, statim autem dicit : Si habeatis fidem, ut granum sinapis, montes transferetis. Et rursus : Secundum fidem tuam fiat tibi. Et unus quidem curatur, suscepta per fidem curatione ; mortuus autem resurgit per vim ejus, qui crediderat, quod esset resurrecturus. »

Denique cum Clemens, ut diximus, docuerit fidem esse veritatis basim [90] ; hinc planum ille facit quibus gradibus ab ea ad charitatem et γνῶσιν ascendamus : « Prima ad salutem, » verba illius sunt [91], « inclinatio nobis fides apparet, postquam timor, et spes, et pœnitentia, cum continentia et tolerantia proficientes, nos ducunt ad charitatem et cognitionem. »

Cæterum quæ hactenus de fide ex Clemente disputata sunt, hæc te non pigeat cum iis contendere, quæ de illa Theodoretus litteris mandavit [92], atque si velis, quæ theologi in suis de fide commentationibus, et in lib. III *Sentent.*, distinct. 25, et in D. Thom. 2-2, quæst. 1 et 2, copiosius pertractarunt.

ARTICULUS III.

De infidelitate, et utrum omnes infidelium actiones sint peccata.

Oppositum fidei vitium est infidelitas, quæ a Clemente [93] per fidei oppositionem dicitur, ἡ δὲ ἀπιστία ὑπόληψις τοῦ ἀντικειμένου ἀσθενὴς ἀποφατική. Quæ quidem ad verbum nihil aliud sonant, quam « infidelitas est opinio contrarii infirma negativa. » Verum Hervetus cum in Græco textu pro ἀποφατική forsitan legisset ἀποφαντική, hæc verba Latine sic reddidit : « Infidelitas est ejus quod oppositum imbecilla enuntiativa opinio seu existimatio. » Sed non inde magis patet quis sit horum Clementis verborum sensus. Nobis autem idem omnino in manuscripto Claromontano codice [94], atque in Græca editione legentibus, hæc videtur esse auctoris nostri mens et sententia ; infidelitas est debilis et infirma opinio, quæ **204** contrarium, sive illud quod a Deo in Scripturis sacris traditum est, quodque præ infirmitate perspicere nequit, verum esse negat. Quod si legendum putes ἀποφαντική, is quoque erit idem Clementis sensus : Infidelitas est infirma opinio, quæ enuntiat, et præ infirmitate asserit id, quod Scripturis sacris et veritati contrarium est. Et hæc quidem explicatio ex iis haud absurde confirmari potest, quæ continenter subjunguntur [95] : Καθάπερ ἡ δυσπιστία ἕξις δυσπαράδεκτος πίστεως. « Quemadmodum difficultas credendi est habitus, qui fidem difficiliter admittit. »

Duplicem autem Clemens ait esse infidelitatem seu incredulitatem, bonam quidem unam, alteram vero malam. De utraque autem ait ille [96] : « Multa incredulitas fecit bona, fides mala... Jam non credere quidem veritati affert mortem, sicut credere vitam. Contra autem mendacio credere, non credere autem veritati, trahit in exitium. » Sed jam de ea infidelitate disputamus, quæ quia primæ veritati, seu Deo, in sacris Scripturis loquenti, non credit ; idcirco hanc jure merito Clemens inferre mortem et in exitium trahere affirmat. Quam sane ob causam ille rursus postea [97] : « De incredulis, inquit, περὶ ἀπίστων, dictum est eos esse reputatos tanquam pulverem, quam projicit ventus a facie terræ, et guttam quæ ex cado excidit. » Cujus quidem hanc ipse insinuat suggeritque rationem [98] : « In ipsum (verbum scilicet divinum) et per ipsum credere, μοναδικόν ἐστι γενέσθαι, est unicum fieri ; scilicet in ipso indivulse unitum ; non credere autem est dubitare, spatioque ac intervallo disjungi et dividi. »

Quia vero Clemens, uti dictum est, constanter asseruit fidem esse fundamentum bonæ actionis et prudentis electionis, sine qua vitam spiritualem vivere nullus potest, atque econtrario infidelitate quemlibet trahi in exitium, et ei mortem afferri ; inde scite colligit cujusvis gentilis actionem, quandoquidem bonus non est illius finis, revera peccare, et esse malam. Sed præstat ipsummet hac de re apertissime loquentem audire [99] : « Quomodo absolute quidem salvum facere est ex iis, quæ sunt media, recte autem, et, ut decet, perfectum est officium, κατόρθωμα, id est, » ut Cicero interpretatur, rectum aut recte factum : « Ita etiam omnis actio gnostici rectum et perfectum est officium, καὶ πᾶσα πρᾶξις γνωστικοῦ κατόρθωμα· Ejus autem qui est tantummodo fidelis, media dici possit actio, ut quæ κατὰ λόγον, ex ratione nondum efficiatur, neque recte geritur ex scientia. Contra autem cujusvis gentilis peccat actio, παντὸς δὲ ἐμπαλιν τοῦ ἐθνικοῦ ἁμαρτητική. Non enim absolute bene agere, sed scopum quemdam spectando actiones producere, et ex ratione operari oportere ostendunt Scripturæ. » Nescio sane utrum ad hanc quæstionem explicandam clarius aliquid et enodatius proferri queat. Neque enim tantummodo Clemens disertissime asseverat omnem infidelis hominis peccare, et malam esse actionem ; verum etiam certam ac perspicuam illius reddit rationem ; quia nimirum quælibet illa infidelis hominis actio ad bonum finem non refertur.

Obiter observa hæc Græca verba, οὐδὲ μὴν τοῖς ἀπείροις τοῦ αὐλεῖν, αὐλῶν, in Latina interpretatione fuisse omnino prætermissa ; fortasse quia supervacua videbantur. Sic autem Latine sonant : « Et tibia canere imperitis, tibia non canendum. »

Sed iis perstrictis, nonne eodem, uti vidimus, modo de infidelium actionibus adhuc argumentatur Clemens, ubi hæc habet [1] : « Quæcunque ergo fit actio a sciente, ea est recta actio. Quæcunque autem ab insciente, mala est ; etiamsi maxime persistat, et in hoc proposito maneat ; quoniam non fit fortis ex consideratione, neque dirigit actionem ad aliquid utile ex iis, quæ ad virtutem dirigunt, et procedunt a virtute. Eadem est autem ratio de aliis virtutibus. » Omnis itaque ratio quæ fit ab insciente, διὰ τοῦ ἀνεπιστήμονος, etiamsi ex fortitudine, aut alia qualibet virtute proficiscatur ; idcirco tamen mala est, quia non proficiscitur ex λογισμοῦ, ex consideratione, seu potius ratione ; neque refertur ad aliquid ex iis utile, quæ dirigunt ad virtutem, et ex virtute procedunt. Atqui tales esse infidelium actiones nullus plane ambigit. Eas ergo Clemens et ex causa, scilicet ignoratione ; atque ex fine, quia ad veram virtutem non referuntur, malas esse arbitratus est.

Hanc porro esse ipsissimam Augustini sententiam, quam adversus Pelagianos, atque in primis contra

[85] ibid., p. 362. [86] ibid. [87] ibid., p. 365. [88] Theodor., t. IV, De Græc. affect. curat., serm. 2, de fide, p. 479. [89] ibid., 381. [90] Strom. l. II, p. 373. [91] ibid. [92] Theodor. l. cit., De fide, præsertim p. 477 et seq. [93] Strom. l. II, p. 371. [94] ibid. [95] ibid. [96] l. IV, p. 477. [97] ibid. p. 536. [98] ibid., p. 537. [99] Strom. l. VI, p. 669. [1] l. VII, p. 734.

Digitized by Google

Julianum acerrime constantissimeque propugnat, quis inficias iverit? Nonne enim ut plurima mittamus, contra hos gratiæ Dei inimicos expressissimis verbis ille dixit[3] : « Quantumlibet opera infidelium prædicentur, Apostoli sententiam veram novimus et invictam : Omne quod non est ex fide, peccatum est. » Contra Julianum vero postquam hoc argumentum fuse pertractavit, ex iis, quæ disputaverat, hanc elicit conclusionem[3] : « Ex quo colligitur etiam ipsa opera, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus et bona male faciunt; quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta et noxia faciunt voluntate : qualis voluntas, nullo Christo dubitante, arbor est mala, quæ facere non potest, nisi fructus malos, id est, sola peccata. Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est. Et ideo istas arbores non potest diligere, et si tales permanserint, disponit excidere; quia sine fide impossibile est placere Deo. Sed ita hic immoror, quasi istas arbores non jam tu ipse steriles pronuntiaveris. Quomodo igitur non aut jocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas? Qui utique aut nulli sunt, aut si mali sunt, laudandi non sunt : aut si fructus boni sint, profecto steriles arbores non sunt; imo et bonæ sunt, quarum fructus boni sunt, et debent Deo placere, cui bonæ arbores non possunt nisi placere, falsumque erit quod scriptum est : « Sine fide impossibile est placere Deo. »

Scimus quidem plurimos post sanctum Thomam[4] theologos censere infideles « non posse operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria; tamen bona, ad quæ sufficit bonum naturæ, æqualiter operari posse. » Quamobrem non in omni, inquiunt, actione sua peccant, sed iis tantum quæ ex infidelitate operantur.

Utrum autem et hæc fuerit nostri Clementis opinio, ex iis forsitan quis percipi posse putabit, quibus ille duo distinguit hominum genera, quorum alii nescientes, alii vero scientes et gnari aliquid bene faciunt et recte vivunt. Utrisque autem quocunque modo egerint, negat illud post mortem prodesse, nisi fidem habuerint[5] : « Jam vero illud quoque, ait, consideremus, an quando recte vivunt, qui nesciunt benefacere; accidit enim ut benefaciant : nonnulli autem per intelligentiam ad veritatis verbum feruntur, tanquam ad scopum. Abraham autem **205** non ex operibus justificatus est, sed ex fide. Nihil ergo eis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habeant. »

Deinde vero postquam ille nos alibi admonuit non tantum utroque, cum Veteri tum Novo Testamento, sed statutis etiam apud Græcos et philosophos legibus « genus, actionis esse manifestissimum, » continenter adjecit[6] : « Et ut semel dicam, omnis utilitas, quæ ad vitam pertinet, suprema quidem ratione a Deo omnipotente, qui præest omnibus, Patre perficitur per Filium, qui etiam propterea est servator omnium, inquit Apostolus, maxime autem fidelium. » An porro ex his concludi possit Clementem existimasse quædam infidelium bona quidem esse opera, sed ea ad vitam æternam comparandam nec utilia, nec pertinentia, aliorum esto judicium. Si autem rem ita se habere pronuntient, nobis edisserant, quomodo sibi ipsi constiterit eruditissimus auctor noster, qui cujusvis gentilis actionem peccare haud prorsus se ambigere apertissime profitetur.

ARTICULUS IV.

Præter fidem bona opera ad salutem consequendam esse necessaria.

Quamvis Clemens fidem tantæ, uti vidimus, necessitatis esse crediderit; præter illam tamen bona opera ab hominibus, ut æternam salutem adipiscantur, esse necessaria, et Deo ita jubente exigi, passim ille constituit et prædicat. Ex iis itaque pauca seligamus : « Debemus, ὀφείλομεν, ait ille[7], habere opera clamantia, tanquam in die ambulantes. Luceant enim opera; et : Ecce homo et opera ejus ante faciem ejus. Ecce enim Deus, et opera ejus. Deum oportet imitari, quod ejus fieri potest, gnosticum. » Audisne quibus ille sacræ Scripturæ testimoniis probet bona opera, non tantum a Christianis minus perfectis, sed etiam a « gnostico, » hoc est perfectissimo Christiano, uti omnino necessaria requiri?

Sed illi, quæso, alio in libro mentem suam rursus explicanti parumper ausculta[8] : « Oportet ergo Deo offerre sacrificia non sumptuosa ac splendida, sed quæ sunt pia et ei accepta, et suffitum illum in lege compositum, qui constat ex multis linguis et vocibus in oratione, vel potius qui ex diversis gentibus et sexibus per donum testamentorum constituitur in veritatem fidei, et in laudibus congregatur, mente quidem pura, justa autem et recta vitæ institutione ex sanctis operibus, et justa oratione. ἐξ ὁσίων ἔργων, ἀρχῆς τε δικαίας. » Præter fidem ergo Clemens quemlibet ad bona opera agenda obstrictum obligatumque esse credidit.

Quid vero, quod ipsammet, de qua agitur, fidem ille bonorum operum effectricem esse his declarat verbis[9] : « Jam vero fides, et si est voluntaria animæ assensio, est tamen bonorum operatrix, et justæ fundamentum actionis? »

Nec est profecto quod heterodoxus quis respondeat nihil in Clementis nostri scriptis frequentius occurrere, quam bona opera in Scripturis sanctis non modo consuli, verum etiam præcipi; sed nullibi illum dixisse ullum unquam hominem iisdem operibus suis, aut etiam fide vel peccatorum remissionem, vel divinam adoptionem, vel vitam salutemque æternam promereri. Hunc etenim errorem Clemens noster funditus evertit[10]. Neque enim solum perspicue docet « nos bonorum operum effectione, ἀγαθοεργίᾳ, ac divina assimilatione, θείας ἐξομοιώσεως, ad æternam felicitatem subvehi; » sed ibidem addit : « Sunt aliæ oves, inquit Dominus, quæ non sunt ex hoc ovili, quæ alio ovili et mansione pro proportione fidei sunt dignatæ. Meæ autem oves meam vocem audiunt, a cognitione mea mandata intelligentes. Hoc autem licet magnifice, et pro dignitate meritisque accipere cum operum remuneratione et mutua consequentia. Quare quando audierimus : « Fides tua te salvam fecit, » non accipimus eum dicere absolute eos salvos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi opera quoque fuerint consecuta. » Quid ad hæreticorum errorem damnandum his Clementis nostri verbis clarius et luculentius? Ibi enimvero disertissime pronuntiat salvum fieri hominem fide, et bonis etiam operibus, quæ in altera vita simul remunerabuntur. Quapropter alibi ex ipsismet Evangelii verbis ostendit[11] apud Dominum esse complures mansiones et præclaras remunerationes pro cujuscunque meritis et vitæ proportione.

Ad hæc vero Clementem audivimus plane et dilucide asseverantem bona opera post hujus vitæ finem nulli prodesse, nisi fidem habuerit[12]. Nonne autem inde recte infertur bona opera iis hominibus post hujus vitæ finem profutura, qui simul cum bonis operibus vera fide erunt ornati ac præditi?

His insuper adjunge, si velis, quod ab ipso scriptum legitur : « Orti sumus, ut eligeremus obedire mandatis, ad hoc ut vellemus esse salvi... Est ergo officium hominis Deo parere, qui varia annuntiavit per salutem præcepta... Qui cum iis, quas

[3] August., t. X, De gestis Pelag., c. 16, § 34, p. 211. [4] lib. IV, Contra Julian. Pelag., c. 3, § 32, p. 601. [4] 2-2, quæst. 10, art. 4. [5] Strom. l. I, p. 828. [6] Strom. l. VI, p. 695. [7] Strom. l. IV, p. 543. [8] Strom. l. VII, p. 719. [9] l. V, p. 668. [10] l. VI, p. 668. [11] l. IV, p. 488. [12] l. VII, p. 710.

Digitized by Google

oportet, considerationibus prompto et alacri animo acceperit mandata et custodierit, is est fidelis. Qui autem pro accepto beneficio pro viribus refert gratias per charitatem, is est amicus. » Persuasum ergo Clemens habuit bona opera ad æternam salutem comparandam utilia esse, atque iis hominem, Dei gratia adjutum, uti ex eo abunde probatum est, æternæ felicitatis præmia promereri.

Denique ex ipsiusmet Christi verbis et proposita ab ipso operariorum parabola, manifestum adhuc facit « rectæ vitæ assiduitate, » hoc est, bonis operibus nos violenter Christi rapere regnum : « Qui regnum, inquit [12], rapiunt, sunt violenti, non contentiosis orationibus, sed rectæ vitæ assiduitate ; et orationibus, quæ fiunt sine intermissione, dicti sunt vim afferre, ut qui ex prioribus peccatis contractas abstulerint maculas. »

Antequam porro hunc de fide tractatum absolvamus, non inutile forsitan erit paucis exponere quod a Græcis philosophis de illa traditum Clemens memorat [14]. Ab Aristotele autem ita ille orditur : « Aristoteles, id quod consequitur scientiam, judicium, quo verum esse hoc aut illud judicamus, dicit esse fidem. » Unde hanc scientia esse præstantiorem concludit. Sed hæc clarius a Theodoreto [15] transcripta reperire est.

Deinde Clemens [16] narrat Epicurum existimasse fidem esse πρόληψιν διανοίας, id est, ut reddidit Hervetus, « cogitationis anticipationem. » Sed de hac fidei definitione rursum legendus est Theodoretus [17], qui eam variis exemplis illustrat. Denique Clemens, atque iterum Theodoretus nobis exhibent quid de illa Heraclitus, Plato et Epicharmus tradiderint.

206 ARTICULUS V.

De spe et timore.

Secunda virtus theologica est spes, quæ a Clemente sic definitur [18] : Ἐλπὶς προσδοκία κτήσεως ἀγαθοῦ. « Spes est boni acquirendi exspectatio. » Rursus autem paulo post [19] : Ἐλπὶς προσδοκία ἀγαθῶν, ἢ ἀπόντος ἀγαθοῦ εὐελπις· « Spes est exspectatio bonorum, vel absentis boni bona speratio. » Cuilibet vero spei, seu humanæ, seu divinæ, vel, ut aiunt, naturali et supernaturali, hæc definitio convenit. De qua autem disputamus, ea est, « per quam, » ut loquitur Clemens noster [20], « desideramus quæ sunt optima, » δι' ἣν ἐφιέμεθα τῶν βελτίστων, scilicet Deum ipsum, sive æternam felicitatem qua Deo æternum fruamur.

Quapropter ille aperte docet [21] spe res futuras a nobis exspectari, quemadmodum fide res quoque futuras atque etiam præteritas credimus. Hinc quanta inter utramque illam virtutem, nec non et charitatem sit connexio, ita ipse paulo superius exposuerat [22] : « Cum fides, sicut etiam tempus, sit duplex, inveniemus duas, quæ simul habitant, virtutes. Tempori enim, quod est præteritum, est memoria ; ei autem, quod futurum est, spes. Credimus enim fuisse præterita, et fore ea quæ futura sunt. Et rursus diligimus sic se præterita habere, fide persuasi, futura spe exspectantes. » Eam procul dubio ob causam spes ab illo fide consistere dicetur [23] ; quia nimirum quam futuram credimus æternam beatitudinem, hanc firmissima spe exspectamus, speramusque. Imo vero « is qui sperat, » ut Clemens ipse loquitur [24], « sicut etiam qui credit, mente videt ea, quæ prospiciuntur intelligentia, et ea quæ sunt futura. »

Tantæ porro constantiæ et firmitatis est ea spes, A sicut et charitas, tantæque utriusque sunt vires, ut nullis plane casibus, nec dirissimis etiam exciatibus expugnari unquam possint : « Neque ergo, inquit Clemens [25], spes felicitatis, neque in Deum charitas ægre fert ea quæ accidunt ; manet autem libera, etiamsi in bestias incidat immanissimas, et in ignem voracissimum : et licet tyrannicis conficiatur tormentis, a divina pendens amicitia, minime redacta in servitutem, superas obit regiones, corpore iis tradito qui id solum possunt tenere. »

Quam recte igitur Apostolus ad Romanos scripserit hanc spem non confundere, sic ille probat [26] : « Propter spem enim futuram est patientia. Spes autem est etiam æquivoce spei redditio et restitutio, quæ non confundit, ut quæ probris et contumeliis non amplius afficiatur. »

Hanc porro eamdemque spem paganis philosophis et poetis incognitam non fuisse Clemens noster non solum ibidem, sed sequenti etiam in libro luculenter ostendit [27].

B Porro autem quemadmodum id quod spei objicitur est ipsemet Deus misericors, piis hominibus æternam mercedem et beatitudinem persolvens; ita et timori objicitur idem ipse Deus impios et improbos sempiternis suppliciis et pœnis afficiens. At eo tamen timore, ut Clemens noster explicat, non tam Deum ipsum, quam a Deo excidere metuimus : « Timet enim, ait Clemens [28], quis non Deum, sed a Deo excidere. » Bonum autem esse eum timorem ibidem ille probat [29] non modo sacræ Scripturæ auctoritate, sed etiam paulo superius ex illo celebri Salomonis effato : « Initium sapientiæ est timor Domini [30]. » Ibi enim pulchre observat sapientiam vocari effectionem, quæ est timor Domini deducens ad sapientiam. Tum vero Basilidis et Valentini sectatores egregie refellit, qui hoc Proverbiorum oraculo ad stabilienda absurdissima errorum suorum commenta omnino præpostere et perperam abutebantur. Timoris autem eam illic patefacit esse

C utilitatem [30*], « ut quos non expugnat ratio, eos mansuefaciat metus. »

Neque leviori ictu eorum retundit pervicaciam hæreticorum, qui insulse somniarant timorem esse alienationem, vel a ratione, vel ab animo, atque adeo esse malum, ac proinde legem veterem rejiciendam [31]. Quocirca omnium oculis Clemens ibidem subjicit [32] quid hæc eadem lex vere et merito timendum annuntiet, et quomodo Barnabas nos ad meditandum Dei timorem adhortetur.

Præterea « Dei timor, » ut ille docet [33], « est mali declinatio, » fidemque adjuvat, atque post fidem prima est ex iis virtutibus, quæ ad charitatem, aut, ut alibi adhuc ait [34], « ad pœnitentiam et spem » nos ducunt. Quid plura ? Alicubi asserit [35] timorem Domini esse disciplinam et scientiam, atque eodem timore peccata a quolibet declinari; alibi vero [36] doctrinam illi adjunctam esse primum

D ad Christianam perfectionem gradum. Postremo non solum timoris utilitatem, sed quamdam etiam ejus necessitatem inde repetit [37], quod lex divinitus « voluisse videatur, ut metus necessario impenderet ; » quo majori cautione et attentione philosophus a lapsu et peccato esset alienus.

Duplicem porro, seu potius triplicem ille timorem non obscure distinguit [38]. Nam postquam dixisset « principium dilectionis esse timorem, qui fit per incrementum fidei, deinde dilectio ; » ita ille prosequitur : « Sed non sicut feram et timeo et odi, ita etiam patrem vereor, quem timeo et amo. Rur-

[12] l. v, p. 553. [14] Strom. l. II, p. 365. [15] Theod., t. IV, De Græc. affect. curat., serm. I, de fide, p. 479. [16] locis citatis. ibidem, p. 366. [17] Theod., p. 479 et 483. ibid., p. 369. [18] Strom. l. II, p. 371. [19] ibid. p. 377. [20] Strom. l. IV, p. 495. [21] l. II, p. 384. [22] ibid., p. 383. [23] ibid., p. 371. [24] l. v, p. 552. [25] l. IV, p. 497. [26] ibid., p. 532. [27] ibid. et l. v, p. 552. [28] ibid., p. 377. [29] Strom. l. II, p. 374 et 375; l. VII, p. 740. [30] Eccli. I, 16. [30*] ibid., p. 376. [31] ibid., p. 373-377. [32] l. IV, p. 478; l. II, p. 374 et 375. [33] ibid., p. 360. [34] ibid., p. 373; p. 384; p. 377. [35] ibid., p. 386 et 391. [36] l. IV, p. 495. [37] l. II, p. 412. [38] ibid., p. 384.

Digitized by Google

sus timens ne castiger, meipsum diligo, timorem eligens. Qui timet offendere patrem, seipsum diligit. » Primus itaque timor juxta Clementis mentem ille est, quo quis aliquid sicut feram metuit, propter pœnam nimirum infligendam. At hic timor penitus servilis est, atque illum Clemens odio mistum esse declarat.

Alter timor est, quo quis patrem suum offendere veretur. Iste autem timor mere filialis est, qui, ut ait Clemens, amori conjungitur.

Tertium denique timorem et inter utrumque medium, sive potius secundarium prioris timoris effectum eum esse Clemens dicit : « Quo rursus timens ne castiger, meipsum diligo, timorem eligens. » Itaque qui illo timore afficitur, ita castigationem metuit, ut potius seipsum, quam illum, a quo haud dubie propter culpam et offensam castigari timet, revera diligat. De hoc autem duplici seu triplici timoris genere legesis quod sanctus Thomas tradidit [59]; inde quippe lux non minima huic Clementis nostri sententiæ afferri potest.

Utrum vero Clemens quodlibet illud timoris genus bonum esse putaverit, si inquiras, perpende, quæso, quod ille paulo post ex Hermæ *Pastore* colligit [60] : « Dicit timendum esse Dominum ad ædificationem, sed non diabolum ad eversionem. Contra autem opera quidem Domini, hoc est præcepta, esse diligenda et facienda; opera autem diaboli esse timenda et non facienda. Timor autem Domini erudit, et castigat, et in dilectionem restituit : timor autem operum diaboli habet etiam odium cohabitans. » Ex his autem et superioribus auctoris nostri verbis **207** facile, uti arbitramur, intelligis persuasum ipsi fuisse timorem diaboli, aut ferarum, hoc est pœnæ et supplicii, si ibi tantum consistat, non esse bonum, utpote qui non amorem, sed potius odium adjunctum habeat. Contra vero Dei timorem, quo illum sicut patrem offendere timemus, esse revera bonum; quippe qui principium sit dilectionis et ad eam nos adducat.

Neque tamen in tuum, quæso, inducas animum ab illo omnem prorsus servilem metum proscribi, ac tanquam malum penitus repudiari. Nam præterquam quod ille contra hæreticos, uti diximus, ostendit veterem legem, timoremque ab eo incussum minime esse mala, quando ex hoc timore ad filialem metum, amorem et charitatem ascendimus; id sane clarius demonstrat, ubi quibus gradibus hoc fiat, ita edisserit [61] : « Licet non esse filium incredulitatis, sed transire a tenebris ad vitam, et aure sapientiæ accommodata, esse Dei legitimum : νόμιμον εἶναι θεοῦ, servum quidem primum, δοῦλον μὲν τὰ πρῶτα, deinde fidelem famulum, ἔπειτα δὲ πιστὸν γενέσθαι θεράποντα, timentem Dominum Deum. Quod si quis ulterius ascenderit, refertur in numerum filiorum. Postquam autem charitas operuerit multitudinem peccatorum, beatæ spei perfectione, licet eum tunc auctum charitate suscipere, relatum in electam filiorum adoptionem, quæ Dei vocata est amica. » Servi ergo et famuli timorem Clemens tunc bonum esse existimavit, quando eo timore pedetentim ad Dei amorem et perfectissimam charitatem perducimur.

Quis itaque non videat hanc Clementis de timore Dei doctrinam sententiæ Tridentinorum Patrum omnino esse consentaneam, ac plane eamdem cum hac illorum definitione, qua nostræ ætatis hæretici hoc anathemate percelluntur [62]? « Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores majores facere, anathema sit. » Quamobrem alibi hæc eorumdem Patrum synodus [63] : « Illam, inquit contritionem imperfectam quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. » Nonne enim hæc ipsissima est Clementis nostri doctrina, qui, ut vidimus, sæpius repetit et probat timorem esse sapientiæ, disciplinæ et divinæ dilectionis initium, atque illum ad pœnitentiam, fidem, spem et perfectissimam charitatem viam nobis patefacere?

Verum aliquis forsitan objiciet Clementem disertissime pronuntiare eum, qui vel supplicii, vel imminentis periculi, vel odii metu, imo vero propter consequendæ a Deo mercedis spem, ab injustitia se abstinet, hunc sua sponte non bonum, ac potius videri, quam reipsa esse justum. Ergo Clemens existimabat supplicii metum, et mercedis spem facere, quemadmodum hæretici aiunt, « hominem hypocritam et magis peccatorem. » Siccine vero doctissimus ille vir in errorem a se toties, ut vidimus, proscriptum tandem prolapsus est? Nullus procul dubio sanæ mentis homo id in animum facile sibi induxerit. Neque vero hæc unquam fuit illius mens et sensus. Ab ipso enim hæc scriptis tradita legimus [64] : « Nos autem eum, qui semper et in omnibus est justus, scire cupimus, qui nec timens supplicia, quæ a lege statuuntur, nec eorum cum quibus versatur, et qui peccata persequuntur, odium vitans in improbos, nec quod ex ipsis sceleribus et flagitiis impendet, periculum reformidans, justus permanet. Qui enim propter hæc abstinet a faciendo aliquid ex iis quæ sunt injusta, non est sua sponte, sed metu bonus..... Si autem ab injustitia facienda abstinuerit propter spem remunerationis a Deo consequendæ, ob ea quæ juste fecerit, nec sic quidem sua sponte bonus est. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit, vel potius efficit, ut videatur justus. » Nulli certe dubium aut obscurum esse potest Clementem ibi loqui de justo perfectoque homine, quem « gnosticum » appellat, et qui perfectam attigit charitatem; vel, ut ipsis Clementis nostri verbis utamur, « qui semper et in omnibus justus est. » Hic autem, ut ille pergit, nullo supplicii aut periculi metu justus permanet. Et recte quidem. Nam in prima Epistola sua Joannes scripsit [65] : « Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem; quoniam timor pœnam habet : qui autem timet, non est perfectus in charitate. »

Quocirca justus ille timorem cur expulerit, hanc Clemens protulit rationem. Qui propter metum aut mercedis spem ab injustitiæ se abstinet operibus, is non est sponte sua justus : sed elicit potius duplex illa affectio, ut justus videatur. Nondum quippe ad perfectam illam charitatem pervenit, qua spe et metu procul amandatis, bonum voluntaria, ac libera prorsus, et expedita voluntate operetur.

Quid ergo, arguet alius quispiam, nunquid Clemens a « gnostico » seu perfecto Christiano omnem spem etiam « remunerationis » a Deo, ut ipse loquitur, « accipiendæ, » sicut et metum, penitus depellendam esse decernit? Nunquid ergo, urgebit ille, haud obscure Clemens docuit, spem, quæ secunda virtus theologica est, imperfectorum tantummodo esse Christianorum, minime vero perfectorum? Sed is non videtur esse sensus Clementis, qui tantum abest, ut ibi spem a perfecto Christiano abjiciendam esse statuat, quin potius ab eo semper

[59] 2-2. q. 19, art. 2. [60] Ibid., p. 584. [61] Strom. l. I, p. 353. [62] Trident. syn., sess. 6, can. 8. [63] Sess. 14, c. 4. [64] Strom. l. IV, p. 551. [65] I Joan. IV, 18.

Digitized by Google

servandam esse declaret. Græca enimvero hæc sunt illius verba [46] : Εἰ δὲ καὶ ἐλπίδι τῆς ἐπὶ δικαίοις παρὰ τοῦ Θεοῦ ἀμοιβῆς ἀφέξεταί τις τοῦ ἀδικεῖν, οὐδὲ οὗτος ἐκὼν χρηστεύεται· ὡς γὰρ ἐκεῖνον ὁ φόβος, οὕτω τοῦτον ὁ μισθὸς δικαιοῖ, μᾶλλον δὲ δίκαιον εἶναι δοκεῖν δείκνυσι· Latine vero : « Si autem ab injustitia facienda propter spem retributionis a Deo justis operibus reddendæ abstinuerit, non sponte sua bonus est. Sicut enim illum metus, ita hunc merces justum facit, vel potius ostendit eum justum videri. » Quibus sane verbis ille aperte significat eum, qui propter divinæ mercedis a Deo justis operibus reddendæ justus est, etiamsi non sponte sua, hoc est non mero et unico Dei amore, vel, ut aiunt, solo charitatis motivo ab injustitia se abstineat ; ipsum tamen esse justum, vel ostendere potius se justum nobis videri. Non ergo mercedis spem a perfecto Christiano, de quo Clemens, uti ex dictis, et iis quæ ille subjungit, ibi disputat, respuendam esse decernit ; utpote qua illum affirmat justum revera fieri, vel potius nobis justum videri ; quandoquidem qui propter mercedis spem bene justeque agit, hunc reipsa justum esse merito censemus. Et hanc quidem esse illius mentem facile ex subsequentibus intelligitur, **208** quibus ostendit non solum a paganis philosophis, sed etiam ab Apostolo hanc spem, « quæ est post mortem bonis quidem bonam, malis autem contrariam, » omnino renuntiari. Verum ex his quæ Clemens de charitate et « gnostico, » seu perfecto Christiano, tradidit, et mox a nobis explananda sunt, illa clarius elucebunt.

ARTICULUS VI.

De charitate erga Deum et proximum.

Tertia ex theologicis virtutibus est charitas, atque ex ea et fide ac spe sanctam Clemens docet componi trinitatem [47] ; ita tamen ut charitas aliis duabus major sit et præstantior : « Iis, ait ille, qui tendunt ad perfectionem, proposita est cognitio rationalis, γνῶσις ἡ λογική, cujus fundamentum est sancta trinitas, ἡ ἁγία τριάς, fides, spes, charitas : major autem horum charitas. » Tres autem illas virtutes dicit esse fundamentum « cognitionis rationalis, » γνώσεως τῆς λογικῆς, hoc est Christianæ perfectionis, quæ ab illo γνῶσις, quemadmodum perfectus Christianus γνωστικός solet appellari. Easdem porro tres illas virtutes dicit Clemens [48] sic sese invicem consequi, ut fides speret « propter pœnitentiam, pietas autem propter fidem, et quæ in eis est perseverantia, et exercitatio una cum disciplina terminetur in charitate, et hæc cognitione perficiatur. »

Charitatem vero fide et spe majorem esse non modo post Apostolum asserit [49], verum ex ipso etiam probat ei qui charitate informatus est, omnia quidem licere ; sed hunc ab aliquibus propter aliorum abstinere conscientiam ; hunc omnia ad Dei gloriam referre, armisque spiritualibus contra quemlibet pugnare, qui adversus Dei cognitionem se se extollit ; hunc denique nullum formidare casum, nullam afflictionem, nullum periculum, nullum tandem quantumvis crudelissimæ mortis genus ac supplicium.

Quo autem progressu ad charitatem illam perveniatur, sic ipse docet [50] : « Ignorationis animadversio est prima disciplina ei qui κατὰ τὸν λόγον ambulat. Cum ignorasset quispiam, quæsivit ; et cum quæsisset, invenit magistrum ; et cum invenisset, credidit ; et cum credidisset, speravit ; et cum hinc dilexisset, dilecto similis efficitur, hoc esse studens, quod prius dilexit. » Iis itaque gradibus ascendimus ad charitatem, qua homo Deo similis efficitur.

Ejusdem vero charitatis alius quoque effectus est, ut proximus propter Deum diligatur. Quam quidem charitatem, seu proximi amorem, ita Clemens describit [51] : « Charitas, ἀγάπη, fuerit consensio eorum quæ sunt κατὰ τὸν λόγον, καὶ τὸν βίον, καὶ τὸν τρόπον, secundum rationem, et vitam, et mores ; aut, ut paucis dicam, κοινωνία βίου, vitæ societas, vel amicitiæ et benevolentiæ extensio cum recta ratione, περὶ χρῆσιν ἑταίρων· ὁ δὲ ἑταῖρος, ἕτερος ἐγώ· ἢ καὶ ἀδελφοὺς τοὺς τῷ αὐτῷ λόγῳ ἀναγεννηθέντας προσαγορεύομεν, ad sodalium consuetudinem (sodalis autem, seu amicus alter ego) qua eos fratres appellamus, qui sunt eodem verbo regenerati. » Paucis Clemens ibi regulam normamque nobis exhibet, ad quam verus et rectus erga proximum amor dirigendus sit. Primum enim docet eum esse debere κατὰ τὸν λόγον, « secundum rationem, » hoc est, ut ex rectæ rationis circumscriptione nunquam excedat. Deinde vero vult Clemens ut idem amor sit κατὰ τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον, « secundum vitam et mores, » id est juxta statutas a Deo vitæ et morum pie sancteque efformandorum præscriptiones. Nam ea charitas, ut ipse paulo post explicat [52], non ficta, sed vera esse debet, ita « ut odio habentes malum, adhæreamus bono et fraternitati. » Quamobrem tertio Clemens addit nos eo amore illos diligere, qui eodem verbo sunt regenerati, baptismatis scilicet sacramento, ac Christianæ religionis professione, quosque idcirco fratres appellamus.

At observes velim, non idcirco a Clemente præscribi, ut ii soli, sed ut plus aliis ob vitæ sanctitatem et piam fraternitatem diligantur. Ipse enimvero planum alibi facit [53] Christum nobis in Evangelio præcepisse non solum ut inimicos diligamus, sed ut iis quoque benedicamus, atque pro illis oremus, qui nos contumeliis pœnisque afficiunt. Et quibus certe, et ex iis quæ de virtutibus hujusce charitatis comitibus Clemens memorat, haud obscure colligi potest quemdam ab ipso desiderari in hac charitate ordinem, de quo theologi post sanctum Thomam 2-2, quæst. 26, atque Estium in lib. tert. *Sentent.*, distinct. 29.

Cæterum ad hoc Clementis effatum « amicus alter ego » quod spectat, Erasmus centur. 1, adag. 2, p. 12, illud paulo aliter exprimit, hunc scilicet in modum, φίλος ἕτερος αὐτός. Prius enim Cicero [54] : « Est is amicus quidem, qui est tanquam alter idem » Sed Erasmum, si lubet, consule.

Tres tandem Clemens potissimum recenset [55] virtutes charitatis in proximum comites, nimirum hospitalitatem, humanitatem et dilectionem, quas quidem ab illo satis enucleate explicatas invenies. Nec minus clare ibidem edisserit, quid sit affectio et animorum consensus.

A nobis autem prætermitti non debet, quod ille de amicitia, φιλίᾳ, litteris mandavit [56]. Triplex enim dicit esse ipsius genus ; et primum quidem illudque optimum et præstantissimum, ex virtute proficisci. Etenim στερρὰ ἡ ἐκ λόγου ἀγάπη, « firma et stabilis est ex ratione dilectio. »

Secundum amicitiæ genus et medium est κατ' ἀμοιβήν, « ex retributione, » seu remuneratione. Illud vero amicitiæ genus, auctore Clemente nostro, « aptum est ad societatem, ac communicationem lubenter impertiens, et vitæ conducibile, κοινὴ γὰρ ἡ ἐκ χάριτος φιλία· communis est enim ex gratia amicitia. »

Tertium denique, « nos quidem, » inquit, hoc est Christiani, τὸ ἐκ συνηθείας φαμέν, « ex consuetudine, » seu familiaritate manare « dicimus ; » illi vero, id

[46] Strom. l. IV, p. 531. [47] l. IV, p. 495. [48] l. I, p. 379. [49] l. IV, p. 496 et 497. [50] l. V, p. 555. [51] l. II, p. 377. [52] p. 378. [53] l. II, p. 404, et l. IV, p. 511, etc. [54] l. De amicit. p. 429. [55] l. II, p. 404. [56] Ibid., p. 404.

Digitized by Google

est philosophi, τὸ κατὰ ἡδονὴν τρεπτὸν καὶ μεταβλητόν, « id quod ex voluptate verti aut mutari potest. »

Quid autem de triplici illa amicitia sentiendum, sic ille concludit : « Est ergo una quidem philosophi amicitia, altera vero hominis, tertia autem animalis. Revera enim Dei est imago homo benefaciens, qua in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul servat et servatur. » Quibus certe verbis ille significat tertium amicitiæ genus mere esse animale, ac proinde homine rationis compote haud prorsus dignum ; secundum vero esse bonum ; sed primum esse optimum. Secundo etenim amicitiæ genere homo in alios beneficus quidem est, sed tantum κατὰ ἀμοιβήν, « ex remuneratione, » qua quis collati beneficii vices sibi rependi exspectat. At primum amicitiæ genus ex virtute et ratione oritur, atque eo homo de quibuslibet aliis hominibus sine ulla vicissitudinis spe bene meretur, illosque beneficiis afficit. **209** Hunc autem Clemens dicit esse Dei imaginem, qui eo ipso quo alios beneficiis ornat, iisdem ipse suis beneficiis ornatur. Quid porro, quod alibi docet tam eos esse misericordes, qui quatenus possunt, aliorum miserentur opemque eis ferunt, quam illos qui, cum non valeant, id quantum in ipsis est et cupiunt, et sincero ad illud faciendum animo sunt parati? Utrosque autem pro voluntatis modo honorem mercedemque accepturos certo pollicetur.

ARTICULUS VII.

De quibusdam Christianorum moribus et institutis.

Huic de Christianorum virtutibus disputationi ea subnectamus, quæ de ipsorum moribus Clemens suis *Stromatum* libris identidem inseruit [57]. De « gnostico » autem ubi ille disserit, ibi scribit ab ipso intelligi quartæ et sextæ feriæ, sive dierum Mercurii et Veneris ænigmata; haud dubie quia Christiani omnes his diebus jejunabant. Et vero Epiphanius illud utriusque diei jejunium ab apostolica sanctione, ut saltem traditione sic repetivit [58] : « Quis est, uspiam terrarum, qui non in eo consentiat, quartam sextamve feriam solemni in Ecclesia jejunio consecratam? Quod si ex apostolorum constitutione repetenda nobis auctoritas est, cur illis quartæ sextæve feriæ jejunium perpetua lege sancitur, excepta Pentecoste..... Quod si de quarta sextave feria nullam omnino in constitutione sua mentionem apostoli fecissent, aliis tamen argumentis licebat uti. Quanquam ea de re est ab illis accuratissime scriptum, idque ipsum ab Ecclesia susceptum, communi est consensione firmatum, antequam Aerius ullus cum Aerianis exsisteret. »

Itaque hoc jejunium quadam lege ab apostolis, in eorum forsitan Constitutionibus lata [59], indictum fuisse Epiphanius perhibet. Verum quia non omnino certa erat harum apostolicarum Constitutionum auctoritas, ne quid contra Aeriani mussitarent, eam Epiphanius plus quam par erat urgendam esse procul dubio non censuit. Quamobrem Aerianorum de jejuniis errorem invicto refellit argumento, ex eorumdem apostolorum tam constanti traditione desumpto, ut nullus, ne quidem hæreticus homo, eam respuere merito unquam potuerit.

Tertullianus autem testatum quidem similiter facit [60] hoc idem jejunium ab apostolis profluxisse ; sed haud obscure insinuat catholicos homines existimasse se nulla « præcepti lege » ad illud servandum teneri : « Sic et apostolos, inquit, observasse, nullum aliud imponentes jugum certorum, et in commune omnibus obeundorum jejuniorum, proinde nec stationum, quæ et ipsæ quidem dies habent quartæ feriæ et sextæ, passive tamen currant, neque sub ulla lege præcepti, neque ultra supremam diei, quando et orationes fere hora nona concludat de Petri exemplo, quod Actis refertur. » Ita ille, post suam ad Montanistas defectionem, orthodoxos loquentes inducit. At eos ab hoc homine, hæreticorum partibus jam pertinacius addicto, male et perperam redargui testis sane locupletissimus citari potest Augustinus, qui ad Casulanum hæc in verba scripsit [61] : « Si autem quoniam huic quantum potui, sufficienter me respondisse puto, de hac re sententiam meam quæris ; ego in evangelicis et apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur Testamentum Novum, animo id revolvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat præcepto Domini vel apostolorum, non invenio definitum. » Sed responderi forte posset ibi Augustinum alicujus tantummodo decreti, in sacris Novi Testamenti Scripturis præscripti, fecisse mentionem, minime vero de alio quopiam ab apostolis post Christi in cœlos ascensionem deinceps stabilito. At urgeri quoque potest, si quoddam ab iis Augustinus verbo et sermone datum cognovisset, illud ab ipso debuisse, uti res postulabat, in medium proferri.

Utcunque porro rem se habuisse dixeris, nullus plane dubitandi locus est prædictos jejuniorum dies ab omnibus Christianis, si hæreticos quosdam excipias, fuisse religiosissime observatos. Nam præter laudatos a nobis auctores, id certe ab Origene luculentissime traditum legimus : « Habemus, inquiebat ille [62], quadragesimæ dies jejuniis consecratos. Habemus quartam et sextam hebdomadæ, quibus solemniter jejunamus. »

Cur autem duobus illis diebus Christiani jejunarent, hanc Epiphanius affert rationem [63] : « Quarta sextave feria jejunium ad horam usque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehensus est Dominus, et sexta in crucem sublatus. Ideo per illos dies jejunandum esse decreverunt apostoli, ut impleatur quod scriptum est : *Cum sublatus ab eis fuerit sponsus, tunc jejunabunt* [63*]. » Ad idipsum redit, quod paulo aliter enarrat Augustinus [64] : « Cur quarta et sexta maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermisso autem die..... deinde traditus est ea nocte, quæ jam ad sextam sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat..... Hoc ergo die intermisso, passus est Dominus, quod nullus ambigit sexta Sabbati : quapropter et ipsa sexta recte jejunio deputatur. »

Addit porro Augustinus Romanam et quasdam Occidentis, minime vero Orientis, Ecclesias idem sabbati servasse jejunium. At summus pontifex Innocentius primus [65], non secus ac Isidorus Hispalensis [66] jejunii feria sexta et sabbato observandi mentione facta, nullum quartæ feriæ, ne minimum quidem, verbum faciunt. Denique Nicolaus primus [67] ad consulta Bulgarorum respondet sexta qualibet per annum feria, exceptis tamen quibusdam festis, jejunandum ; quarta autem feria cujusque arbitrio id permittit. Ex quibus haud absurde colligi forsitan potest, nullam ab apostolis de his jejuniis, uti paulo ante dicebamus, scriptam fuisse legem. De iisdem porro jejuniorum diebus, si vacat et lubet, adisis Petavium in citatum a nobis ultimum Epiphanii locum, necnon et Cotelerium in *Constitutio-*

[57] Strom. l. vii, p. 744. [58] contr. Aerian., hæres. 75, § 6, p. 910. [59] lib. v Constit. apostol., c. 15 et 20, ac l. viii, c. 23. [60] lib. De jejunio, c. 2. [61] epist. 36 ad Casul., § 25, p. 78, et § 32, p. 81. [62] hom. 10 in Levit. [63] Expos. fid., § 22, p. 1104. [63*] Luc. v, 35. [64] epist. 36 ad Casulan., § 30, p. 80. [65] epist. 2 ad Dec. cent., c. 4. [66] lib. De divin. officiis, c. 42. [67] ad Consult. Bulgar., c. 4.

Digitized by Google

num apostolicarum librum quintum, capite quinto, Thomassinum, et alios.

Testatum præterea Clemens facit Christianos solitos fuisse statis quibusdam horis Deum precari et orare. Nam ubi de « gnostico » sermonem facit, de illis ita loquitur [68] : « Quod si nonnulli, εἰ δέ τινες, certas ac definitas horas constituunt precationi, sicut tertiam, sextam, nonam : at gnosticus per totam orat vitam..... Jam vero triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt qui norunt beatam sanctarum mansionum trinitatem. » **210** Definitas quidem Christianis precationis horas Clemens notat. Sed cum dicit eas « a nonnullis constitui, » hoc sane loquendi modo Christianos minus perfectos designat, qui minori studio inflammati, aut variis mundi negotiis occupati, has saltem horas tertiam, sextam et nonam precatione consecrabant. Nam perfecti Christiani, seu « gnostici, » per has non solum horas, sed per totam, ut ibi Clemens ait, vitam suas ad Deum et preces fundebant, et vota.

Easdem horas Cyprianus etiam antiquitus, hoc est ab antiqui fœderis hominibus, observatas fuisse testificatus, rationem ibidem reddit, cur dicantur in Trinitatis, uti etiam ait Clemens, honorem consecratæ : « In orationibus celebrandis, ait ille [69], invenimus observasse cum Daniele tres pueros, in fide fortes, et in captivitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam et prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando a septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur : quæ horarum spatia jampridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis et legitimis ad precem temporibus serviebant; et manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. » Nihil necesse est hunc testimonia congerere veterum scriptorum, Tertulliani libro *De jejunio*, cap. 10; Basilii, *Regul.* fusius disputat. hb. xvii, p. 479 et seq.; Hieronymi epist. 7 ad Lætam, et 8 ad Demetriad.; Cassiani lib. iii *De cœnobit. instit.*, cap. 4, et aliorum qui de his canonicis, ut vocant, Deum precandi horis aliquid litteris mandarunt. Nam id a viris eruditis anticipatum est, Cotelerio in lib. iii *Constit. apostol.*, cap. 4, et uberius ab eminentissimo cardinale Bona *De divina psalmod.*, capit. 1, § 4 et seq., Thomassino lib. i *Discipl. ecclesiast.*, cap. 36 et 37, et aliis.

Christianos porro ad orientem conversos precibus vacasse non tantum testis est Clemens, sed hujusce moris rationem nobis sic exponit [70] : « Quoniam diei natalis imago est oriens, atque illinc quoque lux augetur, quæ primum illuxit ex tenebris, iisque qui volutantur in ignoratione, exortus est dies cognitionis veritatis, quemadmodum solet oriri; ideo ad ortum matutinum habentur preces. Unde etiam templorum antiquissima respiciebant ad occidentem, ut qui vultu stant ad simulacra conversi, doceantur converti ad orientem. » In Origenis mentem hæc a Clemente de illo Christianorum ritu et more allata ratio procul dubio non venerat. Ex ecclesiasticis enim observationibus hanc esse putat, cujus ratio nulli facile comperta est : « Quod genua, inquit [71], flectimus orantes, et quod ex omnibus cœli plagis ad solam orientis partem conversi, orationem fundimus, non facile cuiquam ratione compertum. » Cardinalis tamen Bona, præter Clementis nostri de hoc ritu argumentum, quatuor alia ex antiquorum Ecclesiæ Patrum scriptis petita retulit [72]. Tertulliani porro tempore is mos adeo publicus et vulgatus erat, ut pagani ideirco solem a Christianis tanquam Deum adorari crediderint : « Quod innotuerit, aiebat ille [73], nos ad orientem precari. » Qua quidem de consuetudine auctor *Constitut. apostol.* [74], Basilius [75], et alii propemodum infiniti scriptores. De pluribus aliis Christianorum ritibus seu moribus a Clemente nostro memoratis, jam supra disseruimus. Nonnihil tamen de quibusdam aliis tunc infra breviter aliquid perstringemus, ubi de iis dicendi sese nobis occasio obtulerit.

—

CAPUT XII.

De gnostico seu perfecto Christiano, et martyribus.

—

ARTICULUS I.

Quid apud Clementem γνωστικὸς *et* γνῶσις *nomina significent.*

Perfectum Christianum a Clemente γνωστικὸν appellari [76] jam animadvertimus. At eo etiam nomine nonnunquam philosophus ab illo nuncupatur.

Quid autem hoc Græco nomine γνωστικὸς significare voluerit, pluribus ipse in locis perspicue explicat. In primo siquidem *Stromatum* libro gnosticus sic ab illo describitur [77] : Ὁ δὲ τῆς παντοδαπῆς σοφίας ἔμπειρος, οὗτος κυρίως ἂν εἴη γνωστικός. « Qui omnigena multitudine sapientiæ præditus est, is proprie fuerit gnosticus. » Imo vero ipsos martyres, qui variis suppliciis propter Christi confessionem interfecti sunt, eos esse affirmat [78], « qui sunt voluptate superiores, qui vincunt animi perturbationes, qui sciunt unumquodque eorum quæ faciunt; qui sunt gnostici, τοὺς γνωστικούς, qui sunt mundo majores, τοὺς τοῦ κόσμου μείζονας. » Hic autem in libro γνωστικὸν idem plane ac τέλειον sonare haud obscure declaravit. Quamobrem septimi libri initio respondet [79] fore ut in illo aperte demonstret solum γνωστικὸν esse pium et religiosum hominem. Quod quidem postquam variis argumentis asseruit, probavitque, hanc elicit conclusionem [80], Μόνος ἂν εἴη τῷ ὄντι εὐσεβής τε, καὶ δίκαιος, καὶ θεοσεβὴς ὁ γνωστικός· « Solus revera fuerit pius, justus, religiosusque, ac verus Dei cultor gnosticus. » Denique alia bene multa ut prætereamus, auctor noster in eodem libro scribit eos, qui divinis Scripturis, quavis alia demonstratione certioribus credunt, esse revera fideles; tum vero continenter hæc subnectit [81] : Οἱ δὲ καὶ προσεπέρχωρήσαντες, ἀκριβεῖς γνώμονες τῆς ἀληθείας ὑπάρχουσιν οἱ γνωστικοί. « Qui autem ulterius processerunt, sunt perfecti cognitores veritatis, gnostici. » Superius vero quantum inter se fidelis et « gnosticus » differant, ille his verbis explanaverat [82] : « Sciendum est quod si unum aut alterum ex his πιστός, fidelis, recte gesserit, non tamen gerit omnia, neque cum summa illa scientia, καθάπερ ὁ γνωστικός, sicut gnosticus, καὶ δὴ τῆς κατὰ τὸν γνωστικὸν ἡμῖν, ὡς εἰπεῖν, ἀπαθείας, neque ea, ut ita

[68] Strom. l. vii, p. 722. [69] De orat. Domin., circa finem. [70] Strom. l. vii, p. 724. [71] Hom. 5 in Num., p. 18. [72] De divin. psalmod., c. 8, § 2, p. 177 et seq. [73] Apol., c. 16. [74] Const. apost. l. ii, c. 57. [75] l. iii De Spir. sancto, c. 27. [76] l. ii, p. 380. [77] Strom. l. i, p. 298. [78] lib. vii, p. 414. [79] l. vii, p. 699 et 700. [80] ibid., p. 731. [81] ibid., p. 737. [82] ibid., p. 749.

Digitized by Google

nobis dicere liceat, perturbationum vacuitate, quæ est in gnostico, per quam ejus, qui fidelis est, perfectio per charitatem in virum procedens perfectum, ad mensuram pervenit ætatis. Deo assimilata; ut quæ vere facta sit æqualis angeli-. » Quæ quidem pluribus aliis, si opus esset, Clementis testimoniis confirmari possent. Sed hæc debent, uti putamus, sufficere, atque ex mox dicendis fient adhuc clariora.

Gnostici, γνωστικοῦ, igitur nomine Clemens eum appellat, qui pietate, virtutibus et vitæ sanctimonia non solum catechumenis, sed aliis etiam Christianis antecellit, et Christianus omnino perfectus est.

Cæterum Hervetus in sua omnium Clementis nostri operum versione hoc Græcum nomen γνωστικός, fere semper Latine, « ille qui cognitione præditus est, » interpretatur. Aliquando vero, sed rarissime, aliam **211** paraphrasim, huic plane non absimilem, adhibet. Cur autem Latine « gnosticum » simpliciter non dixerit, quandoquidem hæc vox jam longo usu recepta est, non alia forsitan ratio fuit, quam quia in suum induxerat animum hoc nomine quamdam hæreticorum, de quibus jam alibi et adhuc postea agendum, sectam magis significari. Verum quid vetat, quominus bono sensu usurpetur hæc ipsa vox, qua Clementis sensus melius clariusque quam ulla periphrasi exprimitur?

Quemadmodum vocem γνωστικός, ita et γνῶσις nomen haud infrequenter Clemens usurpat. Quid autem eo nomine intelligat, a nullo certius quam ab ipso discere est. Primum autem duplex ab illo γνῶσις, « cognitio, » distinguitur [83]. Una quidem barbarorum, aut Græcorum philosophorum, de qua Apostolus pronuntiavit, γνῶσις φυσιοῖ, « scientia inflat. » Altera vero est πιστὴ ἡ γνῶσις, « fidelis cognitio, ἥτις ἂν εἴη ἐπιστημονικὴ ἀπόδειξις τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν παραδιδομένων, quæ fuerit ex scientia demonstratio eorum, quæ traduntur in vera philosophia, » hoc est, Christiana religione. Priorem autem cognitionem ille incertam, dubiam, imperfectam, falsam et fallacem, quemadmodum posteriorem veram, et omni humana demonstratione certiorem, utpote solo Dei verbo fultam atque innixam esse docet et ostendit.

Hæc autem cognitio sic ab ipso alibi describitur [84]: « Non exiguum verbum dicimus esse cognitionem, γνῶσιν, sed aliquam divinam scientiam, et lucem illam, quæ innata fuerit in anima ex præceptorum obedientia, καὶ φῶς ἐκεῖνο, τὸ ἐν τῇ ψυχῇ ἐγγενόμενον ἐκ τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς ὑπακοῆς, quæ facit omnia manifesta, quæ sunt in generatione; et hominem instruit, ut seipsum cognoscat; et docet ut ad Deum suas cognitiones dirigat, vel potius docet eum se Dei compotem efficere, καὶ τοῦ θεοῦ ἐπίβολον καθίστασθαι διδάσκον. Quod enim oculus est in corpore, hoc est in mente cognitio, τοῦτο ἐν τῷ νῷ ἡ γνῶσις. »

Rursus autem γνῶσις ab eo accuratius definitur [85]: Ἡ γνῶσις ἴδίωμα ψυχῆς τυγχάνει λογικῆς, εἰς τοῦτο ἀσκουμένης, ἵνα διὰ τῆς γνώσεως εἰς ἀθανασίαν ἐπιγραφῇ· « Cognitio est proprietas animæ rationæ præditæ, quæ ad hoc exercetur, ut per cognitionem inscribatur ad immortalitatem. » Aliam denique alio in libro definitionem illius ita exhibet [86]: « Cognitio est firma et stabilis demonstratio eorum, quæ assumpta sunt ad finem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad id quod non potest excidere et mutari, et potest comprehendi scientia. »

Qualis autem quantæque perfectionis sit illa γνῶσις, cognitio, hunc ille in modum declarat [87]: Ἔστιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἡ γνῶσις τελείωσίς τις ἀνθρώπου ὡς ἀνθρώπου, διὰ τῆς τῶν θείων ἐπιστήμης συμπληρουμένη, κατά τε τὸν τρόπον, καὶ τὸν βίον, καὶ τὸν λόγον σύμφωνος, καὶ ὁμόλογος ἑαυτῇ τε καὶ τῷ θείῳ Λόγῳ· « Est, ut semel dicam, cognitio quædam hominis, tanquam hominis perfectio, quæ completur per rerum divinarum scientiam, et modo (seu potius moribus), et vita, et sermone congruens, et consentiens sibi et Verbo divino. » Cujus hanc ibi reddit rationem, quia fides per eam perficitur, quandoquidem per eam fidelis fit perfectus.

Duplicem porro in Christianis ille discernit [88] cognitionem, quarum una, omnibus utique communi, unus, verbi gratia, Deus cognoscitur. Altera vero cum paucis communicata, quam Apostoli auctoritate ostendit esse fidei perfectionem, catechesi præstantiorem, principatumque obtinere; atque illa hominem exerceri oportere « ad contemplationis habitum æternum, in quem non cadit alteratio [89]. »

Qui ad perfectionem igitur tendunt, his, uti auctor noster ait, proponitur cognitio rationalis, cujus tres theologicæ virtutes, fides, spes et charitas sunt fundamentum [90]. At gnostici perfecta cognitione informati, quales erant apostoli, omnia aliis dubia et incomprehensibilia norunt, « et firma comprehensione comprehendunt [91]. » Quid plura? Hi gnostici certissime percipiunt et intelligunt non solum primam omnium causam, sed ea etiam omnia, quæ de bonis et malis, aliisque quibuslibet rebus a Domino tradita fuere. Secundariæ autem ipsis sunt virtutes [92]: « Præcipua enim est ei (gnostico) cognitio: » προηγουμένη γὰρ αὐτῷ ἡ γνῶσις. Quapropter ex aliis scientiis et disciplinis ea tantum ille sibi sumit, quæ ex unaquaque disciplina ad veritatem possunt conferre.

Nihil itaque mirum, si de hac cognitione hanc Clemens conclusionem eliciat [93]: Τελειώτατον ἄρα ἀγαθὸν ἡ γνῶσις, δι' αὐτὴν οὖσα αἱρετὴ· κατ' ἐπακολούθημα δὲ, καὶ τὰ διὰ ταύτης ἀκολουθοῦντα καλά· « Perfectissimum ergo bonum est cognitio, quæ est per se expetenda; per consequentiam autem bona quoque, quæ per eam consequimur. »

Eam procul dubio ob causam hæc cognitio ab ipso adhuc dicitur mors rationalis, seu spiritualis, quæ animam a motibus et perturbationibus segregat, atque ad beneficentiam bonaque opera sic deducit, ut quam Deus vult, vitam vivat: « Jam vero, inquit [94], ut mors est animæ separatio a corpore, οὕτως ἡ γνῶσις οἷον ὁ λογικὸς θάνατος, ita cognitio est veluti mors rationalis, abducens et separans animam ἀπὸ τῶν παθῶν, a perturbationibus, et deducens ad vitam beneficentiæ, et bonarum operationum, εἰς τὴν τῆς εὐποιΐας ζωήν· ut tunc Deo dicat: Vivo sicut vis. » Animum, quæso, adverte quam longe Clemens a recentiorum quorumdam, qui « mystici » audire volunt, ibi discedat opinione, qua illi ab animarum, ut aiunt, « transformatarum » statu exercitationes virtutum excludunt. Quis enim, amabo te, perfecti or animarum illarum status esse potest, quam ea quædam spiritualis mors, qua a perturbationibus, sive ut scholastici loqui amant, passionibus semoventur. Atqui Clemens diserte affirmat animas hoc ipso in statu perduci εἰς τὴν τῆς εὐποιΐας ζωήν. Quid autem ea vox εὐποιΐα ibi significat, nisi beneficentiam, seu bonas actiones, et bona opera, quibus anima perturbationibus mortua vitam vivit spiritualem, prout Deus vult, hoc est, quæ prout ab ipsomet Deo præceptum fuit, in bonis actionibus suam semper operam consumit? Tantum igitur abest, ut Clemens noster animam, in eo statu positam, omni virtutum actu spoliatam esse velit? quin potius existimet illam ad omnia virtutum munia et officia rite exsequenda eo ipso deduci. Eam certe propter

[83] Strom. l. II, p. 381. [84] l. IV, p. 444. [85] l. VI, p. 648. [86] l. VII, p. 732. [87] ibid., p. 731. [88] l. IV, p. 512 et seq.; l. VI, p. 696. [89] ibid., p. 645. [90] l. III, p. 495; l. VI, p. 648. [91] ibid., p. 653 et seq. [92] ibid., p. 654. [93] ibid., p. 661. [94] l. VII, p. 741.

Digitized by Google

rationem ipse asserit γνῶσιν illam omnibus disciplinis præstare, sed acquisitu esse difficillimam, nec sine labore multo comparari posse. Sed hæc a nobis uberius et enucleatius discutienda sunt, postquam obiter animadverterimus vocem γνῶσις aliquando a Clemente etiam pro Dei intuitiva, ut aiunt, visione et felicitate æterna accipi [95].

212 ARTICULUS II.

Quæ sit gnostici ad supremum virtutis apicem progressio.

Quamvis Clemens gnostici et gnosis nomine perfectum Christianum ac vitæ Christianæ perfectionem significari sæpius, uti vidimus, docuerit, varios nihilominus ostendit esse gnostici in virtute progressus variaque perfectionis genera. Sed quia, ut ipse loquitur [96], « nobis quidem, quam fieri potest maxime, prius varie exercenda est anima, ut ad suscipiendam cognitionem sit expedita et facilis ; » idcirco monet quædam esse exercitationis gnosticæ προγυμνάσματα[97], præexercitamenta, qualia sunt ea quæ, teste Apostolo, in homine pœnitentiam peccatorum, studium, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem et vindictam procreant et efficiunt.

Quam varii autem sint gnostici progressus, ita ipse Clemens noster nobis explicat. Basis eorum, sicuti ille ait [98], est a malis abstinentia. Deinde gnosticus nihil boni facit, neque propter metum, neque propter honoris spem ; sola autem, quæ ob charitatem fit beneficentia, propter ipsum honestum ab illo expetenda est.

Cave autem ne putes ista Clementis verba, « spe promissi honoris, » de æterni honoris, seu æternæ felicitatis spe esse intelligenda. Nam ibidem addidit gnosticum, postquam ad charitatem, qua ipsius propter se boni desiderio tenetur, pervenerit, æternam hæreditatem postulare : « Jam vero ex persona Dei, » Clementis verba sunt [99], « Domino dictum est: *Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* [1]. Petitio maxime regia, quæ docet hominem salutem peti sine mercede, ut nos simus hæredes et possideamus Dominum. »

Eosdem gnostici seu perfecti Christiani progressus paulo post ipse rursus enarrat [2]. Primo enim vult quidem beneficentiam præmitti, sed « non propter aliquem usum eorum, quæ ad se pertinent. » Tum vero gnosticus, ait Clemens, quid pulchrum honestumque sit judicat, idque semper agit, neque διὰ δόξαν, ἡ, ὡς φασὶν οἱ φιλόσοφοι, τὴν εὔκλειαν, « propter gloriam, aut, ut philosophi dicunt, famæ aut nominis celebritatem [3], » neque propter mercedem, aut ab hominibus, aut a Deo, εἴτε παρὰ ἀνθρώπων, εἴτε ἐκ θεοῦ, accipiendam, puta in hoc mundo ; æternam siquidem, uti diximus, a Deo semper flagitat. Denique si injuria afficiatur, non par pari refert, sed citra ullam acceptæ injuriæ recordationem, erga justos et injustos justus et bonus semper est.

Alio adhuc in libro auctor noster singillatim recenset [4] quomodo gnosticus pedetentim et gradatim proficiat, et ad summum ascendat usque perfectionis apicem. Ab rerum creatarum agnitione, inquit Clemens, gnosticus ille incipit. Ubi vero de Deo ejusque providentia aliquid audire cœpit, tunc ea vera esse credit, quæ prius admiratus est. Debinc totis viribus enititur, ut quorum desiderio flagrat, eorum possit percipere cognitionem, atque ita fit contemplatione dignus. Tum deinde cognita Dei voluntate, omnes contendit ingenii sui nervos, ut ea quæ Scripturæ sacræ verbis significantur intelligat. Subinde vero scientifica cognitione se exercet, qua ea perspecta et explorata habere possit, A quæ magis universe et magnifice a Domino, quem carnem induisse novit, dicta sunt.

Tunc autem ubi hæc assecutus est, nunquam jucundum præfert utili : sed si morbus, aut casus, aut ipsa etiam mors immineat, manet impavidus et immotus. Rebus porro creatis, prout recta ratio dictaverit, utendo, de iis Creatori gratias agit, atque illis utendi plane dominus est. Ab aliquo etiamsi immerito læsus, illatæ tamen injuriæ nunquam memor, colit Creatorem, proximum diligit, ac pro illo Deum precatur. In afflictionibus vero aliisque adversis casibus, atque animi sive voluntariis, sive involuntariis et necessariis perturbationibus, ita semper se gerit, ut animam penitus illæsam conservet. In his itaque firmus et stabilis perseverans, bona et honesta non solum laudat, sed ipse etiam bonus et honestus ex servo fit per charitatem Dei amicus. Sic ille ad summum perfectionis apicem evehitur, ac sibi positis ante oculos B patriarcharum, prophetarum, angelorum et ipsiusmet Domini exemplis, omnia mundi bona, tametsi ipsi sint ad manum, non diligit, sed ea quæ futura esse cognovit, æterna sperat. Denique hanc ob spem labores, ærumnas, supplicia constanter sustinet, et ea quantumvis gravia et molesta, sicut et alia, quæ grata et jucunda sunt, omnino contemnit et aspernatur.

Cæterum, etiamsi Clemens gnosticum ad illud summæ perfectionis fastigium ascendere diserit, ipse nihilominus diserte pronuntiat illius animam per totum mortalis hujus vitæ curriculum quosdam semper progressus facere virtutibusque augeri, donec æternam in altera vita felicitatem consequatur : « Anima, inquit [5], quæ assidue fit melior, ad acquirendam virtutem, et parandam augendamque justitiam, meliorem locum accipiet in universo : ut quæ per unumquemque profectum extendatur ad habitum impatibilitatis, donec profecerit C ad virum perfectum, nempe ad cognitionis simul et hæreditatis excellentiam. Salutares hæ conversiones pro ordine mutationis dividuntur et temporibus, et locis, et honoribus, et cognitionibus, et hæreditatibus, et ministeriis usque ad transcendentem continuamque in æternitate contemplationem Domini. » Neque id illi semel dixisse satis fuit, sed postea in eumdem scribit sensum [6] : « Est ergo cognitio, γνῶσις, velox ad purgationem, κάθαρσιν, et apta ad mutationem facile suscipiendam in melius. Unde etiam facile traducit ad id, quod est animæ cognatum, et divinum, et sanctum, et per cujusdam proprii luminis mysticos profectus transmittit hominem, donec in supremum quietis locum restituerit eum, qui est mundo corde, docens Deum scienter et per comprehensionem contemplari facie ad faciem. » Judicent æqui rerum æstimatores quantum hæc sana et orthodoxa Clementis doctrina ab eorum discrepet opinione et D errore, qui supremam Christiani viri perfectionem in fictitia quadam ac plane otiosa quiete, ac bonarum actionum et virtutum omnium cessatione constitutam esse perperam garriunt et prædicant. Sed ad alia quamplura, quæ auctor noster de gnostico scriptis passim tradidit, et quibus hæc falsa opinio funditus evertitur, gradum faciamus.

213 ARTICULUS III.

Quæ Clemens in gnostico bona opera desideret.

Quæ Clemens in gnostico bona opera, quasque in eo virtutes desideret, ut palam fiat, id a nobis nihil necesse est memorari, quod ipse tradidit [7] gnosticum non solum ab omni prorsus sive sermonis et cogitationis, sive sensus et operis graviori abstinere peccato ; sed ab ipso cognosci « pecca-

[95] Strom. l. vi, p. 663 ; l. iv, p. 529 ; l. vii, p. 705. [96] lib. vii, p. 740. [97] lib. iv, p. 527. [98] ibid., p. 528 [99] ibid. [1] Psal. ii, 8. [2] lib. iv, p. 529. [3] ibid. [4] lib. vii, p. 734 et seq. [5] lib. vii, p. 704 et seq. [6] ibid., p. 752. [7] l. ii, p. 382.

Digitized by Google

tum. » Non id quidem, inquit ille [8], « quod est adductum ad pœnitentiam, est enim hoc commune aliorum quoque fidelium, sed quod est peccatum, » seu peccati naturam; ita ut ille in grave non incidat peccatum, atque alios a peccato deterreat [9].

His itaque prætermissis, observandum est tria a Clemente assignari, quibus aliquis gnosticus efficitur, nimirum θεωρίαν, « contemplationem, » secundo τὴν τῶν ἐντολῶν ἐπιτελείωσιν, « præceptorum exsecutionem, » tertio ἀνδρῶν ἀγαθῶν κατασκευήν, « bonorum virorum constitutionem, » eos videlicet docendo ac vera doctrina et pietate informando [10]. Quapropter ipse alibi asseverat perfectum gnosticum ad omnem bonam actionem semper esse paratum; quippe qui « bonorum operum effectione, » ἀγαθοεργίᾳ, ad æternam felicitatem pervenire contendit.

Ad hæc vero, Clemens gnostici voluntatem, judicium, exercitationem et dogmata ita eadem esse debere profitetur, ut ejus verba, vita, mores sibi invicem omnino respondeant [11]: « Gnostici et voluntas, ait ille, et judicium, et exercitatio est eadem. Si sunt enim eædem propositiones, eadem sunt et dogmata et judicia; ut ei sint et verba, et vita, et mores instituto ob equentes. »

Quæ autem esse debeant gnostici actiones, si quæras, ipsimet Clementi nostro eas enarranti ausculta: « Hæc autem, ait [12], bona conscientia et sanctitatem erga Deum, et justitiam erga homines conservat, mundam custodiens animam honestis cogitationibus, et verbis castis, et justis operibus.... Semper autem propter omnia Deo agens gratias per justam auditionem, et divinam lectionem, per veram inquisitionem, per sanctam oblationem, per beatam orationem laudans, canens, benedicens, psallens; a Deo nullo unquam tempore talis dividitur anima. » Audisne Clementem de perfecto utique gnostico disserentem, de eo scilicet, cujus anima nunquam a Deo sejungitur et separatur? Atqui eximius ille vir non inanem et fictitiam, atque omni bono opere solutam quietem, sed quodcunque bonæ actionis genus erga Deum et proximum, atque etiam erga seipsum ab illo exigit.

Neque minus perspicue illud alio in libro hunc prosequitur in modum [13]: « Gnosticus, ut semel dicam, apostolicam adimplet absentiam, recte vivens, accurate cognoscens, suos juvans necessarios, montes propinquorum transmovens, et inæqualitates ipsorum animæ abjiciens. Quanquam unusquisque nostrum sua vitis est, et operarius. Idem etiam quæ sunt optima agens, vult latere homines, Domino simul et sibi ipsi persuadens se vivere ex præceptis, ea præferens ex eo, quod esse credidit..... Ipse seipsum diminuit. Ad hoc nunquam contemnit fratrem, qui fuerit in afflictione, propter eam quæ est in charitate perfectionem, si se sciverit facilius laturum egestatem quam frater. Existimat certe illius dolorem esse dolorem proprium; et si ex sua præbens inopia propter beneficentiam, aliquo afficiatur incommodo, id non ægre fert, sed adhuc magis auget beneficentiam. Habet enim puram et sinceram fidem, eam quæ est de rebus, per opera et contemplationem laudans Evangelium. Et sane non laudem ab hominibus accipit, sed a Deo, peragens ea quæ docuit Dominus. » Quamobrem postea Clemens expresse declarat [14] gnosticum pro gratiæ meritis suas patefacere operationes; πρὸς ἀξίαν τῆς χάριτος ἐνδεικνύμενος τὰ ἐνεργήματα. Cujus ille hanc continuo reddit rationem: Ἕπεται γὰρ τὰ ἔργα τῇ γνώσει, ὡς τῷ σώματι A ἡ σκιά. « Opera enim sequuntur cognitionem non secus ac umbra corpus. » Hinc etiam alibi: « Si revera, inquit [15], verum consideremus, cognitio est principalis animæ partis purgatio, et bona operatio, καὶ ἐνέργειά ἐστιν ἀγαθή. »

Finem certe dicendi non faceremus, si omnia a nobis describerentur, quæ de bonis gnostici actionibus, ac de divinis præceptis ab illo semper non tantum diu, sed etiam noctu implendis et observandis passim ac in hoc præsertim et sexto septimoque libro Clemens litteris mandavit [16,17]. Monitum tamen te adhuc esse volumus ex ipso, quod ab eodem Clemente nostro ex Clementis Romani ad Corinthios, et prima Pauli ad eosdem Epistola exhibetur, gnostici exemplo et specimine ea omnia, quæ hactenus dicta sunt, mirum in modum stabiliri, confirmari et corroborari.

ARTICULUS IV.

Quas virtutes a gnostico Clemens exigat, ubi et de ejusdem gnostici continentia, ciborum abstinentia et corporeis castigationibus.

Non minori studio omnibus cum cardinalibus, ut aiunt, tum theologicis virtutibus, quam bonis actionibus vult Clemens assiduam a gnostico operam dari. Atque ut a primis exordiamur, docet ille Dei, quoad fieri potest, imitatorem esse gnosticum [18]: « Nihil eorum prætermittens, quæ faciunt ad eam, quæ contingere potest similitudinem, continens, sustinens, juste vivens, imperans animi perturbationibus, ea quæ habet, impertiens, pro viribus benefacit verbo et opere. »

De singulis autem quatuor illis virtutibus, ut aliquid particulatim dicamus, testatum Clemens facit eumdem gnosticum conservare prudentiam, atque illa, sicut et justitia, ad parandam sapientiam uti. Illius porro justitiam, cujus primum munus esse asserit proximos amore complecti, quadripartitam esse dicit [19], eamque versari in verbis et factis, in ipsa ab omnibus malis abstinentia, et beneficentia, ac demum in cognitionis perfectione. Quid vero, quod ille postea scriptis prodidit unam justitiam esse propter charitatem, et propter metum alteram? Denique gnostici justitiæ sanctitatem et sapientiam comites sociasque esse perhibet, tresque illas virtutes ibidem perspicue definit [20]. Juvat autem eum loquentem audire: « Quinetiam, inquit [21], mutua trium virtutum consequentia invenitur in gnostico, qui moraliter, physice, et λογικῶς, logice (vel potius ratione) circa Deum versatur. Sapientia enim est scientia rerum divinarum et humanarum. Justitia autem est concentus partium animæ. Sanctitas autem est Dei cultus. »

Fortitudine vero gnosticus id assequitur [22], ut neque **214** accusatione, neque mala fama, neque gloria, aut assentatione victus, labores, casusque, et omnia sibi adversa æquo ferat animo; voluptati, cupiditati, dolori, iræ, et omnibus quæ illum vel vi, vel fraude ad malum illiciunt, omnino resistat: martyrii non antevertat occasionem, sed illud lubenti constantique animo tum subeat, cum a Deo vocatur [23]. Præterea insurgit adversus animam corpoream, et spiritui imperium detrectanti frenum injicit: atque ex vitæ exercitatione, quæ motus animi semper vincere parata est, cum cognitione, γνώσει, in illo augetur fortitudinis perfectio [24]. Nec mirum sane. Omnia enimvero quæ sunt in mundo, utpote in illo peregrinus et hospes, magno animo despicit, et ad mortem semper est paratus [25]. Aliorum quoque est in fide confirmator et magister [26]. Quapropter Clemens noster constanter

[8] Strom. l. VI, p. 663. [9] l. II, p. 380. [10] l. VI, p. 654. [11] l. II, p. 393. [12] l. VI, p. 670. [13] l. VII, p. 745. [14] ibid., 749. [15] l. IV, p. 489. [16,17] l. VI, p. 653 et 674; l. VII, p. 747, 748, 749, et alibi; l. IV, p. 518 et seq.; l. VII, p. 750 et seq. [18] l. II, p. 402. [19] l. VII, p. 708, 709; l. VI, p. 668. [20] ibid., p. 746. [21] l. IV, p. 550. [22] l. VII, p. 709. [23] l. VII, p. 747, 758. [24] ibid., 745 et seq. [25] l. VII, p. 617 et 650. [26] ibid., p. 667 et 701.

Digitized by Google

asseverat gnosticum esse quidem, sed metaphorice diaconum et presbyterum, imo vero angelum, utpote qui ea, quæ Domini sunt, faciat et doceat, Deoque serviat, atque alios erudiendo efficiat meliores [37]. Quinetiam eos, qui ipsum audiunt, Deo, quoad ejus fieri potest, assimilat. Eorum insuper, qui pereunt, miseretur, afflictos consolatur, ac pro iis etiam, qui eum odio habent, ut pœnitentiam agant, Dei implorat clementiam. Omnibus vero pro virili parte benefacit, et in magistratu si fuerit constitutus, iis tanquam Moyses ad salutem antecedit, in quos habet imperium. Quid plura? « Hic cum ad benefaciendi, inquit Clemens [38], habitum pervenerit, dicto citius, beneficio afficit, orans ut fratrum quidem peccatorum sit particeps ad confessionem, et cognatorum ad conversionem, ad propria bona amicissimis communicanda semper paratissimus. » Denique postquam auctor noster manifestum omnibus fecit gnosticum nec periculo, nec ignominia, nec paupertate et morbo, ac nullo adverso casu, nulla voluptatis illecebra, nulloque supplicio, imo nec ipsa morte vinci aut expugnari, ex iis eum solum esse virum fortem concludit [39].

Maximam quoque gnostici temperantiam et moderationem, non minus quam superiores ejus virtutes, splendide et luculenter Clemens exponit prædicatque. Nam ut ejus verbis utamur [40], gnosticus « moderatus ac temperans in quiete animæ, ἐν ἡσυχιότητι τῆς ψυχῆς, ea quæ percipiuntur, excipit, tanquam quæ sibi conveniant : ea vero quæ sunt turpia, ut aliena aversatur, γενόμενος κόσμιος καὶ ὑπερκόσμιος ἐν κόσμῳ, factus in mundo honestus et supermundanus (sive cœlestis), ornateque et decore se gerens, nullo modo delinquit. Quam maxime quidem dives, quod nihil concupiscat ; ut qui paucis egeat, et cujusvis boni magis abundet copiis propter boni cognitionem. » Attende, obsecro, et obiter observa quam Clemens dicat esse gnostici quietem, in mali scilicet declinatione, in observatione mandatorum, in voluntaria paupertate atque cujuslibet spiritualis boni abundantia.

Sed institutum de ejusdem gnostici temperantia sermonem prosequamur : « Dicitur, inquit Clemens [41], alia significatione continens, non solum is qui comprimit animi perturbationes, sed etiam is qui bona continuit, et firmiter acquisivit scientiæ magnitudinem, ex qua producit eas, quæ ex virtute fiunt operationes..... Quocirca et comedit, et bibit, et uxorem ducit non principaliter, sed necessario : Τὸ γαμεῖν δὲ, ἐὰν ὁ λόγος ἔρῃ, λέγω, καὶ ὡς καθήκει. Uxorem autem ducere dico, si verbum (vel potius ratio) dixerit, et ut convenit. » Atque adhuc postea simili plane modo scribit [42] : « Quocirca et comedens, et bibens, et uxorem ducens, ἐὰν ὁ λόγος ἔρῃ, si dicat verbum (vel melius ratio), quinetiam somnia sancta aspiciens, sancta facit et cogitat, ea ratione semper mundus ad orationem. » Prius autem alio in libro dixerat a gnostico cupiditates ita circumscribi, ut necessariis rebus sit contentus, et uxor post liberorum susceptionem sit ipsi in sororis locum ; quandoquidem non vivere, sed bene vivere plurimi faciat. At Clementi, si lubet, hæc suis verbis præscribenti auscultemus [43] : « Gnosticus circumscribit cupiditates et in possessione et in usu, non transiliens terminum eorum, quæ sunt necessaria. Hic ergo vivere necessarium existimans ad augendam scientiam et parandam cognitionem, non vivere, sed bene vivere faciet plurimi. Neque filios, neque rursus matrimonium aut parentes præferens charitati in Deum, et ei quæ est in vita justitiæ. Uxor autem ei soror post liberorum susceptionem judicatur, tanquam quæ sit eodem patre nata, tunc solum viri recordans quando filios aspexerit. »

Cibi etiam, inquit Clemens [44], potus et unctionis nullum gnosticus nisi honestum habet usum, quem ad Deum refert ; eorum quibus utitur, ipsi offert primitias, ac de illis gratias agit. Tum deinde auctor noster sic pergit : « Ad convivales epulas raro veniens, nisi si quod amicitiam, concordiamque et consensionem profitetur convivium, ut veniat, ei persuaserit. » Tantum vero abest, ut gnosticus ex cibo, potu et Venere aliquid percipiat oblectamenti, quin ipsummet sermonem, qui aliquam affert voluptatem, suspectum habeat [45].

Neque porro solum cibi et potus, aliarumque rerum necessariarum plane moderatum usum Clemens gnostico præcipit ; verum etiam testatur quosdam a carnibus omnino abstinuisse [46] : « Fortasse ex gnosticis aliquis, exercitationis causa, abstinuerit a carnibus ; et ne caro nimis luxuriet et nimio impetu feratur in rem Veneream. » De industria Clemens dixit, « fortasse, » quia plures ob valetudinis et languentis stomachi infirmitates a carnibus penitus abstinere non poterant.

De quolibet autem gnostico ille sic pronuntiat [47] : « Novit ipse jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, et sexti. » At quid aliud his verbis sibi vult Clemens, quam gnosticum non modo hos cujusque hebdomadis dies, quemadmodum alii Christiani, jejunos transegisse ; sed novisse etiam his jejuniis significari sibi ab avaritia, libidine, et quibuslibet malis actionibus ac cogitationibus jejunandum ?

Quid præterea ? « Jam vero, » uti ipse alibi loquitur [48], « sapientis et gnostici anima, ut quæ in corpore peregrinetur, eo severe et honeste utitur, σεμνῶς αὐτῷ καὶ τιμητικῶς προσφέρεται, non in ipsum nimiam affectionem ostendens aut indulgentiam, οὐ προσπαθῶς (hoc est, sine affectione), ut quæ sit e vestigio relictura tabernaculum, si excedendi tempus eam vocaverit. »

Quapropter alio adhuc in libro dixit [49], si ille sibi « videatur ea videre, quæ non vult, castigat videndi facultatem, cum senserit se voluptate affici ex applicatione visus, » κολάζων τὸ ὁρατικὸν, ὅτ' ἂν ἡδομένου ἑαυτοῦ κατὰ τὴν προβολὴν τῆς ὄψεως συναίσθηται. Sed hæc ex iis quæ de eodem gnostico, in animam corpoream insurgente, illamque atque ejus cupiditates refrenante, ac voluptatis reprimente illecebras, a nobis **215** jam paulo supra explanata sunt, clariora omnibus esse debent, quam ut iis fusius probandis operam rursus impendamus.

Silentio tamen præterire non possumus, quod Clemens de Apostolo, gnostico utique perfectissimo, memorat [50] : « Paulus quoque, *Corpus meum*, inquit, *castigo, et in servitutem redigo*. Quoniam, *qui certat, in omnibus abstinet*, hoc est, omnia continens, non ab omnibus abstinens, sed continenter utens iis, quæ utenda judicavit : *illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem* si *incorruptibilem* [51], in lucta viventes, non autem sine pulvere coronam accipientes. » Existimabat ergo Clemens Paulum abstinentia et continentia corpus suum castigavisse, et sicut athletam in lucta quidem vicisse, sed non sine pulvere, hoc est, non sine corporeis castigationibus, vel, ut aiunt, mortificationibus accepisse coronam. Cæterum de Pauli verbo ὑποπιάζω plurima in Clementinis scholiis notatu haud indigna reperies.

Quomodo autem voluptates, quæ sive diu, sive

[37] Strom. l. vii, p. 706. [38] ibid., p. 747. [39] ibid., p. 737 et seqq. [40] l. vii, p. 709. [41] ibid., p. 711, [42] ibid., p. 716. [43] l. vi, p. 694. [44] l. vii, p. 720. [45] ibid., p. 742. [46] ibid., p. 718. [47] ibid., p. 744 [48] l. iv, p. 540. [49] l. vii, p. 744. [50] l. iv, p. 469. [51] 1 Cor. ix, 27, 25.

Digitized by Google

noctu in somniis, ἡδοναῖς, ταῖς τε ὕπαρ, ταῖς τε δι' ὀνειράτων, accidunt, gnosticus cohibeat, nec iis flectatur, ita Clemens edisserit [52] : « Tenui enim diætæ, quæ ut paucis sit contentus, efficit, assuefactus, est temperans et moderatus cum gravitate et honestate, paucis ad vitam necessariis indigens, nihil quærens quod sit supervacaneum : sed nec hæc ut principalia, sed ex vitæ consuetudine, ut peregrinationi carnis necessaria admittens. » Præcipue autem totus ille incumbit cognitioni, quæ, ut Clemens loquitur [53], τῆς ψυχῆς τροφὴ ἡ γνῶσις, « animæ nutrimentum est. »

Verum præterea gnosticus magna vi contendit ut ipsa exercitatione fiat cupiditatis expers : « Quicunque autem, ait ille [54], student assimilari characteri, qui a Domino datus est, ἀνεπιθύμητοι ἐξ ἀσκήσεως γενέσθαι βιάζονται, magna vi contendunt ut exercitatione fiant cupiditatis expertes. »

At porro ex his quæ diximus, quis aperte non videat quam persuasum Clemens habuerit corporis castigationes omni Christiano etiam perfectissimo esse omnino necessarias? Quis etiam inde non facillime intelligat illas a perfecto mysticorum, ut aiunt, hominum statu abigendas excludendasque qui dixerit, hunc Clementis nostri doctrinæ et veris Ecclesiæ catholicæ documentis plane penitusque refragari?

ARTICULUS V.

De castis sanctisque gnostici somniis.

Gnosticus corpus suum, quemadmodum a nobis dictum est, semper affligendo, et animam γνώσει, cognitione, quæ cibus plane spiritualis est, pascendo, efficit ut nihil voluptatis, « quæ non solum interdiu (verba sunt Clementis [55]), sed etiam noctu in ipsis insomniis nos cum præstigiis inescando insidiatur et mordet, » in iisdem ipsis somniis capiat, « nec somnium quidem videat, quod non electo convenit [56]. » Et paulo post [57] : « Quinetiam somnia aspiciens, sancta facit et cogitat, ea ratione semper mundus ad orationem. » Prius autem in alio libro dixerat [58] : « Principalis pars animæ manens non alterabilis, non assumit aliquam visorum diversitatem, quæ ex diurnis motibus fiunt, simulacra somnians. Præterea certe Dominus præcipit vigilare; ut nec nostra quidem in somnis unquam moveatur anima perturbationibus animi, sed nocturnam quoque vitæ institutionem, tanquam quæ interdiu operetur, puram et immaculatam imperat custodire. »

Neque porro illud videtur singulare auctoris nostri documentum. Nam apud Cassianum abbas Chæremon, vel potius hujus abbatis nomine ipsemet Cassianus, ubi varios castitatis gradus recenset, sextus et ultimus ab eo sic memoratur [59] : « Sextus castimoniæ gradus est, ne illecebrosis phantasmatibus feminarum vel dormiens illudatur. » Suismet autem non aliorum verbis huic sententiæ ita idem ipse Cassianus alibi subscripsit [60] : « Cujus puritatis hoc erit evidens indicium ac plena probatio, si vel nulla imago decipiens quiescentibus nobis et in soporem laxatis occurrat, vel certe interpellans nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minime reputetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitii manifestatio, cum per salaces imagines hujusmodi operatur illusio. » Rursum vero postea [61] : « Itaque hic est integritatis finis ac perfecta probatio, si quiescentibus nobis titillatio voluptatis nulla subrepserit, ac pro necessitate naturæ, nobis inconsciis, concretiones egerantur obscœnæ. » Nonne vero et suum eidem sententiæ calculum adjecit Joannes Climacus, qui de castitate et pudicitia sic disputat [62] ? « Castitas est incorporeæ naturæ familiaritas..... Pudicitia generale virtutum cognomen omnium est. Pudicus est ille, qui in somnis quidem nullum motum nullamque status sui mutationem sentit. Pudicus est ille, qui et in somnis quidem perfectam semper insensibilitatem in corporum specie et varietate possedit. Hæc regula hujusmodi finis est perfectæ consummatæque castitatis, ut ita animata sicut inanimata intueamur, atque ita rationalibus, ut brutis corporibus afficiamur. » Et paulo post : « Si istud, inquit, veræ castitatis certum argumentum est, immobilem in eis phantasmatibus, quæ per somnum videmus persistere, is profecto luxuriæ erit finis, si vigilans quispiam ex immundis cogitationibus fluxum patiatur. »

Quid ergo, inquiet aliquis, nonne hæc opinio apostolicæ doctrinæ omnino adversatur ac repugnat? Quis enim Paulo apostolo perfectior? Fatetur tamen divinus ille vir datum sibi esse stimulum carnis, qui eum « colaphizet [63]. » Flebiliter alibi lamentatur et deplorat videre se aliam legem in membris suis, legi mentis suæ repugnantem, « et captivantem in lege peccati [64]. » Quid vero, quod Augustinus contra Juliani et Pelagiani errores scripsit [65] : « Concupiscentiam vero quis ambigat in hac vita posse minui, non posse consumi? » Quod quidem ipse alibi repetit, et aliorum Ecclesiæ Patrum auctoritate asserit et propugnat.

Nonne ergo hic Pelagianorum, urgebit quispiam, error est, et doctrinæ Origenis ramusculus, quem Hieronymus quoque eosdem, atque Augustinus, Pelagianorum errores impugnando, his resecavit verbis [66] : « Doctrina tua Origenis ramusculus est. In eo enim psalmo, ubi scriptum est, ut de cæteris taceam : *Insuper et usque ad noctem erudierunt me renes mei* [67], asserit virum sanctum de quorum videlicet et tu numero es, cum ad virtutum venerit summitatem, ne in nocte quidem ea pati, quæ hominum sunt, nec cogitatione vitiorum aliqua titillari. Nec erubescas de societate talium, rennens eorum nomina, quorum blasphemiis jungeris. » Sed Erasmus in suis ad hanc epistolam scholiis animadvertit opinionem illam ab Hieronymo erroris haud plane merito notari. Nam præterquam quod Plinius quadam herba fieri posse credidit, ut quis obscœna somnia non sentiat, **216** ipsummet Hieronymum sibi satis non constitisse arguit. In virginitatis quippe laudes effusus idem ipse Hieronymus eos plane prædicat, qui in carne sine carne viventes, angelicam vitam imitantur. Et vero ad Eustochium de custodia virginitatis hæc ille scripsit : « Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit; ut qui ab angelis adorabatur in cœlo, haberet angelos et in terris. » Deinde vero ad eorum, quæ ex Plinio Erasmus refert, confirmationem id proferri potest, quod de Platone Cicero litteris tradidit [68] : « Jubet Plato sic ad somnum proficisci corporibus affectis, ut nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur; quod habet inflammationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quærenti vera, contrariam. » Postea vero : « Ut igitur qui se tradit ita quieti præparato animo, tum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somniis. »

[52] Strom. l. vi, p. 654. [53] l. vii, p. 742 [54] ibid. [55] l. ii, p. 412. [56] l. vii, p. 745. [57] ibid., p. 746. [58] l. iv, p. 530. [59] collat. 12, c. 7. [60] l. vi De cœnob. instit., c. 10. [61] ibid., c. 20. [62] gradu 15, init. [63] II Cor. xii, 7. [64] Rom. vii, 23. [65] l. vi contra Julian., c. 16, § 49. [66] epist. ad Ctesiph. adv. Pelag. [67] Psal. xv, 7. [68] l. iii De divin., p. 266.

Digitized by Google

Sed nulli plane dubitamus, quin Hieronymi defensores inflictam ipsi erroris aut contradictionis maculam facillime possint eluere. Quamvis enim eruditissimus ille scriptor dixerit homines angelicam vitam imitari, non putavit tamen eos vel angelorum instar, nullis humanæ carnis infirmitatibus amplius esse obnoxios, vel ad eam venire summitatem virtutum, ut in nocte nunquam deinceps ea quæ hominis sunt patiantur. Neque Plinius quoque scripsit aliquam esse herbam, qua homo possit eam, quam dicunt, maximam consequi carnis munditiem. Et sane tametsi id jurejurando asseruisset, quis ei vellet fidem habere?

Ad Cassianum vero quod spectat, etiamsi citatis in locis in aliquem Pelagiani erroris incidisset scopulum, id nulli admirationem movere deberet. Sciunt enim omnes eum ab hac labe non esse omnino purum, illiusque plane expertem. Non desunt tamen, qui ipsum iisdem, qui citantur, in locis a sana orthodoxaque catholicæ fidei doctrina non recessisse existiment [59]. Aiunt siquidem ab illo, non secus atque ab Apostolo, alibi agnitam assertamque fuisse carnis et spiritus in omnibus hominibus repugnantiam. Cassiano itaque non alia, pergunt illi, mens et sententia fuit, nisi quosdam esse perfectissimos homines, qualis ab eo describitur Serenus abbas [60], in quibus divinæ gratiæ beneficio plane singulari ac rarissimo funestus perversæ cupiditatis ignis refrigeratus, sopitus atque etiam extinctus videbatur. Denique in ea ipsa, quæ laudatur, illius collatione haud ægre concedit homines perfectos dormientes carnis motibus cieri et agitari, sed inde quidquam de castitatis perfectione minui aut detrahi ibidem inficiatur. Suam enim de castitate disputationem sic ille absolvit [61] : « Hæc est consummatio castitatis, ut vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, ut quiescentem somniorum non fallat illusio : sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita sine ullo pruritu corporis conquiescat. »

In eumdem sensum Climacus post illa, quæ retulimus, ipsius verba, continuo hæc adjecit [62] : « Nemo ex his qui se studio castitatis exercent, suis hanc laboribus aut sua industria se acquisisse putet. Nam possibile non est, ut quispiam naturam suam vincat ; ubi denique natura superata est, illic is qui supra naturam est, advenisse cognoscitur. » Ibi certe et deinceps ille quanta sit naturæ nostræ fragilitas apertissime declarat ; tacitus vero prætermittit an sæpe aut raro aliquis inveniatur, quem in somno vel nulla turpis imago, vel nullus carnis motus amplius moveat et titillet. Sed de utroque illo auctore alius erit plura dicendi locus.

Ad Clementem igitur nostrum, de quo nunc tantummodo quæstio est, ut veniamus, quod ille dixit Deum Christianis omnibus ut vigilarent, præcepisse, ne anima ullis perturbationibus, ne quidem in somniis moveatur, hoc benigna interpretatione exponendum est, quoad scilicet fieri potest, et humanæ naturæ fragilitati est datum. Pari quoque benignitate illud accipiendum, quod ab ipso docetur, gnosticum, abstinentia et inedia confectum, in somniis, non quidem semper, et per reliquum vitæ suæ tempus, sed sæpe sæpius, atque ut plurimum sancta et agere et cogitare. Nostræ enimvero infirmitatis optime conscius Clemens, non videtur quidem asseverare Christianos hanc reipsa attigisse perfectionem, sed potius, ut ad eam contendant, excitare et adhortari. Et id profecto iis probari potest, quæ ab illo de summa Christi Domini, apostolorum ac ipsiusmet gnostici perfectione tradita fuisse vel superius vidimus, vel paulo post ostendemus.

Non eos itaque amplius audiendos esse censemus, qui ad gentiles philosophos, inanis gloriæ venatores, provocare nos voluerint. Scimus enim Epicurum se venditasse, « in somnis sibi similem futurum [63]. » Nescii quoque non sumus Platonem docuisse [64] : « Cum aliquis salubri et bene temperato corporis habitu somno se tradit, et ea pars animi, in qua ratio dominatur, a seipsa excitata est, bonarumque cogitationum quasi epulas, contemplationis atque intelligentiæ acie in seipsam revocata, apposuit sibi : ea autem animi pars, in qua insunt cupiditates, neque inopia pressa, neque ubertate exsaturata, quiescit maxime, neque perturbat optimam illam partem aut gaudio, aut mœrore, sed sinit eam per seipsam solam et puram considerare, et appetere, et sentire quidquid vel præteritorum vel præsentium vel futurorum norat : eodem quoque modo cum pars illa animi, in qua ira sedem habet, adeo pacata et restincta est, ut nemini infensa conquiescat ; ac proinde duabus animi partibus hunc in modum sedatis, et tertia in qua intelligendi vis inest liberius excitata, ita quis quieti se dat ; tunc demum videlicet is animo moderate composito, veritatem maxime complectitur, neque nefaria insomniorum visa animo illius repræsentantur. » Nobis etiam incompertum illud non est, quod Aristoteles tradidit [65] : « Qui instructi virtutibus sunt, meliora somnia vident, quod etiam vigilantes meliora animadvertunt. » Hæc etenim et alia, si quæ proferantur, aliorum philosophorum dicta nihil aliud probant, nisi eum qui animo recte composito, virtutibusque optime instructo ad somnum accedit, ipsius menti in eodem somno longe puriores sanctioresque versare cogitationes. At illum sancta et casta deinceps semper cogitare, neque hic, aut quilibet alius philosophus asseruit, neque ulli plane philosopho, si id unquam affirmasse probetur, ullo modo credendum. Certa siquidem et communi virorum etiam sanctissimorum experientia constat, nullum nisi singulari prorsus divinæ omnipotentisque gratiæ beneficio, quod Paulo, ut vidimus, non fuit concessum, ab omni carnis motu

et titillatione, sive vigilando, sive dormiendo, per longum vitæ suæ tempus fuisse omnino liberum et immunem.

ARTICULUS VI.

De theologicis gnostici virtutibus, fide, spe et charitate.

Ad theologicas virtutes quod spectat, fide gnosticum consistere Clemens perhibet [66]. πέπηγεν τῇ πίστει ὁ γνωστικός. Ex his autem quæ a nobis de hac virtute superius disputata sunt, nemini obscurum esse potest Clementem existimasse illam non solum gnosticis, sicut et aliis Christianis, esse omnino necessariam, sed in illis quoque debere esse perfectiorem. De hoc autem fidei in gnostico et Christianis magis perfectis incremento et excellentia hæc ab illo dictata legimus [67] : « Quæ autem eximie superædificatur, fideli consummatur, et rursus perficitur per eam, quæ accedit ex doctrina et ratione peragendi mandata, quales erant apostoli, de quibus dictum est fidem montes transmovere et arbores transplantare. Unde cum sensissent magnitudinem potestatis, rogabant ut adderetur eis fides, quæ ut granum sinapis morderet utiliter animam, et in ipsa adeo cresceret, ut in ipsa requiescerent de rebus sublimibus rationes. »

Sed hanc fidem cum spe gnosticus ad futuri exspectationem conjungit et permiscet : « Serpens, ait Clemens [68], junctus cum columba, simul perfectæ

[59] Cass., collat. IV et XXIII. [60] coll. VII, c. 1. [61] ibid., c. ult. [62] loc. cit. [63] Laert. l. X in Vita Epicuri, § 121. [64] l. IX De republ., init. t. II, p. 571 et seq. [65] § 30 problem. ult. [66] Strom. l. II, p. 532. [67] l. V, p. 545. [68] l. VII, p. 749.

Digitized by Google

vivit, et cum bona conscientia spem fide commiscens ad exspectationem futuri. » Certum est autem, et ex iis quæ antecedunt et subsequuntur, constat de perfecto gnostico ibi sermonem a Clemente fieri. Persuasum ergo ipsi fuit hunc gnosticum non fide solum, sed etiam ad futuri exspectationem spe præditum esse debere. Quamobrem alibi de martyre, hoc est de perfectissimo, ut ipse putat, gnostico rursum scribit [69]: « Annon est ergo eis manifesta spes fidei post mortem, ἄρ' οὐ πρόδηλος ἦν ἡ πίστις αὐτοῖς τῆς μετὰ θάνατον ἐλπίδος, qui etiam in ipso tempore tormentorum Deo agunt gratias. Firmam et constantem, ut opinor, fidem possidebant, quam fideles quoque consequebantur operationes. » Quid vero, quod perfectus gnosticus ab eodem Clemente dicitur [70] « esse a spe » quemadmodum « a Dei mandato inseparabilis, ἀχώριστος ὢν τῆς ἐντολῆς καὶ τῆς ἐλπίδος, Deo semper gratias agens, sicut animalia glorificantia', quæ allegorice dicuntur per Isaiam. » Neque vero gnosticus tantum sperat, sed etiam optat suam et aliorum æternam beatitudinem: « Ideoque (ipsamet auctoris nostri verba sunt) non quidem εὔξεται, optabit (seu precabitur) consequi ea quæ hic sunt, cui persuasum est fore ut consequatur ea quæ bona sunt; sed semper optabit rectum et se gerentem tenere fidem; et præterea quamplurimos fieri sibi similes ad Dei gloriam, quæ consummatur per cognitionem, ἡ κατ' ἐπίγνωσιν τελειοῦται. »

De gnostici porro charitate nihil necesse est, cur a nobis longum et uberius orationis filum ducatur. Noverunt enim omnes, qui vel levissime hos *Stromatum* libros evolverunt, nihil in illis studiosius a Clemente commendari, nihilque fere in iisdem frequentius occurrere, quam multiplices variasque illius cohortationes et incitamenta, quibus omnes prorsus Christianos, etiam sanctissimos, ad summam illius charitatis perfectionem comparandam excitat, exacuit et impellit. Nobis autem ex plurimis passim congestis pauca seligentibus, illud primum Clementis effatum occurrit [72]: Διὰ πάντων ἡ ἀγάπη τῷ γνωστικῷ πέπεικεν, ἕνα θεὸν εἰδότι. « Gnostico Deum cognoscenti omnia persuasit dilectio. »

Ubi vero idem ipse auctor noster probandum in se suscipit solum gnosticum vere Deum colere, ibi hunc cultum ita definit [73]: « Dei cultus est gnostico continua animæ cura, et ejus perpetua in Deo occupatio per charitatem, quæ nunquam intermittitur, κατὰ τὴν ἀδιάλειπτον ἀγάπην. » Talis est itaque gnostici erga Deum cultus, qualis ejus charitas. Quapropter quia ejus charitas nunquam ullo vitio aut graviori peccato interrumpitur, idcirco semper Deum colit, et perpetua est illius in Deo occupatio.

Hac charitate [74] omnia suffert, omnia sustinet; atque ignominia, bonorum publicatione, exsilio et morte ipsa affectus, nunquam ab illa charitate animique libertate sejungitur. Omnia autem forti constantique animo patitur, non ut homini, sed ut Deo placeat: « Quanquam, ait Clemens [75], eum quoque laus sequitur per consequentiam, non ad suam utilitatem, sed ad imitationem et usum eorum qui laudant. » Ab humanis porro laudibus ita averso ille est animo, ut nihil præter Deum, quem in se requiescentem habet, amplius concupiscat. Quapropter profitetur Clemens hanc charitatem propter se, et non propter aliquid aliud esse expetendam [76].

Alia longe plurima de perfecta gnostici in Deum charitate Clemens passim congerit. Sed cum ea omnibus sint obvia et facilia, vel si quid habeant difficultatis, a nobis in superioribus et subsequentibus articulis enodentur, nunc accurate expendenda est illius de puro, ut aiunt, Dei amore sententia.

ARTICULUS VII.

De puro gnostici in Deum amore et charitate.

Visum quibusdam esse scimus hanc fuisse Clementis nostri opinionem, perfectum Christianum, seu gnosticum, ad eum aliquando perfectissimæ charitatis non modo actum, sed habitualem, ut vocant, statum pervenire, quo Deum, nulla habita, neque cujuslibet alterius boni, imo neque æternæ suæ beatitudinis ratione constantissime diligat. Atque hunc puri amoris habitum et statum ideo appellare solent, quia Deus ipse solus, ac summæ et infinitæ illius perfectiones hujusce amoris sunt, uti loquuntur, motivum, seu causa, ratio et argumentum.

Quamvis enim Deum natura sua ipsam nostram beatitudinem, seu, uti inquiunt, beatitudinis nostræ objectum esse profiteantur, eumdem nihilominus Deum propter seipsum solum, sive solo perfectionum suarum motivo ita sæpe a gnostico diligi contendunt, ut hoc etiam puri amoris actu sive habitu æternam suam felicitatem ab eo aliquando velint esse reipsa litandam. Durum plane sacrificium, sed quo tamen nihil penitus, nisi quod nostrarum rerum interest, Deo litari arbitrantur. Porro autem hac de puro, ut cum iis adhuc loquamur, amore sententia, atque ista inter objectum illius et motivum distinctione existimant totum mysticæ spiritualisque, uti eam appellant, vel ut Clemens loqui amat, gnosticæ vitæ ædificium fundari et construi.

Plura autem in hujusce opinionis suæ defensionem proferunt Clementis nostri testimonia, quæ quidem, ne quid dissimulare videamur, integra a nobis transcribenda atque accurate examinanda sunt. Primum itaque ex quarto *Stromatum* libro petitum, his verbis concipitur [77]: « Existimo autem oportere neque **218** propter metum supplicii, neque propter aliquam doni promissionem, sed propter ipsum bonum accedere ad verbum salutare. Qui autem tales sunt, stant a dextris sanctuarii. Qui autem pro donatione eorum, in quæ cadit corruptio et interitus, existimant se vicissim accepturos incorruptionem, in duorum fratrum parabola vocati sunt mercenarii. » Verum ii qui hæc nobis objectant, non satis diligenter animadverterunt Clementem nostrum ibi de martyre disputare, qui nullis minis aut suppliciis ad ejurandam Christi fidem cogi potest. Martyr autem ille, ut Clemens ait, persuasum utique habet se non propter boni, scilicet terreni et temporalis, promissionem, sed propter ipsum bonum, προσεληλυθέναι τῷ σωτηρίῳ λόγῳ, « accedere ad verbum salutare, » quo sempiterna beatitudo iis qui persecutionem propter justitiam patiuntur promissa est. Quapropter hunc martyrem ei opponit, qui pro caduci et fluxi alicujus boni donatione incorruptionem se accepturum arbitratur. Tantum itaque abest ut amor ille, quem purum vocant, his Clementis nostri verbis astruatur, quin potius videatur funditus everti.

Neque ad eum stabiliendum illa magis faciunt, quæ a mysticæ vitæ patronis ex eodem auctore nostro citata sic leginus [78]: « Est autem gnostici opus non a malis abstinentia; ea est enim basis maximi profectus; sed nec aliquid boni facere, vel propter metum; scriptum est enim: *Quo fugiam, et ubi abscondar a facie tua*..... Sed neque propter spem promissi honoris; dictum est enim: *Ecce Dominus, et merces ejus* [79]..... Sola autem quæ propter charitatem fit beneficentia, propter ipsum honestum est gnostico expetenda. » Sed idem plane

[69] Strom., l. VII, p. 736. [70] ibid. p. 747. [71] l. VI, p. 653. [72] l. II, p. 383. [73] l. VII, p. 700. [74] l. IV, p. 495. [75] l. VII, p. 748. [76] ibid., p. 738. [77] p. 485. [78] Strom. l. IV, p. 528. [79] Isa. XL, 10.

Digitized by Google

est horum atque superiorum Clementis verborum sensus. Aperte siquidem ille dicit gnosticum non propter promissi honoris spem, sed propter solam charitatem agere; quia Deus ipse æterna ejus merces et felicitas est. Hæc itaque charitas promissi tantummodo terreni cujusdam honoris, minime vero beatitudinis æternæ spem excludit. Et id quidem ex iis, quæ continenter Clemens subtexuit et a mysticis omissa sunt, evidentissime demonstratur : « Jam vero, inquit ipse, ex persona Dei Domino dictum est : *Pete a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*[80]. Petitio maxime regia, quæ docet hominum salutem peti sine mercede, » haud dubie terrena et humana. Ibidem quippe ille addidit : « Ut nos simus hæredes, et possideamus Dominum. » Nescio sane utrum ad destruendam mysticorum hominum de puro amore opinionem validius aliquid et efficacius proferri queat.

Urgent tamen, et contendunt « purum » illum Dei amorem his evidenter probari ejusdem Clementis verbis[81] : « Si ergo omnis conjunctio, οἰκείωσις (familiaritas), quæ cum iis, quæ sunt bona et honesta, τὰ καλὰ, initur, fit cum appetitione, quomodo potest esse sine passionibus is qui ea quæ sunt honesta expetit? Sed hi, ut videtur, nesciunt divinitatem charitatis. Non est enim utique charitas ejus, qui diligit, appetitio, sed est benevola et firma conjunctio, στερκτικὴ οἰκείωσις (seu amandi vi prædita familiaritas), in unitatem fidei restituens gnosticum, loco et tempore minime indigentem. Qui autem per charitatem jam fuerit in iis, quibus est futurus, ut qui spem perceperit per cognitionem, nihil expetit, ut qui, quoad ejus fieri potest, habeat quod est expetendum. Merito ergo manet in uno immutabili habitu, diligens ex cognitione. Neque ergo vehementi ardebit desiderio, ut assimiletur bonis, cum habeat per charitatem id quod est bonum et honestum. Confidentia autem et cupiditate quid ei adhuc est opus, qui cum Deo nullis passionibus obnoxio familiaritatem acceperit per charitatem, et per eam se in ejus amicorum numerum ascripserit. » Verum quid, amabo vos, inde ad « purum » Dei amorem asserendum colligi potest? Ibi enim Clemens loquitur de gnostico, qui adhuc in hac vita constitutus Deum, quoad ejus fieri potest, perfecta charitate possidet. Atqui idem Clemens declarat nihil ab eo expeti, caducum scilicet et terrestre, quod ipsum a Deo, cui charitate conjunctus est, avertat aut separet. Quamobrem ipse dixit : Οὐδὲ ζηλώσει ἐξομοιωθῆναι τοῖς καλοῖς, « aliis a Deo bonis assimilari vehementi studio non ardebit. » Sed nunquid hoc impedit quominus æternam felicitatem speret, optet et exspectet? Minime quidem. Et vero id non solum ex infra dicendis evidentissime patebit : sed ipsemet auctor noster hoc ipso loco asserit gnosticum, perfecta charitate instructum, ideo nihil expetere; quia τὴν ἐλπίδα προειληφὼς διὰ τῆς γνώσεως, « per cognitionem spem » haud dubie futuræ vitæ « anticipaverit, » nimirum quia ea, qua Deo fruitur, possessione delicias speratæ æternæ felicitatis prægustat.

Potiori forsitan jure recentiores mystici in suæ de puro amore opinionis patrocinium alia in medium adducunt, quibus disertissime a Clemente constitutum est, quod si Dei γνῶσις ab æterna salute posset unquam separari, tunc gnosticus illam eligere omnino non dubitaret : « Si quis per hypothesim (verba Clementis sunt[82]), gnostico proposuerit utrum malit Dei cognitionem, an salutem æternam; sint autem ea separata, cum sint omnino eadem; nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem, propter se judicans esse expetendam eam, quæ fidem transcenderit per charitatem ad cognitionem, proprietatem (vel paulo clarius, quia judicat eam esse proprietatem propter se expetendam, quæ fidem per charitatem ad cognitionem transcendit). Cum autem judicaverit pulchrum esse et honestum id quod bonum est facere, vehementer incitata operatio in omnibus reipsa bene se gerit, non in aliquo quidem recte, in aliquo vero non; sed in benefaciendi habitu constituta, neque præterea propter gloriam, aut, ut philosophi dicunt, famam illustrem, neque propter mercedem, aut ab hominibus, aut a Deo, ad imaginem et similitudinem Domini vitam peregerit. » Quid, inquiunt, ad purum Dei amorem declarandum et asserendum clarius et dilucidius? Enimvero Clemens, pergunt illi, ibi expressis verbis docet gnosticum Dei cognitionem cæteris omnibus sic præferre, sive Deum ita amare, ut illum neque propter gloriam, neque propter famæ celebritatem, neque propter mercedem, aut ab hominibus, aut ab ipso Deo accipiendam, sed propter illum ipsummet solum diligat. Quid vero, quod Deum amore tam puro diligit, ut huic salutem æternam, si ab illo posset aliquando separari, longe postponere nullo plane modo hæsitaret, malletque æterna salute privari, quam ipsum non agnoscere et amare?

Sed sedulo observandum illud est, quod dixit Clemens « Dei cognitionem, τὴν γνῶσιν τοῦ θεοῦ, et æternam salutem, τὴν σωτηρίαν τὴν αἰώνιον, esse omnino eadem, πάντως ἐν ταυτότητι ὄντα. » Atqui si hæc sint penitus eadem, certe a se invicem separari nunquam **219** possunt. Non potest ergo Deus agnosci et amari, quin illico ipsa salus æterna agnoscatur et ametur.

At, inquies, si per hypothesim possent separari, tunc gnosticus Deum, ut ait Clemens, propter seipsum solum revera diligeret. Verum hæc hypothesis, sicuti Clemens quoque fatetur, est rei plane impossibilis, et quæ nullo unquam modo magis fieri poterit, quam ut Deus ipse Deus non sit. Dic ergo, obsecro, putasne ex fictitiis et chimæricis hujuscemodi hypothesibus Clementem quamdam Deum pure amandi regulam constituisse? Censesne in illius venisse mentem gnostico, ut Deum puro amore diligat, fingendam esse rei omnino impossibilis hypothesim? Nunquid doctissimus ille vir ignorabat quemadmodum ex absurdo nihil nisi absurdum, ita ex impossibili nihil nisi impossibile posse consequi?

Clementis itaque mens et sensus est Dei cognitionem et amorem, atque salutem æternam ita esse eadem, ut unum sine altero diligi nequeat. Gnosticus igitur eo ipso salutem æternam amat, quo Deum non propter gloriam, famam, et hujusce vitæ et temporis mercedem, sed propter ipsum solum castissimo amore prosequitur.

Cur ergo, inquies, hanc rei plane impossibilis hypothesim Clemens proponit? Non enim temere et inconsiderate eam proposuisse dicendus est. Respondemus hanc propositæ ab eo hujusce hypothesis fuisse rationem, ut clarius et efficacius ostenderet quam purus, castus et ab omni cupiditate alienus esse debeat perfecti gnostici in Deum amor, ejusque charitas. At data opera et consulto hanc hypothesim ille impossibilem esse confestim admonuit, ut non minori evidentia patefaceret gnosticum tam caste et pure Deum amando, suam quoque necessaria omnino consecutione, vel, ut scholastici aiunt, secundario salutem semper velle et diligere.

Ejusdem penitus generis est alia hypothesis, rursus a Clemente nostro his exposita verbis[83] : « Si ab injuria facienda abstinuerit propter spem remunerationis a Deo consequendæ ob ea, quæ juste fecerit, ne sic quidem sua sponte est bonus. Sicut enim illum metus, sic hunc quoque merces justum facit..... Qui autem nudæ vocationi, quatenus vocatus est, obedit, is neque propter timorem, neque propter voluptates tendit ad cognitionem. Non enim considerat an aliquod utile lucrum, ve

[80] Psal. II, 8. [81] Strom. l. VI, p. 651. [82] l. IV, p. 529. [83] ibid., p. 532.

Digitized by Google

delectatio extrinsecus consequatur, sed tractus a dilectione ejus, qui vere est amabilis, et ad id quod fieri oportet adductus, pius est Dei cultor. Unde nec si per hypothesim a Deo acceperit potestatem faciendi ea quæ sunt prohibita, citra ullam pœnam; neque si propterea beatorum bona accepturum eum esse ei promissum fuerit: sed nec si persuasum habuerit fore ut Deum lateant ea, quæ gerit (quod quidem fieri non potest), in animum unquam est inducturus, ut aliquid agat præter rectam rationem, cum id quod vere est honestum, et ex seipso eligendum, et ea ratione expetendum amandumque semel elegerit. » Ibi Clemens noster duplicem adhuc hypothesim proponit, quarum neutra fieri unquam potest, atque secundam exponendo, illam esse impossibilem consultissime nos commonefacit. Illarum igitur atque superioris eadem ratio est. His itaque Clemens potius ostendit qualis gnosticus animi cordisque sui dispositione esse debeat, quam quid quotidiano usu et solita pietatis ac perfectissimæ virtutis exercitatione ipsi revera agendum sit.

Age vero, et quid auctor noster his hypothesibus probandum susceperit, attente considera. Nonne vides nihil aliud inde ab illo confici, nisi Christianum perfectum nihil unquam præter rationem, neque propter mercedem, neque propter lucrum aut utilitatem, neque propter externam aliquam atque extrinsecus advenientem delectationem; sed interiori delectatione attractum id, quod honestum est, semper eligere? Clemens ergo aperte profitetur quemlibet gnosticum in quavis perfectissimæ virtutis et charitatis actione semper aliqua interiore delectatione trahi et allici. Ad hæc vero, Clemens paulo post scribit [85]: « Sic ergo videntur revera honesta esse jucundissima, et ex se præbere eum quem desiderant fructum, nempe animæ tranquillitatem. » At si honesta sunt jucundissima, ac gnosticus nunquam sine interiore delectatione quidpiam agat, nunquam certe sine hujusmodi interiore delectatione Deum diligere poterit.

Nonne autem hæc eadem est non solum antiquorum Ecclesiæ Patrum, sed inter ethnicos etiam philosophos eruditissimorum sententia? Nam Cicero [86] ubi ex horum opinione planum facit solam honestatem propter se esse expetendam, et utilitatem, si cum illa comparetur, jacere debere; ille tamen ibidem cum Panætio observat nihil esse utile, quod non idem honestum sit. Ambrosius vero [86], ut suo loco adnotavimus, Ciceronis opinioni subscribit et suffragatur.

Neque amplius dicendum est illam delectationem sive utilitatem non esse motivum cur aut expetatur honestas, aut Deus puro amore, ac propter semetipsum solum diligatur. Quamvis enim doctissimi illi scriptores disertissime affirment honestatem propter se solam diligi, fatentur tamen eo ipso quo sic diligitur, habere delectationem et utilitatem sibi necessario conjunctas et individuas comites. Quamobrem etiamsi delectatio et utilitas amoris et charitatis, atque etiam expetendæ honestatis primarium, ut aiunt, motivum aliquando esse non videantur, secundarium nihilominus motivum, aut, si velis, effectus ei nunquam non conjunctus, semper sit, omnino oportet.

Denique cum propositas, uti diximus, a Clemente hypotheses nunquam reipsa fieri posse concedatur, nemo certe nisi malesani capitis homo eas ad Deum pure amandum fingere unquam debet. Jaceant igitur hæ hypotheses, quæ nunquam sunt in usu, nec esse unquam debent; aut si quid valere possint, ad animi Deum, quam fieri potest, castissime diligentis patefaciendam dispositionem, minime vero ad Deum revera amandum debent valere.

Quædam adhuc alia nec minimi sane ponderis argumenta contra illam de puri in Deum amoris habitu opinionem nobis Clemens suppeditat. Sed ex iis jam nonnulla in antecedentibus præmisimus, alia in sequentibus, ac præsertim de gnostici precatione et ἀπαθείᾳ articulis, ne eadem sæpius repetamus, deinceps explanabuntur.

220 ARTICULUS VIII.

De vocali gnosticorum precatione.

Precationem, sive malis, orationem sic Clemens definit [87]: Ἔστιν ὁμιλία πρὸς τὸν Θεὸν ἡ εὐχή, « precatio est cum Deo collocutio. » Nos tamen ibidem admonet hanc precationem fundi a nobis posse sine verbis, nec labia moventibus, dum ad Deum intus clamamus. Quam quidem interiorem precationem a Deo semper exaudiri asseverat. Nam alacritate spiritus νοητὴν οὐσίαν, « intelligibilem essentiam, » assequentes, et λόγῳ, ratione, corpus a terra abducere conantes, carnisque despicientes vinculum, cogimus animam, τῷ πόθῳ κρειττόνων, « meliorum desiderio, » sublatam, ad sancta progredi. Gnosticus enimvero, ut Deo se quam proximum futurum exhibeat, totum mundum lubenter transcendit. Quamobrem [88] et per statutas omnibus Christianis precandi horas tertiam, sextam ac nonam, et per totam vitam precibus suis studet cum Deo versari.

Præterea ipsemet Clemens, ut vidimus, diserte asserit eumdem gnosticum non modo cum probis, et cum iis qui recentius crediderunt, sicuti decet, precari: sed eum quoque sumendo cibo præmittere preces, laudes et sacrarum lectiones Scripturarum [89]; dum cibus vero sumitur, psalmos et hymnos canere; ac tandem antequam eat cubitum, ac noctu etiam preces fundere, quibus « in memoriæ æternæ contemplatione positus [90], » divino choro sese adjungit.

Huc accedit, quod Clemens de vocalibus gnostici precibus subtexuit: « Sed nec ea, quæ fit ore, utitur verbosa, πολυλόγῳ, precatione; ut qui quæ petere a Domino oporteat, didicerit. In omni ergo loco orabit, sed non ut aperte populo appareat. Quin vero et inter ambulandum, et in sermone, et quiete, et lectione, et ex iis quæ fiunt ex ratione omnimodo precatur. Quin si in ipsius animæ penetralibus solum cogitaverit, atque inenarrabilibus gemitibus Patrem invocaverit, ille prope adest, adhuc eo loquente. » Vides sane tantum abesse, ut Clemens a continua gnostici contemplatione preces ore fusas excluserit, ut has, modo non sint nimium verbosæ, quemadmodum illam, a gnostico sæpissime fieri aperte profiteatur.

Scimus quidem Clementem dixisse gnostici precationem a Deo anteverti, utpote qui illum, priusquam petierit, exaudiat. « Hujus vocem, inquit [91], in precatione non exspectat Dominus, Pete, inquiens, et faciam; animo cogita, et dabo. » Sed eo ipso quo ille dixit Deum ejus vocem et preces prævenire, planum utique facit eumdem gnosticum a Deo aliquid voce et precibus flagitare ac postulare.

In eumdem plane sensum prius scripserat gnosticum orare « etiam cogitatione, » καὶ κατὰ τὴν ἔννοιαν. At quid hæc, quæso, ejus verba sonant, nisi gnosticum non solum animo et cogitatione, sed sæpe etiam voce et verbis Deum precari? Imo vero nonne hæc significant eum verbis potius quam cogitatione vacare precibus? Sed ille Clementis locus integer describendus est; quandoquidem ipsemet ibi ostendit non solum quomodo gnosticus oret, sed quid etiam a Deo petere debeat: « Orat gnosticus etiam cogitatione, ait au-

[85] Strom. ibid., p. 534. [86] l. III De offic., p. 392 et 405. [86] l. II De offic., c. 5, § 25; l. III, c. 5, § 29 et 31, et c. 4, § 19. [87] Strom. l. VII, p. 727 et seq. [88] Ibid. [89] Ibid., p. 728. [90] Ibid. [91] l. VI, p. 635.

Digitized by Google

ctor noster [92], omni hora per charitatem Deo conjunctus, et familiaris effectus. Et primum quidem petet remissionem peccatorum, postea non amplius peccare; deinde posse benefacere, et omnem quæ facta est per Dominum, creationem et dispensationem intelligere; ut mundo corde effectus per agnitionem, quæ est per Filium Dei, facie ad faciem in beati spectaculi mysterio initietur. »

Visne adhuc Clementem nostrum de utroque precum genere expressis verbis loquentem audire? Satis tibi facere in promptu nobis erit. De eo quippe qui « ex regula ecclesiastica vere est gnosticus, » hæc ille pronuntiat [93] : « Cui soli id, quod petit, secundum Dei voluntatem tribuitur, καὶ αἰτήσαντι, καὶ ἐννοηθέντι, et petenti, et cogitanti. Quemadmodum enim quidquid vult, potest Deus, ita quidquid petierit gnosticus, id accipit..... et gratiarum actio, et petitio eorum, quæ pertinent ad conversionem proximorum, est opus gnostici. Qua quidem ratione oravit quoque Dominus, gratias quidem agens propter ministerium, rogans autem, ut in cognitione essent quamplurimi, ut in iis qui salvi fiunt, per salutem ex cognitione Deus glorificetur, et qui est solus bonus, et qui est solus servator, per Filium ex sæculo in sæculum cognoscatur. » Valeant sane, qui Clementem patronum volunt asciscere vanæ penitus opinionis, qua a perfecto statu contemplationis extrudi volunt preces ore fusas, actusque, sicuti aiunt, discursivos et reflexos; præfracteque contendunt purum Dei amorem unicum omnium actuum meritorium esse motivum, ac totam vitam interiorem constituere. Noster etenim auctor non solum constantissime affirmat gnosticum plura tam pro se quam pro salute proximorum a Deo verbis et ore, quemadmodum cogitatione et meditatione postulare; verum id etiam invictissime Christi Domini probat exemplo, quem Deo gratias agendo et pro hominum salute rogando preces Patri suo fudisse ostendit.

Sed agedum, et auctorem nostrum de eadem gnostici precatione non minus perspicue disserentem subsequamur. Paulo siquidem post citata a nobis illius verba asserit [94] malos homines orare, ut ea, quæ non habent, bona possideant : « Gnosticus autem, ait ille, eorum quæ possidet, stabilitatem; ad ea autem quæ eventura sunt, aptitudinem; eorum autem quæ est accepturus, petet æternitatem. Quæ autem vere sunt bona, quæ versantur in animo, ea ut et sint sibi, et permaneant, precatur, neque aliquid ex eis, quæ absunt, desiderat, contentus præsentibus. » De gnostico ibi procul dubio disserit Clemens, « qui per indefinitam charitatem est unitus spiritui. » Atqui clarissime idem ipse Clemens docet ab eo postulari eorum, quæ accepturus est, æternitatem; atque ut in bono permaneat et perseveret. Quis ergo nobis insusurrare aut palam objicere audeat Clementem alicubi docuisse non solum a quolibet Christiano homine, sed a gnostico etiam perfectissimo Deum ita pure amari, ut saltem aliquando, et in extremis, uti aiunt, probationibus seu vexationibus de æterna sua beatitudine minime sollicitus, ipsius jacturæ et justæ suæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam falso arbitratur, ultro acquiescat? Nihil certe menti ejus magis contrarium fingi unquam potest.

Sed si is pertinacius contendat ibi Clementem de perfectissimo gnostico, quod tamen manifeste falsum est, non loqui, audiat sane quæ de illo nominatim paulo post idem Clemens subjunxit. « Qui autem ad summum, inquit [95], jam pervenit cognitionis gradum, κορυφαῖος δὲ ἤδη ὁ γνωστικός, precatur ut contemplatio **221** augeatur et permaneat; sicut qui est homo vulgaris, ut sit perpetuo sanus. Jam vero petet etiam, ut a virtute nunquam excidat, maxime adjuvans et dans operam ut perpetuo maneat ejusmodi, ut nunquam possit excidere. Novit etiam aliquos ex angelis propter socordiam humi esse lapsos, quod nondum perfecte ex illa in utramque partem proclivitate in simplicem illum atque unicum se expedissent habitum. » Constat sane, ut vides, nullusque amplius dubitandi locus relinquitur Clementem ibi evidentissime loqui de gnosticorum coryphæo, seu principe et capite, κορυφαίῳ γνωστικῷ. Atqui expressissimis verbis ibidem dicit ab illo peti non solum, ut contemplatio augeatur et permaneat, sed etiam ut nunquam excidat a virtute. Neque porro id petere ipsi « satis est; » verum proposito etiam sibi angelorum, qui in peccatum lapsi sunt, exemplo, similem casum et prolapsionem veritus, dat operam, totisque, ut in bono et gratia perseveret, viribus adnititur.

Quo autem animo, et quid a Deo gnosticus efflagitet, Clemens paucis adhuc postea edisserit. Enimvero hunc ait ad ea, quæ petit, non impetranda, potius quam ad ea, quæ non postulat, consequenda esse paratiorem : « Universa (siquidem illius) vita, inquit Clemens [96], est quidem precatio, et cum Deo conversatio, sed propter insignem sanctitatem est paratior non assequi, si petat, quam assequi, si non petat. »

Pergit auctor noster [97], additque illum, quandoquidem inutilia nunquam petit, id quod vult a Deo semper impetrare. « Quod si mundus sit a peccatis, omnino quod vult assequetur. Justo enim dicit Deus : Pete, et dabo tibi; cogita, et faciam. Si sunt ergo utilia, accipiet protinus : inutilia nunquam petet, et ideo accipiet. Ita quod vult erit. »

Præterea gnosticus ille « petit, » ut ejusdem Clementis verba rursus adhibeamus [98], « ut vitam vivat in carne definitam, ut cognoscendi potestate præditus, ut expers carnis, et consequatur quidem quæ sunt optima, fugiat autem quæ sunt deteriora. »

Denique ut cætera taceamus : « Genus, inquit [99], ipsum precationis est gratiarum actio propter præterita, præsentia et futura, ut quæ sint per fidem jam præsentia. » Ad has autem Deo agendum gratias sic festinat, ut vocantem Deum, si ita loqui fas sit, potius præcedat quam sequatur.

Neque porro pro seipso tantum, sed pro aliis quoque Deum exorat, supplicatque ut dimittantur eorum peccata, atque ad Dei ipsius cognitionem quamprimum perveniant : « Petit sublevationem quoque (Clementis verba sunt [1]) eorum, quæ nos peccavimus, et conversionem ad agnitionem. » Quinetiam Deum ipsum imitando, et illi jubenti morem utique gerendo, pro iis etiam, qui in eum peccaverunt, peccati postulat remissionem : « Scit enim, inquit Clemens [2], Dominum aperte jussisse orare pro inimicis. » Quamobrem non solum acceptæ injuriæ omnino obliviscitur, et ei a quo læsus est, libentissime ignoscit : sed institutam quoque a Christo orationem recitando, Deum pro illo orat et precatur [3] : « Nunquam meminit eorum (ipsamet adhuc Clementis nostri verba sunt [4]) qui in se peccarunt, sed eis remittit. Quocirca juste etiam orat, dicens : Dimitte nobis; nam nos quoque dimittimus. »

Quis ergo, his quæ retulimus auditis, miseram eorum cæcitatem inflexibilemque pervicaciam aut non deploret aut non detestetur, qui Clementem a quolibet etiam perfectissimo gnostico preces ad Deum ore et cogitatione fusas nunquam non desideravisse adhuc inficiari audeant?

[92] Strom. l. VI, p. 665. [93] l. VII, p. 723. [94] ibid., p. 725 et seq. [95] ibid., p. 726. [96] ibid., p. 742. [97] ibid., p. 745. [98] ibid., p. 746. [99] ibid. [1] ibid. [2] ibid., p. 751. [3] ibid., p. 750. [4] ibid., p. 748

Digitized by Google

ARTICULUS IX.

De gnostici divina contemplatione et meditatione, seu mentali, uti aiunt, oratione.

A vocali, ut loquuntur, oratione et precatione ad mentalem, seu divinam gnostici contemplationem aut meditationem, ut transeamus, Clemens Abrahæ exemplo ostendit hominem ad eam attolli [5], primum quidem rerum pulchrarum aspectu, deinde rerum optimarum desiderio, ac tandem illum postea apertis a magistro oculis spiritualia perspicere. His itaque gradibus anima sese supra res corporeas erigens, ad omnipotentis intelligentiam utcunque perducitur. Quamobrem Clemens : « Si ablatis, inquit [6], omnibus, quæ adsunt, corporibus, et iis quæ dicuntur incorporea, nos ipsos abjecerimus ad Christi magnitudinem; et deinde in vastitatem ejus immensitatemque sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis utcunque perveniemus, non quod est, sed quod non est cognoscentes. Figura autem, et motus, vel status, vel sedes, vel locus, vel dextera, vel sinistra de Patre universorum ne sunt quidem cogitanda. »

Ex his Clementis nostri verbis recentiores quidam duo colligi posse arbitrantur, primo contemplantis hominis animam tam nascente contemplationis fervore, quam in extremis vexationibus et tentationibus constitutam, distincto, reflexo, et sub sensum cadente Christi Domini intuitu privari. Deinde in mera illa ac directa contemplatione animam non occupari ulla singulari et finita divinitatis idea ; sed quidquid corporeum et finitum est transcendere; ut in mere intellectuali et a quolibet corpore abstracta divinæ naturæ idea et specie consistat.

Sed hæc a Clementis nostri mente prorsus abhorrere dubium esse non potest. Etenim, ut ingenue fateamur, nobis omnino non constat utrum Clemens ibi de quodam Christianæ speculationis et meditationis statu disputet, vel potius de quadam Christiani philosophi cognitione et scientia, qua ille a corporeis et creatis rebus ad Dei cognitionem gradatim extollitur; ita tamen ut non quod ipse est, sed quod non est, seu negativa, ut scholastici aiunt, ejus attributa, de ipso nihil amplius corporei cogitando, utcunque cognoscat.

Fac tamen Clementem de ipsa, et si velis, perfectissima gnostici meditatione loqui, ne hilum quidem inde promovebis. De ea enim contemplatione sermonem ille facit, qua Deum non ut ipse est, sed negativa, uti diximus, ejus attributa cognoscimus aut contemplamur.

Deinde ab illa contemplatione auctor noster non excludit Christi intuitum, sed dicit nos a rebus creatis sive corporeis sive incorporeis in Christi magnitudinem nosmetipsos projicere, atque inde ad illius immensitatem procedentes, intelligentiam omnipotentis quomodocunque et negative tantum assequi. Quam sane ob causam postea scribit [7] nos, teste Apostolo, in hoc sæculo videre Deum tanquam per speculum, in futuro autem « facie ad faciem per solas illas puras et incorporeas mentis applicationes, » **222** κατὰ μόνας ἐκείνας τὰς ἀκραιφνεῖς καὶ ἀσωμάτους τῆς διανοίας ἐπιβολάς. Solis igitur hominibus vita functis et beatis hanc sublimissimam et penitus spiritualem contemplationem competere Clemens pronuntiat.

Subinde vero continenter addit Platonem existimasse fieri aliquando posse, ut aliquis de Deo disserendo, et absque ulla sensuum ope ratiocinando, ea quæ supereminent transcendat, et apprehendat intelligentia id quod bonum est, verseturque in fine ejus quod eadem intelligentia potest apprehendi. Ex hoc autem posteriori Clementis loco, quem Hervetus non intellexit, rursum colligere haud immerito possumus auctorem nostrum de philosophica, uti diximus, Dei cognitione, potius quam de mentali, ut aiunt, Christiani oratione et meditatione, ibi instituisse disputationem.

At de ipsa Christiani contemplatoris meditatione ille procul dubio disserit, ubi docet magni et excelsi animi gnosticum, qui scientia id, quod est optimum, possidet, facile quidem ad contemplationem moveri et applicari; vel ut ipse loquitur [8] : « Eorum, quæ cadunt in contemplationem, τῶν θεωρητῶν, vim in anima habere permanentem, hoc est, perspicacem scientiæ acrimoniam, τουτέστι τὴν διορατικὴν τῆς ἐπιστήμης δριμύτητα. » Quibus continuo subnectit : « Hanc ut possideat potestatem, quam maxima vi contendit, eaque quæ cum mente pugnant, in potestate habet sua; et in contemplatione quidem perpetuo residens, et in ea se exercens exercitatione, ab eis quæ sunt jucunda se abstinet, et ea quæ sunt facienda recte gerit, magna præterea utens experientia, tam in doctrina quam in iis quæ ad vitam pertinent. » Ex his autem Clementis verbis nonne, inquies, palam omnibus fit Clementi persuasum fuisse dari quemdam contemplationis statum, ut aiunt, habitualem adeo sublimem et perfectum, quo gnosticus omnes actus, quos discursivos appellant, omnino rejiciat, atque illius anima ab omni prorsus opere vacet.

Sed quisquis ita argumentatur, ad Græcum auctoris nostri textum non satis animum advertit. Ita autem habetur : Ταύτην δὲ, ὡς ἔνι μάλιστα, βιάζεται κτήσασθαι τὴν δύναμιν, ἐγκρατὴς γενόμενος τῶν ἀντιστρατευομένων τῷ νῷ· καὶ τῇ μὲν θεωρίᾳ ἀδιαλείπτως προσεδρεύων, τῇ ἐφεκτικῇ δὲ τῶν ἰδεῶν, καὶ τῇ κατορθωτικῇ τῶν πρακτέων ἐγγυμνασάμενος ἀσκήσει, πρὸς τούτοις ἐμπειρίᾳ πολλῇ χρησάμενος, τῇ κατὰ τὴν μάθησίν τε καὶ τὸν βίον. Quæ quidem ad verbum ita reddi debent : « Hanc (nimirum perspicacem, uti diximus, scientiæ acrimoniam), quantum fieri potest, virtutem ut possideat, summis viribus adnititur; ab eis quæ menti adversantur, abstinens (seu eorum compos) factus, et sedulo assidens jugi contemplationi atque ea exercitatione se exercens, quæ delectabilia cohibet, et recte ea, quæ agenda sunt, facit : præterea vero multa utens experientia, sive in doctrina, sive in vita. »

Intelligis sane Clementem ibi loqui de jugi quidem et perpetua gnostici contemplatione, θεωρίᾳ, sed duntaxat quantum fieri potest, ὡς ἔνι μάλιστα, hoc est, quantum humanæ fragilitati et infirmitati conceditur. Qua sane prudentissima exceptione ubique fere semper usus est. Quonam porro modo quantamque jugi illi contemplationi operam humana imbecillitas dare valeat, sapienter ille prætermisit. Atque ea profecto tam provida et necessaria cautio ab iis, qui ad præscribendas mentali orationi seu contemplationi leges tantum laborem impenderunt, adhibita si semper fuisset, in tot errorum scopulos nunquam impegissent.

Præterea non minori Clemens silentio tegit qui sint illius perpetuæ meditationis actus, an directi, an reflexi; neque ex toto sermonis illius contextu quidquam de his actibus elici potest.

Denique perspicue ille declarat hunc gnosticum perpetua illa meditatione se exercendo, non solum a rebus delectabilibus abstinere; sed ea omnia recte semper agere, quæ tam doctrina, qua alios imbuere debet, quam ipsa sua vivendi ratione, qua virtutibus omnibus operam navare queat, ab ipso agenda sunt. Quapropter Clemens virtutes omnes ibidem perstringit, in quas gnosticus ille contemplator per totum vitæ suæ spatium omnem curam et diligentiam debet conferre.

Et vero planum superius [9] fecerat duas esse perfe-

[5] Strom. l. v, p. 585. [6] ibid., p. 592. [7] ibid., p. 583. [8] l. vii, p. 725. [9] ibid., p. 708 et seq.

Digitized by Google

ctæ, quam unigenitus Dei Filius ad sui imaginem gnostico imprimit, contemplationis partes, quarum prima in æternis et divinis, secunda in humanis rebus versatur. Illa speculatur quæ sit prima omnium causa, et is per quem facta sunt omnia, quæ ex his sint transeuntia et continentia, quæ conjuncta vel disjuncta, quem inter se habeant ordinem, quas vires, et quod « unumquodque ministerium afferat. » Ad hæc autem considerat quid sit homo, quid ei secundum et præter naturam, quid illum agere, aut pati oporteat, quæ sint bona, mala et media, quæ vitia et virtutes, et quidquid de his discere et docere homines solent.

Quam certe ob causam, ut Clemens postea scribit[10], gnosticus rebus humanis, ut oportet, et gratias agendo utitur : Ἐπεὶ τὸ τέλος αὐτῷ δι' ἐνεργείας γνωστικῆς τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς εἰς θεωρίαν περαιοῦται. « Quia ejus finis in contemplationem desinit per eam, quæ secundum mandata est, gnosticam operationem. » Atque inde gnosticus magnifice contemplationis magnitudine accepta, « ad tralationis » mercedem promovetur.

At, inquiet aliquis, nonne hæc sunt ipsissima Clementis verba[11] : « Cognitio sive sapientia, γνῶσις εἴτε σοφία, exerceatur oportet ad contemplationis habitum æternum, in quem non cadit alteratio. » Ergo putavit Clemens dari contemplationis θεωρίας habitum æternum, qui nec amplius ad alios actus redire, nec mutari possit. Verum ibi ab auctore nostro, non de Christiana meditatione, sive, ut cum aliis loquamur, oratione mentali, disputatur, sed de sola Dei scientia tam certa et evidenti, ut ab ea homo neque unquam dimoveri possit, neque ad Græcam philosophiam debeat recurrere.

Urgebis tamen, objiciesque alia Clementis verba, quibus diserte affirmat perpetuam nulloque intervallo interruptam gnostici contemplationem esse οὐσίαν τοῦ γινώσκοντος, « cognoscentis substantiam, » vel ut loqui amant, essentiam. « Intelligentia, inquit[12], continua exercitatione fit perpetua intelligentia. Semper autem intelligere essentia est cognoscentis, per temperationem quamdam nullis intervallis interruptam instituta, et perpetua contemplatio, ἀΐδιος θεωρία, manet viva substantia. » Sed ex iis quæ a nobis in superioribus articulis de gnostici operibus, virtutibus et precatione dicta sunt, liquido patet Clementem nostrum ab ipsa, de qua nunc disserit, ejusdem gnostici contemplatione non modo bonas non excludere illius actiones et virtutum opera, sed ea ab eodem gnostico, **223** quantumlibet contemplationi dedito, semper desiderare et exigere.

Quamobrem hæc perpetua contemplatio, quam ille, quoad duntaxat, uti vidimus, fieri potest, a gnostico postulat, nihil aliud est, nisi constantissima animi applicatio, qua Deus ante mentis ejus oculos ita semper obversatur, ut ab illius conspectu minime avulsus, ipsius voluntati et præceptis morem semper gerat, ac sedulam in omnes virtutes, ac præsertim summam erga Deum et proximum charitatem operam conferat. Quocirca ipse Clemens postea : « In vita, inquit[13], contemplativa, ἐν τῷ θεωρητικῷ βίῳ, sui quis curam gerit, dum Deum veneratur, et per suam sinceram purgationem, Deum sanctum sancte contemplatur. Quæ enim assistit temperantia, seipsam assidue considerans et contemplans, Deo, quoad fieri potest, assimilatur. »

Neque est profecto, quod quis miretur Clementem dixisse gnosticum per suam sinceram purgationem, κάθαρσιν, Deum sancte contemplari. Duplicem enim ille distinguit purgationem, quam his verbis luculenter explicat[14] : « Quæ est in corpore prima animæ purgatio, καθαρισμὸς τῆς ψυχῆς πρώτος, ea est abstinentia a malis, quam quidam existimant perfectionem ac consummationem, eaque est, ut semel dicam, perfectio communis Judæi fidelis et Græci. Gnostici autem post eam, quæ ab ejus lege decernitur, perfectionem, ad operationem beneficentiæ justitia procedit : et cui justitiæ augmentum crevit ad beneficentiam, εἰς ἀγαθοποιΐαν, ei perfectio permanet in immutabili habitu beneficentiæ ad Dei similitudinem, τούτῳ ἡ τελείωσις ἐν ἀμεταβόλῳ ἕξει εὐποιΐας καθ' ὁμοίωσιν τοῦ θεοῦ διαμένει. » Nulla certe major esse potest gnostici perfectio, quam ea quæ a Clemente nostro ibi describitur. Atqui ea perfectio seu purgatio non in eo sita est, ut gnosticus nihil agat, aut ut semel vel aliquando benefaciat, sed ut semper benefaciat, atque ad Dei similitudinem in incommutabili beneficentiæ habitu permaneat ac perseveret. Porro autem diserte, ut supra vidimus, Clemens asserit Deum a benefaciendo non posse unquam cessare, quin illico Deus esse desinat. Non putavit ergo gnosticum, quia Deum perpetuo contemplatur, a bonis erga Deum, seipsum et proximum perficiendis operibus cessare; imo vero ex hac perpetua Dei contemplatione bonas gnostici actiones manare et proficisci semper debere pro certo et rato eum habuisse manifestum est.

Nos quidem non fugit eidem Clementi nostro non improbari opinionem philosophorum qui arbitrabantur fas esse animam justa de causa educere, « si quis ab agendo, inquit[15], adeo fuerit remotus, ut nulla ei spes amplius reliqua sit actionis. » Sed ibi Clemens non de otiosa quadam et fictitia quiete loquitur, sed de malarum actionum intermissione; ita ut qui ad Deum sincero animo convertitur, ab omni deinceps malo opere se abstineat. De martyre enim qui coram tyranno Christum intrepide confitetur, hæc continuo Clemens addidit[16] : « Et abstinentia a malis operibus invenitur quodammodo diminutio et exstinctio malorum, dum eorum tollitur operatio per cessationem ab agendo. » Veram idcirco paupertatem aliasque Christianas virtutes in eo positas esse ibidem ostendit, quod anima terrenis rebus nec inhærens, nec earum ducta desiderio, sed ab eis avulsa, ad Deum libere contendat. Hac autem « Dominica exercitatione, » Κυριακῇ ἀσκήσει, dicit Clemens[17] animam lubenter a corpore abduci, ac seipsam transferendo avelli, et ut Christus ait, perditam inveniri.

Eamdem ob causam postea declarat[18] sacrificium Deo acceptum, verumque illius cultum esse, cum anima hominis a corpore suo ejusque affectionibus et vitiis, imo a sensibus separatur. Quinetiam laudem probat philosophos ex Moysis doctrina accepisse hominem a corporeis sensibus sese avertendo, pura solaque mente Deum contemplari. Denique ipse Clemens nos alibi admonet[19], Christum quando nobis vigilare præcepit, perinde esse ac si dixisset : « Meditemini vivere, et tentetis separare animam a corpore; » Μελετᾶτε ζῆν, καὶ χωρίζειν τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος πειρᾶσθε. Observa autem ipsum consulto adhibuisse verbum πειρᾶσθε, hoc est *tentate, conamini, nitimini;* quia homini in hac vita constituto id difficillimum est et paucissimis concessum.

Ex dictis porro certum omnibus et exploratum esse debet Clementem nostrum ab ipso contemplationis, quantumvis perfectissimæ, statu non alias plane, quam malas actiones et affectiones exclusisse, nunquam vero bonas et a Deo imperatas. Ille siquidem ex hac ipsa meditatione eas profluere, et in eis perfectissimum contemplatorem et gnosticum semper exerceri, illasque ipsum, tanquam umbra corpus, sequi semper debere passim, ut superius adnotavimus, docet, repetit et inculcat.

Postremo[20] ut id adhuc adjiciamus, quantumvis

[10] Strom. l. VII, p. 749. [11] l. VI, p. 645. [12] l. IV, p. 529. [13] ibid., p. 535. [14] lib. VI, p. 645. [15] lib. IV, p. 485. [16] ibid. [17] ibid., p. 484. [18] l. V, p. 580. [19] ibid., p. 600. [20] l. VI, p. 654.

Digitized by Google

bet ille perpetuam ac continuam esse voluerit divinam gnostici contemplationem, ipse nihilominus docet eumdem gnosticum humanis disciplinis, musica geometria et dialectica exerceri : « Sumens, inquit, auctor noster [21], ex unaquaque disciplina id quod confert ad veritatem. »

Neque huic doctrinæ quidquam officit, quod ab illo de ejusdem gnostici habitu, quem ἀπάθειαν vocant, traditum in his *Stromatum* libris legitur, uti jam a nobis patefaciendum est.

ARTICULUS X.

De gnostici ἀπαθείᾳ, *seu perturbationum vacuitate.*

« Ἀπάθεια, inquit Augustinus [22], si Latine dici posset, impassibilitas diceretur. » Quam, uti ad Ctesiphontem scribit Hieronymus [23], « nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur : et ut simplicius dicam, vel saxum, vel Deus est. » Itaque Græca vox ἀπάθεια idem Latine sonat, atque affectuum perturbationumque vacuitas.

Plura autem a nobis haud negligenter expendenda sunt, quæ de illa Clemens variis in locis disputat [24]. Primum autem id juvat animadvertere, quod ipse tradidit animam hominis justi spontanea legum observatione fieri semper meliorem; utpote quæ κατὰ προκοπὴν ἑκάστην ἐπεκτεινομένην εἰς ἕξιν ἀπαθείας, ἄχρις ἂν καταντήσῃ εἰς ἄνδρα τέλειον, τῆς γνώσεώς τε ὁμοῦ καὶ κληρονομίας ὑπεροχήν. « Per unumquemque profectum extendatur ad habitum impatibilitatis, donec pervenerit ad virum perfectum, ad cognitionis simul et hæreditatis excellentiam. » Quid autem, amabo te, his verbis sibi vult Clemens, nisi nullum esse justi hominis, in hac vita adhuc degentis, omnino perfectum ἀπαθείας habitum, sed ad illum tunc tantum pervenire, cum æternam beatitudinem obtinuerit.

Tum vero paulo post addidit [25] : Αὕτη τοίνυν ἡ ἐνέργεια **224** τοῦ τελειωθέντος γνωστικοῦ προσομιλεῖν τῷ Θεῷ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως, ἐξομοιούμενον εἰς δύναμιν τῷ Κυρίῳ διὰ πάσης τῆς εἰς τὸν Θεὸν θεραπείας· ἥτις εἰς τὴν τῶν ἀνθρώπων διατείνει σωτηρίαν κατὰ κηδεμονίαν τῆς εἰς ἡμᾶς εὐεργεσίας κατά τε τὴν αὐτὴν λειτουργίαν, κατά τε τὴν διδασκαλίαν, κατά τε τὴν δι' ἔργων εὐποιΐαν. Ναὶ μὴν ἑαυτὸν κτίζει, καὶ δημιουργεῖ· πρὸς δὲ, καὶ τοὺς ἐπαίοντας αὐτοῦ κοσμεῖ, ἐξομοιούμενος Θεῷ ὁ γνωστικὸς, τῷ φύσει τὸ ἀπαθὲς κεκτημένῳ, τὸ ἐξ ἀσκήσεως εἰς ἀπάθειαν συνεσταμένον, ὡς ἔνι μάλιστα, ἐξομοιῶν, καὶ ταῦτα ἀπερισπάστως προσομιλῶν τε καὶ συνὼν τῷ Κυρίῳ. Quæ quidem ad verbum Latine sic sonant: « Ipsa ergo perfecti gnostici actio est cum Deo per summum sacerdotem conversari, postea quam Domino in potestatem assimilatus est, per omnem quem Deo exhibet cultum. Qui quidem cultus ad hominum salutem sese extendit secundum illius in nos beneficentiæ curam, secundum ipsum ministerium ac doctrinam, atque per opera beneficentiam. Jam vero seipsum creat et ædificat. Ad hæc vero gnosticus eos ornat, qui ipsum audiunt, Deo natura sua vacuitatem perturbationum possidenti assimilatus; ad eam ἀπάθειαν, quoad ejus fieri potest, id quod exercitatione constitutum est assimilans, maxime cum Deo semper conversans, et cum Deo exsistens. » Perfectissimi procul dubio gnostici ἀπάθειαν, perturbationum et affectuum vacuitatem Clemens hic explicat. Atqui quemadmodum illam Deo naturaliter insitam esse docet, ita et eam a gnostico exercitatione, divino cultu, perpetua cum Deo conversatione comparari quidem fatetur, sed tantum quantum fieri potest, hoc est quantum humana fragilitas id potest consequi. Hac autem exceptione, quam fere ubique adhibet, et quæ nunquam non debet suppleri, ille haud obscure significat nullum hominem, in hac mortali vita ad illud summæ perfectionis fastigium conscendere, quo deinceps ab omnibus omnino animi perturbationibus et commotionibus liber sit.

Et vero ex iis, quæ de ejusdem gnostici operibus, virtutibus et precatione, ab eodem Clemente disputata sunt, ostendimus quemlibet gnosticum per omne vitæ suæ tempus bonis actionibus incumbere, ac Deum et pro aliis, et pro se, ac potissimum pro contemplationis et perfectionis incremento, ac sua in bono perseverantia precari debere. Nunc autem ex hoc ipso quem exhibemus Clementis loco apertissime colligitur ibidem asseri gnosticum de sua, imo vero et de aliorum salute esse sollicitum.

Quocirca de eodem gnostico, qui corporeis cupiditatibus purus ac sanctis cogitationibus mundus est, et cujus principalis animæ facultas nihil habet adulterinum, hæc ille scribit [26] : Ὅτ' ἂν τοίνυν ἐνδιατρίψῃ τῇ θεωρίᾳ, τῷ θείῳ καθαρῶς ὁμιλῶν ὁ γνωστικὸς μετέχων τῆς ἁγίας ποιότητος, προσεχέστερον ἐν ἕξει γίνεται ταυτότητος ἀπαθοῦς, ὡς μηκέτι ἐπιστήμην ἔχειν καὶ γνῶσιν κεκτῆσθαι· ἐπιστήμην δὲ εἶναι καὶ γνῶσιν. « Quando ergo versatus et immoratus fuerit in contemplatione, cum Deo puram habens consuetudinem, qui est ex cognitione sanctæ qualitatis particeps, propius accedit ad habitum impatibilis identitatis; ut non habeat amplius scientiam et possideat cognitionem, sed sit scientia et cognitio. » De perfectissimo gnostico sermonem ibi a Clemente nostro adhuc instituit nullus plane inficiabitur. At ibidem ipse Clemens declarat hunc non ad habitum quidem pervenire « illius impatibilis identitatis, » sed ad eum propius accedere. Et recte quidem. Noverat enim id humanæ imbecillitatis superare vires, nullumque hominem posse, dum mortalem vitam vivit, ἀπάθειαν, seu perfectam perturbationum omnium vacuitatem adipisci.

Nobis tamen aliquis objiciet ab eodem Clemente nostro expressissimis verbis asseri gnosticum, qui beneficentia, bonisque operibus, atque omni genere virtutum ac injuriarum oblivione perfectus est, quique carne mortuus, spiritu vivit, habitum revera attigisse « impatibilitatis. » Postquam enimvero de bonis illius actionibus et vitæ sanctimonia disseruit, tunc continuo hæc totidem subtexuit verbis [27] : Τούτῳ τέθνηκεν ἡ σὰρξ, ζῇ δὲ αὐτὸς μόνος, ἀφιερώσας τὸν τάφον εἰς ναὸν ἅγιον Κυρίῳ, τὴν παλαιὰν ἁμαρτητικὴν ψυχὴν ἐπιστρέψας πρὸς Θεόν. Οὐκ ἐγκρατὴς οὗτος ἔτι, ἀλλ' ἐν ἕξει γέγονεν ἀπαθείας, σχῆμα θεῖον ἐπενδύσασθαι ἀναμένων. « Ei caro est mortua, vivit autem ipse solus; ut qui sepulcrum in sanctum templum Domino consecraverit, veterem peccatis obnoxiam animam ad Deum convertens. Is non est amplius continens, sed ad habitum pervenit impatibilitatis, ut divinam figuram induat expectans. » Quid vero, quod et ille postea addidit [28] hunc gnosticum « habere virtutem nullatenus vilem et rejiciendam, » Græce habetur οὐχ' ἕξει τὴν ἀρετὴν ἀπόβλητον οὗτος οὐδαμῶς, « vel in somniis, vel ulla visione, » aut phantasia; « quoniam nec a seipso unquam excedit habitus, ab eo quod est esse habitum excidens. » Quis autem hoc major ἀπαθείας habitus dici aut fingi unquam potest?

Nos vero hæc objicienti facile concedimus perfectissimum esse hunc ἀπαθείας habitum, ad quem profecto gnosticus omnibus virtutibus præditus pervenit, uti Clemens quidem significat [29], sed posita semper commemorata superius exceptione, quoad ejus fieri potest, ὡς ἔνι μάλιστα, vel κατὰ δύναμιν, quantum fieri potest, et in ejus potestate est constitutum. Et vero hanc Clemens orationem suam sic absolvit : Αὕτη γὰρ ἡ κατὰ δύναμιν ἐξομοίωσις πρὸς Θεὸν, τὸ φυλάττειν τὸν νοῦν ἐν τῇ κατὰ

[21] l. VI, p. 654. [22] l. XIV, De civitate, cap. 9. [23] epist. adv. Pelag., t. II, p. 196. [24] Strom. l. VII, p. 705. [25] ibid., p. 706. [26] l. IV, p. 490. [27] ibid., p. 529. [28] p. 550. [29] ibid.

Digitized by Google

τὰ αὐτὰ σχέσει· αὕτη δὲ νοῦ σχέσις, ὡς νοῦ, ἡ δὲ ποικίλη διάθεσις γίνεται τῇ πρὸς τὰ ὑλικὰ προσπαθείᾳ. « Hæc est enim quæ fit, quoad ejus fieri potest, Dei assimilatio, mentem conservare in ea habitudine et relatione, quæ sit in eis, quæ sunt eadem; hæc est autem mentis habitudo tanquam mentis. Varia autem affectio fit per eam, quæ est erga res materiales affectionem. » Gnostici itaque ἀπάθειαν et Dei assimilationem eam esse ait, qua æterna et divina, quoad ejus fieri potest, semper contempletur, neque ad terrena et corporea, quæ infirmi, ut diximus, corporis sui necessitas non exigit, deinceps redeat ac reflectatur.

At alius fortasse quispiam urgebit « principalem animæ » gnostici illius « partem » a Clemente [30] ibidem dici « immutabilem et invariabilem » manere, ἀναλλοίωτον τὸ ἡγεμονικὸν μένον, quandoquidem ex diurnis motibus nec ullam, ne quidem somnians, admittit visorum varietatem, nec eum subeunt unquam diversæ notiones. Sed illic adhuc suppleri debet exceptio « quantum fieri potest, » quemadmodum ex iis, quæ ex eodem Clemente de somno diximus, et quæ adhuc a nobis mox dicenda sunt, planum est et manifestum.

Eodem itaque sensu postea Clemens noster contra quosdam hæreticos, quorum nomini pepercit, pulchre demonstrat ea, quæ ad usum nostrum creata sunt, esse reipsa bona, sed aliquod bonum alio esse melius : « Per eam, inquit [31], quæ est Deo assimilationem evadere impatibilem et virtute præditum, » πρὸς τὸ θεῖον ἐξομοίωσιν ἀπαθῆ καὶ ἐνάρετον γίνεσθαι. Et rursus **225** paulo post : « In summa, ait ipse [32], patibilitas est in quovis genere cupiditatis. Qui autem ad impatibilitatem deductus homo, εἰς δὲ τὴν ἀπάθειαν θεούμενος ἄνθρωπος ἀχράντως μοναδικὸς γίνεται, Deus efficitur citra ullum inquinamentum, fit unicus. »

Sed ibi adhuc Clemens eam ἀπάθειαν vindicat, quam homo pro sua virili, hoc est infirma parte comparare potest. Superius enim dixerat hominem natura sua esse perturbationibus animi obnoxium, ac sola virtute earum fieri expertem. Ad ejus, quæso, verba animum adverte [33] : Ἡ μὲν τοῦ ἀνθρώπου ἀνδρεία, ἐμπαθοῦς ὄντος, φασὶ, κατὰ τὴν οὐσίαν, ἄφοβον καὶ ἀήττητον τὸν μετέχοντα αὐτῆς ποιεῖ, καὶ ἔστι δορυφόρος τοῦ νοῦ ὁ θυμὸς ἐν ὑπομονῇ, καὶ καρτερίᾳ, καὶ τοῖς ὁμοίοις. Ἐπὶ δὲ τῇ ἐπιθυμίᾳ τάττεται καὶ ἡ σωφροσύνη, καὶ ἡ σωτήριος φρόνησις. « Hominis quidem magni et fortis animi virtus, cum sit, ut aiunt, essentia sua perturbationibus animi obnoxius, reddit metus expertem et insuperabilem eum, qui est ejus particeps; estque ira mentis satelles in patientia et tolerantia, et iis quæ sunt similia. Sub cupiditate autem collocatur et temperantia, et salutaris prudentia. » Qui ergo natura, et si vis essentia sua perturbationibus motibusque animi obnoxius est, eorum expers omnino et immunis esse nequit. At multo minus fieri poterit, ut homo ad ἀπαθείας, « impassibilitatis, » ut ita cum Augustino et Hieronymo loquamur, habitum, sive constantem ac permanentem, quem Deus natura sua possidet, statum in hac unquam vita perveniat. Mens itaque Clementis nostri et opinio alia non fuit, nisi hominem illius ἀπαθείας, et Dei assimilationis, quoad ejus fieri potest, ac prout fragilis naturæ humanæ viribus conceditur, aliquando, sed nunquam per totum deinceps reliquum vitæ suæ tempus compotem fieri.

Porro autem cum Clemens ibidem asseveret ipsam quoque temperantiam et salutarem prudentiam sub cupiditate, nimirum bona, collocari; hinc certe liquet illum a gnostico, etiam perfecto, malam tantum excludere cupiditatem, qua scilicet in grave peccatum prolabatur. Quam procul dubio ob causam dixit [34] eumdem gnosticum ἀπαθείᾳ hujusmodi Deum, ἀχράντως, « citra inquinamentum, » effici, atque illum « per suam sinceram purgationem, » διὰ τῆς ἰδίας εἰλικρινοῦς καθάρσεως, Deum contemplari, atque ipsi κατὰ δύναμιν, quantum fieri potest, assimilari.

At nihil inde quidpiam nonnulli remittentes, instabunt Clementem negasse [35] in perfecto gnostico admittendas esse ullas omnino cupiditates, non confidentiam, quia in rebus gravibus et molestis non versatur, nihilque eum a Dei charitate potest avellere : neque iram, quandoquidem ita Deum diligit, ut nullam creaturam odio habeat; non æmulationem, nihil quippe quo sit bonus et honestus, ad assimilationem ei deest. Denique ne omnibus, quæ ille singulatim recenset, commemorandis longiores simus, sufficiat hic referre, quod ille uno verbo concludit [36] : Ἐξαιρετέον ἄρα τὸν γνωστικὸν ἡμῖν καὶ τέλειον ἀπὸ παντὸς ψυχικοῦ πάθους· ἡ μὲν γὰρ γνῶσις συνάσκησιν, ἡ συνάσκησις δὲ ἕξιν ἢ διάθεσιν ἐργάζεται. « Eximendus est ergo gnosticus a quavis animi perturbatione; cognitio enim exercitationem, exercitatio autem habitum seu affectionem efficit. »

Sed qui hæc nobis objicient, ii sedulo animadvertant Clementem ibi disputare de perfectis gnosticis, quales erant post Christi Domini resurrectionem apostoli, qui victis cupiditatibus, in stabili et constanti virtutis habitu, ab omni vicissitudine et commutatione alieni perseveraverunt. Atqui supra ostendimus hanc apostolorum ἀπάθειαν non impedivisse, quominus illi in venialia quædam laberentur peccata; sed effecisse, ut a perfecta Dei charitate et gratia, uti aiunt, sanctificante et habituali neque unquam excideremt, neque ab ea divellerentur. Simili autem sensu de aliis perfectis gnosticis idem hoc ipso, qui objicitur, loco Clemens dicit eos nulla perturbatione aut commotione animi a Dei charitate sejungi et separari. Quamobrem ille ex iis quæ dixerat, concludit [37] : « Merito ergo manet in uno immutabili habitu, diligens ex cognitione, » γνωστικῶς ἀγαπῶν. Inde autem fieri putat, ut ille, sicut dictum est, nec vehementi ardeat studio, nec cupiditate, quippe qui per charitatem Deo conjunctus sit. Quod quidem ab eodem Clemente nostro hac ibidem ratione probatur [38] : « Fieri enim non potest, ut qui jam semel est consummatus per charitatem, et inexplebilem contemplationis delectationem æterne et insatiabiliter percipit, eaque fruitur, parvis et humilibus quibusdam et abjectis delectetur. Quæ enim justa ei amplius restat causa, cur ad bona mundana, κοσμικὰ ἀγαθά, revertatur, qui eam acceperit lucem, ad quam non patet aditus. » In hoc igitur Clemens positam esse censuit gnostici ἀπάθειαν, ut summa charitate Deo conjunctus, ad abjecta caducaque hujus mundi bona non redeat, nec iis delectetur.

Quod si quis adhuc instet et urgeat Clementem ibi constanter affirmare gnostico perfecto non amplius fortitudine vel temperantia opus esse [39] : « quandoquidem morte affecit cupiditates suas, et corpore non amplius utitur, » hunc ad subsequentia mittemus de eodem gnostico verba [40] : « Semper optabit recta, et recte se gerentem tenere fidem, et præterea quamplurimos sibi fieri similes ad Dei gloriam, quæ perficitur per cognitionem. Est enim salutaris, qui Servatori assimilatur, quatenus humanæ naturæ fas est, ad ejus pervenire imaginem, in exsequendis præceptis, ea minime transgrediendo recte se gerens. Hoc autem est Deum colere per eam, quæ vere est, justitiam factorum et cognitionis. » Quantumlibet itaque ex Clementis nostri sententia ἀπαθής, affectionis, perturbationis et cupiditatis expers et vacuus gnosticus dicatur, ille tamen semper et perfectam sibi fidem, et salutem alis

[30] ibid. [31] ibid., p. 533. [32] ibid., p. 535. [33] ibid. [34] ibid. [35] l. VI, p. 650 et seq. [36] p. 651. [37] ibid. [38] ibid. [39] ibid., p. 652. [40] ibid., p. 653.

Digitized by Google

optabit, semper Dei præceptis obtemperabit, Deumque non solum cognitione, sed factis etiam colet eique serviet.

Deinde vero Clemens de illa Servatoris assimilatione et « impatibilitate » tantum loquitur, cujus natura humana capax est, ἀνθρωπίνῃ φύσει θέμις, quatenus humanæ naturæ licet. Quanta autem sit humana fragilitas, quis nesciat?

Præterea ubi Clemens scripsit gnosticum non amplius uti corpore, continenter subjunxit [61] : « Sed solum permittit uti necessariis, ne ei præbeat causam dissolutionis. » Is autem rerum tantum necessariarum usus nonne temperantiam et continentiam secum importat et exigit? Hoc autem ipsum Clemens paulo post asseverat [62], uti a nobis, ubi de gnostici virtutibus disseruimus, jam observatum est. Quinimo ibidem diserte affirmat eumdem gnosticum humanis, quemadmodum adhuc vidimus, disciplinis ad cognoscendam veritatem exerceri.

Visne hæc tibi aliis auctoris nostri testimoniis probari? Non longe ea quæremus. Nam in eodem libro hæc ab ipso scripta postmodum legimus [63] : « Quæ Servatori nostro fit assimilatio, exoritur gnostico, qui quidem evasit perfectus, εἰς ὅσον ἀνθρωπίνῃ θεμιτὸν **226** φύσει, quantum licet humanæ naturæ, sicut Pater, inquit [64], qui est in cœlis. » Eum quoque « in cognitione consummatum » dixit esse, ἐξομοιούμενον εἰς δύναμιν τῷ Κυρίῳ, « pro viribus Domino assimilatum » pietate, doctrina et bonorum operum effectione. Addit [65] autem ipsum habere ἀπάθειαν, sed ὡς ἔνι μάλιστα, quoad ejus fieri potest.

Ubi vero ex Apostoli ad Corinthios Epistola perfecti gnostici exemplar proponit et exhibet, ibi quidem docet ei sanctum esse contingere, ita tamen ut in nullam recidat perturbationem, et sit in carne, perinde ac si carne careat : sed postea subjungit [66] : Καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, ὡς ἔνι μάλιστα, κατὰ δύναμιν, ἀνεκράθητε, « et Spiritui sancto, quoad ejus fieri potuit, commisti estis. » Non solam hic, uti vides, exceptionem, ὡς ἔνι μάλιστα, adhibuit, sed insuper adjecit, κατὰ δύναμιν, secundum humanas vires et virtutem.

Denique, ut plura alia omittamus, ille palam alicubi declarat [67] gnosticum, ut jam diximus, per unumquemque progressum extendi εἰς ἕξιν ἀπαθείας, « ad habitum vacuitatis perturbationum, seu impatibilitatis, » donec ad virum perfectum et æternam hæreditatem pervenerit. Quibus sane verbis clarissime significat gnosticum perfectæ ἀπαθείας tum tantum fieri compotem, cum post hujus vitæ decursum æterna beatitudine perfruetur. Et hæc quidem ex iis omnibus, quæ hactenus de variis gnostici progressibus, de bonis illius operibus, virtutibus, precibus et contemplatione disputata sunt, mirum plane in modum et invictissime stabiliuntur ac confirmantur.

Non alia itaque Clementis nostri de gnostici impatibilitate, ἀπαθείᾳ, quam aliorum Ecclesiæ Patrum ac præsertim Augustini, mens sententiaque fuit. Ut vero id omnibus magis planum manifestumque fiat, describendus est integer, etsi paulo longior, ejusdem Augustini locus, ubi data opera de illo ἀπαθείας vocabulo ita disserit [68] : « Illa quæ ἀπάθεια Græce dicitur, quæ si Latine posset impassibilitas diceretur, sic intelligenda est (in animo quippe, non in corpore accipitur), ut sine his affectionibus vivatur, quæ contra rationem accidunt mentemque perturbant, bona plane et maxime optanda est, sed nec ipsa hujus est vitæ. Non enim qualiumcunque hominum vox est, sed maxime piorum, multumque justorum atque sanctorum : « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. » Tunc itaque ἀπάθεια ista erit, quando peccatum in homine nullum erit. Nunc vero satis bene vivitur, si sine crimine; sine peccato autem qui se vivere existimat, non id agit ut peccatum non habeat. Porro si ἀπάθεια ista dicenda est, cum animum contingere omnino non potest ullus affectus, quis hunc stuporem non omnibus vitiis judicat esse pejorem? Potest ergo non absurde dici perfectam beatitudinem sine stimulo timoris, et sine ulla tristitia futuram; non ibi autem futurum amorem gaudiumque quis dixerit, nisi omnimodo a veritate seclusus? Si autem ἀπάθεια illa est, ubi nec metus ullus exterret, nec angit dolor, aversanda est in hac vita, si recte, hoc est, secundum Deum vivere volumus; in illa vero beata, quæ sempiterna promittitur, plane speranda est. »

Eamdem porro esse Clementis nostri mentem inde liquet, quod ille post exhibitum perfecti, ut diximus, gnostici ex Apostolo specimen, continuo subjunxit [69] : « Intelligent quemadmodum dictum sit a Domino : *Estote, ut Pater vester, perfecti* [70], perfecte peccata remittentes, et acceptæ injuriæ obliviscentes, et viventes in habitu impatibilitatis. Sicut enim perfectum dicimus medicum, et perfectum philosophum; ita, ut opinor, καὶ τέλειον γνωστικόν, et perfectum gnosticum. Sed nihil ex iis, et si sit maximum, assimilatur ad Dei similitudinem. Non enim, ut Stoici valde impie, hominis et Dei eamdem dicimus esse virtutem. Annon ergo debemus esse perfecti, ut vult Pater? Nequaquam enim fieri potest, ut sit aliquis perfectus, ut est Deus : vult autem Pater nos ita viventes, ut obediamus Evangelio, perfectos fieri citra reprehensionem. »

Non divinam itaque aliquam, aut Stoicam ἀπάθειαν, sive, ut ait Augustinus, « stuporem omnibus vitiis pejorem, » ab homine hanc vitam degente desiderat; sed eam duntaxat perturbationum vacuitatem et perfectionem, quam pro virili sua parte et fragilitate homo comparare potest. Quod quidem eo invicte asseritur, quia Clemens nullum omni omnino virtute in hac vita perfectum, uti observavimus, nisi Christum Dominum fuisse constanter asseverat.

Quamobrem ille disertissime alibi pronuntiat [71] : « Est ergo unus quidem solus ab omni cupiditate alienus ab initio, benignus et clemens Dominus, qui propter nos quoque est homo. Quicunque autem student assimilari characteri, qui ab ipso datus est, ut fiant expertes cupiditatis, magna vi contendunt ab exercitatione. »

Verum nescio quem audire nobis videmur adhuc murmurantem, nobisque objectantem a vero prorsus non abhorrere, qui dixerit Clementem, qui Christianam perfectionem ethnicæ longe præstare ubique prædicat, existimavisse Christianum hominem ad eam pervenire ἀπάθειαν, quam ipsimet pagani Stoicis suis ascripsisse dicuntur. Tullius siquidem Pyrrhonis opinionem his exposuit verbis [72] : « Hujus (scilicet Aristoni) summum bonum est in rebus neutram in partem moveri; quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem ea ne sentire quidem : quæ ἀπαθῆ, sive quæ ἀπάθεια nominatur. » Sed qui hæc objecerit meminisse debet, primum hanc Stoicorum opinionem, teste Hieronymo, erroneam esse sacræque Scripturæ penitus adversari. Ad Ctesiphontem enimvero hæc ille in verba scribit [73] : « Quæ enim potest alia major esse temeritas, quam Dei sibi non dicam similitudinem, sed æqualitatem vindicare; et brevi sententia omnium hæreticorum venena complecti, quæ de philosophorum, et maxime Pythagoræ et Zenonis principis Stoico-

[61] Strom., l. VII, p. 652. [62] p. 654. [63] ibid., p. 666. [64] l. VII, p. 706. [65] ibid. [66] ibid. p. 732. [67] ibid., p. 705. [68] l. XIV De civit., c. 9, § 4, p. 360. [69] l. VII, p. 732. [70] Matth. V, 48. [71] l. VII, p. 742. [72] l. IV Acad. quæst., p. 35. [73] init. epist. ad Ctesiph. adv. Pel.

Digitized by Google

rum, fonte manarunt. Illi enim quæ Græci appellant πάθη, nos perturbationes possumus dicere, ægritudinem videlicet et gaudium, spem et metum, quorum duo præsentia, duo futura sunt, asserunt exstirpari posse de mentibus, et nullam fibram radicemque vitiorum in homine omnino residere meditatione et assidua exercitatione virtutum. » In secundo autem *adversus Pelagianos* libro : « Quatuor, inquit [54], sunt perturbationes, quibus genus vexatur humanum... quibus ad perfectum carere juxta Stoicos, Zenonem videlicet et Chrysippum, possibile est; juxta Peripateticos autem et difficile et impossibile, cui sententiæ omnis Scripturæ sanctæ consentit auctoritas. » Validis autem et firmissimis, uti putamus, rationum argumentis, et citatis paulo ante Clementis nostri verbis demonstravimus illum doctrinæ in sacra Scriptura traditæ tenacissimum, in hunc erroris, ipsi adeo contrarii, scopulum nullo plane modo offendisse, nec eum **227** admisisse stuporem, quem uti ex Augustino diximus, quisque « omnibus vitiis judicat esse pejorem. » Deinde vero idem Augustinus Tullii Agelliique auctoritate probare conatur Stoicos ab aliorum philosophorum de animi perturbationibus sententia non recessisse, atque illos inter ac Platonicos et Peripateticos potius de verbis quam de rebus fuisse contentionem. Quod quidem cum ille Ciceronis testimonio comprobasset, ita concludit [55] : « Videtur ergo mihi in hoc, ubi quæritur, utrum accidant sapienti passiones animi, an ab eis sit prorsus alienus, de verbis potius quam de rebus facere controversiam. Nam et ipsos nihil hinc aliud, quam Platonicos et Peripateticos sentire existimo, quantum ad vim rerum attinet, non ad vocabulorum sonum. » Quo quidem Agellii rationibus firmiter stabilito, hanc rursus elicit conclusionem [56] : « Quæ si ita sunt, aut nihil, aut pene nihil distat inter Stoicorum aliorumque philosophorum opinionem de passionibus et perturbationibus animorum : utrique enim mentem rationemque sapientis ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortasse dicunt eas in sapientem non cadere Stoici, quia nequaquam ejus sapientiam, qua utique sapiens est, ullo errore obnubilant aut labe subvertunt. Accidunt autem animo sapientis, salva serenitate sapientiæ, propter illa quæ commoda vel incommoda appellant, quamvis ea nolint dicere bona vel mala. » Mirum itaque nonnullis videtur hanc omnigenam ἀπαθείας perfectionem Stoicis ab Hieronymo attribui, quam illis Augustinus tanto studio abjudicare conatus est. Verum quidquid de ea, de qua fuse Lipsius disputat [57], dixeris, nobis certe Clementem ab eorum, si in aliquem lapsi fuerint, errore vindicasse sufficit.

ARTICULUS XI.

De gnostici cum Deo, Verbo divino et Christo similitudine; et quo sensu Clemens dixerit virtutem ab eo amitti non posse.

Erit fortasse aliquis, qui contra hanc veram genuinamque ἀπαθείας, a Clemente nostro asserta, expositionem nobis objiciat, ab illo disertissimis verbis declarari gnosticum ἀπαθείᾳ, seu affectuum vacuitate fieri Deo plane similem. Nam ipse testatum nobis facit illum, quæ honesta et jucundissima sunt, consectando, assequi eam animi tranquillitatem, qua ille Deus revera fiat : « Hoc, inquit [58], modo fieri potest, ut gnosticus jam Deus evaserit : *Ego dixi : Dii estis et filii Altissimi* [59]. » Quod quidem non tantum Psalmistæ, sed Platonis quoque auctoritate confirmat [60] : « Eum qui Deum, A in quem non cadit aspectus, contemplatur, dixit Deum viventem inter homines [61]. »

Fatemur quidem id a Clemente nostro non semel, sed sæpe sæpius dictum assertumque fuisse; sed quid ille hac divina similitudine et assimilatione intellexerit, ipsemet tam clare edisserit, ut nullo penitus interprete indigeat. Nam de ea sermonem ubi facit [62], fere semper addidit gnosticum non quidem omnino, sed quoad fieri potest, quantum homini fas est, ac pro illius viribus et infirmitate, Deo assimilari. Hujus autem exceptionis tot in his *Stromatum* libris sese legentibus offerunt exempla, ut vix aliud quidquam in illis frequentius repetitum occurrere videatur. Plura in superiori articulo exhibita sunt; ex aliis autem ut pauca quædam nunc seligamus, illud primum adnotandum est, quod post objecta nobis verba in eodem libro habetur [63] : « Qui consistit in cognitione, ἐν γνώσει, Deo, εἰς ὅσον δύναται, quantum potest, assimilatus, jam est spiritualis, et ideo electus. » In libro autem septimo : B « Abluti, ait [64], estis, non absolute, ut reliqui; sed cum per cognitionem abjecistis animæ affectiones; ut ὅση δύναμις, pro viribus assimilaremini bonitati Dei providentiæ et per tolerantiam, et per acceptæ injuriæ oblivionem. » Prius vero libro secundo : « Hic est, inquit [65], ad imaginem et similitudinem gnosticus, qui Deum imitatur, quoad ejus fieri potest. »

Eumdem plane in modum de gnostici cum Verbo divino, atque etiam cum ipso humana carne induto similitudine loquitur. In secundo siquidem eodem libro de illa sic ipse adhuc scribit [66] : « Recte autem Verbo, quoad ejus fieri potest, assimilatio est finis, et in perfectam adoptionem per Filium restitutio. » Alibi vero [67] : « Est salutaris, qui Servatori assimilatur, quatenus naturæ humanæ fas est, ad ejus pervenire imaginem, in exsequendis præceptis ea minime transgrediendo, recte se gerens. »

C Ad eum itaque modum, sicut alibi Clemens significat [68] : « Gnosticum perfectum esse vult Servator sicut Patrem cœlestem, hoc est, seipsum : » non quidem cumulatissima perfectione, quam ipsi soli competere, ut vidimus, testatus est : sed quam homo in hac mortali vita potest consequi. Quid vero, quod illum etsi angelis similem esse renuntiet, in tamen inferiorem esse alibi affirmat [69] ?

Non mediocrem porro huic doctrinæ lucem afferre illa possunt, quæ ab eodem Clemente nostro de hujusce divinæ assimilationis norma et regula, illiusque comparandæ modis memoriæ prodita sunt. Ipsissima enimvero de iis hæc legimus illius verba [70] : « Mansuetudo, ut ego quidem opinor, et benignitas, magnificusque et majestate plenus Dei cultus, sunt regulæ assimilationis gnosticæ, γνωστικῆς ἐξομοιώσεως κανόνες. » Addit autem his virtutibus, ac perfecta divinarum legum observatione, gnosticum ad supremum contemplationis D gradum evehi, eique a Dei Filio sui imaginem imprimi, « ut sit jam, inquit [71], tertia divina imago, quæ quoad ejus fieri potest, ὡς εἶναι, assimilatur causæ secundæ, eique quæ est revera vita, per quam veram vitam vivimus. » Manifestum præterea facit in anima gnostici hanc divinam effigiem bonis inscribi operibus : « Hic divinam, ait Clemens [72], inveniemus effigiem, et sanctam imaginem in justi anima, quando ea quidem fuerit beata; ut quæ est præpurgata, beata autem efficiat opera. » Postremo, quemadmodum discipuli fiunt magistris suis similes, « ita qui paret Domino (ut Clemens loquitur [73]) et per eum datam sequitur prophetiam,

[54] lib. II adv. Pelag. longe post init. [55] Aug., l. IX De civ., c. 4, § 1. [56] ibid., § 3. [57] t. IV, l. III Manud. ad Stoic. philosoph., dissert. 7, p. 499 et seq. [58] l. IV, p. 534. [59] Psal. LXXXI, 6. [60] ibid., p. 537. [61] Plato in soph., t. III, p. 216. [62] l. II, p. 427. [63] l. IV, p. 542. [64] l. VII, p. 751. [65] l. II, p. 402. [66] l. II, p. 449. [67] l. VI, p. 653. [68] l. VII, p. 748. [69] l. VI, p. 666; l. VII, p. 746; l. IV, p. 477. [70] l. VII, p. 706. [71] ibid., p. 708. [72] ibid., p. 715. [73] ibid., p. 761.

Digitized by Google

effic tur ad magistri imaginem Deus, qui in carne vers atur, κατ' εἰκόνα τοῦ διδασκάλου ἐν σαρκὶ περιπολῶν θεός. » His ergo modis Clemens gnosticum Christo, Filio Dei, et ipsimet ejus Patri similem, imo et Deum effici diserte pronuntiat.

Porro autem ex statutis a Clemente adipiscendæ divinæ assimilationis regulis, et ex his omnibus quæ ab ipso de hac gnostici cum Deo similitudine summaque ejus perfectione et ἀπαθείας habitu observata sunt, evidentissime colligitur persuasum ei penitus fuisse ad illas eumdem gnosticum in hac vita non conscendere, nisi quoad ejus fieri potest, et quantum humanæ, ut diximus, fragilitati licet et concessum est. Neque etiam minus evidenter omnibus certum fixumque esse debet, recentiores quosdam **228** tota via aberrare, qui eumdem Clementem nostrum fictitiarum quarumdam de vita, uti aiunt, spirituali et contemplativa opinionum suarum patronum et defensorem sibi adsciscere perperam conati sunt.

At ii forsitan pertinacius erroribus suis adhærentes, urgebunt Clementem non semel dixisse gnosticum in immutabili beneficentiæ habitu ad Dei similitudinem permanere, nec ipsam virtutem posse ab illo amitti. Quid ergo? Nunquid Clemens acerrimus, quemadmodum vidimus, orthodoxæ doctrinæ propugnator et defensor, ad hunc allisit tanti erroris scopulum, et, ut loqui amant, in portu naufragium fecit? Nonne ab illo ipso audivimus constantissime affirmari gnosticum a Deo postulare contemplationis virtutisque incrementum, et in virtute finalem, ut scholastico more loquamur, perseverantiam.

Sed conjecturis, inquient, in re apertissima opus nihil est. Ipse siquidem Clemens totidem verbis dixit [74]: « Cui justitiæ incrementum crevit ad beneficentiam, ei perfectio permanet in immutabili habitu ad Dei similitudinem, » τούτῳ ἡ τελείωσις ἐν ἀμεταβόλῳ ἕξει εὐποιίας καθ' ὁμοίωσιν τοῦ Θεοῦ διαμένει. Sed hi certe Clementis nostri mentem minime perspectam habuerunt. Ibi quippe ille docet duplicem esse animæ purgationem, unam quidem a malis abstinendo, alteram vero ad Dei instar benefaciendo. In hoc autem beneficentiæ incommutabili habitu dicit eum tandiu perseverare, quandiu Dei mandatis obtemperat, nec a divina charitate divellitur.

Neque hæc velim objicias alia Clementis verba [75]: « Quod si Deum didicit diligere, non habebit virtutem, ut ea possit amitti. » Superius siquidem admonuimus hæc ibi Græca esse Clementis verba: ἀρετὴν ἀπόβλητον, illaque idem sonare ac « vilem et abjectam virtutem. » Sensus itaque Clementis est gnosticum illum non ea virtute ornatum esse, quæ nutans et vacillans fluctuet; sed quæ constans sit, firma et stabilis, qua quidem efficitur, ut ejus anima nullis perturbationibus in Deum divinamque ejus legem mortaliter, ut aiunt, peccando moveatur et vincatur.

Contra tamen vehementius instabis Clementem expressissimis statuisse verbis quemadmodum lapidi gravitatem, sic gnostico naturalem fieri virtutis habitum; ita ut ab illa amplius excidere non possit. Totidem quippe hæc sunt ejusdem Clementis verba [76]: « Ei ergo qui exercitatione profecta ex cognitione paraverit virtutem, quæ non potest amitti, efficitur naturalis habitus. Et sicut lapidi gravitas, ita ejus scientia evadit hujusmodi, ut amitti non possit, nec invito, sed sponte, vi rationis et cognitionis, atque providentiæ eo deducitur, ut non amittatur. » Verum qui ita argumentatur, is ea quæ antecedunt et subsequuntur, ac plura, quæ in hac, qua usus est, horum *Stromatum* editione prætermissa sunt, aut dissimulasse, aut non satis advertisse videtur. Prius quippe Clemens scriptis tradiderat [77]: « Jam vero petet etiam ut a virtute nunquam excidat, maxime adjuvans et dans operam ut perpetuo maneat ejusmodi, ut non possit excidere. » At si gnosticus ille virtutem non posset amplius amittere, operam frustra impenderet frustraque peteret; ut sibi ab ea non excidere, atque in illa perpetuo manere semperque perseverare daretur.

Deinde vero secundæ Operum Clementis editioni, ubi objectus nobis locus occurrit, qui præfectus est, dum voluit Herveti interpretationem emendare, ipse Græcum auctoris textum integrum Latine non reddidit. Nam ita etiam in Græcis editionibus legitur [78]: Τῷ ἄρα ἀναπόβλητον τὴν ἀρετὴν ἀσκήσει γνωστικῇ πεποιημένῳ φυσιοῦται ἡ ἕξις· καὶ καθάπερ τῷ λίθῳ τὸ βάρος, οὕτως τοῦδε ἡ ἐπιστήμη ἀναπόβλητος, οὐκ ἀκουσίως, ἀλλ' ἑκουσίως, δυνάμει λογικῇ, καὶ γνωστικῇ, καὶ προνοητικῇ καθίσταται· ἐπὶ δὲ τὸ μὴ ἀποβληθῆναι δι' εὐλαβείας ἀναπόβλητον γίνεται· τῆς μὲν εὐλαβείας πρὸς τὸ μὴ ἁμαρτάνειν, τῆς δὲ εὐλογιστίας πρὸς τὸ ἀναπόβλητον τῆς ἀρετῆς ἀνθέξεται. Quæ quidem posteriora verba in eadem editione sic Latine reddita sunt: « Quippe cavendo eo deducitur, ut amitti non possit. » Sed, ut vides, hac interpretatione Græcus textus detruncatur, non redditur. Hervetus vero ea sic interpretatus fuerat: « Quoniam autem non amissum esse per cautionem fit ut amitti non possit: cautionem quidem ad hoc, ut non peccet; bonam autem cautionem ad hoc, ut virtus non amittatur, retinebit. » Nobis autem hic sane videtur esse Græcorum auctoris nostri verborum sensus, virtutem a gnostico Christiano non posse amitti, non quidem involuntarie, οὐκ ἀκουσίως, ita ut absolute et necessario eam conservet; sed voluntarie, ἀλλ' ἑκουσίως, ratione scilicet et providentia, cavendo ne in peccatum incurrat. Cujus hanc Clemens profert rationem, quia εὐλαβείᾳ, reverentia et pietate, atque εὐλογιστίᾳ, ratione bene composita, sive providentia, sic peccatum cavet et declinat, ut ejus virtus amitti non possit.

Denique etiamsi genuinum hunc verumque verborum Clementis sensum Græcus ille textus, Latinaque illius interpretatio plane non demonstraret, ex his tamen quæ sequuntur, quemadmodum ex superioribus a nobis paulo ante exhibitis, haud obscure colligitur non aliam plane, quam diximus, fuisse illius mentem et sententiam. Quod quidem ex his, quæ ille ibidem adjecit, pulchre confirmari potest. Hæc quippe sunt ipsissima ejus verba [79]: « Sic ergo habet omnia bona gnosticus in potestate, sed nondum etiam numero; nam alioqui dimoveri non posset, quod attinet ad divinos, qui debentur profectus et administrationes. » At his Clemens verbis palam profitetur gnosticum in hac vita posse a bono et virtute dimoveri, nec nisi post mortem, cum felicitate æterna fruetur, illud ab ipso amitti non posse.

Nihil itaque in hac Clementis sententia et doctrina quidpiam deprehendi potest, quod omnino rectum non sit ac plane orthodoxum. Et vero nihil ibi ille prorsus dixit, quod postea ab Ambrosio in hæc verba, quæ nemo tamen erroris insimulare audeat, dictum non fuerit: « Tanta, » inquit eximius ille doctor [80], « vis consummatæ emendationis est, ut in quamdam pueritiæ redeat spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen, etiamsi velit, non possit admittere, quia desueverit usum nosse peccandi. » In eumdem certe sensum noster Clemens asseruit in gnostico solidam et immutabilem boni possessionem per illius scientiam constitui [81]. Docet enim ibidem illum adversus omnem tentationem insurgere et pugnare, ac tandem alibi

[74] l. VI, p. 645. [75] l. IV, p. 530. [76] l. VII, p. 726. [77] ibid. [78] ibid. [79] ibid., p. 727. [80] Serm. 22, in psal. CXVIII, § 4, p. 1247. [81] Strom. l. VII, p. 741.

Digitized by Google

tradit ipsum, uti non semel diximus, postulare in bono et virtute atque contemplatione perseverantiam.

Verum hanc Clementis nostri de gnostico doctrinam ea adhuc patefacient et illustrabunt, quæ ipse de martyribus, quos gnosticorum perfectissimos **229** esse constanter asseverat, in his passim *Stromatum* libris, uti mox videbimus, posteritati commendavit.

ARTICULUS XII.

De martyrio et martyribus, quanta illorum Clementis tempore multitudo, de martyribus veteris Testamenti, et de his qui martyrio non cruento ex hac vita migrarunt.

Peculiarem Clemens in quarto *Stromatum* libro contra quosdam hæreticos de martyrio, seu de vera Christi ejusque religionis coram tyrannis, ac quibuslibet illatis suppliciis, ad ultimum usque spiritum omnisque sanguinis effusionem, confessione, sed variis, ut assolet, documentis interruptam disputationem instituit.

Duplex autem hæreticorum perhibet [82] fuisse genus, qui errore plane opposito a veritate æqualiter desciverant. Aliqui enim tametsi crederent optimam esse veri Dei confessionem, quemadmodum et cognitionem, contendebant tamen illos sibi ipsis necem consciscere, qui ob hanc confessionem suppliciis et morte se afflici patiebantur. Alii vero in Creatoris odium, nullo impellente, sponte sua in mortem ruebant. Horum Clemens ruinosa fundamenta radicitus evellit, atque Apostoli auctoritate ostendit τὰ μαρτύρια ἐπιστροφῆς εἶναι παραδείγματα, εὐδόξως ἡγιασμένα, « martyria esse exemplaria conversionis gloriose sanctificata, » non quidem cum in ea aliquis se temere præcipitem agit, sed cum Deo vocanti prompto alacrique animo obtemperat [83].

Aliorum autem frivolas cavillationes invictissime refellit [84], et demonstrat mortem, quam Christianus non quidem certæ neci temere sese ac sponte objiciendo, sed Deo volente et opitulante, tormentis et martyrio obire cogitur, esse veræ vitæ et mercedis æternæ principium. Et vero palam declarat non solum peccata martyrio deleri, sed illud etiam videri peccatorum cum gloria expurgationem. Quod quidem ille libri Sapientiæ auctoritate fulcit et confirmat.

Porro autem qui ob Christi confessionem mortis occasionem, quam sibi non præbet et procurat, sed oblatam arripit, is, teste Clemente, vere est philosophus, gnosticus, in Deum sincerus, et germanus fidelis ac dilectus Christi frater, mundo et voluptate major. Is itaque præsenti dolore eam, quæ propter spem capitur, voluptatem expetit et eligit. Ad hæc autem ille vere fortis et Dei amicus morem utique gerit Christo dicenti [85] : « Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me [86]. »

Eam sane ob causam : « Jam, inquit Clemens [87], consummationem vocamus martyrium, quod non vitæ finem homo acceperit, ut reliqui, sed quod perfectum opus ostenderit charitatis. » Imo vero in hoc perfectam charitatem et totius virtutis summam positam esse asserit et demonstrat. Nobis autem Clemens repræsentat [88] qualis esse debeat ille Christianus, ut hanc perfectionem, cujus tam mulieres quam viri capaces sunt, possit assequi.

Quam autem vera et sana sit hæc Clementis de martyrio doctrina [89], nullus est sane qui non videat, aut cui ex aliis Ecclesiæ Patribus ac scholasticis post divum Thomam theologis discere promptum omnino non sit et expeditum [90].

At tria insuper ex eodem Clemente nostro de ipsomet martyrio a nobis observanda sunt. Primum enim ille testis locupletissimus nobis est maximam fuisse suo tempore martyrum frequentiam et multitudinem : « Nobis, inquit [91], sunt quotidie redundantes martyrum fontes, qui nostris spectantur oculis, qui torrentur, torquentur et capite truncantur. Eos omnes legis metus, qui veluti pædagogus ad Christum deduxit, exercuit, ut pietatem per sanguinem ostenderent. »

At eo certe vel solo Clementis nostri testimonio funditus evertitur vana illorum opinio, qui editis de paucitate martyrum dissertationibus, longe minorem eorum, quam vulgo putatur, fuisse numerum affirmare ausi sunt. Nam martyres ibi a Clemente dicuntur non pauci, « sed redundantes martyrum fontes, » ἄφθονοι μαρτύρων πηγαί, quos ipse non raro, sed « quotidie, » ἑκάστης ἡμέρας, non alienis, sed suismet oculis spectaverat, ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν θεωρούμεναι.

Secundo ubi Clemens ex Pauli ad Hebræos Epistola plurimos veteris Testamenti martyres commemorat [92], ipse ibidem animadvertit Apostolum aperte dixisse « unam » fuisse illorum et nostram « in Christo salutem. »

Tertio denique eos quoque Clemens martyres esse docet [93], qui etiamsi tyrannorum gladio aut aliis suppliciis vitam non finierint, in vero tamen Dei cultu, pietate, sanctimonia ac divinorum præceptorum observatione ad mortem usque perseverarunt : « Quæcunque anima, inquit ille [94], sese pure et sincere gessit cum agnitione Dei, et quæ præceptis paruit, et vita, et sermone est μάρτυς, martyr, quomodocunque liberetur a corpore, fidem tanquam sanguinem, per totam vitam, et etiam in exitu profundens. » Rursus autem postea [95] : « Quicunque Servatoris mandata exsequuntur, in unaquaque actione sunt martyres, facientes quidem quod vult, consequenter autem nominantes Dominum, et reipsa testantes, cui credunt esse, cui carnem suam cum concupiscentiis et passionibus suis cruci affixerunt. »

CAPUT XIII.

De hæresibus et hæreticis.

ARTICULUS I.

Quid a Clemente de iis generatim traditum fuerit.

Multa Clemens in his *Stromatum* libris et de hæreticis et contra hæreticos cum generatim tum speciatim ideo se scripsisse significat [96], ne quis in hæresim incideret, aut si inciderit, ut ad veritatem, modo sit sanabilis, reducatur. Eum autem sanari posse declarat, qui non otio, socordia, vana gloria, vel voluptatis causa sacras Scripturas fallacis sapientiæ simulatione, atque humanis doctrinis et traditionibus corrumpendo resque novas persequendo, veritatem repulerit. Omnes autem Clemens his verbis pandit fontes, unde hæreses oriuntur et scaturiunt.

[82] Strom. l. iv, p. 481. [83] ibid., p. 482; l. vii, p. 758; l. iv, p. 491, 493, 504 et seq.; ibid., p. 505. [84] ibid., p. 515. [85] ibid., p. 479 et 483; l. ii, p. 414; l. vii, p. 758; l. iv, p. 485. [86] Matth. xix, 21. [87] ibid., p. 480. [88] ibid., p. 490 et 494. [89] ibid., p. 510, 511, 512, 521 et seq. [90] D. Th. 2, 2, q. 124. [91] l. ii, p. 414. [92] lib. iv, pag. 515. [93] l. iv, p. 551. [94] ibid., p. 480. [95] ibid., p. 491. [96] Strom. l. vii, p. 762 et seq.

Digitized by Google

Ad duo tamen capita eas referri posse arbitratur: « Aut enim docent, inquit [97], indifferenter, ἀδιαφόρως, vivere, » hoc est, omnia esse indifferentia, ac nullum esse vitium nullamque virtutem. « Aut modum excedentes, per impietatem et odium profitentur continentiam [98], » id est, continentiæ prætextu **230** impie Creatorem et creaturam, atque matrimonium et filiorum procreationem mala esse somniaverant, eaque exsecrabantur. Atque hos quidem esse ait, propter quos pagani Christianum nomen probris et maledictis vexare consueverant.

Duplicis quoque alterius generis hæreticos fuisse testatur [99], quorum alii δοξόσοφοι, id est opinione sua sapientes appellati, putabant se veritatem invenisse, seque ipsos solos fallebant. Alii vero etiamsi nihil se scire novissent, sectæ tamen suæ potius quam Ecclesiæ præesse volentes, vanis argutiis, atque impia sacræ Scripturæ aut depravatione aut repudiatione, quoslibet in errores suos inducere conabantur [1]. Porro autem illi tametsi ab orthodoxis sæpius confutati, incredibili nihilominus pertinacia litigantes, ac stupenda ambitione et arrogantia prorsus intolerabili, atque etiam voluptate inescati, nihil plane de suis erroribus et hæresi volebant deponere. Quamobrem hos fugere et ab illis omnino separari præcipimur [2].

Variis porro argumentis manifestum Clemens facit [3] tam a Judæis quam a paganis maximam hæreticorum et multitudinem et dissensionem immerito nobis objici, ne illi Christianæ religioni nomen darent eamque amplexarentur. Apud eos enim omnes, quemadmodum apud medicos variæ quoque sectæ et hæreses fuerunt, quibus tamen a religionis suæ et medicinæ professione non prohibebantur. Deinde Deus futuras Christianorum hæreses prædixerat. Denique multas Clemens congerit comparationes, quibus plane et perspicue ostendit mala cum bonis permista esse, nec his unquam virum justum a virtute et veritate dimoveri et depelli. Ex quibus colligit [4] inanem esse eorumdem Judæorum et paganorum prætextum, quia ipsis « volentibus licebit invenire veritatem. »

Ne quis autem eam ipsam inquirendo falleretur, certas Clemens assignat regulas quibus vera Christianæ religionis documenta ab erroribus et hæresibus distingui et secerni possunt. Primum siquidem asserit [5] illa ex sacris deprehendi Scripturis: deinde vero in sola veritate et antiqua Ecclesia, καὶ τῇ ἀρχαίᾳ Ἐκκλησίᾳ, esse perfectissimam illorum cognitionem. Nam, ut ipse probat, clarum est omnes et hæreses et hæreticos antiquissima, veracissima et catholica Ecclesia esse recentiores.

Ex Clemente demum nostro discimus unde et quomodo hæreses nomina sua sortitæ sint. Quædam enim auctorum suorum nominibus nuncupabantur, ut Valentiniani, Marcionitæ et Basilidiani; quamvis hi Matthiæ, Basilide procul dubio antiquioris, opinionem se sequi gloriarentur [6]. Alii vero hæretici vel ex locis, unde originem duxerant, ut Peratici; vel ex gente, sicut Phryges; vel ex operibus, velut Encratitæ; vel ex dogmatibus, quemadmodum Docetæ et Hematitæ; vel ex rebus, quas honorabant, uti Caianistæ atque Ophiani; vel denique ex nefariis actionibus, sicut Simoniani et Eutychitæ, cognominati sunt.

ARTICULUS II.

De Simonianis, Nicolaitis, Basilidianis, Carpocratianis, Isidoro, Epiphane, Prodico, Valentino, ejusque sectatoribus, et de Heracleone.

Ex iis quæ de hæreticis et ipsorum erroribus particulatim memoriæ Clemens tradit, multa in superioribus libris a nobis enarrata sunt. Quapropter ea modo tantum enucleabimus, quorum utpote vel obscurioribus verbis, vel certe singulari modo dictorum explicationem putavimus hunc in locum esse differendam.

De Simonianis itaque hæc ille memorat [7]: « Simonis sectatores stanti, quem colunt, τῷ ἑστῶτι, ὃν σέβουσι, volunt assimilari moribus. » Nulli autem dubium profecto esse potest voce « stanti » designari Simonem Magum, hujusce hæreseos auctorem. Cur autem Clemens stantem eum dixerit, se nullibi legisse Hervetus fatetur, sed tantum positas Simonis et Helenæ ab illius sectatoribus statuas. At nobis hic videtur esse Clementis nostri hosce hæreticos irridentis sensus. Dixerat ille gnosticum fide consistere, quemadmodum Abraham et Moyses coram Deo ob pietatem et sanctimoniam in sacra Scripturæ textu stetisse dicuntur. Contra vero ipse scribit Simonianos, impiam plane vitam et profligatissimis, uti observavimus, moribus perditam agentes, ac imaginem stantis Simonis et Helenæ, hujus ad Minervæ, illius ad Jovis figuram adorantes, voluisse impietate sua eidem Simoni omnino assimilari. Ad utrumque igitur, tum corruptissimos Simonianorum mores, tum impium eorum cultum, in quibus etiam tunc stabant ac perseverabant, primis quidem verbis, sed lepide salseque alludere Clemens videtur.

Explicatu vero non minus difficile illud est, quod ipse de ejusdem Simonis ætate perhibet. Nam ubi hæreticos, qui jam ab apostolico ævo ortos se esse falso venditabant, refellit, eosque ac nominatim Basilidem, Valentinum et Marcionem sacris Scriptoribus posteriores esse demonstrat, hæc ibidem tradidit [8]: « Similiter autem Valentiniani quoque dicunt audivisse Theodatem. Is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim cum natus esset eadem, qua ipsi ætate, versabatur ut senex cum junioribus, post quem Simon Petrum audit paululum prædicantem, μεθ' ὃν Σίμων ἐπ' ὀλίγον κηρύσσοντος τοῦ Πέτρου ὑπήκουσεν. » Sed quonam, amabo te, modo Simon Petrum audire potuit post Marcionem, quem longo post Petri tempora intervallo hæresim suam disseminasse ostendimus [9]? Quid vero, quod ipse Clemens ibidem testatur Marcionem Basilidi et Valentino, Petro procul dubio recentioribus, fuisse coævum? At certe quantumvis ætate provectus cum illis versaretur, « si eadem qua ipsi ætate, » ut ille ait, natus est, neque ad Petri, atque adeo neque ad Simonis etiam tempus pervenire potuit. Nunquid ergo Clemens tam paucis verbis sibi absurdissime contradixisse censendus est? Nemini profecto id facile probabitur. Quid ergo? Nunquid corruptus aut mutilus est Græcus illius textus? Sed nihil adulterati aut detruncati in manuscripto codice, aut alibi deprehendimus. Nunquid vero Clemens hæc ex falsa hæreticorum, sibi ipsis haud semel contradicentium, opinione retulit? At hac explicatione verbis ejus vis omnino inferri videtur. Nobis itaque **231** facilius persuadebis ibi, uti sæpius Clementi usu venit, esse hyperbaton, aut citata a nobis illius verba: « Marcion enim cum natus..... junioribus, » esse parenthesi claudenda, ita ut sic legantur: Theodates « fuit Pauli familiaris; post quem (scilicet Paulum) Simon Petrum audivit paululum prædicantem. » Quæ quidem, si ita sese habeant, hic erit Clementis nostri sensus, Simonem paulisper audiisse prædicantem Petrum, postquam

[97] l. III, p. 442. [98] ibid. et seq. [99] l. VII, p. 755 et seq. [1] l. VI, p. 671, etc. [2] l. III, p. 456 et 472. [3] l. VII, p. 753 et seq. [4] Ibid., p. 757. [5] Ibid. [6] Ibid., p. 765. [7] lib. II, pag. 385. [8] l. VII Strom., p. 764. [9] lib. II Apparat., dissert. 1, cap. 5, art. 2, § 2.

Digitized by Google

Pauli publice vel privatim de Christo concionantis auditor fuisset, aut saltem postquam Paulus ultimam divinis suis litteris et scriptis imposuisset manum. De Simone autem Mago ejusque erroribus disputavimus lib. I *Apparat.*, dissert. 1, cap. 3.

Quosdam præterea Clemens arguit [10], qui Nicolaum, haud dubie ex septem primis Ecclesiæ diaconibus unum, hæreseos suæ auctorem sibi arrogare volentes, ipsius verba pravum hæreticumque in sensum detorquere nitebantur. Clementis autem verba quibus Nicolaum non solum errore, sed etiam crimine, male ipsi a sceleratis hominibus inusto, liberavit, quia alibi a nobis descripta et examinata sunt [11], hic denuo non repræsentabuntur. Porro autem et de hoc argumento, et de Nicolaitis, sive de iis qui, ut ait Clemens, hæresim hujus Nicolai se profiteri venditabant, a nobis I *Apparatus* lib., dissert. 1, cap. 8, actum est.

De Basilidianorum vero erroribus plura Clemens a nobis jam adnotata memorat [12], quæ rursus exponere nihil necesse est. Nulli tamen molestum fore putamus, si quædam salebrosa et spinosa hic paulo uberius explanare tentemus. Fatetur autem Hervetus se non satis intelligere quid Clemens his sibi velit verbis [13]: « Præterea dicunt Basilidiani fidem simul et electionem esse propriam in unoquoque spatio, καθ' ἕκαστον διάστημα· rursus autem ex consequentia supermundanæ electionis, consequi mundanam totius naturæ fidem, et pro modo spei uniuscujusque conveniens quoque esse donum fidei. » Sed ut Clementis sensus percipiatur, animadvertendum est Græcum verbum διάστημα significare spatium, intercapedinem et distantiam. Deinde vero Basilidiani, ut ibidem Clemens perhibet, insulse docebant fidem homini esse ingenitam et naturalem. Hoc autem falso principio posito, illi, ut Clemens dixisse nobis videtur, concludebant fidem, cum sit naturalis, in unoquoque aut majorem aut minorem esse secundum ipsius naturæ differentiam et proportionem; ita ut majorem ille haberet fidem, cujus præstantior esset natura. Quamobrem si unius alicujus tanta foret naturæ præstantia, ut illius electio et fides esset supermundana, hunc mundanam totius naturæ fidem consequi ac pro illius spei modo esse conveniens fidei donum. Quem quidem ipsum esse Clementis sensum inde haud absurde colligi potest, quod ad hujus erroris eversionem demonstret fidem esse voluntariæ et liberæ electionis officium.

Porro autem Clemens testatum postea facit [14] fidem ab his hæreticis definiri, « animæ assensionem alicui eorum, quæ sensum non movent, propterea quod non adsunt. » Innuere præterea videtur illos existimasse eamdem fidem timore fundari. Sed continuo adjecit illam, sive timore sive charitate fundetur, esse aliquid plane divinum [15].

Alius Basilidis, a nobis alibi memoratus, error is erat, ut martyres suppliciis et morte ob ea afflicerentur peccata, quæ priusquam nascerentur commiserant. At ubi hanc falsam opinionem variis Clemens argumentis impugnat et destruit, ibi Basilidem suomet gladio sic jugulat [16]: « Si autem, ut ipse dicit Basilides, unam partem ex Dei, quæ dicitur, voluntate, existimamus omnia diligere, quod omnia rationem ac proportionem conservent ad universum, alteram autem nihil concupiscere, et tertiam nihil odisse, voluntate Dei erunt etiam supplicia; quod quidem impium est cogitare. » Græca autem Clementis hæc sunt verba: Εἰ δὲ, ὡς αὐτός φησιν ὁ Βασιλείδης, ἓν μέρος ἐκ τοῦ λεγομένου θελήματος τοῦ Θεοῦ ὑπειλήφαμεν, τὸ ἠγαπηκέναι ἅπαντα, ὅτι λόγον ἀποσώζουσι πρὸς τὸ πᾶν ἅπαντα· ἕτερον δὲ, τὸ μηδενὸς ἐπιθυμεῖν· καὶ τρίτον, μισεῖν μηδὲ ἕν, θελήματι τοῦ Θεοῦ καὶ κολάσεις ἔσονται. Sed hic locus tanta obscuritate involutus Herveto videtur, ut eum librariorum amanuensium incuria corruptum aut mutilatum fuisse censuerit.

At ibi Clemens contra Basilidianos argumento, ut aiunt, ad hominem disputat [17]. Ex falsis enimvero illorum opinionibus una hæc erat, uti paulo ante ab ipsomet Clemente animadversum leginus, motus perturbationesque animi in homine, et, ut mox subjungit, metum et laborem in martyre esse necessaria, atque hominem ad agendum necessario semper impelli. Quocirca ille dixit [18]: « Non utique ergo labor et metus rebus accidit, ut ipsi dicunt, tanquam rubigo ferro, sed ex propria voluntate accedit ad animam. » Ex hac autem absurda Basilidis opinione, qua hominem nihil concupiscere nihilque odisse, sed ex Dei voluntate omnia necessario illi contingere prædicabat, Clemens noster contra eumdem hæreticum concludit, in Dei voluntatem martyrium, supplicia et mortem esse refundenda. Quod sane dictu omnino impium est.

Similis plane, vel etiam majoris corruptionis Hervetus accusat superiora Clementis verba [19]: « Providentia etsi a principe, ὡς φάναι, ut ita dicam, moveri incipit; immista tamen est et insita substantiis, cum generatione substantiarum a Deo universorum. » At his verbis ostendit Clemens a Basilidianis non posse responderi martyrum mercedem seu expiationem a divina oriri providentia, quinetiam et eorum supplicia ab eadem prodire dicerent. Nam providentia divina tametsi a principe, ὡς φάναι, ut ita dicere liceat, moveri incipiat, ipsa nihilominus omnibus substantiis, cum earum etiam generatione ab ipsomet Deo immista est, sive ad omnes omnino substantias, ac proinde ad martyrum cum expiationes, tum pœnas et mortem sese extendit. Utriusque igitur Deus erit causa, ac proinde justa erunt martyrum supplicia, ac jure merito a tyrannis inflicta. Quod dictu est absurdum. An autem his verbis, ὡς φάναι, ex ipsorum hæreticorum opinione se argumentari Clemens significaverit, ab aliis lubenter audiemus. Nobis enim demonstrasse sufficit hoc esse Clementis argumentum, quo hæreticorum falsam destruit opinionem.

Basilidis autem filius erat Isidorus, de quo etiam suo loco disseruimus [20]. Sed observari præterea a nobis debet, fragmentum ex ejusdem Isidori *De moralibus* libro a Clemente transcribi [21], quod ab Epiphanio quoque exhibetur [22]. Verum quæ Clemens ex Basilidis sectatoribus delibata esse proxime dixerat, hæc Epiphanius ibidem Epiphani Carpocratis filio tribuit. Utrum vero ille non solum Carpocratis patris sui, sed etiam Basilidis sectator dici potuerit, **232** si rogaveris, respondebimus id a vero penitus non abhorrere iis forsitan visum iri, qui noverint hos hæreticos iisdem plerumque, ac præsertim contra continentiæ et conjugii leges, implicatos fuisse erroribus. Quod si ita sit, certe ex Epiphanio discimus ea Epiphanis esse verba, quæ Clemens Basilidianorum nomine retulit. Hunc porro Epiphanii locum si legisset Hervetus, ex eo complanare potuisset, quæ in Clementis textu obscuriora ipsi videbantur. Denique ex primo ejusdem

[10] lib. II Strom., p. 411, et l. III, p. 436. [11] lib. I Apparat., dissert. 1, cap. 3. [12] lib. I Appar., dissert. 1, c. 3, art. 3, § 2. [13] lib. II Strom., p. 363. [14] Ibid., p. 371. [15] Ibid., p. 372. [16] l. IV, p. 508. [17] L. II, p. 401. [18] Ibid. p. 509. [19] Ibid. [20] Appar. lib. II, cit. § 5. [21] Strom. lib. IV, p. 427. [22] Hær. XXXII, § 4.

Digitized by Google

Isidori libro, qui *Expositionum prophetæ Barchor* titulum præferebat, ostendit Clemens philosophos gentiles ex sacris nostris scriptoribus plura fuisse mutuatos [23].

Carpocratis porro, ejusque filii Epiphanis, commemoratos ab eodem Clemente nostro errores, seu potius errorum portenta, in superiori libro a nobis indicata quoque fuerunt [24]. Atque inde haud absurde colligi potest eos Carpocratis discipulos esse, quos Clemens tacito nomine exagitat [25], propterea quod omnia indifferentia, id est nihil bonum aut malum esse ridicule prædicarent.

Major autem in eo videbitur obscuritas, quod idem auctor noster ubi exsecrandas Carpocratianorum synaxes et nefariam de uxorum communitate opinionem impugnat, ibidem de ipsomet Carpocrate adjecit [26] : « Mihi videtur Platonem male intellexisse, in Republica dicentem oportere esse communes omnium uxores ; ut qui diceret eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum qui essent petituri, quemadmodum theatrum quoque est commune spectatorum : esse autem unamquamque uniuscujusque qui præoccupasset, et non amplius communem esse eam quæ nupsisset. » Constat enim lege a Platone in suis *De republica* libris constituta sancitum, ut uxores atque etiam, si fieri posset, liberi omnibus communes essent. Sed ubi Plato ab illa uxorum post nuptias communione aliquem prohibuerit, vel ubi saltem ille significaverit statam suam legem ad cælibes tantum pertinere haud ita facile dixeris. Nam citato a nobis loco, atque etiam in *Timæo*, plura de nuptiis et uxorum communitate disserit [27]; at nullum ibi de illa post nuptias exceptione verbum. Itaque Clemens ea, quæ de uxoribus ibi a Platone scripta legimus, ex aliis forsitan explicanda esse putavit, quæ in sexto *De legibus* libro [28] de nuptiis et conjugiis ab illo disputata sunt.

Denique Epiphanius hanc seu veram, seu falsam Platonis interpretationem non Carpocrati, sed Epiphani ejus filio ascribit [29]. Quid autem vetat, quin ab utroque impio cum patre tum filio profecta fuerit? Cæterum describit Clemens [30] quis Epiphanes, uti alibi adnotavimus [31], ille fuerit, et longum fragmentum ex illius *De justitia* libro exhibet [32].

Ex hujus autem Carpocratis schola, sicuti diximus [33], prodiit Prodicus, qui tanquam novæ hæreseos conditor a Clemente nostro notatur [34], perhibeturque arcanos habuisse Zoroastris libros. Sectatores autem Prodici se Gnosticos falso nomine vocabant, quorum errores, sicuti et memorata a nobis alibi [35] crimina, auctor noster recenset et confutat. Testatur vero hos a Cyrenaicis philosophis absurdam illam hausisse opinionem, qua impii homines docebant « non esse orandum [36]. » Cum his porro quemadmodum et cum Marcionistis et aliis ejusdem farinæ hæreticis, « Bene, inquit Clemens [37], actum esset, si scire potuissent ea quæ sunt prius tradita. » Præterea ille ibi citat [38] ex cujusdam, tacito nomine, hæretici libro fragmentum. At illud aut ipsiusmet Prodici, aut ex ejus asseclis alicujus esse haud plane immerito videri potest.

De his adhuc id a Clemente nostro scriptum alicubi nobis occurrit [39] : « Si hi quoque, sicut Valentiniani, spirituales posuisseut communiones, suscepisset forte, ἴσως, aliquis eorum opinionem. » Non inde tamen ullus inferat Valentinianorum errores aut probatos Clementi fuisse, aut saltem ipsi non omnino improbatos. Eo enim impudentiæ cum devenissent Prodici sectatores, ut publicam Venerem et meretriciam conjunctionem mysticam sacramque communionem appellare non erubescerent; hinc Clemens ut eorum impudentiam validius retunderet, non affirmate, sed dubitanter dixit quemdam fortasse in eorum opinionem pedibus iturum, si spiritales tantum communiones, sicut Valentiniani, admisissent.

Valentinus autem a Clemente nostro idcirco vapulat [40], quod falso et impie asseverare auderet suos sectatores ab initio esse immortales, vitæ æternæ filios, et genus electum atque orthodoxos diceret esse animales. Hanc sane ob causam : « Valentiniani, ait auctor noster [41], cum nobis quidem simplicibus fidem tribuerint, sibi qui natura salvi fiunt, volunt esse cognitionem ab excellentis abundantia seminis, dicentes eam esse magis a fide separatam quam spirituale ab animali. » Verum hæc eorum impietas, cujus etiam Theodoretus [42] meminit, a Clemente alibi exploditurr [43]. De his porro et aliis Valentini, ejusque discipulorum erroribus fuse alibi disseruimus [44] ; atque inde colligitur Achamoth seu Enthymesin eam esse, quam Clemens ab iis perhibet *matrem* nuncupari [45]. Cæterum ille ejusdem Valentini ad confutandos Basilidianorum errores citat epistolam [46]. Quod quidem Hervetus, qui de illius obscuritate expostulat, non satis advertisse videtur. Alias quoque ejusdem Valentini citat epistolas [47], quarum una ad Agathopodem data fuerat, ubi tantam docebat fuisse Christi continentiam, ut cibos non egereret. In eum autem, uti diximus, errorem impegerat [48], quia Christi corpus tam stupenda arte compositum opinabatur, ut nec videri, nec contrectari, nec quidpiam pati unquam posset. Ex hac tamen Valentini epistola atque errore quantumvis absurdo auctor noster falsas aliorum hæreticorum captiones diruit et evertit.

Magni porro inter Valentini discipulos nominis fuit Heracleon, cujus falsam de martyrio opinionem Clemens refutat. Sed de illo, et eo, qui ab eodem Clemente nostro ibidem citatur, commentario alibi fecimus sermonem [49].

ARTICULUS III.

De Marcione ejusque sectatoribus, de Cassiano et Tatiano, de Antitactis, de aliis quorum nomen reticetur, de quibusdam Gnosticis, et de Encratitis, Hydroparastis, Phrygibus, Docetis, Ophianis, Cainistis, Peraticis, Hæmatitis et Eutychitis.

Errores Marcionis, quem Ponticum Clemens vocat [50], cæteris fere omnibus frequentius acriusque impugnavit. Cujus nulla videtur verisimilior esse ratio quam quia falsa hujus hæresiarchæ et absurda documenta ab illo, vel ab aliis propugnata, **233** in Ecclesiam magis grassabantur. Eo autem nomine Clemens illum castigat, quod perversas opiniones suas a Platone se hausisse falso jactitaret : « Cæterum, ait Clemens [51], satis dilucide ostensas esse existimo externorum alienorumque dogmatum occasiones, Marcionem ingrate et indocte accepisse a Platone. » Neque id generatim tantum de nefariis illius documentis asserit, sed nominatim de materia, quam malam esse somniaverat : « Et ut paucis, inquit [52], dicam, non dedit Marcioni occasionem, ut malam existimaret materiam. » Quod

[23] Strom. l. vi, p. 641. [24] Appar. loco cit., art. 3. [25] Strom. l. iii, pag. 451 et seq. [26] Strom. l. iii, p. 430, 436 et seq., p. 448. [27] Plato, tom. II, lib. v De rep., p. 457 et seq.; Timæ., tom. III, p. 18. [28] p. 772 et seq. [29] Hæres. xxxii, § 4. [30] Strom. l. iii, p. 428 et seq. [31] Appar. l. ii, loco cit., § 3. [32] Strom. l. i, pag. 304. [33] Appar. l. ii, loc. cit. § 3. [34] Strom. l. iii, p. 438 et seq. [35] Apparat. l. ii, loc. cit. [36] Strom. l. vii, p. 722. [37] ibid., p. 762. [38] l. iii, p. 458. [39] ibid. [40] l. iv, p. 509 et seq. [41] l. ii, p. 363. [42] l. i Hæret. fab., c. 7, p. 200. [43] Strom. l. v, p. 546. [44] Appar. l. ii, c. 4, § 2. [45] l. iv, p. 510. [46] l. ii, p. 409. [47] ibid., p. 375 et l. iii, p. 450. [48] Strom. l. iv, p. 592. [49] Appar. l. ii, dissert. 1, c. 4, art. 3, § 3. [50] l. iii, p. 436. [51] l. iii, p. 454. [52] ibid.

Digitized by Google

quidem eo probat, quod etiamsi Plato miseram dixerit hominis conditionem, vera tamen fuit ipsius de mundo ejusque creatione sententia.

Verum Clemens subnectit [53] Marcionistas, quæ Græci scriptores ac præsertim poetæ a se citati in filiorum generationem scripserant, impie excipientes, in Creatorem fuisse ingratos. Hunc autem opificem seu creatorem esse significat [54], « qui nos vocavit, et nobis Evangelium annuntiavit in corpore. » Quis autem fuerit is Marcionis de Creatore pluribusque diis error, a nobis alibi enodatum est [55].

Ex hoc autem [56] corruptissimo fonte alia manarunt non minus detestanda illius placita, atque illud in primis, quo rerum mundanarum usum recusabat [57] : « Ei autem continentiæ causa est (verba Clementis sunt [58]), si modo ea dicenda est continentia, ipse Creator, cui se adversari existimans, gigas iste cum Deo pugnans est invitus continens, in creaturam et Dei opus invehens. » At ibi Clemens hunc de malo creatore, quemadmodum et alium de mala creatura Marcionis errorem alibi destruit [59]. Utrumque autem falsum dogma et impius continentiæ et abstinentiæ prætextus, suppresso tamen auctoris nomine, sæpius ab ipso evertitur [60]. Denique vana fortasse ejusdem Marcionis aut ejus discipulorum contra orthodoxos erat cavillatio, Adamum a Deo non potuisse neque perfectum neque imperfectum creari.

Alius adhuc ex eodem pestifero fonte ortus Marcionistarum error fuit, a legitimis cum nuptiis tum liberorum procreatione abstinentia et interdictum : « Marcionistæ, ut Clemens loquitur [61], dicunt malam esse naturam, ex mala materia et a justo factam Creatore. Qua quidem ratione nolentes implere mundum, qui factus est a Creatore, volunt abstinere a nuptiis, resistentes suo Creatori, et contendentes ad bonum, qui vocavit, sed non ad eum, qui, ut dicunt, Deus est alio modo. » Spondet autem fore ut illos fusius refellat, cum « de principiis, inquit [62], tractabimus. »

Quamvis porro Marcion Creatorem justum quidem, sed non bonum esse absurde garriret [63], hunc tamen contendebat « servare eum, qui in ipsum credidit, etiam ante adventum Domini. » Verum Clemens ibi hæresiarcham ineptæ prorsus contradictionis reum agit.

Postremo Marcion, quemadmodum Valentinus, effutiebat « corpus animale, » τὸ σῶμα τὸ ψυχικόν, a Christo assumptum fuisse [64]. Sed de hoc errore ac de utroque impio illius defensore alibi disseruimus [65].

At contra, uti ibidem testatur Clemens [66], ἡ δόκησις Κασσιανῷ, « visio et phantasia Cassiano, » hoc est, Cassianus Christum non vere et reipsa, sed ficte et specie tenus humanam carnem induisse ridicule confinxerat. Hujus autem erroris non solum patronus a Clemente dicitur, sed etiam princeps, ὁ τῆς δοκήσεως ἐξάρχων. In quodam autem *De continentia*, *Περὶ ἐγκρατείας*, tractatu plura contra matrimonium congesserat argumenta, quæ a Clemente nostro ibidem diluuntur [67].

Nec minus perspicue alias futiles ejusdem Cassiani explodit argutias [68], quibus probare conabatur nostram animam ab initio divinam, sed postea cupiditate effeminatam huc venire ad interitum et generationem, hancque ut « ex errore constare » probaret, Apostoli auctoritate prorsus abutebatur. Illud porro de anima perversum dogma Πλατωνικώτερον, « nimis Platonice, » hoc est Platonis doctrinam corrumpendo, ab ipso assertum fuisse Clemens ibidem observat. Vide igitur an ille aut Basilidianus aliquis fuerit, quem alibi ipsemet auctor noster, omisso nomine, idcirco castigat [69], quod diceret humanam animam de cœlis ad ea quæ sunt deteriora dimitti. De Cassiano tandem videsis, si animus est, quæ a nobis in superiore libro adnotata sunt [70].

De fucato fallacique Christi corpore et falso continentiæ prætextu contra legitimas nuptias eadem quæ Cassianus effutiit Tatianus, Valentini discipulus, quem et iisdem quoque rationum momentis idem Clemens expugnat [71]. Volebat præterea Tatianus veterem legem ab alio Deo, et novam ab alio latam fuisse [72]. In suo autem *De perfectione secundum Servatorem* libro alios, ac præsertim de falsa continentia et contra conjugium, errores disseminaverat [73]. At de illo ejusque erroribus et secta alibi egimus [74].

Quosdam præterea hæreticos Clemens insectatur, οὓς, inquit [75], Ἀντιτάκτας καλοῦμεν, « quos Antitactas, » seu adversarios et repugnantes « vocamus. » Docebant autem illi hæretici Deum patrem universorum esse quidem natura sua nostrum, et omnia quæcunque fecit, esse bona ; sed ex iis, qui ab ipso creati sunt, aliquem seminavisse zizania, malorum naturam generando. Quamobrem in Patris vindictam huic etiam adversabantur. « Quoniam ergo (verba Clementis sunt) hic dixit : Non mœchaberis, nos, inquiunt, mœchamur ; ut ejus mandata dissolvamus. » Eadem plane de illis Theodoretus [76] memoriæ quidem prodidit, sed neuter neque Clemens neque Theodoretus unde aut quando hæretici illi orti fuerint, nobis patefecerunt. Observatione porro dignum est, quod rursus de illis Clemens memorat [77] : « Ii sunt, qui in legendo tono vocis pervertunt Scripturas ad proprias voluptates, et aliquorum accentuum et punctorum transpositione, quæ moderate et utiliter præcepta sunt, ad suas trahunt delicias. » Denique illos adhuc corripit [78], quia quæ a prophetis sacris allegorice dicta fuerant, ea ad litteram et citra figuram interpretarentur.

A Clemente quoque nostro [79] nonnulli « pusilli et nullius pretii » hæretici refelluntur, qui vigilando somniaverant « formatum fuisse hominem a diversis potestatibus ; et quæ sunt quidem usque ad umbilicum, esse artis divinioris ; quæ autem subter, minoris. » Qui vero illi erant, nullus in Clementis nostri scholiis, sicut et alia plura edisseruit. Similem vero errorem Augustinus Paternianis seu Venustianis sic ascripsit [80] : « Paterniani inferiores partes humani corporis non a Deo, sed a diabolo factas opinantur, et omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes, impurissime vivunt. Hos etiam Venustianos appellant. » Sed cum hi inferiores humani corporis partes diabolo vindicarent, alii vero, **234** quorum Clemens meminit, minoris tantum dicerent esse quam divinæ artis, si diversos fuisse contendas, tua te maneat sententia. Porro autem cum hi a Clemente appellentur μικροὶ καὶ οὐτιδανοί, « pusilli et nullius pretii homines, » qui illi fuerint scire parum aut potius nihil interest.

Testatum, uti vidimus, Clemens insuper facit plerosque hæreticos omnes sibi perperam Gnosticos

[53] ibid., p. 435. [54] l. IV, p. 500. [55] Apparat. l. II, cap. 1, art. 2, § 3 et 4. [56] Strom. l. III, p. 436. [57] l. IV, p. 492. [58] l. III, p. 448, 451, 452, 454, 462, 473 [59] lib. IV, p. 533, 540, etc. [60] l. VI, p. 662. [61] l. III, p. 431. [62] ibid., p. 432, 434. [63] l. V, p. 546. [64] l. III, p. 469. [65] Appar. lib. II, dissert. 1, c. 4, § 2 et c. 5, § 4. [66] Strom. lib. III, p. 469. [67] ibid., p. 465. [68] ibid., p. 466 et seq. [69] l. IV, p. 541. [70] lib. II Appar. dissert. 1, c. 4, art. 3. [71] Strom. l. III, p. 465 et seq. [72] ibid., p. 460 et seq. [73] ibid., p. 460. [74] Appar. l. II, dissert. 1, c. 6, art. 1. [75] Strom. l. III, p. 739 et seq. [76] l. IV l. I, Hæret. fabul., c. 16. [77] ibid., p. 442. [78] ibid., 441. [79] ibid., p. 439. [80] De hæret., § 85. [81] Strom. l. III, p. 475.

Digitized by Google

rum tribuisse nomen; sed alicubi declarat se in hæreseos cujusdam incidisse præfectum, qui Gnosticus audire volens, impudenter affirmabat se per usum voluptatis cum voluptate pugnare; eumque solum magnum esse, qui voluptatem expertus, non vinceretur [83]. Hunc vero, Nicolai nomine et auctoritate prorsus abutentem, variis rationum firmamentis invictissime Clemens refellit coarguitque.

Alterum adhuc nomen Gnostici ambientem memorat [84], qui negabat eum aliquando peccare, a quo mulier ad concupiscendum aspiceretur; nisi ille actu aliquo id, quod concupiscebat, revera expleverit. Sed hæc ridicula verborum evangelistæ interpretatio a Clemente merito rejicitur.

Demum idem Clemens noster alios hæreticos breviter perstringit [85], nimirum Encratitas, de quibus a nobis actum est lib. II *Appar.*, dissert. 1, cap. 6, art. 1, Hydroparastas, qui sola aqua in eucharistiæ sacramento utebantur, de quibus nos quoque loco citato, uti et de Phrygibus a Clemente libro VII, pagina 765, memoratis. Ibidem ille Docetarum, Ophianorum et Cainistarum mentionem fecit [86], de quibus nos libro secundo *Apparat.*, capite quarto, articulo quarto, § prima et tertia, et capite nono, articulo tertio.

De Peraticis hæc Clemens, nec plura: « Alii ex loco » appellantur, ut « Peratici. » Putant autem eos esse, quos Epiphanius hæres. 53, pag. 461 et seq., ex regione quæ Peræa dicitur nuncupatos, atque alio nomine Sampsæos et Elcesæos, quosque Ossenis se adjunxisse testatur. « Qui cum, inquit [86], nec Christiani sint, nec gentiles, medii cujusdam generis, sive potius nihil omnino sunt. » Porro autem de Ossenis nonnihil a nobis jam observatum est [87]. Theodoretus vero scribit quosdam fuisse hæreticos, nomine Peratos, de quibus ita ille [88]: « Ademes A Carystbius et Peraticus Euphrates, a quo Peratæ dicti sunt: » καὶ ὁ Περατικὸς Εὐφράτης, ἀφ' οὗ Περάται προσηγορεύθησαν. Hi autem contendebant mundum in tres partes esse divisum, tresque nominabant deos, tres sermones, tres mentes, tres homines, Christum vero triplicis naturæ, corporis et potestatis pertransisse mundum ingenitum ac per se genitum, atque in hunc tandem nostrum descendisse. Utrum autem hi fuerint iidem ac superiores Peratici, vel etiam utrum hi, uti quidam opinantur, iidem fuerint atque Nazaræi, de quibus nos libro I *Apparat.*, dissertatione 1, cap. 7, aliorum malumus exspectare quam nostram ferre sententiam.

Nihil de Hæmatitis, eodem adhuc loco a Clemente appellatis, Hervetus ullibi se legisse palam denuntiat. At Clemens observat illos ex propriis suis dogmatibus hoc sortitos fuisse nomen. Atqui « Hæmatides, » teste Plinio, libro tertio *Historiæ natur.*, capite 16 et 20, « est magnes sanguinei coB loris, sanguineumque reddens, si teratur, sed et crocum. » Ex hac autem observatione conjiciendi haud fortasse immerito locus datur hos esse, quos Clemens refert in Creatoris odium ad certam mortem et interitum, quo martyres haberentur, ruisse præcipites [89].

Denique Eutychitas ex Simonianis originem duxisse Clemens perhibet [90]. Sed Hervetus pro Eutychitis Euchitas legisse videtur, atque hoc errore illos esse perperam suspicatus est qui a Theodoreto ita vocantur [91]. Nam prius idem ipse Theodoretus, non secus atque Clemens noster, narrat alios fuisse Eutychitas ex Simone revera oriundos: « Ex hac, inquit, amarissima radice orti sunt Cleobani.... Eutychetæ, Cainistæ. » Illorum adhuc alibi meminit, sicut et Pamphilus in *Origenis Apologia*. Nos vero de iis aliquid alio in loco adnotavimus [92].

CAPUT XIV.

De theologia gentili.

ARTICULUS I.

Quales deos pagani fingerent, de Jove, quem Prometheus decepit, de Apollinis etymologia, de Pane et Hercule, quid hujus certamina significent, cur mundi columnas ab Atlante suscepisse, et Admeto cum Apolline servivisse dicatur, de Api et Serapi, de Butta et crudeli ad Zulmoxin legatione, atque de Dianæ et Minervæ ira.

Multa sane, quæ ad paganorum theologiam spectant, a Clemente nostro vel observata, vel explosa in superiori dissertatione pro virili parte nostra enucleare et explanare conati sumus. Nobis autem alia adhuc supersunt, in his *Stromatum* libris dispersa, quæ more nostro debent aut confirmari, aut illustrari.

Gentiles itaque cum Græcos tum barbaros Clemens exagitat [93], propterea quod deos fingerent, sibi non solum forma et moribus prorsus similes, sed iisdem quoque animi perturbationibus obnoxios. Teste siquidem Xenophane, Æthiopes nigros et simos, Thraces vero fulvos et cæruleos, barbari autem agrestes et efferatis moribus, Græci denique mansuetiores deos esse falso arbitrabantur. Xenophanis autem versus, quibus hæc cecinit, non a Clemente tantum nostro [94], verum etiam ab Eusebio [95] et Theodoreto [96], qui eadem plane atque ille, de Æthiopum et Thracum, nec non Persarum, Medorum et C Ægyptiorum diis narrat, descriptos invenies. De Græcorum autem diis res ex poetarum aliorumque quamplurium scriptis, ac præsertim Tullio libro I *De natura deorum*, Plutarcho aliisque clarior et notior est, quam ut probatione aliqua indigeat. Et certe de illis jam nos satis alibi [97].

Ex Hesiodo insuper accepit Clemens [98] Jovem a Prometheo, appositis in convivio ossibus, pinguedine contectis deceptum. At de hac fabula legendi sunt Lucianus [99], et Natalis Comes [1], qui alios quam auctor noster, eam in rem ex Hesiodi *Theogonia* versus retulit. Apollo autem, uti recte ait Clemens [2], « qui mystice ex privatione multorum intelligitur, est unus deus. » Nemo est enim qui nesciat nomen Ἀπόλλων derivari ab α privativo, et πολλοί, « multi » perinde ac si omni multitudine rejecta unicus dicatur. De hac autem illius nominis etymologia legesis Macrobium lib. I *Saturnal.*, cap. 17. De ejusdem porro Apollinis aliorumque a Clemente memoratorum ætate infra, ubi de chronologia, disseretur.

D Nonnulli Brachmanes, quemadmodum Clemens memorat [3], Herculem et Panem colebant: Athenien sibus vero Pan tandiu, sicuti ille alibi dixerat [4], incognitus fuit, quandiu quis ille esset, a Philippide non didicerunt. Quod quidem Pausanias clarius edisseruit [5].

Duodecim porro Herculis certaminibus Clemens

[83] l. II, p. 411 [84] l. IV, p. 520. [85] Strom. l. I, p. 405, et l. VII, p. 765. [86] l. I, p. 317. [86] Strom. l. VII, p. 765. [87] Appar. l. II, dissert. 2, c. 7, art. 3. [88] Hæret. fabul. l. II, c. 7, p. 206. [89] Strom. l. IV, p. 481. [90] Strom. l. VII, p. 765. [91] l. I Hæret. fab., c. 1, et l. V, c. 9. [92] Appar. lib. I, dissert. 1, c. 3. [93] Strom. l. VII, p. 711. [94] Strom. lib. V, p. 601. [95] lib. XIII, Præpar. p. 678. [96] De Græc. affect. cur. serm. 3, de Angel., etc., pag. 579. [97] Dissert. super. cap. 9. [98] Strom. lib. VII, pag. 716. [99] Dial. deor p. 30. [1] l. IV Mythol., c. 6. [2] Strom. l. I, p. 349. [3] Strom. lib. III, p. 451. [4] Admonit. ad gent., p. 28. [5] lib. I, p. 26.

Digitized by Google

existimat allegorice significari animæ ad superiora ascensum [6]. Sed alias eorum significationes pandit Natalis Comes [7], quem, si placet, adire poteris.

De eodem Hercule hæc ex Herodoto Clemens se desumpsisse significat [8]: « Herodotus refert Herculem, cum fuisset vates et physicus, ab Atlante barbaro Phryge mundi suscepisse columnas. » Et id quidem a Diodoro Siculo clarius hunc in modum explanatur [9]: « Hercules Atlanti natas vindicavit. Pro quo ille merito gratias rependens, non modo pertinentia ad hoc certamen benevole impertivit; verum astrologiæ quoque scientiam non gravatim ipsum docuit. Singularem vir ille astrologorum disciplinæ curam et operam impenderat : et quia sphæram siderum artificiose elaboratam habebat, totum humeris suis mundum gestare putabatur. Eodem modo Hercules etiam, cum doctrinam sphæricam ad Græcos transtulisset, præclaram obtinuit existimationem, ut qui mundi onus ab Atlante excepisset, cum obscure quid tum accidisset significaretur. » Herodotus porro a Clemente laudatus is nobis videtur esse, quem Athenæus plures *De gestis Herculis* libros conscripsisse testificatur [10].

Difficilius procul dubio dictu est, unde Clemens acceperit Herculem una cum Apolline servivisse Admeto [11]. Doctissimi siquidem viri id plane sibi incompertum esse confessi sunt. At vide utrum Clemens ad eam collimaverit fabulam, qua Hercules fingitur Alcestim Admeti regis uxorem, ab Acasti manibus liberatam vel suscitatam a morte, viro suo restituisse. Qua de fabula legesis Lilium Giraldum in *Vita Herculis*, pag. 561. Cæterum quoniam plures fuisse Hercules nemo ignorat, atque quatuor supra quadraginta a Varrone recensentur, nihil sane mirum si is, cujus Clemens tempus quo Admeto servierit assignat, vix jam ab ullo possit amplius nominatim indicari.

De Api et Serapi hæc Clemens ex variis auctoribus se hausisse significat [12]: « Apis rex Argivorum ædificat Memphim, ut dicit Aristippus in primo *Arcadicorum*. Aristeas vero Argivus dicit eum nominatum esse Sarapin, et eum esse quem colunt Ægyptii. Nymphodorus autem Amphipolitanus in tertio *De legibus Asiæ* dicit Apim taurum mortuum, et conditum loculo, qui σορός Græce dicitur, fuisse repositum in templo dæmonis qui colebatur, et hinc appellatum fuisse Soroapim, et postea quadam eorum, qui illic habitabant, consuetudine Sarapim. Est autem Apis tertius ab Inacho. » Eusebius autem de illo hæc in suo *Chronico* ad annum 270 animadvertit: « Apud Argivos tertius Apis annis 35. Hunc aiunt esse Serapin. » Et infra ad annum 279 : « Memphis in Ægypto ab Api condita. » At de Serapi hujusque nominis etymologia Augustinus ex Varrone isthæc scriptis tradidit [13]: « Istis temporibus rex Argivorum Apis, navibus transvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuisset, factus est Serapis, omnium maximus Ægyptiorum deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam post mortem, sed Serapis appellatus sit, facillimam rationem Varro reddidit. Quia enim arca, in qua mortuus ponitur, quod omnes jam σαρκοφάγον vocant, σορός dicitur Græce; et ibi eum venerari sepultum cœperant, priusquam templum ejus esset exstructum, velut soros et Apis, Serapis primo, deinde una littera, ut fieri assolet, commutata, Serapis dictus est..... Ille autem bos, quem mirabili vanitate decepta Ægyptus in ejus honorem deliciis affluentibus alebat, quoniam eum sine sarcophago vivum venerabantur, Apis non Serapis vocabatur. » Ad Clementis porro sententiam Suidas propius accedit [14], quem si velis, adire potes.

A Alii vero hæc plane falsa et commentitia esse opinantur. Qua de re consulendus est Vossius lib. I *De orig. et progr. idololat.*, cap. 13, pag. 213; Scaliger in suis ad Eusebii *Chronicon* animadversionibus, pag. 131, et Huetius *Demonstr. evang.* cap. 13.

Buttam a nonnullis Indiæ populis ut deum honorari his Clemens edixit verbis [15]: « Sunt etiam ex Indis qui Buttæ parent præceptis, quem propter insignem virtutem ut deum honorarunt. » Sed de hoc Butta nihil Hervetus sibi unquam succurrisse declarat. Nonne autem ille est de quo Pausanias: « In ipso, inquit [16], aditu aræ sunt, Neptuni una, ad quam ex oraculo etiam Erechtheo rem divinam faciunt; Buttæ herois altera, tertia Vulcani. In parietibus picta sunt, quæ ad Butadarum gentem pertinent. » De illo Vossium, si lubet, consule [17], et citatos ab ipso auctores Apollodorum et Tzetzen, qui eumdem Buttam seu Buten Erechthei filium esse testificantur.

B De Zalmoxi autem heroe isthæc Clemens memoriæ prodidit [18]: « Dicitur gens barbara, non aliena a gustu philosophiæ, quotannis eligere legatum ad Zalmoxim heroem; erat autem Zalmoxis unus ex familiaribus Pythagoræ. Mactatur ergo is qui fuerit judicatus probatissimus, iis, qui sunt philosophati quidem, sed non electi, mœrentibus, ut qui sint repulsi a beato ministerio. » At fatetur Hervetus multos quidem Zalmoxis mentionem fecisse : sed qui hujuscemodi ad eum legationis meminerit, alium scriptorem non facile inveniri. Verumtamen Herodotus aditu non erat admodum difficilis. Ab illo autem hujus legationis historia, etsi non eodem plane atque a Clemente modo, sic litteris mandata legitur [19]: « Ad hunc (Zalmoxin) mittunt assidue cum navi quinque remigum nuntium quempiam, ex seipsis sorte delectum, præcipientes ea, quibus semper indigent, eumque ita mittunt. Quibusdam eorum datur negotium, ut tria jacula teneant; aliis ut C comprehensis ejus, qui ad Zamolxin mittitur, manibus pedibusque hominem agitantes, in sublime jactent ad jacula. Qui si impræsentiarum exstinguitur, propitium sibi deum arbitrantur; sin minus, ipsum nuntium insimulant, asseverantes malum esse virum. Hoc insimulato, alium mittunt, dantes adhuc viventi mandata. » De illo Zalmoxi legesis Diodorum Siculum lib. II *Biblioth.*, pag. 59, Strabonem lib. VII *Geograph.*, pag. 297, Porphyrium **236** apud Cyrillum Alexandr. libro VI *Contr. Julianum*, pag. 208; Suidam, et alios.

In iratorum porro deorum specimen narrat Clemens [20] « Dianam propter Œneum iratam fuisse Ætolis. » At id lusius descriptum est ab Homero lib. IX *Iliad.* pag. 166; Ovidio lib. VIII *Metamorph.*, fab. 7; Cyrill. Alexandr. lib. V *Cont. Julianum* pag. 175 [21].

Quid eadem Diana Minervæ, quia in templo peperarat, sibi succensenti responderit, cujusdam, D quem non nominat, poetæ versibus Clemens patefecit [21]. In Clementis autem scholiis quis ille poeta fuerit, a nemine indicatum est. Sed ea de re erit nobis alius dicendi locus.

Mentem denique nos accepisse dicit ipse [22], ut sciamus quid agendum sit : atque idcirco αὕτη που ἡ Ἀδράστεια καθ' ἣν οὐκ ἔστι διαδράναι τὸν θεόν, « hæc est Nemesis, per quam non licet Deum effugere. » Testis autem est Theodoretus [23] dici Ἀδράστειαν, ὅτι οὐδὲν αὐτὴν ἀπεδίδρασκεν, « Adrasteam, quia nihil eam effugiat. »

ARTICULUS II.

De paganorum templis ad occidentem positis, de Ro-

[6] Strom. lib. V, p. 599. [7] l. VII Mythol., c. 1. [8] Strom. l. I, p. 306. [9] l. IV Biblioth., p. 163. [10] l. IX Deipnosoph., p. 410. [11] Strom. l. I, p. 323. [12] ib. p. 322. [13] l. XVIII De civit., c. 5, p. 491. [14] Ad verb. Σαράπις. [15] Strom. I, p. 305. [16] l. I, p. 24. [17] l. I, De orig. et prog. idol., c. 13, p. 35. [18] Strom. l. IV, p. 497. [19] Herod. l. IV, p. 254. [20] Strom. lib. VII, p. 711. [21] Ibid., 712. [22] l. VII, p. 710 [23] De Græc. affect. cur., serm. 6 de Prov., p. 562.

Digitized by Google

mano templo quod Lupercal dictum est, de templi in Epidauro constructi inscriptione, de ara in Delo Apollini consecrata, de sacrificiorum nidore ac libaminibus, de columnis Bacchi, Apollinis, Acicari, et aliis, quas pagani adorabant, aut quibus placita sua inscripserant.

Non facile forsan multis istud probabitur, quod Clemens tradidit, vetustissima paganorum templa ad occidentem respexisse; « ut qui vultu, inquit [24], stant ad simulacra converso, doceantur verti ad orientem. » In Clementis etenim nostri scholiis unus quidam ex Cælio Rhodigino [25] et Gyraldo [26], quemadmodum cardinalis Bona [27] ex variis aliis scriptoribus, probat gentiles ad orientem conversos Deum orasse eique sacrificasse. Quinetiam idem scientia et pietate eminentissimus cardinalis rursum ex Vitruvio, Apuleio, Dionysio Thrace et Hygino grammatico ostendit templa paganorum sic fuisse condita, ut ad orientem respicerent. Quamobrem Clementis scholiastes suspicatur eum de ea cella esse intelligendum, quam Vitruvius ad occidentem positam fuisse ibidem testificatur [28]. Sed animadvertendum est Clementem de antiquissimis et Ægyptiacis deorum templis facere sermonem. Atqui Psammetichus, uti ex Diodoro Siculo discimus [29], toto regno potitus, τῷ μὲν ἐν Μέμφει θεῷ τὸ πρὸς ἓω προπύλαιον κατεσκεύασε, καὶ τῷ ναῷ τὸ περίβολον, « Deo Mempheo ad ortum fecit vestibulum et templo conseptum. » Itaque templi vestibulum si fuerit orientem versus constructum, nonne ipsummet templum ad occidentalem plagam respiciebat?

Cæterum addit Clemens ea templa sic fuisse ædificata, ut pagani ad orientem, hoc est Christum, conversi, id est, nuntio ethnicæ religioni misso, Christianam professionem amplecti docerentur.

Narrat alibi Clemens [30] ab Evandro constructum fuisse Romæ templum Panis, quod Lupercal nuncupabatur. De Lupercal autem legendi sunt Plutarchus in Vita Romuli pag. 31, et in Vita Cæsaris pag. 736; Polydorus Vergilius lib. II, *De invent. rer.*, cap. 14, ubi etiam ille de Lupercalibus, sicut et rursum Plutarchus tom. II *Quæst. Roman.*, pag. 286, plura disputarunt; item Livius lib. I; Valer. Maxim. lib. II, cap. 2, etc. Sed plerique hi scriptores Lupercal locum seu speluncam esse perhibent, ubi Remus et Romulus a lupa educati fuerunt. An autem templum Panis, Lupercal dictum, in hoc aut alio Urbis loco ab Evandro constructum sit, si quæras, Servius tibi respondebit [31] sub Palatino monte hunc locum revera fuisse Pani ab Evandro consecratum atque appellatum Lupercal, ubi quotannis mense Februario solemnia quædam fiebant sacra, quibus præfecti sacerdotes Luperci vocabantur. Videsis in citatum poetæ locum alios ejus interpretes.

Ante Epidauri templum, atque, ut ait Clemens [32], in illius aditu hæc scripta erat epigraphe :

Esse decet castum, sancti qui limina templi
Ingreditur....

Quæ quidem in scholiis fusius exhibetur : sed animadverti adhuc debuit pro verbo ἔμμεναι, uti apud Clementem nostrum, ἔμφαμεν apud Porphyrium repræsentari. Cujus autem templi illa fuerit inscriptio, nec Clemens, nec ullus alius in adnotationibus indicavit. At tres, ut Scaliger [33] aliique adnotarunt, fuere Epidauri. De tertia autem et de Æsculapi templo, quo in primis urbs illa celebrata est, Clemens intelligendus haud fortasse immerito videtur.

Palam adhuc Clemens [34] facit Moysem permisisse unum tantummodo templum Deo ædificari, sed nulla in illo poni simulacra, quo significaret unum duntaxat, sicut mundum, ita et Deum esse, qui nullo loco circumscribi potest. Quod quidem ille quibusdam rationibus probat, ac primo Euripidis versibus, quos in illius comœdia quam *Hercules furens* inscripsit, carm. 1345 et seqq., invenire Hervetus poterat et ex iis textum Clementis corrigere. Deinde Zenonis testimonio, quod Theodoretus sic retulit [35] : « Zeno Cittiensis in libro *De republica* et templa ædificari et simulacra fieri vetat, quod nullum id genus opus Deo dignum habendum sit. » Denique illud Clemens ostendit auctoritate Platonis, tum lib. XII *De legib.*, pag. 950, quod a Theodoreto loco citato assertum videbis; tum etiam ejusdem Platonis epistola, quæ inter editas septima, et ad Dionis propinquos ac familiares data, tom. II, pag. 341, publici juris facta est. De templis autem disputavimus libro I *Apparat.*, dissert. 7, cap. 8, § 1, et dissert. super. cap. 8, art. 4.

Ad aras autem et sacrificia quod spectat, res, inquit Clemens noster [36], pervagata et communis erat, antiquissimam in Delo fuisse aram, nimirum Apollinis, in qua nihil cruenti unquam mactatum, et ad quam solus Pythagoras accedebat. De ea, præter Laertium [37], Macrobius hæc memoriæ prodidit [38] : « Constat, sicut Cloatius Verus *Ordinatorum* libro secundo docet, esse Deli aram, apud quam hostia non cæditur, sed tantum solemni Deum prece venerantur. Verba Cloatii hæc sunt : *Deli ara est Apollinis γενήτορος, in qua nullum animal sacrificatur, quam Pythagoram velut inviolatam adorasse tradunt.* » Eam ob causam, uti Cyrillus Alexandrinus animadvertit [39], piorum ara vocata est. Legesis Casauboni et Menagii observationes in citatum a nobis Diogenis Laertii locum.

Paulo autem superius ubi Clemens probat verum Dei altare esse fidelium Christianorum congregationem, atque illorum preces esse optimum et sanctissimum sacrificium, ibi paganos sic urget [40] : « Quid ergo de Deo dicunt, utrum perspirat, sicut genus dæmonum? » Paganorum etenim ridicula opinio erat dæmones nidore ac libaminibus gaudere, uti Porphyrius apud Theodoretum his verbis declarat [41] : « Nidore ac libaminibus gaudent, quibus eorum corporea vis spiritualisque reficitur et pinguescit. » Ubi Theodoretus ipse : « Unde constat malos dæmones a Porphyrio dici, quos poeta (Homerus) deos appellat. Hos enim hic, ille illos nidore ac libaminibus gaudere affirmat. » Sed de his in superiori dissertatione [42].

237 In eadem quoque dissertatione [43] ostendimus quam verum illud sit quod Clemens in *Stromatibus* adhuc memoriæ consignavit [44], paganos prius columnas coluisse et adorasse quam statuas et imagines. De Bacchi autem columna, cujus ibidem Clemens meminit, videsis Natalem Comitem in *Mythologia*, libro quinto, capite 13, et auctores ab illo citatos.

Apollinis etiam Delphici imaginem fuisse columnam, quibusdam poematis, *Εὑρωπίας* nomine inscripti, versibus manifestum Clemens facit [45]. Visum autem est nonnullis utraque illa et Apollinis et Bacchi columna aliam significari, quæ olim Israelitis in deserto præivit. Sed id Clementis nostri menti non videtur consentaneum.

De alia columna hæc Clemens scripsit [46] : Δημόκριτος τοὺς Βαβυλωνίους λόγους ἠθικοὺς πεποίηται· λέγεται γὰρ τὴν Ἀχικάρου στήλην ἑρμηνευθεισαν

[24] Strom. l. VII, p. 724. [25] l. II Antiq. lect., c. 2. [26] Gyr. syntag. 17. [27] De divin. psalm., c. 7, § 2. [28] l. IV Archit., c. 5. [29] l. I Biblioth., p. 42. [30] Strom. l. I, p. 323. [31] in lib. VIII Æneid., carm. 341 et seqq. et 663, etc. [32] Strom. l. V, p. 551. [33] Anim. in Chron. Euseb., p. 25. [34] Strom. l. V, p. 584. [35] t. IV, serm. 3, De angel. et dæm. [36] Strom. l. VII, p. 717. [37] l. VIII in vita Pythag., § 13. [38] l. III Saturnal., c. 6. [39] l. IX Cont. Jul., cap. 307. [40] Strom. l. VII. p. 717. [41] De affect. Græc. cur., serm. 5, de angel., etc. p. 516. [42] c. 9, art. 2. [43] c. 8, art. 1. [44] l. I, p. 348. [45] ibid., p. 349. [46] ibid., p. 305.

Digitized by Google

τοῖς ἰδίοις συντάξαι συγγράμμασι. Quæ Hervetus sic Latine reddidit : « Democritus morales libros scripsit Babylonicos; dicitur enim Acicari, quam est interpretatus, columnam suis scriptis adjunxisse. » Sed ille negat se unquam aliquid de hac columna alibi legisse. At Harduinus [47] minime dubitat hanc Babylonii scriptoris, cui Acicaro nomen erat, fuisse columnam, quam quidem ipsam cum Democritus interpretatus esset, operibus suis intexuit. Sed nullum ille nobis dedit pro se suaque opinione vadem. Existimant autem alii talem illam Acicari columnam fuisse, quales erant Mercurii columnæ, quibus ante inventum papyri usum philosophica placita litteris hieroglyphicis insculpebant. Et vero præter citatos ab Huetio doctissimo Abrincensium episcopo [48] scriptores, de iis Jamblicus hunc sermonem facit [49] : « Si quod autem philosophicum dubium proponas, illud etiam determinabimus tibi juxta antiquas Mercurii columnas, quas Plato et Pythagoras etiam ante eum lectitantes philosophiam constituerunt. » Quem in locum videsis Thomæ Gale adnotationes. Ex Laertio denique [50], Plinio [51] et Eusebio [52] ea illustrari confirmarique possunt quæ idem Clemens de Democriti libris et peregrinationibus addidit. Quamobrem hæc fusius prosequi nihil necesse est. Observabimus autem de columnis ab eodem Plinio id litteris fuisse proditum [53] : « Insulæ sine nominibus multæ; celebres vero Isura, Rhinnea, et proxima, in qua scriptæ sunt stelæ lapideæ litteris incognitis. » Et adhuc inferius [54] : « In altera (insula) stelæ lapideæ litteris ignotis. » Nemini enim dubium esse potest, id quod Clemens Græce στήλην appellat, hoc Latine a Plinio stelam vocari. De iis autem Ammianus Marcellinus [55], Syncellus [56] et alii.

Nobis autem data stelarum Ægyptiacarum occasione, his adjicere liceat, quod Josephus de Sethi nepotibus, qui siderum et rerum cœlestium scientiam excogitaverant, memoriæ commendavit : « Ne inventa, inquit [57], sua ex hominum notitia dilaberentur, et prius perirent quam pernoscerentur, scientes Adamum universalem rerum interitum præcinisse, unum incendio, diluvio alterum, excitatis duabus columnis, utrique sua inventa conscripserunt; ut si lateritiam diluvio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, et quæ inscripta continebat spectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam, ab ipsis dedicatam, quæ et nostris temporibus exstat in terra Syria. » Porro autem Ammianus Marcellinus [58] perhibet syringes seu hujusmodi columnas diluvii et oblivionis metu humi defossas. Videsis hunc in locum Valesii observationes.

ARTICULUS III.

De paganorum mysteriis, quibus diverso tempore initiari debebant, quam studiose ea occultarent, quomodo illa ænigmatibus et symbolis involvebant; de duplici apud eos, atque in primis Ægyptios, symbolico loquendi genere, sive in verbis et obscuris adagiis, sive in rebus ipsis, ubi de eorumdem Ægyptiorum hieroglyphicis litteris, et animalibus, atque comasiis.

Diversa erant apud paganos mysteria, quorum alia incipientium, perfectorum vero alia, quæ a Clemente nostro ita explicantur [59] : « In mysteriis quæ sunt apud Græcos primum locum tenent expiationes, τὰ καθάρσια, sicut apud barbaros lavacrum, τὸ λουτρόν. Post hæc autem sunt parva mysteria, τὰ μικρὰ μυστήρια, quæ habent aliquod fundamentum doctrinæ et præparationis futurorum. In magnis autem de universis non restat amplius discere, sed contemplari, ἐποπτεύειν, et mente comprehendere et naturam et res ipsas. »

At Casaubonus [60] putat expiationem seu lustrationem a parvis mysteriis non fuisse distinctam. Verumtamen alio in libro Clemens adhuc scripsit [61] : « Ante mysteriorum quoque traditionem exhiberi oportere quasdam expiationes, καθαρμούς τινας, iis qui sunt initiandi mysteriis; utpote cum oportet, impia deposita opinione, ad veram converti traditionem. » Sed iis in locis auctor noster lustrationes a minoribus mysteriis non tam distinxisse videtur, quam declarare easdem illorum esse initium, vel quoddam potius, si ita velis, præludium. Et vere in hunc forsitan sensum ille alicubi dixerat [62] : « Ἀγὼν γὰρ, καὶ ὁ προαγὼν, καὶ μυστήρια τὰ πρὸ μυστηρίων. « Certamen enim, et præludium certaminis, et mysteria sunt ea, quæ præcedunt mysteria. » Si quis tamen probaverit his verbis minora tantum et majora mysteria indicari, non multum sane cum illo ea de re contendemus. Nam inde etiam liquido colligitur lustrationes dici quoque potuisse minorum præludia mysteriorum. Quales autem fuerint et quomodo fieri deberent hæ lustrationes, fuse Meursius explicat [63]. Porro autem qui parvis mysteriis initiati erant, hi mystæ vocabantur. Ad majora vero admissi appellabantur epoptæ, quibus id, quod in mysteriis erat sacratissimum, intueri licebat.

Omnibus itaque his mysteriis ut pagani initiarentur, non minimum interponi debebat temporis intervallum. Testis siquidem est Plutarchus Demetrium contra statas solemnesque eorum leges voluisse eodem tempore, « mysteria a parvis, » ipsiusmet Plutarchi verba sunt [64], « usque ad ultima et recondita sacra, quæ epoptica appellant, cuncta percipere. » Sed ut ille prosequitur, « id nefas erat, neque visum ante fuerat unquam; verum peragebantur parva mense Anthesterione, magna Boedrione, recondita inspiciebant interjecto a magnis ut minimum anno. » Tertullianus autem hæc inter mysteria multo longius interjectum fuisse temporis spatium his significat verbis [65] : « Nam et illa Eleusinia, hæresis et ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent, pudor est. Idcirco et aditum prius cruciant, diutius initiant, linguam consignant, cum epotas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent. » Quo quidem et utroque Plutarchi et Tertulliani testimonio 238 quidam inferunt inter minora et majora mysteria ut minimum unius anni, ut plurimum vero septennii effluere debuisse spatium. Contra tamen alii existimant quinquennium interjectum semper fuisse. Magna siquidem mysteria singulis tantum quinquenniis, uti aiunt, celebrari consueverant, ac quinto tantum anno epoptæ fieri. Quapropter hæc Plutarchi verba : Ἐπώπτευον δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλιπόντες. « Conspiciebant autem minimum a magnis annum interponentes, » depravata esse arbitrantur et sic corrigenda : Ἐπώπτευον δὲ ἐπὶ τῶν μεγάλων τοὐλάχιστον ἐνιαυτὸν διαλιπόντας « Conspiciebant autem in magnis, minimum interponentes annum. » Sed hæc adnotasse sufficiat. De illis etenim mysteriis legi poterunt Casaubonus in lib. VI Athenæi, cap. 5, et Meursius lib. *De Cerere Eleusina*, cap. 8; Fasoldus *De festis Græcor.*, decade 2, et Castellanus de iisdem festis.

At ipse Meursius non satis animadvertisse videtur corrupta in antiquis editionibus revera fuisse

[47] in l. III Hist. nat. Plin., p. 727. [48] Demonst. evang., prop. 4, c. 2, p. 57. [49] De myster., c. 2, p. 3. [50] l. IX in vita Democr. [51] l. XXX Hist. nat., c. 1, p. 720. [52] l. X Præpar. evang., c. 4, p. 472. [53] l. VI Hist. nat., c. 28, p. 724. [54] ibid., c. 29, p. 735. [55] l. XXII, c. 15, p. 338. [56] p. 40. [57] l. I Antiq. Jud., c. 3. [58] loc. cit., p. 335. [59] Strom. lib. V, p. 582. [60] in Athen. lib. VI, cap. 16. [61] Strom. lib. VII, p. 714. [62] Strom. lib. I, p. 277. [63] lib. de Cerere Eleusina, c. 7. [64] in vita Demet., p. 900. [65] lib. advers. Valentin., c. 2.

Digitized by Google

citata Tertulliani verba, quæ sic ab illo referuntur: « Diutius initiant quam consignant. » Nam in posterioribus editis ita recte emendata sunt : « Diutius initiant, linguam consignant. » Quibus verbis Tertullianus significat initiatis Cereris ritu consignatam fuisse linguam, ne illius mysteria ulli his nondum initiato unquam patefacerent. Hujus autem silentii Clemens non solum sæpius meminit, sed illud a Platone etiam præceptum fuisse alicubi observat, ubi ejus verba, prætermisso tamen *Theæteti*, ex quo desumpta sunt, nomine, ita exhibet [66] : « Vide autem circumspiciens, ne quis exaudiat ex iis qui non sunt mysteriis initiati. » Quam severe autem in hujusce silentii reos animadverteretur, ex ipso, quod Clemens noster memorat [67], disce Æschyli exemplo : « Æschylus in scena effatus mysteria, in Areopago dicta causa fuit absolutus, cum ostendisset se non esse mysteriis initiatum. » Quas autem pœnas ille dedisset, si rogaveris, respondebit Ælianus [68], qui tamen paulo aliter rem narrat, Athenienses fuisse jam paratos eum lapidibus obruere.

Tanta porro cautione et severitate non semper observatum esse hujuscemodi silentium, haud absurde forsitan ex ipsomet Clemente nostro colligere possumus. Cum enim ille dixisset [69] : « Nec ostenduntur mysteria iis, qui temere et impudenter accedunt, sed cum quibusdam expiationibus et prædictionibus seu potius præceptis, » καὶ προρρήσεων, tum continuo addidit : Ἀ Μοῦσα γὰρ οὐ φιλοχερδὴς κω τότ' ἦν, οὐδ' ἐργάτις· οὐδ' ἐπέρναντο γλυκεῖαι μελίφθογγοι ποτὶ Τερψιχόρας ἀργυρωθεῖσαι πρόσωπα μαλθακόφωνοι ἀοιδαί. Tametsi etenim Hervetus profiteatur se non intelligere et quomodo hæc cum superioribus cohæreant, et unde accepta sint; is tamen, qui ad rem nostram facit, videtur esse Clementis sensus : Veteres studiose mysteria sua tum celavisse, cum illa nondum, lucri gratia aut aliqua mercede divulgarentur. Plura de hoc silentio congerit Meursius [70]; Plutarchus vero [71] ait Terpsichorem ex Musis, a Clemente memoratis [72], fuisse unam, quæ alios tripudiis et choræis, quemadmodum Melpomene, oblectabat.

De mysteriis igitur ad aliquid dicendum illos si necessitas compulisset, hoc ænigmatibus, signis, symbolis, allegoriis, tropis et metaphoris, ut testatur Clemens [73], tam Græci quam barbari involvebant velabantque. Quapropter Ægyptii ante templa sphingas posuerant. Quo de more videsis Plutarchum [74] et Kircherum [75].

Dionysii autem Thracis grammatici auctoritate auctor noster probat [76] hoc symbolicum loquendi et dicendi genus non modo in verbis, sed etiam in rebus ipsis positum olim fuisse. Et primo quidem symbola in verbis erant Delphica præcepta atque alia sapientum effata et apophthegmata, uti illud : « Sequere Deum, » de quo Cicero [77], Ambrosius [78] et Erasmus [79], et istud : « Venia melior supplicio, » quod Pittaco Laertius [80] et Stobæus [81] ascribunt. Utrumque porro illud adagium, sicut et hæc alia duo : « Nosce te ipsum, » et : « Parce tempori, » de quibus mox citandi scriptores disputant, atque alia hujusmodi plurima Clemens ex sacris nostris Scripturis delibata esse asserit et demonstrat. At ea omnium oculis præsertim subjicit [82], quæ a Pythagora pronuntiata sunt. De illis autem, quale est illud : « Domi non habere hirundinem, » legendi sunt Laertius, lib. VIII in Vita Pythagoræ § 17, et A variorum in hos libros animadversiones, Plutarchus lib. *De liberis educand.*, tom. II, pag. 12, in *Sympos.*, lib. VIII, quæst. 7 et 8, ac lib. *De Iside et Osiride*, p. 354; Cyrillus Alexandrinus lib. IX *Contra Julian.*, p. 300; Suidas ad verbum Πυθαγόρας, Lilius Giraldus lib. *De interpret. philos. Pythagor. symbol.*; Erasmus *Adag.*, chiliad. 1, centur. 1, adag. 13 et seqq.; Marcil. Ficinus in fin. tom. II; Kircherus *Œdipi Ægypt.* tom. II, class. 3, cap. 5, pag. 157 et seqq.

Hervetus tamen nos admonet se nescire utrum symbolicum hoc Pythagoræ adagium [83] : « Super terram non esse navigandum, » alibi quam apud Clementem nostrum legatur. Et Junius quidem illud ab omnibus hactenus prætermissum fuisse palam confessus est. Hujus, si lubet, librum post Erasmi *Adagia*, centur. 4, adag. 47, pag. 1086, consule.

Sextum Pythagoræ proverbium [84] : « Stateram non transiliendam, » quibusdam Clemens confirmat versibus, qui solo venustatis poeticæ nomine ab illo citantur. At Hervetus quid Clemens his verbis sibi velit, ni forte Sapho designata fuerit, sibi fatetur esse incompertum. Sed male profecto divinavit. Carmina enim sunt Euripidis in *Phœnissis*, carm. 540 et seqq., tom. II *Poetarum Græcorum*.

Ultimo symbolico effato observat Clemens [85] ab Pythagora prohiberi, τὰς λεωφόρους ὁδοὺς βαδίζειν, « ne viis regiis, » vel potius « publicis incedamus. » De hoc autem adagio legesis Menagii in citatum superius Laertii locum, aut, si velis, nostras in Ambrosii ad Irenæum epistolam observationes [86].

In earumdem symbolicarum Pythagoræ sententiarum numero ea procul dubio ponenda est, qua uti Clemens noster alibi scribit [87], ille dixerat : « Musas Sirenibus jucundiores. » Ea enim de sententia isthæc a Theodoreto memoriæ mandata legimus [88] : « Pythagoram illum, cujus apud vos celebris laus est, dixisse aiunt qui illius vitam scripserunt, Musas Sirenibus esse præferendas. Ego autem si mos illi fuisset perspicuo sermone uti, quemadmodum aliis quibusdam philosophis, affirmarem illam Musarum vocem ut suaviorem prætulisse.

Post memorata Pythagoræ effata, narrat Clemens [89] Aristocritum meminisse cujusdam epistolæ, qua Atœas, Scytharum rex, Byzantinis bellum illaturus scripsit : « Nolite afferre detrimentum meis **239** vectigalibus, ne mei equi aquam vestram bibant. » Vossius autem hunc Aristocritum scriptoribus illis annumerat [90], quorum incerta ætas, sed cujus Plinius facit mentionem [91]. Atœas vero, vel ut Clemens loquitur, Ἀτοΐας, is esse videtur, qui a Plutarcho Ἀντείας appellatus est, et de quo hæc ille memorat [92] : « Scytharum rex Anteas captivam adeptus Ismeniam tibicinam, jussit inter pocula canere. Cumque cantum ejus reliqui plausu et admiratione prosequerentur, juravit se suavius audire hinnitum equi : adeo procul is aures suas a Musis abduxerat, non equos, sed asinos audire dignus. »

Eodem quoque symbolico dicendi genere asserit Clemens [93] usos fuisse et sapientes et poetas, Orpheum, Linum, Musæum et alios. At de Orphei sententiis et effatis legendus est Kircherus tom. II *Œdip. Ægypt.*, class. 3, c. 4, p. 150, etc., necnon in *Obelisc. Pamph.*, lib. II, c. 3, p. 104 et seq., ubi et Lini quoque pronuntiata ab eo repræsentantur.

Alia insuper duo exempla, quæ Clemens noster

[66] Strom. lib. V, p. 562. [67] Strom. lib. II, p. 387. [68] Variæ hist. l. V, c. 19. [69] Strom. lib. V, p. 555. [70] lib. de Cerer. Eleus., cap. 20. [71] l. IX Sympos., quæst. 14, pag. 747 et seq. [72] Strom. lib. V, p. 556. [73] ibid., p. 561. [74] lib. de Is. et Osir., p. 354. [75] tom. III Œdip. Ægyp., p. 130. [76] Strom. V, p. 568. [77] lib. III De finib. [78] l. I De Abraham., cap. 2, § 4. [79] Adag., chiliad. II, centur. 2, adag. 38. [80] l. II in vita Pittaci. [81] serm. 19, De patient., p. 109. [82] Strom. lib. I, p. 390 et seq.; l. V, p. 585 et seq. [83] ibid., p. 559. [84] ibid., p. 560. [85] ibid., p. 562. [86] epist. 28, p. 901. [87] Strom. lib. I, p. 294. [88] tom. IV, serm. 8, de martyr. init., p. 591. [89] l. V, p. 591. [90] lib. III de histor. Græc., pag. 554. [91] lib. V histor. natur., cap. 51. [92] l. I De fortuna Alexand., pag. 33. [93] Strom. lib. V, p. 567.

Digitized by Google

protulit [96], prætermittere non possumus. Primum autem ab illo his narratur verbis : « Aiunt quidem certe Idanthuram Scytharum regem, ut refert Pherecydes Syrius, Dario, qui Istrum trajecerat, bellum minantem, symbolum misisse pro litteris murem, ranam, avem, jaculum, aratrum. » Quæ quidem Orontopagas et Xiphodres interpretati sunt. Ab Herodoto autem eadem historia sic describitur [97] : « Ad ultimum Darius inopia rerum laboravit. Id reges Scytharum intelligentes, mittunt ad eum cum muneribus caduceatorem, ave, mure, rana et quinque sagittis. » Atque ibidem continenter addidit hæc symbola a Dario ipso et Gobrya eodem modo atque Clemens dixit ab Orontopaga et Xiphodre explicata, Persarum vero regem non Idanthuram, sed Idathyrsum nuncupatum fuisse. Verumtamen Clemens auctorem citat Pherecydem Syrium, Herodoto antiquiorem, atque idcirco fide procul dubio non minus dignum. Illius porro, de quo nos alibi uberius, Clemens noster non semel meminit.

Aliud quoque symbolicum exemplum ex Anacharsi Scytha ab eodem Clemente nostro desumitur [98]. Nobis vero nihil plane necesse est illud fusius prosequi, quippe quod a Laertio [97] et Plutarcho [98] probatum invenies. Cæterum de aliis septem Græciæ sapientum symbolicis ænigmaticisque proverbiis atque sententiis nonnulla a nobis infra perstringentur.

Præ cæteris porro omnibus Ægyptii in occultandis mysteriis suis majus studium ac plane singularem operam adhibebant. Quamobrem illi « non quibuslibet, » inquit Clemens [99], « ea quæ erant apud ipsos, committebant mysteria ; neque rerum divinarum cognitionem deferebant ad profanos, sed ad eos solos, qui erant ad regnum perventuri, et ex sacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatissimi, et educatione, et doctrina, et genere. » His satis congruunt ea quæ Plutarchus de iisdem scripto hunc in modum consignavit [1] : « Reges aut ex sacerdotibus, aut de bellicosis legebantur ; cum hæc gens ob virtutem, illa ob sapientiam in honore et auctoritate esset. Qui autem e bellicosis creabatur rex, statim se sacerdotibus dabat, ac philosophiæ fiebat particeps, pleraque fabulis occultantis ac sermonibus obscura veritatis indicia et argumenta habentibus ; quod sane ipsi declarant, ante templa sphinges plerumque collocantes. » Quam in rem vide adhuc, si lubeat, Kircher. *Obel. Pamph.* lib. II, cap. 1 et 2.

Quomodo autem Ægyptii mysteria sua absconderent, Clemens sic explicat : « Jam vero, inquit [2], qui docentur ab Ægyptiis, primum quidem docent Ægyptiarum litterarum methodum, quæ vocatur ἐπιστολογραφική, hoc est ad scribendas epistolas ; secundo autem sacerdotalem, qua utuntur ἱερογραμματεῖς, id est qui de rebus sacris scribunt ; ultimam autem ἱερογλυφικήν, id est sacram quæ insculpitur scripturam ; cujus una quidem est per prima elementa κυριολογική, id est proprie loquens ; altera vero symbolica, id est, per signa significans. » Itaque Clemens triplicem docet fuisse apud Ægyptios litterarum characterumque rationem et formam, epistolicam seu vulgarem, sacerdotalem et hieroglyphicam : hujus autem duas esse species, nimirum primam proprie, seu per elementa, per signa autem loquentem alteram. Herodotus vero illam quoque duplicem esse testatur : « Litteris, inquit [3], bifariis utuntur, quarum unas sacras vocant, populares alteras. » Kircherus tamen putat quadruplex fuisse earumdem Ægyptiacarum litterarum genus. Videsis, si lubet, illius *Obelisci Pamph.* lib. II, cap. 5, pag. 124, et lib. IV, pag. 372, prius vero lib. I, ubi de litterarum et obeliscorum inventione, ac tandem tom. III *Œdip. Ægypt.* diatr. 2, pag. 42 et seqq. Lege etiam Pierium *De hieroglyph.* lib. XLVII, pag. 351, etc.

A quo autem hieroglyphicæ litteræ in columnis seu stelis, supra commemoratis, primum scriptæ, vel potius incisæ fuerint, Syncellus sic enarrat [4] : « Ex stelis positis, ἐν τῇ Συριαχῇ γῇ, et exaratis sacræ dialecto, et hierographicis litteris a Thoth, qui est Mercurius primus ; secundus Mercurius, Agathodæmonis filius, Tati pater, libros tradidit, quos in templorum adytis reposuit. » Hunc porro post diluvii tempora, illum antea isthæc fecisse ferunt. Legesis Eusebium lib. I *De præparatione evang.*, cap. 9.

Quales autem fuerint hieroglyphicæ illæ litteræ, his stelis exaratæ, ex Ammiano Marcellino disces. Etenim « excisis, » inquit [5], « parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, et animalium species innumeras, quas hierographicas litteras appellarunt. » Eam profecto ob causam Cyrillus Alexandrinus symbolicas figuras simplici litterarum nomine nuncupat [6] : « Hi in templis et obeliscis litteras incidentes, nostris non utebantur, sed aliis figuris rerum naturas efformantes, obstrusam quamdam scientiam sapientioribus ingerebant. » Quod Lucanus etiam his carminibus cecinit [7] :

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, et saxis tantum volucresque, feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Videsis in citata paulo ante Ammiani verba Valesii observationes.

Atque hoc ipsum est secundum symbolicum genus, quod Clemens, uti dictum est, in rebus constitutum esse tradit, ac plura illius nobis proponit exempla. Enimvero « ex Ægyptiis, inquit ille [8], alii quidem in navigio, alii vero in crocodilo, solem ostendunt. » Non longe aliter Eusebius, cujus libri ab Herveto procul dubio, ut ipse satis aperte declarat, lecti non fuerant, hæc memoriæ prodidisse legitur [9] : « Ægyptii aliquando solem hominis 240 cujusdam navigium crocodilo impositum concedentis symbolo repræsentant. » Ubi quid navigium crocodilusque significent, haud plane absimili modo atque Clemens noster edisserit. At de iis Kircher. tom. III *Œdip. Ægypt.*, syntagm. 1, cap. 5, pag. 139.

Deinde vero Clemens addidit [10] : « Diospoli quoque, quæ est urbs Ægypti, in æde sacra, quæ vocatur Pylon, expressus est puellus, signum generationis, senex vero interitus ; et rursus Dei symbolum accipiter, ut piscis symbolum odii, et alio rursus significato crocodilus est signum impudentiæ. » Plutarchus autem [11] : « Sai in vestibulo templi Minervæ erat insculptus infans, senex, deinde accipiter, post piscis, ultimo loco equus fluvialis. Hæc symbola notabant, infans et senex ortum atque interitum, accipiter Deum, piscis odium, ut diximus, propter mare, equus fluvialis impudentiam. » Lege adhuc quæ ille paulo superius dixerat [12], nec non et Pierium *Hierogl.*, pag. 218, atque Kircher., *Œdip. Ægypt.*, syntag. 12, cap. 2, pag. 381. De his porro et cæteris, ibidem a Clemente nostro commemoratis, Ægyptiorum symbolis, auribus, oculis, bove, equo, sphinge, homine, et aliis, quæ Herveto incomperta fuere, vide citatos a nobis proxime laudatorum auctorum libros, ubi ea enucleare atque interpretari conati sunt. Sed in primis legendus Vossius lib. IV *De physiol. Christ.* et

[96] Strom. lib. V, p. 567. [97] lib. IV, § 131 et seq., pag. 266. [98] Strom. lib. V, pag. 568. [97] lib. I, in vita Pherecyd., § 104. [98] lib. De garrul. [99] Strom. l. V, p. 566. [1] lib. De Iside et Osiride, p. 354. [2] Strom. lib. V, pag. 555. [3] l. II, § 306, p. 103. [4] p. 40. [5] l. XXII, cap. 15, pag. 339. [6] lib. IX contr. Julian., pag. 229. [7] Phars. lib. III, v. 223 seqq. [8] Strom. lib. V, pag. 566. [9] lib. III Præp. evang., c. 11, p. 115. [10] Strom. l. V, p. 566. [11] lib. De Isid. et Osirid., p. 363. [12] ibid., pag. 354 et 355.

Digitized by Google

theolog. gentil., cap. 11, 12, 13 et 14, atque Cyrillus Alexandrinus, lib. VI *Contra Julianum*, pag. 300.

Posthæc autem Clemens [13] : « Jam vero in iis quoque, quæ ab ipsis vocantur deorum κωμασίαι, aureas imagines, duos quidem canes, unum autem accipitrem, et ibin unam circumferunt, et quatuor imaginum simulacra vocant quatuor litteras. » Hervetus vero fatetur sibi nihil penitus occurrisse, quod de his κωμασίαις alicubi unquam legerit. Ipsi tamen suboluit has quasdam esse comessationes. Aliis tamen verisimilius videtur illas, ut Clemens noster aperte significat, solemnem, ut more nostro loquamur, fuisse processionem, in qua illæ aureæ imagines, vel in peregrinationis ab Osiride susceptæ, vel forsitan in Isidis, Osirim a Typhone perditam et dispersam quærentis, memoriam publice deferebantur. Videsis Kircher. lib. II, cap. 5, *Obelis. Pamphil.*, pag. 121.

Ibis autem, quemadmodum accipiter, avis erat, eamque Strabo dicit mansuetissimam, ac ciconiæ magnitudine et figura persimilem [14]. Sed Herodotus duplicis generis ibin fuisse narrat, et utriusque figuram graphice describit [15]. A Cicerone tamen ibes, quasi unius tantummodo essent generis, depictæ sunt [16]. Uterque porro eas ab Ægyptiis ideo honorari perhibent, quia illæ quasdam volucres angues, ex vastitate Libyæ vento Africo invectas, interficiebant consumebantque. Quapropter Plinius : « Invocant, ait [17], et Ægyptii ibes suas contra serpentium adventum. » Ibis denique plures alii meminerunt, Diodor. lib. I *Histor.*, pag. 55; Pausanias lib. II, pag. 253; Plutarchus lib. *De Isid. et Osir.*, pag. 381; Eusebius lib. II *Præpar. evang.*, cap. 1, pag. 49, Ælianus, Aldrovandus, et alii.

Denique Clemens adjicit ibis, accipitris, duorumque canum simulacra quatuor ab Ægyptiis vocari litteras, haud dubie hieroglyphicas, seu hierographicas, de quibus hactenus disputavimus. Verum Plutarchus de ibi sic loquitur [18] : « Ibin Ægyptii signum primæ faciunt litteræ, non recte meo quidem judicio, muto vocisque experti animali primum locum in litteris deferentes. » Non dissimulandum autem ibim apud Ægyptios esse, quemadmodum Clemens noster asseverat, hieroglyphicam litteram, sed plane inficiatur primum ei locum dari debere. Hæc porro a Pierio lib. XVII et lib. XLVII, pag. 351, et Kirch. lib. II *Obel. Pamph.*, cap. 6, pag. 126 et seqq., ac præsertim tom. III *Œdip. Ægypt.*, diatr. 2, pag. 42 et seqq., fusius explicantur.

ARTICULUS IV.

De Ephesiis aliisque similiter magicis litteris et nominibus, ac de aliis paganorum superstitionibus.

Androcydis Pythagorei auctoritate ostendit Clemens Ephesias litteras ἄσκιον, κατάσκιον, λίξ, τέτρας, δαμναμενεὺς et αἴσια fuisse quoddam adhuc symbolicum scribendi genus, easque ibidem interpretatur [19]. Hesychius autem easdem litteras atque illarum significationem paulo aliter quam ille explicavit.

Verum Suidas [20] aliique non pauci putant eas esse obscuras quasdam incantationes. Quapropter Plutarchus : « Magi, inquit [21], a malis geniis occupatos jubent secum legere et recitare τὰ Ἐφέσια γράμματα. » Apud Athenæum vero Anaxilas poeta canit [22] :

Et præter hæc in consutis coriis litteras Ephesias
Pulchras ferens.

De his plura Kircher. tom. II *Œdip. Ægypt.*, part. II, class. 2, cap. 6, pag. 469 et seqq., et Erasmus *Adag.*, chil. 2, centur. 8, adag. 49.

Porro autem Androcydis, a Clemente citati, mentionem fecit Jamblicus [23]. At non ita certum est utrum ille sit, quem Plinius ad Alexandrum Magnum scripsisse testificatur [24]. Sed de illo infra.

Ex eodem autem magicæ artis penu haud immerito Kircherus depromptas censet alias litteras, seu nomina, de quibus paulo post Clemens noster ita disserit [25] : « Jam puerorum quoque doctrina, quæ versatur in elementis, complectitur interpretationem quatuor elementorum. » Hæc autem erant nomina : « bedi, » quo juxta Orpheum et Dionem Thytem aqua, vel secundum Philydeum comicum et Neanthem Cyzicenum aer significabatur; « zaps, » quo aliqui etsi indocte ignem, vel alii uti Euphorion, Dionysius iambus, Cratinus junior comicus, et Simmias Rhodius mare designari putabant; « chthon » autem, quo terra; « plectrum, » quo aliqui aerem, Cleanthes vero philosophus solem volebant appellari. Porro autem docet Laertius terram a Pherecyde Syrio χθονίην appellatam [26] : quem in locum legesis Casauboni et Menagii observationes.

Alia quoque Clemens ejuscemodi refert nomina [27] « sphinx, cnachzbi, chthyptes, plegmos, et drops, » quorum varias significationes juxta diversorum auctorum opinionem exhibet. Denique ille postea subjunxit [28] : « Fertur etiam tertia puerilis in hunc modum descriptio : marptes, sphinx, clops, sauchtedon; » atque ad hæc adjecit nomina « cercisis, pampulochrosis, stemosis, miton, moiræ, leucostolos, antheos, argis et gorgonios. » Sed isthæc nomina citatus a nobis Kircherus magica, et in tenebris nata, atque a tenebrionibus prolata existimat [29]. **241** De voce autem « moira » Vossius plura congerit, quæ apud eum facile legere est [30].

Ex quibus colligitur Clementem his vocibus καλῶν διδασκαλία, nihil aliud significare nisi eorum doctrinam, qui magicam artem apud Ægyptios impie profitebantur.

Animadverti quoque a nobis debet Clementem tertiam appellare hanc puerilem horumce nominum descriptionem, etiamsi duas tantum designasse videatur. At indicio non plane obscuro id nobis est, his magicis nominibus primum locum Ephesiis litteris ab illo assignari. Verum hæc omnia, nisi ab auctore nostro commemorata fuissent, a nobis omnino prætermitti perpetuisque sepeliri tenebris, et sempiterna oblivione damnari ac penitus obrui debebant.

Antequam tamen huic de Ægyptiorum aliorumque magicis litteris et nominibus sermoni finem imponamus, illud adhuc notandum est quod alio in libro Clemens de superstitiosa sacerdotum apud Ægyptios abstinentia testatum esse voluit : « Ægyptii, ait ipse [31], in iis quæ eorum ritu fiunt sanctificationibus, non permittunt sacerdotibus vesci carnibus, et aviculis utuntur quam levissimis; et pisces non tangunt, cum propter alias quasdam fabulas, tum maxime, quod ejusmodi cibus carnem reddat humidam. » Legendus ea de re Herodotus lib. II, § 36 et seq., ac Diodorus Siculus lib. I, pag. 57.

Aliorum denique paganorum plane absurdas superstitiones Clemens paulo superius sic exagitat atque insectatur [32] : « Merito superstitiosi, cum tam proclives ad iram pertimescant, omnia quæ eveniunt existimant esse signa et causas malorum; si mus aram, quæ erat e luto constructa, perfode-

[13] Str. v, p. 567. [14] lib. XVII Geogr., p. 821. [15] lib. II, § 77 et 76. [16] lib. I De natura deor., p. 210. [17] lib. X Hist. natur., cap. 28. [18] lib. IX Sympos., quæst. 3, p. 738. [19] Strom. lib. v, pag. 568. [20] ad verb. Ἐφέσια. [21] l. VII Sympos., quæst. 5, p. 706. [22] l. XII Deipnosoph., pag. 548. [23] in Vita Pythag., l. VII Strom., p. 718. [24] lib. XIV Histor. natur., cap. 5, p. 129. [25] Strom. lib. v, pag. 569. [26] lib. I in Vita Pherec. § 119. [27] Str. l. v, p. 570. [28] ibid. [29] t. II, Œdip. Ægypt., part. II, cap. 6, pag. 170. [30] De orig. et progr. idololat. l. II, c. 44. [31] Strom. l. VII, p. 718. [32] ibid., p. 712 et seq.

Digitized by Google

rit, et cum nihil haberet, lecythum corroserit..... Quid mirum, inquit Bion [33], si mus calathum arroserit, cum non inveniret quod comederet? Hoc enim fuisset mirum, si, ut ludens argutabatur Arcesilaus, murem calathus comedisset. » Illam de mure superstitionem, atque Bionis et Arcesilai eam in rem dicterium, quemadmodum citata ibidem a Clemente non solum de rupta dextri pedis corrigia Menandri carmina, verum etiam lepidam Antiphontis de vana ob devoratos a sue porcellos præsagitione, et Diogenis de invento a quopiam pistillo, a serpente in gyrum circumdato, admiratione irrisionem, ac tandem alios Philemonis hæc facete deridentis versus Theodoretus retulit [34]. Huc accedit, quod apud Ciceronem legimus [35] : « Nos autem ita leves atque et inconsiderati sumus, ut si mures arroserint aliquid quorum est opus, hoc unum monstrum putemus. »

A nobis autem fortasse posces quis ille sit, qui simpliciter a Clemente nostro et Theodoreto Bion vocatur, et cujus Clemens dicterium hic et aliud alibi his verbis retulit [36] : « Mihi videtur Bion facete dixisse : Quomodo homines prolem formosam petierint a Jove, quam ipse sibi præbere non potuit? » Quamobrem respondebimus quamvis plures nec minus quam undecim Bionis nomen, teste Laertio [37], sortiti fuerint, hoc tamen nulli aptius et verisimilius tribui posse, quam Bioni Borysthenitæ, quem idem Laertius deos et sacra omnia irrisisse aspernatumque fuisse testificatur.

De memoratis porro superstitiosis ridiculisque auguriis et prædictionibus adisis Tiraquelli in Alexandr. ab Alexan. lib. v *Genial. dier.* cap. 13, animadversiones.

Rursus quoque a Theodoreto [38] in metri formam descripta sunt citata a Clemente Diogenis Cynici carmina [39], quibus concinne exagitat prælixam ab improbo aliquo homine hanc cuidam domui inscriptionem : « Insignis victor Hercules hic habitat, nihil mali ingrediatur. Et quomodo, inquit, ingredietur dominus ædium? » Quod autem Clemens subnectit de ligno et lapide pingui, quæ pagani adorabant, satis in hujusce loci scholiis illustratum invenies.

Longe itaque difficilius illud est, quod ibidem Clemens hæc scripsit in verba [40] : Ὁρᾷν γοῦν ἔστι τὰ ὦτα ἀπὸ τῶν περιχαθαρθέντων, εἰ θαλφθείη ζωογονούμενα. Οὐκ ἂν δὲ τοῦτο ἐγίνετο, εἰ ἀνελάμβανεν τὰ τοῦ περιχαθαρθέντος κακά. « Videre certe licet ova ab his, quæ purgantur, si fota fuerint, vivificari. Atqui hoc nequaquam fieret, si ejus ipsius quod purgatur mala participarent. » Hervetus siquidem declarat se non percipere horum verborum sensum, et sagacioribus indagandum relinquere. Verumtamen cum in Græco textu legatur τὰ ὦτα, « aures, » in Latina tamen interpretatione redditum est « ova ; » quia haud dubie putabant legendum τὰ ᾠά. Et recta quidem videtur hæc emendatio. Quis autem inde sensus depromi possit, si quæras, tibi primum respondebimus Clementem nobis videri ad illud respexisse, quod a Luciano ᾠὸν ἐκ καθαρσίου, vocatur [41]. Pagani quippe in expiationibus ova atque etiam sulphur, tædas, aliaque a Clemente ibidem memorata adhibebant. De ovis autem ita Juvenalis cecinit [42] :

.....Nisi se centum lustraverit ovis.

De sulphure autem idem poeta [43] :

.....Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis.

Rursus vero de utroque cum ovo tum sulphure Ovidius [44] :

Et veniat quæ lustret anus, lectumque locumque,
Præferat et tremula sulphur et ova manu.

Apuleius autem non solum de ovo et sulphure, sed etiam de tædis seu facibus sermonem fecit, ubi de nave expiata sic disputat : « Simulacris, inquit [45], rite dispositis, navem faberrime factam, picturis miris Ægyptiorum circumsecus variegatam, summus sacerdos tæda lucida, et ovo, et sulphure, solemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissime purificatam, deæ nuncupavit dedicavitque. » Ex his itaque sic observatis elici potest ille verborum Clementis sensus. Vanum gentilium hominum, qui sulphur, faces et alia quibus præstigiatores in immundis expiationibus adhibebant, timorem idcirco jure merito irridet et explodit; quia ova autem in illis expiationibus adhibita, si fota fuerint, fiunt animata, atque ex iis pulli excludantur. Quod certe non fieret, si mala quæ in illis nefariis expiationibus et lustrationibus perpetrabantur, ad ipsamet ova transirent, iisque polluta contaminataque reipsa forent.

CAPUT XV.

De philosophia.

242 ARTICULUS I.

Utrum Christiani philosophiæ studere debeant, utrumve Clemens primus id asseruerit.

Dandam esse philosophiæ operam et ad eam perfecte comparandam cuilibet Christiano homini sedulo incumbendum, variis rationum momentis evidentissime Clemens demonstrat. Quia vero aliqui tum secus sentiebant, eorum ille respondet objectis, contrariasque sententiæ suæ argumentationes infirmat et diluit. Status autem hujusce quæstionis, quæ Clementis nostri ævo eo major esse debuit quo magis de illa celeberrimi Christianæ fidei defensores et doctores disceptabant, ut ab omnibus recte percipiatur, accurate observandum est, quid auctor noster philosophiæ nomine intelligat. At id cum clarius quam ipsiusmet verbis explicari non possit, audi, quæso, quomodo ea de re mentem aperiat suam : « Philosophiam, inquit [46], non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, aut Aristotelicam, sed quæcunque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico philosophiam; quæcunque autem humanis separata cogitationibus adulterarunt, ea nunquam divina dixerim. » Postea vero disertissimis ille verbis nos admonet [47], se non quorumlibet ethnicorum hominum admittere philosophiam, sed eorum tantummodo « qui, ut apud Platonem dixit Socrates, « recte philosophati sunt. » Rursus autem alibi : « Fundamentum, inquit [48], ut olim adnotavimus, non dicimus eam, quæ in unaquaque hæresi suscipitur, vitæ institutionem, sed id quod vere est philosophia, vere artificiosam sapientiam, quæ præbet experientiam eorum quæ sunt in vita. Sapientiam autem solidam rerum divinarum et humanarum cognitionem, firmam quamdam et stabilem, et quæ non potest excidere com-

[33] ibid. [34] De Græc. affect. curat., serm. 6, p. 563 et seq. [35] l. II De divin., p. 387. [36] Admon. ad gent., p. 37. [37] l. IV in Bion. Vita. [38] loc. cit. [39] Strom. l. VII, p. 713. [40] ibid. [41] Dial. Diog., p. 114. [42] Satyr. VI, v. 517. [43] Satyr. II, v. 157. [44] De art. amat., II, 329, 330. [45] l. II Metamorph. circa med. [46] Strom. l. I, p. 288. [47] ibid. p. 315. [48] l. VI, p. 642.

Digitized by Google

prehensionem, et quæ comprehendit ea, quæ sunt, et præterita, et futura, quam nos docuit per suam præsentiam et per prophetas Dominus, estque hujusmodi, ut non possit excidere, ut quæ a Verbo sit tradita. . . . . Est autem philosophia [49], quæ in unaquaque hæresi (de iis loquor quæ sunt in philosophia) reprehendi non possunt decreta cum vita congruente, in unam coacta electionem, quæ ipsa quoque a barbara divinitus data subrepta gratia, Græca ornata sunt eloquentia.» Denique ut plura missa faciamus: « Philosophiam, ait Clemens [50], sæpe diximus, id quod per philosophiam assequitur veritatem, etiamsi sit singulare. »

Duplex itaque auctor noster in humana gentilique philosophia distinguit documentorum genus. Ex iis siquidem unum recte dicta, et æquitatis, justitiæ, pietatis ac veritatis decreta complectebatur. Alterum autem a paganis philosophis excogitatum, falsa et erronea, ac sæpe sæpius impia continebat dogmata, quibus gentiles illi philosophi veram divinamque Hebræorum doctrinam vel labefactaverant, vel interpolaverant, vel penitus corruperant. « Nam alia quidem, ut ipse loquitur [51], suffurati, alia vero male audierunt. In aliis autem aliqua quidem dixerunt commoti, sed ea non reddidere perfecta; aliqua autem humana conjectura et ratione, in quibus labuntur. » In primo autem libro, hæc paulo enucleatius edisserit [52]: « Est etiam in philosophia, quæ furto subrepta, veluti a Prometheo, tanquam aliquantulum ignis, aptum ad lumen, si utiliter excitetur, et vestigium aliquod sapientiæ, et motus a Deo. In his autem latrones et fures fuerint, qui sunt apud Græcos philosophi, qui ante Domini adventum a prophetis Hebræis partes veritatis, id minime agnoscentes sumpserunt, sed sibi tanquam propria dogmata adhibuerunt; et alia quidem adulterarunt, alia autem supervacanea quadam diligentia sophistice interpolarunt, alia autem etiam invenerunt. Forte enim sensus quoque spiritum habuerunt. » Et paulo post [53]: « Ex parte ea quæ suffurati sunt, vera quidem sunt; sciunt autem per conjecturam, et rationum moti necessitatibus. » Quod quidem præ cæteris omnibus a Pythagora et Platone factitatum affirmat [54]. Censet igitur Clemens hoc posterius gentilis philosophiæ genus a Christianis omnibus plane penitusque rejiciendum et explodendum; sed prius ab iis fovendum et amplexandum, atque ut illud assequantur, totis adnitendum ingenii animique viribus.

Hæc est vera germanaque auctoris nostri de studio in gentili philosophia a Christianis hominibus collocando mens et sententia. Ad eam autem probandam tria ipsi demonstranda erant. Et primo quidem in illa philosophia gentili variisque ejus sectis vera quædam placita et documenta inveniri. Secundo Hebræorum doctrinam, Moysisque libros cæteris omnibus Græcis cum philosophis, tum aliis scriptoribus esse antiquiores. Tertio tandem ex iisdem Hebræis et Moyse decerpta fuisse illa veritati et æquitati consentanea dogmata, quæ Græci philosophi suis in scholis atque scriptis docuerunt. At tria hæc ille in suis Stromatum libris invictissime demonstrat.

Primum siquidem palam ostendit in qualibet philosophorum secta quædam decreta, vel plura vel pauciora veritati consona revera reperiri. Quamvis autem illa in eorum libris et scriptis longe a se invicem dispersa disjunctaque lateant, quisquis tamen ea simul collegerit secumque composuerit, veritatem citra periculum contemplabitur [55].

Secundo variis Clemens validisque rationum momentis manifestum cuilibet facit Hebræos paganis omnibus philosophis ætate esse provectiores [56]. Neque enim id certissimo tantum ipsorummet paganorum, quorum pene infinitus erat numerus, scriptorum testimonio astruit et confirmat [57], sed etiam ex assignata ab ipsis eorumdem auctorum suorum, seu philosophorum, seu sapientum, atque aliorum, necnon et deorum ætate, ac variis illorum, atque etiam Hebræorum et Christianorum chronologiis, uti infra a nobis fusius liquidiusque declarabitur.

Denique non minori ille evidentia Græcos philosophos eo fures plagiariosque esse convincit, quod ex sacris Hebræorum libris omnia subripuerint vera sua decreta ac documenta. Quod quidem ille inde probat [58], quia eorum coryphæi et antesignani cuncta hæc placita ex Hebræis atque Ægyptiis, apud quos illi diu remanserant, aut viva voce, aut ex illorum scriptis, in linguam suam tunc redditis, delibaverant. Deinde vero varia multiplicique inductione singulatim recenset [59] quænam sint dogmata, quæ ethnici philosophi divinis illis ex fontibus hauserunt, **243** atque eos furti et plagii manifestissime coarguit furesque esse demonstrat. Præterea observat auctor noster [60], ante Græcam Scripturæ interpretationem ipsas etiam mulieres ab angelis quædam de divina providentia rebusque cœlestibus documenta accepisse. Addit denique [61] philosophos ex sacris prophetis varia excerpsisse dogmata, quæ aliquando bene et sæpius male intellexerunt.

Iis igitur firmissimis rationibus et argumentis evidentissime Clemens colligit vera quædam a paganis philosophis asserta et, tradita fuisse documenta, atque in hanc ethnicæ philosophiæ partem Christianis omnibus haud indiligenter incumbendum. Porro autem sicuti certum est plures ab eo in suam postmodum adductos fuisse sententiam, ita sane ille neque primus hujusce opinionis auctor et assertor, neque ante omnes alios philosophicum studium cum sacris Christianorum litteris conjunxisse nobis videtur. Testatum siquidem Eusebius nobis facit Origenem ut nonnullis, qui nimium ejus in gentili philosophia studium reprehendebant, seipsum purgaret, hæc quadam in epistola scripsisse [62]: « Cum totum me addixissem verbo Dei, ac de nostra eruditione fama jam crebrior spargeretur, confluentibus ad me nunc hæreticis, nunc Græcarum disciplinarum studiosis, et maxime philosophis, scrutari hæreticorum dogmata, et quæcunque a philosophis de veritate jactantur, excutere constitui. Atque hoc fecimus Pantæni illius, qui ante nos multis profuit, exemplum secuti, qui quidem hujusmodi cognitione non mediocriter instructus fuit; tum Heraclæ, qui nunc inter presbyteros Alexandrinæ sedet Ecclesiæ, quem ego apud magistrum philosophiæ reperi, quintum jam annum ei operam dantem, priusquam ego ejusmodi doctrinam auscultare cœpissem. » Tum continuo addit Eusebius: « Atque idcirco cum vulgari veste antea usus fuisset, ea deposita, philosophicum induit habitum, quem etiamnum retinens, Græcorum libros studiose evolvere non desistit. » Origenis autem verba aperte indicant datam a Pantæno philosophiæ operam. Atqui Clemens noster, ut superius adnotavimus, fatetur eumdem Pantænum fuisse suum præceptorem. Nullus igitur dubitandi locus esse videtur, quin prius Pantænus quam noster Clemens sacræ Scripturæ veræque philosophiæ studium conjunxerit. Utrum autem ab aliquo alio ante Pantænum id factum sit, cum ab Origene, tametsi ad rem suam id plurimum conduceret, silentio prætermittatur, nec nos quidem certo definire audemus.

[49] Strom. l. vi, p. 642. [50] ibid. p. 694. [51] ibid. p. 642. [52] l. i, p. 312. [53] ibid., p. 320. [54] l. v, p. 560. [55] lib. i Strom., p. 298 et seq., p. 314 et 315; l. vi, p. 675. [56] ibid., p. 305 et seq. [57] ibid. p. 320 et seq. [58] ibid., p. 502 et seq. [59] ibid., p. 312, 318, 342. [60] l. v, p. 560, 591, etc. [61] l. v, p. 550. [62] Euseb. l. vi, Hist., c. 19, p. 221.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Contraria huic opinioni argumenta solvuntur et refelluntur.

Quamvis Clementis sententia, a nobis sincere exposita, hisque, quos notavimus, circumscripta finibus et terminis, nihil plane nisi verissimum et omnibus facile probandum complectatur, plures tamen illius tempore non infimi apud Christianos nominis adversarios habuit [63]. Quocirca varia eorum argumenta Clemens tanto integrius candidiusque proponit, iisque tanto accuratius respondere et satisfacere conatur, quanto gravior et illustrior videbatur esse illorum in Ecclesia auctoritas [64].

Ex his autem aliqui objiciebant philosophiam in hominum perniciem atque exitium non a Deo, sed a malo auctore et ipsomet diabolo profectam. At quonam modo, respondet Clemens [65], philosophiæ et dialecticæ inventor dici potest diabolus, quem Christus, cum ab eo tentaretur, sapienter elusit? Quid autem, quod diabolus aliquando in lucis commutatur angelum, qui vera quædam et hominibus utilia annuntiat? Tunc autem tantummodo decipit homines, cum per vera, quæ dicit, illos traducit in errorem et mendacium. De ea autem duntaxat philosophia quæstionem esse diximus, quæ sincera et certa, nullaque erroris et falsæ opinionis fuligine corrupta, sempiternæ veritatis documenta nobis tradidit.

Ad hæc vero, etiamsi nonnulla ab aliquo imperite dicantur, ea tamen idcirco non damnari, sed an veritati consentanea sint, attente examinari debent. Postremo cum Græci philosophi ea, uti vidimus, quæ vera docuerunt, ex Hebræis delibaverint, si ea vel sponte sua, vel metu aliquo contemnant aut respuant, nobis certe non minus utilia atque etiam necessaria ac divinitus transmissa sunt. Hæc autem, sicut jam diximus, illa est Græca philosophia, a Christianis amplectenda, ac nostræ etiam religionis fundamentum [66].

Rursus itaque Clemens postea ostendit [67] non a diabolo, sed a Deo ipso revera ortam esse philosophiam, utpote quæ homines reddat virtute præditos, et cujus usus Græcorum omnium optimis et præstantissimis datus fuerit. Quinetiam gradatione facta [68], ille demonstrat omnipotentem Deum, divinumque illius Verbum, esse primum veritatis veræque doctrinæ magistrum et præceptorem.

Contra vero [69] arguebant aliqui Græcam philosophiam « casu utcunque et exiliter veritatem » consequi; vel si quæ vera doceat, hæc fuisse furto sublata. At omne furtum cum malum sit, illud non Deo aut ejus prophetis, sed diabolo aut inferioribus potestatibus utique ascribendum est. At sane utrumque a Clemente nostro facile solvitur. Ad primum quippe respondet [70]: « Si non comprehendit Græca philosophia veritatis magnitudinem, et est adhuc imbecilla ad mandata Domini exsequenda, at regali quidem maxime doctrinæ viam præparat, utcunque castigans et mores prius informans, et ad suscipiendam veritatem confirmans eum, qui opinatur (seu existimat) esse providentiam. » Ad secundum vero: « Aliquam, inquit [71], utilitatem habuit furtum, quod redibat ad homines, non quod is qui subripuit utile sibi proponeret, sed providentia ad utile dirigeret audacis cœpti eventum. » Quoscunque enim veræ philosophiæ dogmata furatos esse dixeris, certe ex eorum furto, quod Deo non quidem auctore, sed non prohibente, admissum est, possunt homines aliquam capere utilitatem. Et vero sive diabolus, sive falsi prophetæ furto aliquid Hebræis eripuerint, constat sane illos nobis vera quædam reliquisse documenta, quæ a Christianis aliquo non sine fructu excipi possunt [72].

Verum contra adhuc urgebant, etsi Deus alicujus philosophiæ sator seminatorque fuisset, divinam nihilominus super illius segetem pestiferum erroris atque impietatis lolium et zizania, quibus illa perempta est, impius agricola diabolus sparsit et disseminavit. At, inquit Clemens [73], idem erroris et impietatis lolium super verissima Christianæ religionis decreta ab hæreticis sparsum est. Nunquid ergo eam ob causam proscribenda est eadem Christiana religio? Quis nisi male sani capitis homo id unquam somniavit? Quamobrem quemadmodum falsa et absurda philosophorum, 244 uti Epicureorum, de voluptate, et alia contra rectam rationem documenta, quæ ab Apostolo « sapientia hujus sæculi » vocantur [74], ab omnibus proscribi et repudiari debent [75]; ita singulari quoque illi philosophiæ insistendum, quæ vera tradit perfectæ scientiæ elementa, et in iis, quæ spiritualia et æterna sunt, semper versatur.

Non sinit ergo Clemens sibi amplius objici philosophiam ab ipsismet paganis philosophis fuisse inventam [76]. Quantumvis enim illam ab hominibus accepissemus, ab ea nihilominus et Domini imbuimur doctrina, et quæ facienda a nobis sunt edocemur. Præterea variis sacrorum scriptorum testimoniis Clemens probat omnis humanæ sapientiæ et intelligentiæ originem in Deum ipsum esse refundendam.

Quid ergo, instabant alii, nonne ab Apostolo in suis Epistolis philosophia Christianis omnibus plane penitusque interdicta prohibitaque fuit? Minime gentium, respondet Clemens [77]. Falsa siquidem, erronea et impia tantum philosophiæ dogmata Paulus rejicit et repudiat. Quinetiam idem « Apostolus, ut alibi [78] Clemens loquitur, non videtur reprehendere philosophiam; sed eum, qui est particeps altitudinis cognitionis, non vult amplius recurrere ad Græcam philosophiam, eam allegorice vocans mundi elementa; ut quæ elementa quodammodo doceat, et sit veluti disciplina præcedens veritatem. » Vetat itaque Clemens, ne gnostici et perfecti Christiani ad Græcæ philosophiæ elementa redeant, quibus ii tantum studere debent, qui nondum cognitam veritatem inquirentes contendunt ad Christianæ perfectionis pervenire fastigium. Verumtamen gnostico alicubi Clemens indulget [79], si ei per otium et tempus liceat, relaxandi animi gratia, Græcam philosophiam tanquam bellarium post cœnam degustare et attingere. At omnibus palam edicit [80] eos rationum persequi umbras, qui philosophiæ studentes, rebus supervacaneis dolosisque sophismatibus occupantur.

Neque tamen hi [81], qui « Græcam philosophiam, non secus ac pueri larvas verebantur, » his rationibus plane adhuc victi, Clementi nostro adhuc exempla objectabant prophetarum atque apostolorum, qui nullas philosophiæ artes nec didicerant nec noverant. Sed levissimum illud telum ab eo facile retunditur [82]. His quippe artibus et studiis illi idcirco non indiguere, quia divino afflante Spiritu, cognitione doctrinaque plane cœlesti imbuti fuerunt. Cæteros ergo eodem divino munere non donatos, ad intelligenda et assequenda vera philosophiæ documenta, labore et industria opus habere nullus merito inficiabitur.

[63] Strom. lib. I, p. 278. [64] ibid., p. 292. [65] l. VI p. 647 et seq. [66] ibid., p. 648. et 671. [67] ibid., p. 642, 645, 695 et l. VII, p. 70. [68] l. VI, p. 644. [69] l. I, p. 309 et seq. [70] ibid. [71] ibid., p. 310. [72] ibid. p. 311, 312. [73] ibid., p. 648. [74] 1 Cor. II, 6. [75] Strom. l. VI, 675. [76] ibid., 646, et p. 661 et seq. [77] l. II, p. 295 et seq. [78] l. VI, p. 645. [79] ibid., p. 695. [80] ibid. [81] ibid., p. 655 et seq. [82] l. I, p. 295

Digitized by Google

ARTICULUS III.

Solvuntur alia argumenta, et philosophiæ utilitas ostenditur.

Alii contra Clementis sententiam [83] inde argumentabantur, quod Christiano homini in his tantummodo versandum sit, quæ omnino ipsi necessaria exhibebant religionis suæ documenta. Ethnicorum itaque philosophiam omnesque alias disciplinas tanquam supervacuas, inanes et plane inutiles, respuendas esse certo se concludere posse existimabant.

Sed his auctor noster respondet primum eo saltem nomine utilem omnibus esse philosophiam, ut illius inutilitas probetur. Et vero si nulli philosophari liceat, ut hoc alicui persuadeatur, eo ipso philosophandum est.

Deinde vero philosophicis probationibus et experientiis perfectissima eorum, quæ damnata sunt, cognitio eruitur. Quod quidem non parum omnibus utile et fructuosum esse nemo negaverit.

Tertio [84] Christianis omnibus tam catechumenis quam aliis plurimum prodest philosophia; et illis quidem, utpote quos in admirationem raptos, ad veritatem, virtutem et præcipuorum dogmatum cognitionem adducit : hos vero cohibet, ne fraudulentæ artis præstigiis decepti, ab ea quam professi sunt fide excidant. Insuper vero philosophia efficit, « ut majori adhibito munimento (Clementis nostri verba sunt [85]), exercitationem aliquam fidei demonstrativam utcunque comparemus. »

Quin etiam Clemens palam ostendit [86] alium adhuc a philosophia ferri fructum, cum ejus ope et auxilio fallacibus sophistarum argutiis ac variis futilibusque aliorum cavillationibus retectis et confutatis, atque depulsa erroris caligine, veritas non solum ab ethnico, sed etiam a Christiano homine elicitur, confirmatur et explicatur.

Neque porro auctor noster eos vult esse audiendos, qui Christi doctrinam perfectam omnino et absolutam, omnibus solam sufficere, nec ullius alterius artis indigam esse pertinacius contendebant. Etenim hoc illis gratis dato et concesso, planum utique facit quemlibet Christianum hominem ex Græca philosophia aliquam adversus dolosos, ut diximus, sophistas fraudulentosque veritatis insidiatores posse percipere utilitatem. Ipsum, quæso, hæc diserte enarrantem audiamus : « Et est quidem, inquit [87], per se perfecta, et nullius indiga Servatoris doctrina, cum sit Dei virtus et sapientia. Accedens autem Græca philosophia, non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversus eam efficit sophisticam argumentationem, et propulsans dolosas adversus veritatem insidias, dicta est vineæ apta sepes et vallus. Et est quidem ex fide veritas, tanquam panis, necessaria ad vivendum. Quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis et bellariis. Desinente vero cœna, suavis placentula, ut ait Pindarus. »

Si quis autem urgeat unius ejusdemque effectus plures esse non posse causas, is ex Clemente nostro discere illico poterit præter præcipuam causam plures, ut variis ille exemplis ostendit, esse aliquando alias adjuvantes : « Philosophia autem (sicuti ille loquitur [88]), confert ad comprehendendam veritatem, cum sit inquisitio veritatis, non quod sit causa comprehensionis, sed causa cum aliis et adjuvans, et forte etiam causa concausans, οὐκ αἰτία οὖσα καταλήψεως, σὺν δὲ τοῖς ἄλλοις αἰτία, καὶ συνεργός. »

Et vero nonne magnum procul dubio illud philosophiæ fuit emolumentum, quod gentiles in ea recte exercitatos, et sincero veritatis amore ductos, sicut lex Judæos, ad Christianam fidem duceret? « Forte, inquit ille [89], principaliter tunc etiam Græcis data fuit, priusquam Dominus Græcos quoque vocasset. Nam ipsa quoque Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex Hebræos ad Christum. » Et id quidem Clemens ita persuasum habebat [90], ut ipse nec semel, nec dubitanter pronuntiet, eos si Christo, postquam homo factus est, non crediderint, nullam **245** posse hujusce peccati dare excusationem : « Quocirca, inquiebat ille [91], præcepta dedit et priora et posteriora, ex uno fonte hauriens Dominus, nec eos, qui erant ante legem, sine lege esse nihili pendens; nec eos, qui non audiebant barbaram philosophiam, ferri effrenatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his vero præbuisset philosophiam, incredulitatem concludit in adventum, quo tempore est inexcusabilis, quisquis non crediderit. Ab alio enim et Græco et barbaro profectu ad eam, quæ est per fidem, deducit perfectionem. »

ARTICULUS IV.

Utrum philosophia paganos absque ulla in Christum fide justos reddiderit.

Verum, inquiet aliquis, tametsi Clemens noster dixerit philosophiam Græcis ideo fuisse datam, ut post Christi ortum ad illius fidem adducerentur, non minus tamen ille alibi clare et asseveranter affirmat eamdem philosophiam cum eis, quemadmodum cum Judæis legem, prius communicatam; qua peculiaris Dei populus, atque etiam justi fierent. Posteaquam enim aperte ab ipso declaratum est philosophiam ad Græcos divinæ providentiæ beneficio esse transmissam, inde continuo concludit [92] : « Merito ergo Judæis quidem lex, Græcis autem data est philosophia usque adventum : hinc autem est universa ac generalis vocatio ad peculiarem populum justitiæ, per eam, quæ est ex fide doctrinam, per unum congregante Domino, qui est unus solus Deus amborum, Græcorum scilicet et barbarorum, vel potius totius humani generis. »

At his Clemens verbis non Græcos philosophia justos fieri, sed eis philosophiam, quemadmodum Judæis legem esse datam, atque exinde Græcos et barbaros, omnesque alios quoslibet homines ad doctrinam fidei, hoc est, Christianæ religionis, profitendam fuisse vocatos. Deinde vero de qua, putas, philosophia ibi Clemens locutus est? De ea utique, quæ, uti vidimus, vera dogmata ex sacris Hebræorum fontibus hausta tradidit. Quocirca id ab auctore nostro continenter adjectum legimus [93] : « Philosophiam autem sæpe diximus, id quod per philosophiam assequitur veritatem, etiamsi sit singulare. Jam vero ea etiam, quæ bona sunt in artibus, ut in artibus, habent principium divinitus. »

Esto, urgebit alius, hic sit illorum Clementis verborum sensus. Nonne præterea in primo *Stromatum* libro ille constanter asseverat antequam Christus formam induisset hominis, Græcos philosophia sua justitiæ, atque adeo divinæ gratiæ revera factos esse participes? Totidem enimvero hæc ipsius sunt verba [94] : « Iis qui a philosophia fuere justificati, τοῖς ὑπὸ φιλοσοφίας δεδικαιωμένοις, auxilium tanquam thesaurus reconditur : ea quoque consensio, quæ ducit ad Dei cultum et pietatem in Deum. Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia Græcis necessaria ad justitiam, εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία. Nunc autem est utilis ad Dei cultum et pietatem iis qui fidem colligunt per demonstrationem. Quoniam pes, inquit, tuus non offenderit, si quæ bona sunt ad Dei providentiam referas, sive Græca sint, sive nostra. » Sed meminisse debes Clementem de ea tan-

[83] l. I, p. 278. [84] l. VI, p. 651. [85] ibid., p. 279. [86] l. VI, p. 647 et 283. [87] l. I, p. 319. [88] ibid., 318. [89] l. I, p. 282. [90] l. VI, p. 690 et 691. [91] l. VII, p. 705. [92] l. II, p. 694. [93] ibid., p. 694. [94] l. I, p. 282.

Digitized by Google

tum, uti vidimus, loqui philosophia, quæ justitiam cum vera scientia docet, et vera duntaxat documenta ex divinis Hebræorum scriptis aut traditionibus delibavit, quæque proinde ad ipsummet Deum, omnis sapientiæ, sicut hoc ipso in loco ille repetit, omniumque bonorum auctorem debet referri.

Porro autem hæc ipsa philosophia hominem justum, et ut scholastici aiunt, gratia justificante ornatum non efficiebat, nisi aliquam venturi Christi fidem, ad quam eum, quemadmodum dictum est, ducebat, comitem haberet. De philosophis enimvero, et de iis qui recte vivunt, illud paulo post a Clemente decretum fuit [98] : « Nihil eis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc recte operentur, nisi fidem habuerint : » οὐδὲν ὄφελος αὐτοῖς μετὰ τὴν τελευτὴν τοῦ βίου, κἂν ἐνεργῶς ὥσι νῦν, εἰ μὴ πίστιν ἔχοιεν. Quamobrem continuo subjungit sacras Scripturas Græcam in linguam conversas fuisse, ut omnis tolleretur ignorationis excusatio.

Quid vero, quod in eodem libro, ubi Clemens nos rursus admonet philosophiam non posse ex se ipsa, si sola fuerit, veritatem assequi, sed illius inveniendæ concomitantem tantummodo et adjuvantem esse causam, protinus addidit [99]? « Quanquam per se quoque aliquando Græcos justificabat, ἑλληνικοῦ, philosophia, sed non ad universam et generalem justitiam, οὐκ εἰς τὴν καθόλου δὲ δικαιοσύνην, ad quam cooperatrix et adjutrix invenitur, sicut primus et secundus gradus ei quæ ascendit in cœnaculum, et grammaticus ei qui est philosophaturus. » Vides procul dubio quo sensu Clemens dixerit Græcos per philosophiam justos fieri, non perfecta scilicet et, ut ipse ait, generali justitia, sed ita tantum ut sit sicut primus et secundus ad quoddam cœnaculum gradus, et sicut philosophiam profiteri cupienti grammatica. Itaque illa prima tantummodo et valde remota quædam erat dispositio, vel primus atque etiam secundus gradus, quo Græci illi ad perfectam justitiam conscenderent, postquam nimirum Christi fidem, ad quam eos, uti sæpius observatum, hæc eadem philosophia ducebat, fuissent amplexati.

Et vero ipse alio adhuc in libro [97] ubi planum omnibus facit veram paganorum philosophiam, seu vera, quemadmodum sæpe dictum est, gentilis philosophiæ decreta, a Deo manavisse, atque idcirco apud gentes fuisse quamdam obscuram Dei cognitionem, ibi postea diserte declarat diversos esse modos, quibus Græci non quidem veræ justitiæ compotes fiunt, sed ad justitiam adducuntur : « Non solum testamenta, inquit [98], diversa, sed etiam diversi modi doctrinæ sunt ii, qui inter Græcos adducunt ad justitiam, εἰς δικαιοσύνην ἀγόντων, et qui inter barbaros. » Atqui si hi doctrinæ modi Græcos ad justitiam tantum adducunt, eosdem perfectæ justitiæ, aut, ut cum scholasticis loquamur, gratiæ justificantis non reddunt participes. Quam sane ob causam ipse paulo superius expressissimis verbis asserit philosophis, ut justi fierent, necessariam omnino fuisse fidem : « Iis qui justi erant ex philosophia, » totidem ipsius verba sunt [99], « non solum opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent a cultu idolorum. »

Neque est, quod quis objiciat eum de paganis disputare, qui post humanos Christi natales exstiterunt. Etenim continenter adjecit [1] : « Jam vero revelata eis veritate, ipsi quoque pœnitentia ducti sunt, propter ea quæ fecerant. Quamobrem prædicavit Dominus iis, qui erant apud inferos. » Quamvis **246** enim falsa sit, uti superius demonstravimus, hæc Clementis de Christi apud inferos prædicatione opinio; inde nihilominus apertissime colligitur eum de philosophis et paganis sermonem facere, quibus etiam ante Christi adventum fidem, ut justi fierent, penitus necessariam fuisse decernit. Sed id adhuc invictissime ex iis, quæ de hac fidei necessitate a nobis superius disputata sunt, stabilitur, asseritur et confirmatur [2].

CAPUT XVI.

De variis gentilium philosophorum, et scriptorum ex sacra nostra Scriptura furtis, ac prava imitatione.

ARTICULUS I.

De variis gentilium philosophorum et scriptorum ex sacra nostra Scriptura furtis et expilationibus.

Vidimus quam sæpe Clemens et dicat et repetat gentiles philosophos ex Hebræorum scriptis et traditionibus plura dogmata sive scientes et prudentes, sive etiam inscientes et imprudentes delibasse, atque ex eis non pauca labefactasse et corrupisse. Unde ille : « Philosophia, inquit [3], cum ex divina Scriptura veluti quamdam ignis scintillam acceperit, in paucis visione apprehendit. » Quæ autem fuerint illa philosophorum furta atque latrocinia, ab ipso singulatim notata, jam a nobis expendendum est.

Præter citata autem a nobis [4] Delphica præcepta et pervulgata a Græcis sapientibus proverbia, quæ ille ex sacris nostris scriptoribus decerpta fuisse contendit [5], hoc quoque effatum : « Sapientis esse omnia, » desumptum ex his esse putat a Moyse transcriptis patriarchæ Jacob verbis : « Et quoniam misertus est mei Deus, mihi sunt omnia [6]. » Aliud quoque pronuntiatum : « Sapientem esse Dei amicum, » inde acceptum censet [6], ubi Deus Abraham, Deus Isaac legitur, et ipsi Moysi Deus dicitur esse locutus « facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum [7]. » Atque hinc quoque ortum esse Clemens significat [8], cur Minoem novem annis cum Jove versatum finxerint. Sed de hac Minois fabula nos alibi.

Ex eadem sacra origine profluxisse docet [9] illud Stoicorum ac Platonis de sapiente apophthegma, illum solum esse « liberum, divitem, pulchrum, regem et beatum. » De hac autem sententia lege, si lubet et vacat, Philonis librum : *Quod omnis probus sit liber*, Ciceronis paradoxa 5 et 6, Ambrosii lib. II, *De Jacob et vita beata*, et epistolam 37 ad Simplicianum, ac quæ nos in hæc Ambrosii scripta adnotavimus.

Ex Moyse adhuc atque ex aliis sacris scriptoribus auctor noster ea insuper collecta esse asserit [10], quæ iidem philosophi de moralibus virtutibus temperantia, prudentia, justitia, fortitudine, tolerantia, honestate, continentia et religione sæpius prædicaverunt.

Sibi quoque ille videri ait [11] Pythagoram ex Moysis lege [12] accepisse suam in animantes rationis expertes mansuetudinem. Non una tamen de illa Py-

[98] ibid., p. 288. [99] ibid., p. 319. [97] l. VI, p. 646. [98] ibid. [99] ibid., p. 637. [1] ibid. [2] Sup. c. II, art. 2, p. 1025 et seq. [3] Strom. l. VI, p. 688. [4] Supr. c. 14, art. 3. [5] l. II, p. 367. [6] Gen. XXVIII, 11. [6] Strom. l. II, p. 367. [7] Exod. XXXIII, 11. [8] Strom. l. II, p. 367. [9] p. 368. [10] Ibid. p. 394. [11] Ibid. p. 400 et seq. [12] Exod. XXII, 30, et Levit. XXII, 27.

Digitized by Google

thagoræ erga animalia benignitate omnium antiquorum eademque est opinio. Videsis Laertium in illius Vita, lib. VIII, § 28; Suidam ad verbum *Pythagoras;* Athenæum, et ab eo laudatum Lyconem, lib. X *Deipnosoph.*, pag. 418; Plutarchum, tom. II, lib. *Non posse suaviter*, etc., pag. 1094.

Quæ etiam de ultimo hominis fine ab iisdem [13] philosophis definita fuere, ex iisdem, inquit Clemens, divinis fontibus scaturiunt. Sed de illis infra opportunius disputabitur. Nullibi autem magis [14] enucleate et particulatim, quam in libro quinto hæc philosophorum furta ille evolvit retegitque. Tanti autem momenti id Eusebio [15], doctissimo utique homini, visum est, ut ea omnia, quæ per tredecim paginas Clemens noster prosequitur, integra totidemque verbis sibi transcribenda operæ pretium esse crediderit. Dicendi porro initium inde uterque fecit [16] : « Quod autem deinceps consequitur, est tradendum, et Græcorum furtum, ex barbara sumpta philosophia, jam est clarius ostendendum. » Atque hæc quidem illorum verba idcirco retulimus, ut quisque intelligat ibi τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας nomine, quod a nonnullis præpostere explicatum est, nihil aliud quam sacras nostras Scripturas significari.

Ea vero Græcorum furta, quæ Clemens ibidem more suo confuse et permiste, nec semper designatis scriptorum a se laudatorum libris et locis recensuit, quemdam in ordinem redigenda ac loca auctorum ab eo non citata, a nobis, quoad fieri poterit, indicanda sunt. Ab iis itaque quæ Deum spectant ut ordiamur, existimat auctor noster ex Isaiæ verbis quosdam collegisse Deum esse unum et incorporeum, nulliusque formæ aut figuræ, ac nemini similem [17]. Ab eodem autem Clemente nostro ibi notantur Antisthenes Socraticus, de quo Laertius ac nos etiam alibi plura, et cujus verba, quemadmodum Xenophontis, qui secundus laudatur, apud Theodoretum occurrunt [18].

Tertius Xenophanes a Clemente rursus eamdem in rem alibi citatur [19], illiusque carmina, primis duobus exceptis, idem Theodoretus retulit [20].

Quartus Bacchylides, cujus versus in metri formam exhibent Eusebius [21] et Henricus Stephanus in ejusdem Bacchylidis fragmentis.

Quintus Cleanthes Stoicus, de quo prius Clemens et in hoc eodem libro [22], et in sua *ad gentes Admonitione.*

Sextus Amphion non quidem ille antiquissimus Jovis et Antiope filius, sed quidam junior poeta, qui a Clemente his verbis, Ἀμφίων λέγει τῇ Ἀντιόπῃ, appellatus est.

Septimus Melanippides, cujus versus metrica forma ab Eusebio et tom. II *Poet. Græc.*, pag. 133, repræsentantur. Verum quia duo hoc nomine nuncupati fuerunt, videtur junior a Clemente laudari. De utroque Suidas et Vossius, *De poetis Græcis*, cap. 4 et 5, ad Olymp. LXV et LXXX, pag. 23 et 29.

Octavus, a Clemente alibi non semel laudatus, hunc ibi citatur in modum : « Magnus Parmenides, ut Plato dicit in *Sophista.* » Et re quidem ipsa in hoc Platonis libro plura de illo quidem, sed de citatis ab auctore nostro versibus nihil plane invenitur. Secundus autem illius versus a Theodoreto refertur [23].

Hesiodi nono loco memorati carmina reperire est in *Admonitione ad gentes* [24], sicut et alii Sophoclis versus, qui adhuc a nobis inventi sunt, in lib. *De monarchia Dei* [25], et Cyrilli Alexandrini lib. I *Contra Julian.*, pag. 32, atque Theodoreti serm. 7 *De sacrificiis*, pag. 590.

247 Decimus Euripides, cujus duo priores versus exhibentur in *Admonitione ad gentes* [26], et cum his tertius lib. II Ciceronis *De natura deorum*, in quem videsis Lescalopierii observationes. Apud Eusebium autem illi omnes metrice describuntur.

Undecimum his Clemens verbis in medium protulit : Ὅ τε Εὐφορίων, ὅ τε Αἰσχύλος, « Euphorion et Æschylus, » sed melius Eusebius [27] : Εὐφορίωνος Αἰσχύλος, « Æschylus Euphorionis filius. » Clemens autem eadem a Democrito atque ab Æschylo scripta fuisse et paulo superius et in sua *ad gentes Admonitione* observaverat [28]. At de utroque eorumque versibus consule Scaligeri in Varronem conjectanea [29].

His Clemens subnectit Heracliti, cui Plato astipulatur, testimonium. Posteriora autem illius verba apud Theodoretum [30], atque illud adagium « abesse præsentes, » ab Erasmo explanatum invenies [31].

Addit ibidem auctor noster illud quod de uno et ingenito omnium principio docuit Timæus Locrus. Sed de illo nos alibi.

Denique eamdem in rem a Clemente laudatur [32] Θεαρίδας, Thearides, sive, ut scriptum est in Græco codice nostro, Θεατρίδας, et ab Herveto, Theatrides; sed a nemine quis ille fuerit, indicatur. Vide autem utrum is dici possit, qui a Tatiano [33], et post eum ab Eusebio [34] Theagenes, vel ab Athenæo [35] Theodoridas vocatur.

Ad eamdem sacræ Scripturæ originem vult adhuc Clemens ea referri [36], quæ de summa Dei potestate, vel Græcorum eruditissimi litteris mandaverunt, vel cecinerunt poetæ, nominatim vero Epicharmus, aut vates lyricus, seu Pindarus. Quæ autem ex utroque auctor noster transcripsit carmina, apud Theodoretum reperies [37]. Tertius a Clemente illis adjungitur Aratus, cujus quædam ex hic citatis ejus carminibus supra, cum in primo horum *Stromatum* libro, tum in *Admonitione ad gentes* retulerat : et omnia in editis Arati ἰφαινομένοις exhibentur. Eamdem Dei potentiam Æschylus tragicus celebrans, eumque appellans altissimum, videtur, inquit Clemens [38], illud paraphrastice exponere : « A facie Domini tremit terra ; » quod psalmi est CXIV, 7, juxta Senum interpretationem, sed non sine variante una lectione. Nam pro τρέμει, apud eos ἐσαλεύθη legitur. Carmina autem Æschyli apud Justinum [39] occurrunt. Ab Orpheo insuper expressam esse auctor noster dicit [40] illam Isaiæ, vel, ut ait Eusebius, Oseæ sententiam : « Solidans tonitru, etc. » Neutrius autem, sed prophetæ Amos IV, 13, oraculum est. Huc quoque auctor noster refert Archilochi Parii verba, ab Eusebio ad carminum redacta mensuram. Apud Theodoretum vero [41] is Archilochus, de quo nos infra, obcœnissimus poeta audit : sed non semel a Clemente nostro citatur. Ad alia Isaiæ verba spectare arbitratur [42] alios Pindari Orpheique versus, quorum unus, qui in editis horum *Stromatum* libris deest, ab Eusebio restituitur [43]. Vide autem Pindari carmina in ejus fragmentis.

De divina ubique Dei præsentia docet Clemens [44]

[13] Strom. l. II, p. 417. [14] l. V, p. 591 et seq. [15] lib. XIII, Præp. evang., c. 13, p. 668 et seq. [16] Strom. lib. V, p. 591. [17] Isai. XL, 25. [18] De Græc. affect. cur. serm. 1 De fide, p. 476 et 477. [19] Strom., lib. VII, p. 711. [20] loc. cit., serm. 3, p. 519. [21] loc. cit., p. 679. [22] sup. p. 47 et 554. [23] loc. cit. serm. 4. De mundo, p. 528. [24] pag. 48 et 17. [25] apud Justin. Martyr., p. 105. [26] pag. 15. [27] loc. cit. [28] supr. p. 598, et Admon. ad gent., p. 45. [29] in l. IV, Varr. De ling. lat., p. 30. [30] Loc. cit. serm. 1, p. 476. [31] Erasmi Adag., chiliad. 2, centur. 84, p. 504. [32] p. 611. [33] P. 166. [34] l. X, Præp. evang., cap. 11, p. 491. [35] Deipnosoph. l. VI, p. 229; l. VII, p. 302, et lib. XV, p. 699. [36] l. VI, p. 597. [37] loc. cit. serm. 6 De Dei provid., p. 564 et seq. et Pindar. frag. [38] p. 610 et seq. [39] lib. De monarch. Dei, p. 104. [40] pag. 609. [41] loc. cit. serm. 10, p. 630. [42] p. 610. [43] loc. cit., p. 688. [44] pag. 609.

Digitized by Google

Isaiæ, Jeremiæque verba adhuc exprimi ejusdem Orphei versibus, quos apud Justinum martyrem [65] et Cyrillum Alexandrinum [66] reperire est. Cum eadem quoque Scriptura idem Orpheus insuper cecinit cœlum esse Dei sedem et terram pedum ejus scabellum [67]. Illius autem carmina a Justino et Cyrillo proxime citatis, atque a Theodoreto transcripta sunt [68]. Ab eodem etiam Justino et Cyrillo alia ejusdem Orphei repræsentantur carmina, quibus prædicat nihil esse supra Deum, nihilque eum fugere.

Observat præterea Clemens [69] Deum ab eodem Orpheo Matripatrem vocari : quo loquendi modo rerum ex nihilo ortum significavit, atque iis, qui proseminationes illas introducunt, conjugis Deo tribuendæ dedit occasionem. Opinatur autem Hervetus ibi notari Valentinianos; quidni et alios hæreticos, atque etiam paganos, qui commentitia deorum conjugia perperam finxerunt?

Quid vero, quod Clemens docet [70] Deum Patrem ac Filium, non solum a Platone, uti supra vidimus, sed ab Homero etiam, Orpheo et Xenocrate designari? Duo priores Homeri versus *Odyss.* IV, pag. 125, tertius vero ibidem pag. 122 habentur. Ubi vides a Clemente tres citari unius ejusdemque poetæ versus, tanquam ii sese contingerent, cum tamen a se ipsis non parvo intervallo sint disjuncti. Sed ille hac singulari testimonia scriptorum citandi methodo haud infrequenter utitur.

Palam adhuc ipse facit [71] Stoicos ex quibusdam sacræ Scripturæ locis, alienum ac nimis litteralem in sensum detortis, induxisse Deum natura sua esse corpus, animam et spiritum, atque universam pervadere substantiam. Qua de ultima opinione nos superius, ac de utraque Plutarchus [72] et alii. Illos autem adhuc, non secus ac Pythagoram et Aristotelem, arguit Clemens ex Genesi [73] accepisse id, quod docuerunt de materia; ex Ecclesiastici autem libro [74] Epicurum omnia temere fieri; atque ex Psalmis [75] Aristotelem collegisse Dei providentiam circumscribi lunæ finibus. Ad hæc vero refert [76] descriptos a Theodoreto [77] Philemonis versus, quibus idololatria exsciditur, sicut et multitudo victimarum aliis carminibus quæ ille [78] Menandro et auctor libri *De monarchia Dei*, ut alibi diximus, Philemoni attribuit.

Qua autem putas ratione Pythagorei cœlum [79] appellarunt ἀντίχθονα, id est, oppositam pedibus nostris terram? Nempe ut, post Jeremiam significarent terram electam, et Dei hæreditatem, cujus qui fuerint hæredes, hi terræ reges erunt.

Quam multa autem ex sacris nostris fontibus Plato hauserit, inde forsitan aliquis colligere se posse putabit, quod de illo Clemens, ac post eum Eusebius [80], citato Numenii Pythagorici testimonio, hunc refert in modum [81] : « Numenius philosophus Pythagoreus aperte scribit : *Quid enim est Plato, nisi Moyses qui loquitur Attice?* » Sed de hoc Numenii effato, atque etiam de lectis a Platone Moysis aliorumque Veteris Testamenti prophetarum libris, alibi disseruimus [82]. Ad ea itaque, quæ Clemens ex iisdem hisce libris a Platone deprompta esse docet [83], ut progrediamur, obviam nobis primum veniunt, quæ de parvulorum animabus atque de angelis hominum custodibus is philosophorum doctissimus, et Orpheus, nec non et Menander tradiderunt. Nam Clemens noster hæc ex divinis nostris litteris desumpta fuisse asseverat : seu de iis supra capite 8, articulo 2. Subnectit autem Clemens : « Fortasse autem Socratis quoque dæmonium tale quid significabat. » At prius lib. I, p. 11 et 34, hujusce dæmonis mentionem fecerat, ubi et Platonis librum *Theages* inscriptum citavit [84], et ea quæ de illo dæmone refert, revera occurrunt. De hoc porro Socratis **248** dæmone sermonem fecere varii cum profani tum sacri scriptores; Laertius lib. II *De vitis et dogmat. philosoph.*, § 32, Cicero lib. II *De divinat.*, pag. 275; Tertullianus lib. *De anima*, cap. 1 et 40; Cyprianus *De idolol. vanit.*, pag. 13, edit. Oxon., et alii.

Plures alias his plane similes ex sacris nostris commentariis Clemens patefacit [85] Græcorum expilationes, de mundo archetypo et intelligibili, de mundi corporei et hominis creatione, et aliis quibusdam documentis, quæ aut facilia, aut in scholiis illustrata, aut a nobis aliis in locis explanata sunt. Quamobrem his prætermissis observabimus locum Platonis de mundi creatione a Theodoreto exhiberi [86]. Ab eodem etiam Platone ex Scripturis acceptum Clemens putat solos inter homines prolios veram constitui et intercedere amicitiam et similitudinem. At pro Lysia, uti in textu Clementis habetur [87], legendum est Lyside, quemadmodum apud ipsum Platonem tom. II, pag. 214. Vide adhuc, si lubet, illius *Timæum* sub finem, et Ciceronis *De amicitia* librum. Ad hæc vero auctor noster rursus probat [88] ex iisdem rivis derivatum esse, quod adhuc Plato tradidit omnes in eadem civitate esse fratres, tom. II *De republ.* ante fin. pag. 415, atque etiam prohibitum esse juramentum. In auctoris autem nostri editione [89] ad Platonis decimum *De legibus* librum mittimur. Sed Hervetus illud in hoc libro frustra se quæsivisse conquestus est. Nobis autem haud ægre probabitur Clementem allusisse ad hæc subsequentis libri [90] verba : « Nec vero qui vendit, merces suas laudato, nec tanti sibi eas constitisse jurejurando affirmet. »

Mortuorum resurrectionem arbitratur Clemens notissima Heri, seu Eris Armenii, quem Plato die post mortem duodecimo revixisse scribit, fabula forsitan significari. Verba Clementis sunt [91] : Ὁ δὲ αὐτός (Πλάτων) ἐν τῷ δεκάτῳ τῆς *Πολιτείας*, Ἤρος τοῦ Ἀρμενίου τὸ γένος Παμφύλου μέμνηται. Quod quidem Hervetus sic Latine, sed male reddidisse arguitur : « Idem autem (Plato), in decimo *De republica* meminit Heri Armeni, genere Pamphili. » Nam illud Eusebii interpretes melius verterunt [92] : « Eris Armenii filii, genere Pamphilii. » Et re quidem vera idem Hervetus subsequentia Clementis verba sic interpretatus est : « Conscripsit Zoroaster, Heri Armenii filius, genere Pamphilus. » Unde profecto priorem interpretationem corrigendam esse quomodo Hervetus non viderit, nos certe non videmus. In suo deinde hujusce loci commentario observat nullam penitus a Platone fieri Zoroastris mentionem. Quid mirum? cum id etiam a Clemente nostro non dicatur, sed hunc Herum seu Erem Armenii filium esse ipsummet Zoroastrem. Neque hoc quidem ille gratis dixit, sed ipsa refert Zoroastris verba, quibus hanc historiam, seu mavis fabulam, posteris tradiderat. Ab illo autem hoc ipsum Plato forsitan mutuatus est. Quis autem fuerit hic Zoroastres dictu haud facile. Nam Hervetus duos, Cotelerius plures fuisse confitentur [93]. Cæterum illa Heri sive Eris fabula non tantum a Pla-

[65] De monarch., p. 105. [66] l. I Contra Julian., p. 26. [67] p. 607. [68] loc. cit. serm. 2, p. 491. [69] p. 699. [70] p. 598 et 604. [71] p. 591. [72] l. I De philos. placit., c. 7, p. 88. [73] cap. I, v. 2. [74] cap. I, v. 1. [75] Psal. XXXV, 6. [76] p. 609. [77] loc. cit. serm. 6 De provid., p. 563. [78] p. 605. [79] Strom. l. V, p. 614. [80] Strom. l. I, p. 342, et apud Euseb. l. VIII, Præp. evang., c. 66, p. 411. [81] in t. I Ambr., p. 388. [82] Appar. l. II, dissert. 2, c. 7, § 3. [83] Strom. l. V, p. 592, 608, 610. [84] t. I, p. 128, et Apolog. Socrat., etc. [85] Strom. l. V, p. 593. [86] loc. cit., serm. 4, de mundo, p. 534. [87] p. 594. [88] p. 595, et c. 14. [89] p. 596. [90] tom. II, p. 917. [91] Strom. lib. V, pag. 598. [92] lib. XIII, Præp. evang., c. 13, p. 675. [93] Hervet. in l. I Strom., p. 563. Coteler. in lib. IV Recognit., p. 367.

Digitized by Google

tone[74], et ex ipso ab Eusebio[75] narratur, sed etiam a Plutarcho lib. IX *Symposiac.* quæst. 5, pag. 740; Macrobio *De somn. Scip.* lib. I, cap. 1; Valer. Max. lib. I *De mirac.*, cap. 8, § 12, et aliis. An autem ad eam Arnobius collineaverit, suo loco expendemus. A

De supremo autem Dei judicio plura Clemens profert Diphili carmina, quæ apud Theodoretum[76] ejusdem Diphili, et apud Justinum[77] Philemonis nomine invenies. Videssis lib. II hujus *Apparat.* dissert. 2, cap. 5, § 3.

Quod autem ille[78] de suppliciis post mortem luendis affert Platonis testimonium, a Justino etiam martyre exhibetur[79]. Duo autem de futura hominis post hanc vitam beatitudine ab eo citantur versus[80] ex « philosophica Empedoclis poetica; » is enim res philosophicas, uti alibi adnotamus, stricta oratione conscripserat. Testatur itaque Clemens[81] hanc sententiam ex eadem sacra origine depromptam, quemadmodum et aliam, qua idem Empedocles tradidit mundum igne consumendum et renovandum. B Verum si Laertio fides habenda, ille hunc rerum ordinem æternum esse asseveravit. Sed idem Empedocles, de quo nos alibi, aliquid forsitan de hac opinione remiserat. Ipsi tamen, ut pergit Clemens, suffragatus est Heraclitus, qui unum docuit esse mundum æternum, alterum vero interitui obnoxium; ita ut tamen postquam igne conflagraverit, in pristinum statum redeat. Prius vero Clemens dixerat[82], quod et hic adhuc repetit hunc philosophum pedibus in Stoicorum περὶ τῆς ἐκπυρώσεως, « de mundi conflagratione, » ivisse opinionem. Certum quidem est, ac Plutarchi[83], Eusebii[84] et aliorum auctoritate ac testimonio constat Heraclitum docuisse omnia nasci ex igne, et in eum resolvi. At hunc, quam ipsi auctor noster assignat, de duplicis mundi distinctione opinioni aperte refragatur Laertius[85], qui expressis verbis scribit illum credidisse, « finitum esse hoc universum, et unum esse mundum, καὶ C ἕνα εἶναι κόσμον, eumque ex igne nasci, et rursus per quosdam ambitus per vices hoc omne sæculum ignescere. » An tamen Heraclitus in hasce tam contrarias sibique repugnantes opiniones abierit, vel quia obscurius locutus est, variæ illi sententiæ ab aliis ascriptæ sint, si quæras, tibi candide respondebimus hoc posterius nobis priore probabilius videri. Rationem si petas, tibi Ciceronis afferemus auctoritatem, hæcque illius verba[86] : « Heraclitum non omnes interpretantur uno modo, qui quoniam quid diceret, intelligi noluit, omittamus. » De supradicta porro Stoicorum de mundi conflagratione sententia legendus est apud Eusebium[87] Numenius, atque etiam Laertius, et alii. Ad eorum porro opinionem accessisse Platonem observat auctor noster, et citatus ab eo Platonis locus in illius scholiis indicatur.

Præterea septimum diem non solum Hebræis, sed Græcis etiam sacrum fuisse probat Clemens[88] D citatis Hesiodi, Homeri et Callimachi carminibus : quæ quidem Eusebius[89] ex Clemente nostro, et prius ex Aristobulo retulit; sed quos versus ille Callimacho, eosdem hic Lino, nec sine maxima in primo versu lectionum discrepantia ascribit. Cæterum de sacro die septimo videsis in Suetonii lib. III, pag. 327, Casauboni observationes. Denique de variis Græcorum ex sacra Scriptura furtis atque expilationibus legenda est Danielis Classenii *Theologia gentilis, Thesaur. Græcar. antiquit.* vol. VII.

249 ARTICULUS II.

De prava quorumdam miraculorum imitatione.

Græcos hujus, de quo diximus, furti et plagii aperte convictos, eo rursus Clemens redarguit atque refellit[90], quod prava æmulatione fictisque fabulis voluerint miracula quædam, apud nos et nostræ eruditionis causa a viris sanctissimis patrata, imitari. Quæ quidem, inquit Clemens, illa quantumvis præpostera æmulatione cum exprimere tentarent, tum ea vera esse profitebantur. Non solent enim homines quæ falsa esse noverunt imitari, sed negare, despicere et irridere.

Videamus autem quæ Clemens proferat hujusce perversæ æmulationis exempla[91]. Primum est Æaci, qui ad Samuelis instar, precibus suis depulsa terræ sterilitate, magnam frumenti fructuumque copiam et abundantiam impetravit. Verumtamen Hervetus candide fatetur se nullibi id unquam legisse, nihilque in aliis Clementis nostri adnotationibus ea B de re observatum est. Sed præterquam quod Eusebius totum illud Clementis nostri fragmentum repræsentavit, certe Pausanias hujusce commenti non semel meminit[92]. Ad primi etenim libri sui finem illud sic narrasse legitur : « In montis jugo Jovis Aphesii cognomento fanum est. Esse vero ita appellatum tradunt, quod cum ad deprecandam squalidam agri siccitatem Æacus in Ægina divinam rem ex quodam oraculo, Panellenio Jovi faceret, cum esset perlitatum, Deus calamitatem removisset. » Fusius autem in alio libro : « Cum diuturna, inquit[93], siccitate Græcia laboraret, ac non minus reliqua quæ extra isthmum est Græcia, quam tota Peloponnesus cœlestium aquarum penuria affecta esset, missi Delphos sunt, qui ex oraculo calamitatis causam ac remedium cognoscerent. Ibi respondit Pythia Jovem placandum : utendum vero, modo ut velit obsequi, Æaco deprecatore. Ex eo itaque responso missi ex singulis urbibus ad Æacum, ut C deprecationem susciperet, oratum. Ille Panellenio Jovi sacris rite peractis et votis nuncupatis, imbrium Græciam compotem fecit. Ad rei memoriam legatis Æginetæ statuas istas posuerunt. » Mirum sane quomodo hæc, et quæ de eodem commento Diodorus Siculus[94], etsi paulo aliter, memoriæ mandavit, Herveti aliorumque fugerint diligentiam.

Dehinc Clemens scribit[95] popularem famam olim percrebuisse ventos ab Aristæo et Empedocle Agrigentino, aut revocatos et accitos, aut sedatos et prohibitos. At legendi sunt de primo Diodorus[96] atque Herodotus[97]; de secundo autem Laertius[98], apud quem citata a Clemente nostro ejusdem Empedoclis carmina reperies.

Tertio vana et futilis quorumdam opinio erat pestilentiam, ut ait auctor noster, grandinem, procellas et alia ejuscemodi non ex sola materiæ aerisque perturbatione, sed a dæmone et pravis angelis effici et creari. Sed de his, si lubet, Vossium consule[99].

Pergit Clemens[1] : « Jam vero aiunt magos, qui sunt Cleonis, observantes sublimia nubium, quæ erant grandines ejaculaturæ, canticis et sacrificiis iram depellere. Quod si forte eis quandoque defuerit animal, suo cruentato digito sacrificant. » Pausanias autem : « Equidem ipse, ait[2], vidi homines qui sacris et incantamentis grandinem averterent. » Sed totum hunc Pausaniæ locum cum Clementis nostri verbis contendere te forsitan minime pœni-

[74] tom. II, lib. X, de Republic. p. 614. [75] lib. II Præp. evang., c. 35, p. 560. [76] loc. cit., serm. 6, de provident., pag. 564. [77] lib. De monarch. Dei, p. 105. [78] p. 592. [79] Cohort. ad gent., p. 25 et 26. [80] Strom. l. V, p. 607. [81] ibid. p. 599 et seq. [82] l. V, p. 549. [83] Plutarch. l. I, de placit. philosoph. p. 877. [84] l. XIV. Præpar. Ev. c. 14, p. 748. [85] l. IX, in Vita Heracl., § 9. [86] l. III, De nat. deor. [87] l. XV, Præpar. ev., c. 18, p. 820. [88] p. 600. [89] l. XIII, Præpar. ev., c. 13, p. 677 et c. 12, p. 667. [90] Strom. l. VI, p. 629. [91] ibid. [92] l. I, p. 43. [93] l. II, p. 71 et 72. [94] l. IV, Hist. p. 183. [95] Strom. l. VI, p. 630. [96] l. IV, Hist., p. 195. [97] l. VII, § 178 et seq. [98] l. VIII in Vita Emped., § 59 et 60. [99] l. IV de orig. et progr. idolol., c. 12, p. 391. [1] Strom. VI, p. 631. [2] l. II, p. 76.

Digitized by Google

tebit. Ubi autem Cleone oppidum situm fuerit, et cur sic appelletur, ab eodem Pausania[3], Strabone[4] et aliis accipies.

Quod Clemens adhuc memorat[5] Diotimæ ministerio pestem post decem annos, ac totidem post annorum spatium Persicum bellum Epimenidis sacrificio dilatum, hoc ille a Platone[6] procul dubio accepisse vero plane simillimum est.

Testatum denique Clemens facit[7] Democritum, cum apud fratrem suum Damasum diversaretur, siderum observatione pluviam prædixisse. Verum observat Hervetus Laertium in Democriti Vita meminisse quidem fratris ejus Damasi, neutiquam vero prænuntiatæ ab eo pluviæ. Narrat tamen ibi A Laertius Democritum a Damasto, Δαμάστου, lege Δαμάσου, fratre propter summam inopiam nutritum. Tum continuo subnectit[8] : « Ubi vero futura quædam prædixerat, sequensque rerum eventus fidem fecerat, divinis jam honoribus dignus a plerisque judicatus est. » Nonne hæc ad confirmandam Clementis narrationem Herveto sufficere debebant? Si quis tamen plura desideret, isthæc legat Plinii verba[9] : « Tradunt eumdem Democritum, metente fratre ejus Damaso, ardentissimo æstu orasse ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum, paucis mox horis sævo imbre vaticinatione approbata. »

CAPUT XVII.

De diversis philosophorum sectis.

ARTICULUS I.

De Ionica secta et Thalete ejus auctore, ac de illius successoribus; de aliis sectis inde ortis, de Cynica ejusque parente Antisthene, de Stoica, ejusque auctore Zenone.

De variis philosophorum sectis plura quidem Clemens noster, sed nulla pro more suo neque temporis neque orationis habita ratione litteris consignavit. Operæ itaque pretium esse duximus ea, quæ de iis ab ipso scripta sunt, pro virili parte nostra enucleando, ad suum, quatenus a nobis fieri poterit, redigere temporis ordinem. Clemens autem suam de illis disputationem sic aggreditur[10] : « Philosophiæ tres fuere successiones, quæ nomina sumpserunt a locis in quibus versatæ sunt. Italica quidem, quæ derivata est a Pythagora; Ionica vero, quæ a Thalete; Eleatica autem, quæ a Xenophane. » Eadem plane eodem fere modo tradidit Eusebius : « A Pythagora primum, inquit[11], philosophiæ genus propagatum est, quod ab Italia, ubi plurimum viguerat, Italicum appellarunt. Tum alterum illud secutum est, quod Thales e septem sapientibus unus instituit, quodque dixerunt Ionicum. Huic successit Eleaticum, quod Xenophanem Colophonium parentem sibi vindicat. » Certum autem est ab utroque cum Clemente tum Eusebio temporis ordinem omnino perturbari.

Inter omnes enim constat, atque ex Thaletis ætate, ab utroque et a cæteris omnibus assignata, extra controversiam esse debet Thaletem aliis non solum fuisse antiquiorem, sed primum etiam de natura rerum, sive philosophica tractavisse argumenta. At fortasse illi Pythagoram primum appellavere, quia ille primus, uti omnibus notum est, nomen philosophi assumpsit, atque etiam, ut ait Cicero, amplificavit cognitionem : « Nec vero Pythagoras, » verba **250** illius sunt[12], « nominis solum inventor, sed rerum ipsarum amplificator fuit. »

Utut sit, qua Thales ætate vixerit, sic postea a Clemente nostro ostenditur[13] : « Thaletem Eudemus in *Historiis astrologicis* dixit prædixisse defectum solis, qui fuit eo tempore quo inter se manus conseruere Medi et Lydi, regnante quidem Cyaxare, patre Astyagis in Media, Alyatte autem Crœsi in Lydia. Ei autem congruit Herodotus quoque in B primo. Sunt autem ea tempora circa quinquagesimam Olympiadem. » Et re quidem vera citatus Herodoti locus in primo ejus libro occurrit[14]. At memoratum a Clemente solis defectum Eusebius[15] ad secundum quadragesimæ octavæ Olympiadis annum consignat. Quamobrem ipsemet Clemens postea apertissime adhuc declarat[16] Thaletem floruisse circa quinquagesimam Olympiadem. Tatianus autem illi plane suffragatur[17]. Verum cum hic, quemadmodum Clemens noster, dixerit, « circa et circiter, » ab iis haud multum videtur discrepare Eusebius, qui Thaletem ab Olympiade tricesima quinta ad quinquagesimam sextam vixisse ex communi scriptorum opinione perhibet. Ad hæc vero Augustinus[18] : « Romulo, inquit, regnante, Thales Milesius fuisse perhibetur, unus e septem sapientibus, qui post theologos poetas, in quibus est Orpheus, maxime omnium nobilitatus est, σοφοί appellati sunt, quod est Latine sapientes. » Videsis Laertium[19] et Scaligeri in citatum Eusebii *Chronicon* notas; item Cyrillum Alexandrinum l. I *Contr. Julian.*, pag. 12; Petavium lib. X *De doctrina temp.*, cap. 1, pag. 154, et in *Chronologia*; Meursium lib. I *De archont. Athenien.*, cap. 11, et alios. C

Sectam porro Thaletis Ionicam ideo nuncupatam fuisse testatur Laertius, quia ille Mileto, ex urbe, ut ait Mela, totius Ioniæ principe, et sicut geographi adnotarunt, in finibus Ioniæ et Cariæ sita, oriundus fuerat. Non omnes tamen suum Laertio suffragium tulere. Quemadmodum enim scribit Clemens noster[20], « Thales, ut referunt Leander et Herodotus, erat Phœnix, ut autem nonnulli existimarunt, Milesius. » Eadem penitus habet Theodoretus[21], eosdemque testes appellat. Eusebius autem, nemine laudato, « Thales, inquit[22], vel Phœnix, ut nonnulli scribunt, vel ut alii, Milesius fuit. » Sed cur, arguet aliquis, et Clemens et Theodoretus testem citaverunt Herodotum[23], a quo idem ille Thales simpliciter Milesius, ὁ Μιλήσιος, cognominatur? Aliusne quispiam eodem Herodoti nomine insignitus a Clemente citatus est? Hujusce difficultatis nodum solvit Laertius[24], qui de Thalete, ab ipso illius Vitæ a se descriptæ initio, hæc memoriæ prodidit : « Thales ut Herodotus, Duris ac Democritus aiunt, patre Examio, matre Cleobulina natus est, ex Thelidarum familia, qui Phœnicum nobilissimi a Cadmo et Agenore originem ducunt..... D

[3] ibid., p. 37. [4] l. VIII Geogr., p. 377. [5] Strom. l. VI, p. 631. [6] t. III in conviv. p. 201, et t. II, l. I De legib. p. 642. [7] Strom. l. VI, p. 651. [8] l. IX in Democriti Vita, § 39. [9] l. XVIII Hist. nat. c. 35, p. 341. [10] Strom. l. I, p. 300. [11] l. X, Præpar., c. 4, p. 471. [12] l. V, Tuscul. p. 178. [13] Strom. l. I, p. 302. [14] § 74. [15] in Chron. [16] Strom. l. I, p. 352. [17] In fine orat. ad Græc., p. 874. [18] l. XVIII De civit., c. 24, p. 506. [19] l. I De Vitis et dog. philos., § 37 et seqq. [20] Strom. l. I, p. 300. [21] De Græc. affect. cur., l. II, p. 468. [22] l. X, Præpar. ev., c. I, p. 471. [23] l. I, § 74, 75. [24] l. II, § 22.

Digitized by Google

Mileti autem civis ascriptus est, profectus cum Neleo patrio solo Phœnicia exciderat, seu, ut pluribus visum est, indigena Milesius et claro genere natus. » Thales itaque, si Laertio credendum, origine et patria Phœnix, Mileti civitate donatus, inde, aut ex longo in eadem urbe domicilio cognomen Milesii accepit.

Quocirca Clemens illum paulo post genere et origine Phœnicem haud immerito nuncupat[28] : Θάλης δὲ Φοίνιξ ὢν τὸ γένος. « Thales cum esset Phœnix genere; » et continuo addit, « etiam cum Ægyptiorum prophetis congressus εἴρηται, dicitur. » Prius vero : « Solus, μόνος, inquit[29], videtur, δοκεῖ, esse congressus cum prophetis Ægyptiorum. » Plutarchus hanc Clementis nostri de Thaletis cum Ægyptiis congressu opinionem, et quod ab illo de ejusdem Thaletis patria et secta traditum est, præclare confirmavit : « Videtur, inquit[27], princeps philosophiæ hic fuisse, et ab eo secta Ionica nomen duxit..... Hic cum in Ægypto philosophiæ operam dedisset, Miletum rediit, ætate jam grandior. » Rursus autem alio in libro[28] : « Existimant Homerum, itidem ut Thaletem, ab Ægyptiis doctum. » Josephus autem id communi omnium consensu approbatum fuisse haud dubitanter asseverat : « Sed et eos, qui de cœlestibus (ita ille loquitur[29]) ac divinis primitus apud Græcos sunt philosophati, id est, Pherecydem Syrium, et Pythagoram, et Thaletem omnes concorditer fatentur Ægyptiorum et Chaldæorum fuisse discipulos, et breviter conscripsisse quæ a Græcis omnium antiquissima judicantur, ita ut vix credant ab illis fuisse conscripta. » Et ut plures in re apertissima alios testes omittamus, ipsemet Thales in sua ad Pherecydem epistola, quam Laertius exhibet, hæc scripsisse fertur[30] : « Neque adeo amentes et stolidi sumus ego, et Solon Atheniensis, ut cum navigio Cretam petierimus, visendi gratia, Ægyptumque itidem penetraverimus, ut istic sacerdotibus et astronomis congrederemur, ad te non pari studio navigaturi simus. » Sed si hæc epistola tibi, ut quibusdam aliis, Thaleti supposita videatur, certe Laertio fidem fortasse non negabis, hæc de Thalete iterum scribenti[31] : « Nullo præceptore usus est, nisi quod Ægyptiis sacerdotibus, eo profectus, familiariter adhæsit. »

Verum, inquiet aliquis, cur ille ipse Thales « solus, μόνος, cum Ægyptiorum prophetis congressus» a Clemente dicitur; quandoquidem ille ipse, et alii magno, ut vidimus, numero et consensu constantissime tradiderunt alios quamplures venisse in Ægyptum, atque ibi cum Ægyptiis versatos philosophicisque imbutos fuisse scientiis ac doctrinis. Verum qui hæc objecerit, animum, quæso, advertat verisimile prorsus non videri Clementem, adeo eruditum et perspicacem virum, tot tantorumque hominum opinioni et sibimetipsi tam absurde contradixisse. Nobis itaque facile persuadebitur hanc vocem μόνος textui ejus ab aliquo oscitante librario additam, vel ipsum non in sua, sed in aliorum, tametsi a veritate omnino aberrantium, ut ipsi sæpe usu venit, loqui sententia.

Ionica porro philosophorum secta a Thalete, uti diximus, constituta, quæ fuerit et quinam Thaleti successerint, paucis Clemens ita edisserit[32] : « Anaximander, Praxidami filius, Milesius succedit Thaleti. Ei Anaximenes Euristrati Milesius. Post quem Anaxagoras Hegesibuli Clazomenius. Hic ex Ionia scholam traduxit Athenas. Ei succedit Archelaus, quem audivit Socrates. » His plane similia, nec pluribus verbis Laertius[33], Eusebius vero uberius enarrat[34]; nosque hac de secta ejusque asseclis alibi disputavimus.

Quid vero quod Ionicæ musæ, Ἰάδες μοῦσαι, a Clemente laudantur[35]? Sed quænam illæ fuerint, fatetur Hervetus sibi non fuisse exploratum. Quidam vero putant eo nomine hos Ionicæ sectæ philosophos significari. Nec forsitan vana prorsus est eorum conjectura. Tametsi enim hoc ipso nomine poesis et musica designari videatur, constat tamen illud ad liberales quoque artes et philosophiam significandam fuisse aliquando adhibitum.

251 Quidquid sit, perhibet Clemens ex Ionica secta profluxisse Cynicam, Academicam, Peripateticam, Stoicam. Ita etiam Laertius[36], quem sicut et variorum in ejus scripta animadversiones, necnon et Vossium adire te non pigeat[37].

At de iis quædam tamen præterea, neque forsitan omnino inutiliter, a nobis animadvertenda sunt. Testatum enim Clemens facit Anaxagoram ex Ionia scholam transtulisse Athenas. Et re quidem ipsa Laertius in illius Vita hæc litteris mandavit[38] : « Philosophari Athenis cœperat sub Callia vicesimo ætatis anno, ut Demetrius Phalereus in descriptione principum refert, ubi et triginta annos commoratum tradunt. » Verum ille ipse in subsequentis Archelai Vita : « Primus hic ex Ionia, inquit[39], physicam philosophiam Athenas invexit, et appellatus est physicus, quod in eum philosophia desierit naturalis, Socrate ethicen introducente. » Quamobrem quidam, qui hæc Laertii verba sibi omnino opposita et contraria esse putant, in hunc secundum Laertii locum vel additamentum aliquod, vel librariorum erratum irrepsisse suspicantur. Sed quid vetat quominus Laertius de physica tantum philosophia ibi revera locutus fuerit? Nunquid illa Athenas non potuit ab Archelao introduci, postquam Ionica schola ab Anaxagora illuc transplantata est? Sed hancce conjecturam eruditis æquisque judicibus lubenter permittimus.

Narrat deinde Clemens Antisthenem, qui a Theodoreto[40] « Socratis familiaris, Diogenisque præceptor » dicitur, Cynicæ sectæ fuisse auctorem ac parentem. Quod quidem haud semel a Laertio[41] atque etiam Suida[42] et aliis traditum Ausonius quodam in epigrammate cecinit[43] :

Inventor primus Cynices ego : quæ ratio istæc.
Alcides multo dicitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus :
Nunc ego sum Cynices primus, et ille Deus.

Unde forsitan Clemens noster in sua *ad gentes Admonitione*[44], sic Antisthenem, uti in superiori dissertatione a nobis observatum est[45], citasse legitur : « Antisthenes non hoc cynicum cogitavit, » etc. Non defuerunt tamen quibus in dubium venerit, utrum ille revera hujus sectæ princeps fuerit et auctor. Qua de re legesis Menagii in Laertii lib. VI *De vitis et dogmat. philosoph.*, § 13, adnotationes.

Hunc præterea patria Phrygem fuisse Clemens animadvertit[46], sed id non omnino certum exploratumque erat. De illo etenim hæc sunt Laertii verba[47] : « Antisthenes Antisthenis filius Atheniensis fuit. Dicebatur autem non esse indigena. Quod cum sibi probro daretur, dixisse fertur : Et deorum mater Phrygia est. Videbatur enim illius mater ex Thracia. » Quod alicubi a Plutarcho etiam asseri-

[28] Strom. l. I, p. 302. [29] ibid., p. 300. [27] l. II, De placit. philosoph., c. 3, p. 875. [28] l. De Iside et Osir., p. 164. [29] l. I Contr. Appian. post init., p. 1034. [30] l. I De Vitis et dog. philosoph., in Vita Thalet., § 43. [31] § 27. [32] Strom. l. I, p. 301. [33] proœm. in Vitas et dogm. philos. § 16. [34] l. X De præpar. ev., c. 14. [35] Strom. lib. V, p. 578. [36] loc. cit. in proœm. § 13. [37] De philosoph. sect., cap. 12, et seq. [38] l. II in Vita Anaxag., § 7. [39] in Vita Archel. § 16. [40] t. IV, serm. 3, De angel. p. 515. [41] in proœm. 19 et lib. VI, in Vita Antist. § 13. [42] ad verb. Ἀντισθένης. [43] Auson., epigr. 26. [44] p. 46. [45] dissert. sup. c. 11, § 3. [46] Strom. l. I, p. 302. [47] l. VI illius Vitæ, init.

Digitized by Google

tur [48]. Suidas vero [49] : « Fuit obscuri patris filius, et matris Thrassæ. » At Epiphanius nulla patris illius facta mentione, « Antisthenes, inquit [50], e Thracia matre Athenis natus, primum Socraticus, deinde Cynicus fuit. »

Denique de illo quædam alia narrat Clemens [51], de quibus nos postea in hac, et prius in superiori dissertatione. Quamobrem nihil amplius adjiciemus, quam istæc ejusdem auctoris nostri de ipso verba : « Antisthenes vult potius insanire quam voluptate affici. » Et id quidem a Laertio [52], Sexto Empirico [53], et Theodoreto [54] pulchre confirmatum invenies. Neque absimili sensu a Clemente nostro dixisse fertur : « Ego Venerem si acciperem, jaculis confoderem, » etc. At et illud quoque ab eodem Theodoreto descriptum est [55].

Zeno [56] cujus Clemens in *Pædagogo* [57] mentionem fecerat, ab eo post Laertium [58] dicitur Stoicæ sectæ princeps; post Platonem [59] vero prohibuisse ne templa et simulacra ædificarentur. Utriusque vero allatum a Clemente testimonium [60] retulit Theodoretus *De Græc. affect. curat.*, serm. 3, de angelis, pag. 519. De his autem templis et simulacris superius disputavimus [61]. Ab eodem Zenone hoc ait Clemens fuisse dictatum [62] : « Se unum malle Indum videre qui torreatur, quam omnes de laboris perpessione discere probationes. » Cur autem id ille dixerit, accipies a Strabone, qui de Indis hæc posteris prodidisse legitur [63] : « Turpe apud eos corporis morbus, quem si quis veretur, se ipsum igne e vita educit. Nam constructo rogo, super eum perunctus sedet, et accendi jubens, immotus comburitur. » Deinde vero Calani, qui se ipsum vivum combussit, exemplum ibidem subjungit. Ad hunc ergo crudelissimum Indorum morem Zenonem allusisse quis non videat? Porro autem de ejusdem Zenonis Stoicæque illius sectæ successoribus plura apud Vossium [64], Lipsium [65], et alios videre tibi licebit. Adhuc tamen observabimus Cleanthem alicubi a Clemente Zenonis discipulum appellari [66]. Quamvis autem ibi ab eo philosophus vocetur, poeta tamen etiam fuit, de quo nos infra, ubi de poetis agemus. Denique Clemens illi opinionem de suum anima attribuit [67], quæ a Cicerone Chrysippo tribuitur [68].

ARTICULUS II.

De Italica secta et Pythagoræ illius auctoris patria, ætate et magistris, Pherecyde, Sonchete, Nazarato, aliisque; de ejusdem Pythagoræ discipulis, ac præsertim Numa Romanorum rege, ac de Hippodamo, Euriso, Athamante et Philolao.

Jam vero ad Italicam sectam, a Pythagora institutam, ut veniamus, cur ea sic vocata fuerit, ex his facile colliges Clementis nostri verbis [69] : « Pythagoræ quidem, quæ Italica dicta est, philosophia consenuit in Metaponto, Italiæ oppido. » Et re quidem vera etiamsi Laertius asserat Pythagoram petiisse Crotonem, quæ quidem non secus ac Metapontum, seu Metapontium, illius Italiæ partis, quæ tunc Magna Græcia nuncupabatur, oppidum fuit, ibique Italis leges, discipulisque suis præcepta tradidisse; ipse tamen narrat sexcentos nec minus ejus discipulos Metaponti, ut eum audirent, noctu ipsius confluxisse domum quam Cereris delubrum vocabant.

Deinde vero ab eodem Laertio [70] non solum discimus Pythagoram Metaponti diu philosophiam esse professum, sed testes insuper citat Dicæarchum et Heraclidem, qui illum eadem in urbe vitam finivisse testati sunt. Quocirca scripsit Cicero [71] : « Scis me quodam tempore Metapontum venisse tecum, nec ad hospitem ante divertisse, quam Pythagoræ ipsum locum, ubi vitam ediderat, sedemque viderim. » Valerius quoque Maximus eidem sententiæ suffragatus, de eodem Pythagora hæc litteris mandavit [72] : « In Italiæ etiam partem, quæ tunc Major Græcia appellabatur, perrexit ; in qua plurimis et opulentissimis urbibus effectus suorum studiorum approbavit; **252** cujus ardentem rogum plenum venerationis Metapontus aspexit; oppidum Pythagoræ, quam suorum cinerum nobilius clariusque monumento. » Ex his igitur, uti opinamur, facile intelligitur cur secta illius Italica dicta sit.

De ejusdem vero Pythagoræ patria quam variæ discrepantesque fuerint sententiæ, his Clemens verbis enarrat [73] : « Pythagoras Mnesarchi filius, Samius quidem erat, ut dicit Hippobotus; ut autem dicit Aristoxenus in Vita Pythagoræ, et Aristarchus, et Theopompus, erat Tuscus, Τυρρηνός : ut autem Neanthes, Syrius, vel Tyrius; adeo ut ex plurimorum sententia Pythagoras esset genere barbarus. » Eadem aliis tamen verbis ab Eusebio tradita reperimus [74]. In eam porro opinionem Clemens magis inclinasse videtur, quæ Pythagoras Tuscum esse prædicabat. Ubi enim ipse paulo post probandum suscipit ex Græcis sapientibus et philosophis antiquissimis plurimos fuisse et barbaros genere, et a barbaris eruditos, de Pythagora hæc nec plura habet [75] : « Si quidem Tuscum fuisse Pythagoram ostensum est. » Apud Laertium [76] vero Aristoxenus illum Tyrrhenum, et alii Samium, apud Plutarchum [77] Lucius Etruscum, apud Cyrillum [78] Alexander Polyhistor Assyrium, apud Theodoretum [79] citati a Clemente Aristoxenus, Aristarchus et Theopompus Tyrrhenum, Τυρρηνόν, Neanthes Tyrium fuisse tradiderunt. Denique ut alios prætereamus, Pythagoras a quibusdam, uti ab Epiphanio [80], Samius simpliciter appellatur. Sed jam aliquid in hanc rem alibi subnotavimus [81].

Quo autem tempore philosophus ille floruerit, ita definit Clemens [82] : « Pythagoras invenitur tempore Polycratis tyranni circa sexagesimam secundam Olympiadem. » Et huic opinioni subscripsit Tatianus [83]. Erroris itaque Plinium [84] aut ejus amanuenses librarios Vossius, Harduinus aliique jure merito postulant, apud quem Pythagoras Olympiade circiter quadragesima secunda et anno Urbis conditæ 142 floruisse perhibetur. Dionysius autem Halicarnasseus [85] scribit illum vixisse post Olympiadem quinquagesimam, Laertius [86] vero Olympiade sexagesima. Eusebius [87] porro illum sexagesima quinta floruisse, atque septuagesima ex hac vita migrasse testificatur. Videsis Petavii *Chronologiam*, part. I, et lib. III *Ration. temp.*, cap. 3, et alios chronographos, nec non Menagii in Laertii lib. VIII, § 45, observationes.

[48] l. De exilio, p. 607. [49] loc. cit. [50] in Exposit. fid., p. 1089. [51] Strom. l. II, p. 412. [52] l. VI, in Antist. Vita § 2. [53] De Græc. affect. cur. serm. 12, p. 670. [54] l. X Adv. mathem. [55] Serm. 3, p. 525. [56] Strom. l. I, p. 301. [57] lib. III, c. 11, p. 255. [58] l. 7 in Zen. Vita § 5. [59] lib. XII De legib., p. 950 et 951. [60] Strom. l. V, pag. 584. [61] dissert. super., c. 11, art. 2 et seqq. [62] Strom. l. II, p. 414. [63] lib. XV, Geograph., p. 716. [64] De philosoph. sect., c. 19. [65] tom. IV. [66] Strom. l. VI, p. 643, et l. V, p. 569. [67] Strom., l. VII, p. 718. [68] l. II, De natur. deor. p. 238. [69] Strom. l. I, p. 301. [70] lib. VIII, in Vita Pythag. § 15. [71] lib. V, De finib., p. 98. [72] l. VIII, c. 7. [73] Strom. l. I, p. 300. [74] lib. X Præp. evang., c. 4, p. 470. [75] Strom. I, p. 302. [76] lib. VIII in Pythagor. Vita, § 1. [77] l. VIII Sympos. quæst. 7, p. 727. [78] lib. IV Contra Julian., p. 133. [79] serm. 4, De fide, p. 468. [80] Exposit. fid., p. 1087. [81] in Ambrosii epist. 28, p. 901. [82] Strom. l. I, p. 302. [83] Orat. contr. Græc., p. 174. [84] lib. II Histor. natur., c. 8. [85] l. II, p. 121. [86] l. VIII in Vita Pythag., § 5. [87] in Chron.

Digitized by Google

Quod tandem Clemens addidit : « Polycratis tempore, » hoc Laertii [68] testimonio firmatur; quippe qui eumdem Pythagoram, cum Ægyptum peteret, a Polycrate Amasidi, cujus ad eum litteris, commendatum fuisse scripserit.

Quamvis autem Clemens [69], quemadmodum Laertius [70], Eusebius [71] aliique plurimi, alicubi testatum fecerint Pherecydem Syrum Pythagoræ fuisse præceptorem, alios tamen præterea magistros eum habuisse haud prorsus incertum videtur. Nam ut ipsemet Clemens noster paulo post dixit [72] : « Narratur Pythagoras fuisse discipulus Sonchedis archiprophetæ Ægyptii, » nimirum postquam ille in Ægyptum, ut omnes facile concedunt, pervenisset. At de Sonchete infra cap. 20, art. 2, aliquid dicetur.

Ex Laertio præterea discimus Pythagoram non modo hunc et Pherecydem Syrum audivisse, sed etiam Hermodamantem. « Hic ut prædiximus (Laertii verba sunt [73]) principio quidem Pherecydem audivit Syrum. Post ejus vero obitum profectus in Samum, Hermodamanti jam seni, Creophili nepoti, se in disciplinam dedit. Denique Ægyptum petit. »

Quid vero quod Plutarchus [74] alium adhuc designat Pythagoræ præceptorem, nimirum Œnuphim Heliopolitam, de quo paulo post aliquid a nobis adhuc adnotabitur [75]?

Nobis insuper Clemens, veterum auctoritate fultus, alios ita producit Pythagoræ præceptores [76] : « Alexander in libro *De symbolis Pythagoricis* refert Pythagoram fuisse discipulum Nazarati Assyrii; quidam eum existimant Ezechielem, sed non est, ut postea ostendetur; et vult præterea Pythagoram Gallos audivisse et Brachmanas. » At doctissimus Huetius Abrincensis olim episcopus [77] putat corruptum ibi esse Clementis nostri textum, ac pro Ναζαράτῳ, legendum Ζαράτῳ, quem eum esse arbitratur qui a Porphyrio Zabratus et a Plutarcho Zaratas nuncupatur, sed revera ipse est Zoroastres. In eo autem ipsummet Clementem hallucinari opinatur, quod hunc Ezechielem esse negaverit. Contra enim quibusdam idem Huetius conjecturis persuadere conatur Zoroastrem hominem esse personatum, et fictam ab antiquis personam, qui nonnullis lineamentis Ezechielem, ore autem totoque corpore Moysem repræsentabat. Sed quamvis in describendis propriis hominum nominibus haud infrequentes in codicibus manuscriptis occurrant librariorum lapsus, nullum tamen in manuscripto nostro codice apparet depravati textus Græci vestigium. Utrum autem ad hanc textus corruptionem probandam, atque ad ostendenda in Zoroastre Ezechielis lineamenta, satis firmæ et validæ sint eruditissimi Huetii rationes, alii forsitan magis quam nos perspicuum exploratumque habere poterunt.

Quod insuper addidit Clemens noster Pythagoram Gallorum ac Brachmanarum auditorem fuisse, hoc procul dubio atque etiam plura paucioribus his verbis Laertius exprimit : « Cum esset juvenis, inquit [78], addiscendi studiosissimus, patriam linquens, cunctis fere barbaris Græcisque mysteriis initiatus est. » Paulo autem superius Clemens scripserat [79] : « Pythagoras cum Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur, propter quos etiam fuit circumcisus; ut adyta ingrediens Ægyptiorum, mysticam disceret philosophiam; et cum Chaldæorum et magorum versatus est præstantissimis, et eam, quæ nunc vocatur, Ecclesiam significat, id quod apud ipsum est ὁμαχοεῖον. » Ab ipso quidem Laertio [1], jam non semel a nobis citato, accepimus Pythagoram in Ægyptum penetrasse, et ingressum esse in Ægyptiorum adyta, et cum magis atque Chaldæis conversatum. De illius autem circumcisione testem habemus Theodoretum : « Etenim fertur, inquit [2], Pythagoras et circumcisionem quoque subiisse, acceptam ab Ægyptiis, qui ab Hebræis hanc legem acceperant. »

Cæterum de variis peregrinationibus a Pythagora, eruditionis doctrinæque gratia, uti ex Clemente nostro hactenus dictum est, susceptis, hæc Eusebius uno eodemque in loco tradidit [3] : « Quinetiam ipsum quoque Pherecydem, cui Pythagoram operam dedisse ferunt, Syrium fuisse memorant. Quanquam non eo tantum doctore Pythagoram usum esse tradant, sed etiam cum magis apud Persas, cum prophetis apud Ægyptios consuetudinem habuisse : quo quidem tempore partim in Ægyptum, **253** partim Babylonem Hebræos migrasse liquet. Ita noster philosophus, quod apud quosque præclarum et eruditum esset, diligenter explorans, Babylonem, Ægyptum Persidemque peragravit, magorum ac sacerdotum disciplinis imbutus. Idem præterea Brachmanas (Indorum philosophi sunt) audiisse fertur. Is ergo cum ab aliis astrologiam, geometriam ab aliis, ab aliis arithmeticam et musicam, aliaque ab aliis didicisset, a solis Græcis auferre nihil potuit; tanta illi tum penuria sapientiæ, ac rerum omnium ignorantia laborabant. Contra peregrinis ipse artibus, doctrinisque cumulatus, eruditionis omnis in Græcia fontem aperuit. » Videsis eumdem Eusebium ibidem lib. XII, cap. 12; Ciceronem lib. V *De finib.*, pag. 113; Valerium Maxim. lib. VIII, cap. 7, § 8; Jamblicum, et alios qui Pythagoræ vitam posteris prodiderunt, nec non et variorum in citatos a nobis Laertii locos animadversiones.

Porro autem quod Clemens Pythagoræ ὁμαχοεῖον vocat, hoc Hervetus Latine « auditorium » reddidit, et illud Menagius [4] eadem significatione a quibusdam adhibitum fuisse scite observat. Eo autem nomine domus illa haud dubie significatur, in quam, Laertio teste, discipuli ejus, uti diximus, etiam noctu ad eum audiendum confluebant.

Ex his sane Pythagoræ discipulis quidam ἀκουσματικοί, id est, ut ait Hervetus, auscultatores vocabantur, alii mathematici, « qui sincere ac germane attingebant philosophiam. » At de utrisque Aulus Gellius lib. I, cap. 9, *Noct. Attic.*, fuse disputat. Prioris porro generis ii erant, qui statum quinquennii silentium, et a tot scriptoribus prædicatum observabant, de quibus Laertius [5] et alii vitæ Pythagoricæ scriptores.

Quamvis autem de singulis ejusdem Pythagoræ discipulis pauca apud Clementem nostrum reperias, ab ipso tamen cæterorum omnium celeberrimus memoratur Numa Romanorum rex, qui, sicut ipsemet Clemens ait [6], « Pythagoreus erat, » et a Moyse adjutus, prohibuit quidem ne ulla homini aut animali similis imago Dei fieret; sed qui nihilominus « primus ex omnibus hominibus posuit templum fidei et pacis. » Priorem Clementis locum totidem verbis descripsit Eusebius, exceptis tamen duobus apud Clementem typographorum erroribus, ac eo, quod pro ἄλλως, apud Eusebium γλώττῃ legimus.

Verum ibi Clemens immanis cujusdam anachronismi ab Herveto et quibusdam aliis condemnatur. Eusebii enimvero et Livii auctoritate probant Pythagoram rege Numa esse longe recentiorem [7].

[68] lib. VIII Vitæ Pythag., § 3. [69] Strom. l. I, p. 300. [70] l. I in Vita Pherecyd. et lib. VIII in Vita Pythag., § 2. [71] l. X Præp. evang., c. 4, p. 470. [72] Strom. l. I, p. 303. [73] lib. VIII init. Vitæ Pythag., § 2. [74] lib. Isid. et Osirid., pag. 354. [75] infr. art. 4. [76] l. I, p. 304. [77] Demonstrat. evang., proposit. 4, c. 5, p. 90 et 270. [78] loc. cit. [79] Strom. lib. I, p. 302. [1] lib. VIII, § 2 et 3. [2] De Græc. affect. curat., l. I, p. 467. [3] lib. X Præp. evang., c. 4, p. 470 et seq. [4] in l. VIII Laert., § 45, p. 375. [5] Strom. l. V, p. 575. [6] l. VIII in Vita Pythag., § 10. [7] Strom. l. I, p. 304; l. V, p. 548. [8] Euseb. in Chr.; Livius decad. I, lib I.

Digitized by Google

Præterea vero Dionysius Halicarnassæus [9] Clementis nostri sententiam variis, iisque haud plane infirmis rationibus sic refellit : « Multi fuisse Numam Pythagoræ discipulum scribunt, ac quo tempore creatus est rex a Romanis, philosophantem eum Crotone mansionem habuisse. Tempus autem Pythagoræ huic sermoni repugnat. Non enim paucis annis, sed quatuor ætatibus integris Pythagoras Numa posterior fuit, ut ex publicis accepimus historiis. Nam hic quidem sexta decima Olympiade media Romanorum suscepit imperium, Pythagoras autem post quinquagesimam Olympiadem in Italia mansionem habuit. » Deinde vero Myscelus anno tantum tertio decimæ septimæ Olympiadis, hoc est, quatuor post initum a Numa imperium annis, Crotonem condidit. Quocirca idem Dionysius Halicarnassæus existimat illos commorationem Pythagoræ in Italia et Numæ Pompilii sapientiam, etsi longo dissitas temporis intervallo, sic sibi invicem conjunxisse, ut inde sibi postea persuaserint Numam fuisse Pythagoræ discipulum. Dionysio Halicarnassæo pulchre concinit Cicero, qui cum alicubi dixisset [10] : « Quidam illum regem nostrum fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras ; » alio in libro hæc scripto prodidit [11] : « Arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus æstimatum. Nam cum Pythagoræ disciplinam et instituta cognoscerent, regisque hujus æquitatem et sapientiam a majoribus suis accepissent, ætates autem et tempora ignorarent propter vetustatem, eum qui sapientia excelleret, Pythagoræ auditorem fuisse crediderunt. » Quinetiam Plinius [12] et Livius perhibent in ea, qua Numa Pompilius sepultus est, arca inventos fuisse libros, in quibus scripta erant Pythagoræ decreta : « Vulgatæ opinioni, ait Livius [13], qua creditur Pythagoræ auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodat fidem. »

Quid ergo mirum, si Clemens alios quamplures prævios auctores secutus, Numam Pythagoreum dixerit? Nam ut cæteros a Dionysio Halicarnassæo et Cicerone haud indiligenter citatos prætermittamus, ille procul dubio habeat minime spernendum opinionis suæ vadem Plutarchum, cujus hæc ipsissima sunt verba [14] : « Unde percrebuit præcipue sapientiam hanc et eruditionem ex Pythagora hausisse Numam..... Hic vetuit Romanis hominis vel bestiæ formam tribuere Deo : neque ulla fuit apud eos ante picta vel ficta imago Dei, sed primos centum sexaginta annos templa exstruxerunt, et cellas diis, simulacrum per id temporis nullum habuerunt, nefas putantes augustiora exprimere humilioribus, neque aspirari aliter ad Deum quam mente posse. » Ex his porro Plutarchi verbis sua Clementem nostrum desumpsisse facile intelligitur, non solum quia plane similia sunt, verum etiam quia nonnulla sunt penitus eadem. Si quis igitur in his subsit error, ille totus in Plutarchum, non in Clementem refundendus est. Nihil autem Clementi aliud vitio verti potest, nisi quod Plutarchum testem suum non citaverit. Nam ex toto ipsius orationis contextu facile cautus lector perspiciet illum ibi ex iis disputare, quæ ab ipsismet paganis tradita fuerant. Et certe non aliud ibi Clemens de suo addidit, nisi Numam a Moyse adjutum has contra Dei simulacra condidisse leges. De simulacris porro et de templis disputavimus dissert. super., cap. 7, art. 1 et sequentibus.

A Clemente nostro [15] quidam nobis adhuc proponitur « Hippodamus Pythagoreus, » Ἱππόδαμος ὁ Πυθαγόρειος, hoc est, procul dubio Pythagoræ discipulus, cujus ille sententiam de triplici amicitiæ genere explicat. Nonne autem is ipse est, cujus etiam opinio de optima reipublicæ administrandæ forma ab Aristotele exagitatur et explodituri [16]?

Mentionem rursus Clemens facit [17] « Eurysi Pythagorei, » Εὐρύσου τοῦ Πυθαγορείου, seu Pythagoræ discipuli, narratque quomodo ille dixerit hominem a summo rerum omnium opifice, qui se ipso exemplari utebatur, fuisse creatum. Quid multa? Numenius ab eodem Clemente nostro [18], quemadmodum ab Eusebio [19] et Theodoreto, Πυθαγόρειος φιλόσοφος, « Pythagoreus **254** philosophus » vocatur. Quædam autem illius verba Clemens noster, varia autem et longa librorum ejus fragmenta Eusebius [20], ac pauciora Theodoretus [21] nobis reliquerunt.

Athamantis quoque Πυθαγορείου, « Pythagorei, » de primis rerum principiis opinionem proponit auctor noster [22], et a quo desumpta sit aperte indicat. Sed illius memoriam haud secus atque ejus libros vix ullus præter Clementem ab oblivione vindicavit.

Philolai itidem Pythagorei verba quædam ille et infr. cap. 19, art. 1, dicemus, exhibet [23]. Ex hujus autem vitæ historia a Laertio [24] divulgata facile persuasum tibi facies illum revera fuisse Pythagoræ discipulum. De aliis quibusdam ejus discipulis a Clemente nostro memoratis, infra prout occasio opportunior sese dederit, quæ notatu digna erunt nostro observabimus.

ARTICULUS III.

De secta Eleatica, ejusque parente Xenophane, variisque illius successoribus.

Tertia philosophorum secta, quam Clemens Eleaticam cognominat [25], suam quidem a Xenophane originem, ab ipsius vero discipulis Carmenide et Zenone Eleatis nomen accepit. De hujus autem Xenophanis ætate hæc ille ex antiquis scriptoribus colligit [26] : « Eleaticæ disciplinæ princeps fuit Xenophanes Colophonius, quem dicit Timæus fuisse tempore Hieronis, qui in Sicilia obtinuit dominatum, et Epicharmi poetæ ; Apollodorus autem eum, cum natus esset quadragesima Olympiade, pervenisse usque ad tempora Darii et Cyri. » At Laertius testatur illum circa Olympiadem sexagesimam floruisse. Laertio [27] subscripsit Petavius [28], quamvis Eusebius [29] eum, imperante Cyro, Olympiade sexta supra quinquagesimam claruisse adnotaverit. Utraque opinio facile conciliari eo posset quod Xenophanes, teste Laertio, ad summam vixit senectutem. Attamen Casaubono si credas [30], Xenophanis ætatem in posteriora tempora rejicies.

Quæ vero Eleaticæ sectæ philosophorum successio fuerit, paucis Clemens noster sic ibidem enarrat [31] : « Xenophanis fuit auditor Parmenides, ejus Zeno, deinde Leucippus, deinde Democritus, Democriti autem auditores Protagoras Abderitanus, Metrodorus Chius, cujus Diogenes Smyrnæus, cujus Anaxarchus, ejus autem Pyrrhon, cujus Nausiphanes ; ejus dicunt nonnulli discipulum fuisse Epicurum. » Verum Laertius [32], prætermissa Eleatica schola, illam ad Italicam sic refert : « Porro Italicæ series hæc fuit : Pherecydi Pythagoras, Pythagoræ Telauges filius successit, ei Xenophanes, cui Par-

[9] l. II Antiq. Rom., p. 90. [10] lib. II De orat., pag. 159. [11] lib. IV Tuscul. quæst., init. pag. 165. [12] lib. XIII, c. 13, p. 84. [13] Decad. IV, lib. X. [14] in Numa, p. 65. [15] Strom. l. II, p. 404. [16] l. VIII Polit., c. 8. [17] Strom. l. V, p. 599. [18] l. I, p. 342. [19] l. XI, et XIV. [20] Præparat. evang. [21] tom. IV, serm. 1, 2 et 5. [22] Strom. lib. VI, p. 624. [23] Strom. l. III, p. 433. [24] lib. VIII De Vita et dogm. philos. [25] Strom. l. I, p. 300. [26] ibid. p. 301. [27] l. IX in Vita Xenoph., § 20. [28] l. II Doctr. temp., part. I, et part. II, c. 3. [29] in Chron. [30] in Athenæi l. II, c. 14, p. 110. [31] Strom. I, p. 301. [32] in proem. § 15.

Digitized by Google

menides, huic Zeno Eleates, Leucippus Zenoni, Democritus Leucippo, Democrito complures, sed inter reliquos Nausiphanes Naucidesque celebrantur. Eis vero suo ordine successit Epicurus. » Quamobrem paulo superius dixerat Italicam sectam in Epicurum desiisse. Neque ab eo dissentire videtur Eusebius [33], qui tamen hæc paulo aliter narrat. Verum Cicero ab hac Italica secta Eleaticam seu Eretriacam familiam ita distinguit [34] : « Megarici, quorum fuit nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum secuti Parmenides et Zeno. Itaque ab his Eretriaci (seu Eleatici) philosophi nominabantur; post Euclides, Socratis discipulus, Megareus, a quo iidem Megarici dicti. » Plato autem a Theodoreto [35] citatus : « Apud nos Eleatici, Ἐλεατικὸν ἔθνος, nominantur a Xenophane, atque altius initium ducentes. » Quapropter ipsemet Theodoretus dixit [36] : « Xenophanes Orthomenis filius, Colophonius, qui Eleaticæ sectæ princeps fuit. »

Xenophanis autem successor Parmenides a Clemente, post eumdem ipsummet Platonem, Magni decoratur nomine, et tria illius de spe carmina ab eodem Clemente citantur [37]. Primum autem ex iis transcripsit Theodoretus [38], qui Parmenidem Eleatem Xenophanis non auditorem, sicut alii, sed ἑταῖρον, sodalem et socium appellat.

Parmenidi successit Zeno, nimirum Eleates, a Zenone Cittieo Stoicorum principe distinctus. Unde Epiphanius : « Zeno, inquit [39], Eleates Eristicus, sive contentiosus, eadem cum altero Zenone sentiebat. » Illius porro successorumque ejus, nimirum Leucippi, Democriti, Protagoræ, non secus ac Xenophanis atque Parmenidis Vitas scripsit Laertius [40], in quem varii multa observarunt.

Hos porro, uti Clemens noster auctor est, exceperunt Metrodorus Chius et Diogenes Smyrnæus. Verum uterque, atque etiam Zeno « mutuis inter se, » uti ex Theodoreto discimus [41], « dissidiis certabant, principes se novorum ac pugnantium dogmatum facientes. » Epiphanius [42] tamen perhibet Metrodorum Chium nihil prorsus a quoquam sciri voluisse, et Diogenem Smyrnæum, seu, ut alii volunt, Cyrenæum discessisse in Protagoræ opinionem. At is Diogenes a Laertio Διομένης, et Anaxarchi, quem Clemens ei subrogatum esse ibidem dixit, ab aliis vero Metrodori auditor appellatur : « Anaxarchus Abderites, inquit Laertius [43], Diomenis Smyrnæi auditor fuit. Alii Metrodori Chii auditorem tradunt. Hic se ne id quidem scire dicebat, quod nihil sciret. Porro Metrodorum alii Nesum Chium, et alii Democritum audisse tradunt. » Sed cum ille Anaxarchus in schola Eleatica auditor sederit, potuit utrumque et Metrodorum, et præsertim Diogenem seu Diomenem audire. Quidquid sit, ab eodem Laertio [44] Pyrrhonis, qui teste Clemente nostro ipsi in eadem schola suffectus est, vitæ describitur historia [45]. Ibi autem id plane confirmatur, quod Clemens tandem addidit Nausiphanem fuisse Pyrrhonis discipulum, ipsumque hac ipsa in schola Epicurum auditorem habuisse; quemadmodum ille in Epicuri Vita testatum adhuc facit [46], sicuti et Cicero lib. I *De natur. deor.*, pag. 205 et seq.; Sextus Empiricus lib. I *Advers. mathemat.*, ac Gassendus libro V *De Vita Epicuri*, cap. 4.

255 ARTICULUS IV.

De secta Academica, ubi de Platone ejus auctore atque de ejus magistris Hebræis et Ægyptiis, ubi et de Thoyth; de Sechnuphide, et de Lachesis oratione, cujus Plato meminit, ac quibusdam aliis ejusdem Platonis locis, a Clemente citatis.

Academiæ veteris et mediæ mentionem adhuc facit Clemens, cujus de antiquiore hæc legimus verba [47] : « Plato secessit in Academiam..... Platoni succedit Speusippus, ei Xenocrates, cui Polemon; Polemonis autem auditores fuere Crates et Crantor, in quos desiit vetus Academia. » Quando vero et quomodo a Platone instituta fuerit illa Academia, et cur eo nomine appellata sit, fuse narrat Laertius [48], totidemque ac Clemens in veteri hac Academia successores illius recenset [49]. De eis lege, si velis, in citatum a nobis priorem Laertii locum Menagii observationes.

Plato autem, quem non solum hujus sectæ, sed omnium philosophorum facile principem fuisse omnes concedunt, a Clemente nostro vocatur [50], ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος, « ex Hebræis philosophus. » Hujusce vero appellationis non alia procul dubio causa fuit, nisi quia persuasissimum Clemens habuerat Platonem vera omnia sua documenta, et quidquid in eximia sua doctrina veritati consentaneum est, ex Hebræis fuisse mutuatum. Sed de his jam nos satis alibi, atque etiam in superiori capite, art. 2.

Putat adhuc Clemens [51], et ex ipsiusmet Platonis verbis probare conatur, illum venisse in Ægyptum, ubi ex ejus incolis, quemadmodum ex aliis barbaris, plurima eaque præstantissima dogmata delibaverat. Quod sane etiamsi ille silentio prætermisisset, id tamen a Laertio libro III, in illius Vita, § 7; Tullio sub finem libri V *De finib.*, pag. 113; Cyrillo Alexandrino libro I et II *Contra Julianum*, pag. 15 et 47; Augustino libro VIII *De civit.*, cap. 4; Lactantio libro IV *De vera sapient.*, cap. 2; Valerio Maximo libro VIII, cap. 7, § 9, et aliis quamplurimis tam aperte asseritur, ut nullius de hoc Platonis in Ægyptum adventu nec minimus dubitandi locus supersit.

Prosequitur vero Clemens institutum de Platone sermonem [52] : « Neque ignorat in *Phædro* regem Ægyptium, et Thoyth nobis ostendit sapientiorem, quem quidem novit esse Mercurium. » At ille philosophorum coryphæus non in *Phædro* tantum hujusce Thoyth seu Theuth meminit [53], sed etiam in *Philebo*, ubi illum et divinum appellat hominem, et in Ægypto vixisse ac plura ibi docuisse testatur. Huic autem Mercurio nomen fuisse, et quis Mercurius fuerit, ex his discere est Tullii verbis [54] : « Quintus Mercurius, quem colunt Pheneatæ, qui Argum dicitur interemisse, ob eamque causam Ægypto præfuisse, atque Ægyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Ægyptii Thoyth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vocatur, » hoc est, September mensis, ut scite observat Lactantius [55], quem de eodem Thoyth, seu Theuth, et Thoth, ut ait Suidas, consule, atque etiam Eusebium [56], et Huetium olim Abrincensis Ecclesiæ præsulem [57], atque alios.

Cæterum Plato ferebatur, uti pergit Clemens [58], Sechnuphidis Heliopolitani fuisse discipulus; sicut Pythagoras Sonchetis archiprophetæ Ægyptii, atque Eudoxius Cnidius Conuphidis itidem Ægyptii. Plures utriusque Platonis et Eudoxi magistros Laertius commemorat [59], sed quos ii in Ægypto audierint altissimo premit silentio. Neque vero id Clemens affirmare ausus est, sed fama duntaxat communi fuisse pervulgatum. At ex Plutarcho discimus

[33] lib. X Præp. evang., c. 14, p. 504. [34] lib. IV Acad. quæst., pag. 35. [35] serm. 2, de principio, p. 488. [36] serm. 4, p. 527. [37] Strom. l. V, p. 576 et 602. [38] serm. 1, de fide, p. 476, serm. 2, p. 489, serm. 4, p. 528. [39] Exp. fidei, p. 1087. [40] lib. IX De Vitis et dogm. philos. [41] serm. 3, de principio, pag. 487. [42] Exp. fid., p. 1088. [43] lib. IX in Vita Anaxarch., § 58. [44] ibid., § 61 et seqq. [45] ibid., § 102. [46] lib. X in Vita Epicuri, § 7. [47] Strom. lib. I, p. 301. [48] l. III in Vita Platon., § 7. [49] in proœm. § 14. [50] Strom. l. I, p. 274. [51] lib. I, p. 302 et seq. [52] l. I, p. 303. [53] t. III, p. 274 et t. II, p. 18. [54] l. III De nat. deor., p. 248. [55] l. I De vera relig., c. 6. ad verb. Θωύθ. [56] l. I Præpar. evang., c. 9, p. 31. [57] Huet. Demonst. evang., prop. 4, c. 3 et 4. [58] Strom. l. I, p. 305. [59] l. III, § 6 et 7, et l. VIII, § 86.

Digitized by Google

Eudoxum quidem Conuphidis auditorem fuisse; sed Sonchites, Σόγχιτος, ab illo Solonis magister ibidem dicitur : « Testimonium, inquit [60], perhibent etiam Græcorum sapientissimi Solon, Thales, Plato, Eudoxus, Pythagoras, et quorumdam opinione etiam Lycurgus; qui in Ægyptum venerunt, et cum sacerdotibus versati sunt, et ab Eudoxo quidem Chonuphin Memphitam fuisse auditum aiunt, a Solone Sonchiten Saitam, a Pythagora Œnuphin Heliopolitam. » In hoc igitur Clemens a Plutarcho dissentit, quod Sonchiten Pythagoræ, et Platonis Sechnuphidem; Plutarchus vero Sonchiten Solonis et Pythagoræ Œnuphim præceptorem fuisse perhibeat. Œnuphim autem illum ipsum esse, qui in Clementis textu Sechnuphis appellatur, haud ægre ii fatebuntur, qui noverint quam frequentes sint in propriis nominibus describendis oscitantiæ librariorum, vel auctorum ipsorum memoriæ lapsus. Et vero uterque patria Heliopolitanus fuisse traditur.

Pergit adhuc auctor noster [61] : « In dialogo de anima (qui videlicet *Phædon* inscribitur), rursus videtur Plato cognoscere prophetiam, introducens prophetam Lachesis orationem enuntiantem, et apud eas quæ sortiuntur animas prædicentem; et in *Timæo* sapientissimum Solonem introducit discentem a barbaro. Ita autem se habet dictio : O Solon, Solon, vos Græci semper estis pueri, » etc. De Lachesi hæc in ejusdem Platonis decimo *De legibus* libro, pag. 617, legimus : « Ergo aiebat animas, ubi primum illo venissent, continuo oportere ad Lachesin accedere, tum prophetam quemdam eas animas suo quamque ordine collocare; postea cum ex Lachesis genibus sortes et vitarum exempla suscepisset, et in sublime quoddam tribunal conscendisset, ita fari : Puella Lachesis, necessitatis filia, hæc ait : Animæ diurnæ, adest primordium alterius circuitus, mortali et vere letifero hominum generi destinatum, non vos dæmon excipiet, sed vos dæmonem eligetis, qui primus sortitus fuerit, » etc.

Barbari autem, vel, ut Clemens postea scripsit [62], sacerdotis Ægyptii ad Solonem de Græcis semper pueris dicterium ex eodem Platonis *Timæo* retulerunt Eusebius lib. x *Præpar. evang.*, capite 4, pagin. 471; Cyrillus Alexandrinus tom. VI, libro primo *Contra Julianum*, pag. 15, et Theodoretus *De Græcarum affectionum curatione*, sermone primo, de fide, pag. 473.

Plura denique Clemens citat Platonis loca [63], a nemine hactenus indicata, quæ libros illius legentibus, ubi ea invenire possint, patefacere non prorsus inutile aut supervacaneum esse putavimus. Primus est de cavenda verborum nimia curiositate, qui in ejusdem Platonis *Politico*, t. II, p. 261, totidem verbis habetur. Quod autem Clemens [64], nullo auctore citato, ait philosophum mortem toto vitæ suæ tempore meditari, hoc delibatum est ex Platonis *Phædone*, ut refert Theodoretus *De Græc. affect. curat.*, serm. 8, pag. 601. Et rursus ille p. seq. nobis illud idem exhibet, quod Clemens noster ex Platonis libro II *De republic.*, p. 361, tom. II, de justi hominis in maximis etiam cruciatibus constantia et fortitudine memorat [65]. Postea vero scribit juxta Platonis sententiam veritatem aut a Deo disci, **256** aut ab iis qui originem a diis duxerunt. Quod quidem ex ejusdem Platonis *Phædro*, tom. III pag. 262, sumptum videtur. Denique librum, cui Demodocus nomen præfixum erat, et Platoni ascriptum, Clemens ut dubium laudat [66]; sed a Laertio [67] adulterinis Platonis operibus haud incerto annumeratur.

ARTICULUS V.

De Socrate Platonis magistro, et de ejusdem Socratis præceptoribus, de introducta ab illo ethica, de illius dæmone, atque de quibusdam ejus verbis; de Platonis discipulis, ac de vetere, media et nova Academia, de secta Peripatetica, illiusque parente Aristotele, variisque ipsius discipulis et sectatoribus.

Socrates recte a Clemente nostro [68] dicitur Platonis magister. Enimvero id a Laertio, Suida, aliisque quamplurimis expresse assertum est. Huc accedit, quod Laertius [69], Pausanias [70], atque etiam Apuleius [71] narrant Socratis somnium, quo cycni pullum, in sinum suum convolantem, sibi noctu videre visus est, pridie quam Plato ipsi in disciplinam a patre suo traditus fuisset.

Archelaum vero, ut Clemens testatur [72], audivit Socrates, de quo ita Laertius in ejusdem Socratis Vita [73] : « Cum igitur Anaxagoræ secundum quosdam auditor fuisset, et Damonis, ut Alexander in *Successionibus* ait, post ejus damnationem ad Archelaum se physicum contulit, cui in deliciis fuisse scribit Aristoxenus. » Tum citatum a Clemente Timonis carmen [74], et duo adhuc subsequentia ab eodem auctore nostro prætermissa, Laertius nobis exhibet. Unde illud confirmatur, quod ex his carminibus a Clemente colligitur, pro physica ethicen ab eodem Socrate introductam. Quod quidem ab operis sui initio ipsemet Laertius hisce expressissimis verbis tradiderat [75] : « Sola usque ad Archelaum physica viguit; a Socrate vero ethica initium sumpsit. » At Cicero id paulo fusius et luculentius explicat [76] : « Ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagoræ discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove recederent, studiose ab his siderum magnitudines, intervalla, cursus inquirebantur, et cuncta cœlestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e cœlo, et in urbibus collocavit, et in domos etiam introduxit, et coegit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quærere. »

Platonis autem verbis et auctoritate manifestum Clemens facit [77] Socrati ab ineunte ætate fuisse dæmonium, cujus voce, ne ea quæ facturus erat ageret, retinebatur. Et re quidem vera Platonis verba occurrunt in eo quem Clemens citat libro, quique *Theages* inscriptus est [78]. Multi autem plura de hoc Socratis dæmonio litteris mandaverunt. Laertius enim in illius Vita : « Asserebat, inquit [79], et dæmonium sibi futura prædicere. » Cicero autem [80] : « Illud est quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in libris *Socraticorum* sæpe dicitur, esse divinum quiddam, quod dæmonium appellat, cui semper paruerit, nunquam impellenti, sæpe revocanti. » Inde autem illud ab eo probatur, quod cum apud Delium male pugnatum fuisset, Socrates, Deo revocante, saluti suæ fuga consuluit. Exstat etiamnum integer Plutarchi et Apulei liber *De Socratis genio*, cujus præterea mentionem fecerunt Xenophon in *Apologia Socratis*, Tertullianus libro *De anima*, cap. 1 et 40, Cyprianus *De idolol. vanit.* pag. 13, et alii complures, ex quibus nonnulli existimant illud Socratis dæmonium non aliud fuisse quam sagax et eximia ingenii ratio, qua omnia facile perspicieus futura prævidebat.

Quædam porro contra voluptatem ab eodem Socrate dicta refert Clemens noster [81], quæ apud Xenophontem reperies, quemadmodum et alia quæ ex ipsomet Xenophonte paulo superius ille protulerat [82].

[60] l. De Isid. et Osir., p. 354. [61] l. I, p. 303. [62] ibid., p. 355. [63] Strom. l. I, p. 294. [64] l. IV, p. 479. [65] ibid., p. 495. [66] Strom. l. I, p. 315. [67] l. III in Plat. vita, § 62. [68] Strom. lib. VI, p. 645. [69] Laert. l. III in Vita Platonis, § 5. [70] l. I, p. 30. [71] lib. de dogm. Platon. [72] Strom. lib. I, p. 301. [73] l. II in Socrat. vita, § 19. [74] Strom. l. I, p. 301. [75] in procem. § 18. [76] l. V Tuscul., p. 178. [77] Strom. l. I, p. 311 et 334; l. V, p. 592 et l. VI, p. 641. [78] in Theage, t. I, p. 128, et in Apolog. Socrat., etc. [79] l. II, § 32. [80] l. I De divin., p. 275 [81] Strom. l. II, p. 412. [82] ibid., p. 406 Xenophon. l. I De memorabil., p. 725 et seq., et 739.

Digitized by Google

Isthæc quoque ejusdem Socratis verba, tacito illius nomine, Clemens citavit : « Nam me, inquit [83], Anytus quidem et Melitus interficient, nullo autem modo me lædet quispiam. » Ex Platone autem desumpta sunt in *Apolog. Socrat.*, tom I, pag. 30 et a Theodoreto transcripta *De Græcar. affect. curat.*, serm. 8, p. 603, tom. IV.

Denique Clemens obiter alicubi observat [84] philosophos, qui varias postmodum sectas amplexati sunt, lubenter fateri se præcipua a Socrate desumpsisse sua dogmata. Nec immerito quidem. Nullus enim ignorat non solum quantam ille apud omnes philosophos habuerit auctoritatem, sed quot etiam quantique fuerint ejus auditores et discipuli. Ab his autem, uti Vossius recte animadvertit [85], celeberrimæ philosophorum familiæ et sectæ fundatæ ac conditæ fuerunt. Quid vero, quod Cicero præter plurima, quæ de illo magnifica congessit, disertissime affirmat ab ipso ortam moralem philosophiam? Quinimo « Socrates, inquit [86], mihi B videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam, et ad vitam communem adduxisse, » etc.

Ab hoc autem aliisque Platonis magistris ad illius discipulos successoresque ut transeamus, primus in ejus locum subrogatus Speusippus a Clemente memoratur [87]. Alibi vero ab ipso adhuc hic dicitur Platonis ex sorore filius, citaturque ex ipsius primo ad Ctesiphontem libro testimonium. Illius porro, quemadmodum aliorum qui ipsi suo quique ordine suffecti sunt, Xenocratis Chalcedonii, ut ait Cicero [88], Polemonis, Cratetis et Crantoris, in quos Clemens veterem Academiam desiisse testatur, vitas et historiam publici juris fecit Laertius [89].

Post hæc autem ab Arcesilao, Crantoris auditore, « usque ad Hegesilaum, uti ait Clemens [90], media floruit Academia; deinde Carneades succedit He- C gesilao, et qui deinceps sequuntur. » Verum hæc A paulo aliter narrat Laertius. De media enim et nova Academia ita ille in operis sui proœmio scribit [91] : « Arcesilaus mediam invexit Academiam, ei Lacydes, qui novam Academiam invenit, Lacydi Carneades, eique Clitomachus, atque in hunc Clitomachum desiit. » De his et aliis Platonis successoribus legendus est Eusebius [92], et quæ apud eum Numenius de iisdem philosophis disputat.

Præcipuum porro inter Platonis discipulos locum tenuisse Aristotelem, et ab eo sectam Peripateticorum, sicut Clemens noster ait [93], conditam esse nemo est qui nesciat. At minus tritum et vulgare illud est, quod ex Clearcho auctor noster et post eum Eusebius narrant, eumdem Aristotelem cum quodam Judæo, quem Clearchus ipse noverat, fuisse conversatum. Addidit Clemens eidem Aristoteli successisse Theophrastum, Theophrasto Stratonem, Stratoni Lyconem, Lyconi Critolaum, ac demum Critolao Diodorum. Theophrasti vero, Stratonis et Lyconis **257** vita a Laertio [94] publicam in lucem emissa est. Cicero [95] autem non illorum tantum, sed Critolai etiam et Diodori meminit, quique et quales illi fuerint breviter explicat.

Critolaum autem alibi auctor noster Peripateticum simpliciter nuncupat [96]. An autem is quoque sit, qui ab illo superius [97] Φασηλίτης, Phaselites, vocatur, forsitan sciscitaberis? Fatetur enim Hervetus quis ille sit sibi non esse compertum. At hunc non alium quam Aristotelis discipulum fuisse alii haud forsitan immerito existimant. Etenim Cicero illum sicut et Diodorum Peripateticum vocat [98], testatumque ille, sicut Macrobius [99] et Aulus Gellius [1], facit eidem Critolao Peripatetico, Carneadi Academico, et Diogeni Stoico, clarissimis et nobilissimis, uti idem Cicero loquitur, philosophis datam ab Atheniensibus ad senatum Romanum legationem. Porro autem de Socrate, Platone, Aristotele eorumque discipulis vide Joachim Stephanum Pomer. *De jurisdictione veterum Græcorum*, cap. 13.

—

CAPUT XVIII.

De variis philosophorum opinionibus.

—

ARTICULUS I.

De philosophiæ nomine, atque Epicureorum opinionibus de Deo, Pythagoreorum et Platonis de anima humana in corpus detrusa, et μετεμψύχωσει; Platonis et aliorum de hominis procreatione; Pythagoræ de rei Venereæ et fabarum, atque aliorum de carnis, ac præsertim suillæ interdictione, de quibusdam animalibus nullo cibo utentibus, de vario rerum creatarum motu, de quadruplici arborum insitione, et illius cum Christiana doctrina excipienda comparatione, de plantarum anima, ac de corvis humanam vocem imitantibus.

Varias philosophorum opiniones Clemens suis in *Stromatum* libris sæpe sæpius refert, vel ut Christiana documenta veritati consentanea esse ostendat eaque confirmet, vel ut ethnicorum scriptorum erronea placita refellat atque explodat. A Pythagora autem, ut dicendi initium ducamus, declarat auctor noster [2] illum ideo sibi philosophi nomen tribuisse, quo Deum, uti postea ab Apostolo dictum est, solum sapientem esse significaret. In hujus vero assertionis confirmationem haud absurde proferri potest illud Laertii testimonium [3] : « Philosophiam primus Pythagoras appellavit, seque philosophum, cum Sicyone sermonem haberet cum Leonte Sicyoniorum tyranno, sive Phliasiorum, ut ait Heraclides Ponticus in libro quem inscripsit *De femina septem diebus exanimi* : nullum enim hominem, sed solum Deum esse sapientem. Antea enim sapientia D dicta est quæ nunc philosophia, et qui hanc profitebatur sapiens, quicunque ad summam animi perspicacitatem pervenisset. » Lege, si velis, Menagii hunc in locum observationes.

Apostoli autem auctoritate et variis ac validis rationibus Clemens [4] explodit omnem illam philosophiam, quæ elementa maximo honore prosequebatur; Stoicos, qui Deum esse corporeum, et vilissimam quamlibet materiam pervadere, atque animam nullo plane modo a corpore affici, et omnia indifferentia esse somniaverunt; Epicureos, qui Dei providentiam penitus tollebant, et in deorum numerum referebant voluptatem, atque atomos rerum principia esse arbitrabantur [5]; ac ipsummet Epicurum,

[83] Strom. l. IV, p. 505. [84] lib. VI Strom., p. 618. [85] De phil. sect., c. 9 et seq. [86] lib. I Acad. quæst., p. 4, 5. [87] l. II, p. 418 et p. 367. [88] l. I Acad. quæst., p. 6. [89] lib. IV. [90] l. I, p. 301. [91] in proœm., § 14. [92] l. XIV Præpar. ev., c. 4, 5 et 6. [93] Strom. l. I, p. 304 et 301. [94] l. V De vita et dogm. philosoph. [95] l. V De finib., p. 69. [96] Strom. l. II, p. 416. [97] ibid., p. 474. [98] l. I De orat., p. 116, et l. II, p. 109. [99] l. I Saturnal., c. 5. [1] l. VII Noct. Attic., c. 14. [2] Strom. l. IV, p. 477. [3] in proœm. § 12. [4] l. I, p. 305, 296; l. VII, p. 720; l. IV, p. 482; l. VI, p. 618. [5] l. II, p. 296; l. IV, p. 532.

Digitized by Google

qui docebat sapientem hominem, si omnibus latere valeat, posse aliis facere injuriam. Qui quidem ultimus error cum a Platone [6] et Cicerone [7], tum ab Ambrosio [8] funditus evertitur. De prioribus porro aliisque ejuscemodi philosophorum opinionibus jam supra disseruimus, aut deinceps agetur.

Testatum præterea Clemens facit eumdem Platonem a Pythagora, et hunc ab Ægyptiis accepisse immortalem esse hominum animam : « A Pythagora, inquit [9], immortalem esse animam traxit Plato, ille vero ab Ægyptiis. » At hanc revera fuisse Platonis opinionem nemo certe, qui scripta ejus leviter attigerit, diffiteri potest. Verum [10] a Pythagoreis et eodem Platone [11] assertum Clemens quoque tradidit hominum animas ante suum corpus exstitisse, atque ut peccatorum prius admissorum pœnas luant, in illud tanquam in carcerem detrudi. Simili plane modo Theodoretus : « Pythagoras, inquit [12], et Plato populum quemdam animarum corpore carentium introducunt, easque postquam in peccatum aliquod inciderint, supplicii causa dicunt in corpora destinari. Itaque Plato in *Cratylo* corpus sepulcrum vocavit, quasi anima in corpore sepulta sit. Concordia vero his et Philolaus Pythagoreus dixit his verbis : Testantur autem veteres theologi ac vates ob quædam supplicia corpori animam conjugatam, et in hoc tanquam in tumulo consepultam esse. » Eadem Philolai verba prius Clemens nobis exhibuerat [13], atque idcirco Theodoretus vel ex illo, vel uterque ex eodem fonte ea hausisse vero plane simillimum est.

Perspicue præterea Clemens ostendit [14] ex hac Pythagoræ et Platonis de animarum transmigratione seu μετεμψυχώσει opinione, ab Ægyptiis primum derivata, perperam a Marcionistis inferri illos existimasse humanam procreationem ex natura sua esse malam. Contra Platonis enimvero mentem ab his hæreticis id concludi inde probat [15], quod ille uxores communes esse debere, ut alibi dictum est, decreverit.

Verum Clemens noster [16], qui hosce hæreticos ideo castigat quod Platonem in partes suas trahere perperam conati fuerint, ille ipse a quibusdam ætatis nostræ nec infimæ notæ scriptoribus erroneæ, ac falsæ ejusdem Platonis, atque etiam Origenis de humanæ, uti aiunt, animæ præexsistentia, sive de hominis anima, quam ante corpus suum exstitisse finxerunt, opinioni favisse accusatur. Sed quo jure quave ratione hanc ei dicam scripserint, nobis incompertum prorsus esse fatemur. Nescii tamen non sumus ab illis librum I et III *Stromatum* citari. Sed cum neque ullum horum librorum locum, neque ulla Clementis verba indicaverint, nos certe illa eo minus divinare possumus, quo magis certum et exploratum nobis est nihil in his, aliisque genuinis, nec interpolatis auctoris nostri libris occurrere, quod huicce accusationi vel minimam occasionem dare unquam potuerit. Si quid porro de hac opinione ab eo alicubi dictum revera fuerit, ibi profecto ille non suam, sed aliorum potius, quibus non suffragatur, more solito refert sententiam. Denique hunc ipsum errorem ab illo confutatum et funditus eversum fuisse superius vidimus [17].

Plura porro ex Platonis *Phædone* [18] tanquam librum præ manibus habuisset profert describitque verba, quibus summus ille philosophus hominis procreationem **258** maximorum malorum causam esse significasse videri potest. Imo vero citatum ab eo contra Veneream voluptatem Sophoclis poetæ effatum exhibet [19] : « Bona verba quæso : Ego vero isthinc tanquam ab insano et agresti domino effugi. » Verum negat Clemens Marcionistis jus fasque fuisse inde concludendi Platonem [20] cum iis credidisse pravam esse hominis procreationem, vel eam, uti garriebant, a mala materia, atque a Deo non quidem bono, sed tantum justo emanavisse. Nam ille contra Marcionis errores ostendit Platonem docuisse mundum, a bono Deo conditum, quæcunque habet, bona ab eo accepisse ; si quæ autem in eo atque in homine sint mala, hæc oriri ex corporea temperatione, vel ex illa perturbatione, qua priusquam in mundum veniret homo peccato affectus et coinquinatus fuit.

Fatetur adhuc Clemens miseram hominis ad laborem nati, conditionem ab eodem Platone [21], Empedocle et aliis deplorari. Hujus autem Empedoclis, de quo Laertius [22] et Vossius [23], carmina ab Henrico Stephano [24] repræsentantur, quemadmodum et alia alterius poetæ nimirum Homeri, ab eodem Clemente prolata, non secus ac Theophilo Antiocheno lib. II *Ad Autolycum* citata ; Theognidis a Stobæo sermone 119, pag. 602, et Theodoret. *De Græcar. affect. curat.* serm. 5, pag. 544 ; Euripidis ab iisdem Stobæo et Theodoreto loc. citat. ; Cicerone lib. I *Tusculan.*, pag. 134 ; Laertio lib. IX in vita Pyrrhonis, § 73, et Platone in *Gorgia*, tom. II, pag. 492 ; Solonis quoque verba ab Herodoto lib. I, § 32, pag. 13, et a Theodoreto loc. cit., pag. 544 ; Cleobidis denique et Bitonis fabula ab ipso, quem Clemens citat, Herodoto narratur loc citat., § 31, pag. 12. Tullius autem ex eodem Herodoto et aliis hanc fabulam eum in modum breviter describit [25] : « Deorum immortalium judicia solent in scholis proferre de morte, nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore aliisque pluribus. Primum Argiæ sacerdotis Cleobis et Biton filii prædicantur : nota fabula est. Cum enim illam ad solemne et statum sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis præmium daret pro pietate, quod maximum dari posset a Deo : post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. » Quæ quidem Ciceronis verba ideo retulimus, quia de hac fabula nihil aliud a Clemente nostro profertur [26], nisi illa vituperari generationem et mortem laudari.

Addit porro Clemens ab Heraclito quoque improbatam fuisse procreationem. Sed hæc omnia ethnicorum auctorum testimonia a Marcionitis in errorum suorum defensionem præpostere usurpari in suo de principiis tractatu se demonstraturum esse pollicetur. Interim vero id confirmat aliis Euripidis haud dubie versibus, quos solo tragœdiæ nomine citavit. Posteriores siquidem ex ejusdem Euripidis *Antiope* a Stobæo serm. 96, pag. 531, laudatos legimus.

Postremo Clemens subnectit [27] male adhuc ab hæreticis citari Pythagoreos, qui a Venereis rebus suos asseclas abstinere jubebant. Contendit siquidem post susceptos tantum liberos hoc eis fuisse interdictum, quemadmodum et fabarum usum, non propter allatas a quibusdam scriptoribus causas, sed quod steriles mulieres efficerent. Quod qui-

[6] t. II, l. II De republ., p. 360 et seq. [7] lib. III De offic., p. 392. [8] l. III De offic., c. 5. [9] Strom. lib. VI, pag. 629. [10] Strom. lib. I, p. 303, et l. III, p. 433. [11] in Cratylo t. I, p. 400. [12] De Græcar. affect. curat., serm. 5, p. 544. [13] ibid., p. 433. [14] Strom. l. III, p. 431, in Phædone, p. 81 et 82. [15] Strom. l. VI p. 633. [16] Strom. l. III, p. 431. [17] supr. c. 13, art. 3. [18] p. 62, 64, 65, 66, 69 et 114. [19] Ibid., p. 435. [20] t. II, l. I De repub., p. 329. [21] t. II, De legib., p. 653, et in Epinom., p. 975. [22] lib. VIII, in vita Emped. [23] De Græc. poet., p. 6 et 53. [24] Poes. philosoph. [25] l. I Tuscul. circa fin., p. 134. [26] l. III, p. 432 et 434. [27] ibid., p. 435.

Digitized by Google

dem Theophrasti testimonio sic ille confirmat : Theophrastus « in libro *De causis naturalibus* fabarum siliquas si ponantur ad radices arborum quæ nuper sunt plantatæ, refert plantas exsiccare. » Varias quidem alii scriptores de illa fabarum interdictione causas reddidere, atque in primis Laertius libro VIII, in vita Pythagoræ, § 19, 24 et 34, et in hæc loca Menagius, aliique Laertii interpretes; nec non Cicero libro I *De divinat.*, pagin. 266, et libro II, pag. 297; Plinius libro XVIII *Histor. natur.*, capite 12; Plutarchus libro *De educat. pueror.*, p. 12; Lil. Gyraldus *De Pythagor. symbol.*, pag. 475 et seqq., Erasm. *Adag.*, chil. 1, centur. 1, pag. 15.

Obiter porro observa quintum a Clemente citari Theophrasti librum τῶν *Φυσικῶν αἰτίων*, *De causis naturalibus*, quo quidem eodem titulo *Περὶ φυσικῶν αἰτίων*, vel *Περὶ φυσικῶν ἱστοριῶν*, *De naturalibus causis*, vel *historiis* a Laertio laudatur [28]; sed in ejus scholiis animadvertitur pro φυσικῶν legendum esse φυτικῶν, hoc est, « de stirpium causis, vel historiis. » Nec mala sane est illa emendatio. Nam hæc est illius libri apud Athenæum [29] inscriptio et titulus ἐν *Αἰτίοις φυτικοῖς* et *Περὶ φυτῶν*, *De plantarum causis*, et *De plantis*. Videsis Menagii in citatum Laertii locum adnotationes. Exstant etiamnum Græce et Latine edita duo Theophrasti commentaria, quorum prius *De historia plantarum*, posterius vero *De causis plantarum* inscribitur.

Porro autem etiamsi tot eximii scriptores fabarum usum a Pythagora vetitum fuisse constanter asseverent, Aulus tamen Gellius haud dubitanter affirmat penitus falsam esse veterem illam et pervulgatam de hoc Pythagorico interdicto opinionem. Et vero « Aristoxenus musicus (Gellii verba sunt [30]), vir litterarum diligentissimus, Aristotelis philosophi auditor, in libro quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum quam fabis; quoniam is cibus et subduceret sensim alvum et levigaret. » Putat autem Gellius Aristoxenum id didicisse a Xenophilo Pythagorico et familiari suo, atque ab aliis quibusdam qui ab ætate Pythagoræ haud multum aberant. Errori porro occasionem præbuisse verbum κύαμον, quod Empedocles Pythagoræ sectator adhibuit, et quo non ab edendis fabis, « sed a rei Venereæ profluvio » voluit homines deducere. Utrum autem illud Aristoxeni testimonium tot aliorum scriptorum auctoritati præponderare debeat, judicent æqui verique rerum æstimatores.

Non absimili etiam modo quamvis Clemens [31] dixerit Pythagoram ejusque asseclas, falsa de μετεμψυχώσει sententia ductos, ab edendis animalium carnibus abstinuisse; Laertius [32] tamen testem quoque citat eumdem Aristoxenum, qui cuncta animantia bove aratore et ariete exceptis, ab ipso Pythagora omnibus permissa asseruit. Athenæus vero : « Pythagoram ab animatis, inquit [33], non abstinuisse Aristoxenus tradit. » Eadem atque Laertius, sed nullo auctore laudato, Suidas narravit [34]. Prius tamen ille scripserat Pythagoram primum auctorem fuisse ut homines a fabis et animatorum carnibus edendis abstinerent. Quinimo Plutarchus [35] de hac Pythagoræ abstinentia tanquam certa et minime dubia rationes attulit. At hæc opinionum varietas non aliunde procul dubio orta est quam ex variis forsitan falsisque rumoribus, vel diversis hujusce philosophi vitæ scriptoribus, qui falsa, ut moris est, opinione imbuti, varia

A **259** de illo et contraria litteris mandarunt. Finem his faciat Naso, qui Pythagoram stricta oratione loquentem sic inducit [36] :

Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora : sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidæque in vitibus uvæ.
. . . . . .
Prodiga divitias alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde et sanguine [præbet.

In abstinentiæ porro mentionem quandoquidem incidimus, observare adhuc liceat a Clemente nostro non solum probari si quis a cibo ex animalium carnibus confecto omnino abstineat; sed insuper : « Videtur, inquit [37], Xenocrates seorsim tractans de nutrimento ex animalibus, et Polemon in opere *De vita secundum naturam* aperte docere esse inutile quod fit per carnes nutrimentum. » Quam autem id verum sit, disces ex Galeno libro *De alimentorum facultatibus, ac de euchymia et cacochymia*, B atque aliis medicis, necnon Macrob. lib. VII *Saturnal.*, c. 4, 5, et 8. Ad corroborandam vero Xenocratis et Polemonis opinionem non prorsus inepte adduci possunt hi de aurea ætate Nasonis versus [38] :

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fetibus arboreis, et quas humus advocat, herbis
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore;
Tunc et aves tutæ movere per aera pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.

Ad suillam deinde carnem Clemens [39] speciatim descendit, rationesque hic et alibi suggerit, cur Moyses ea vesci Judæis olim prohibuerit. Et hæc quidem ille adhuc paganorum quorumdam scriptorum testimoniis fulcit et corroborat. Ac primo quidem allata a quopiam hac Græcæ vocis ὗς etymologia : ὗν dici quasi θῦν, quia illud animal ad C mactandum et sacrificandum duntaxat aptum est. Verum paulo aliter Varro : « Sus, inquit [40], Græce dicitur ὗς, olim *thysus* dictus, ab illo verbo, quod dicunt θύειν, quod est *immolare*. A suillo enim genere pecoris, immolandi initium primum sumptum videtur. »

Clemens tamen in opinionis suæ confirmationem non solum Æsopi adhibet testimonium, quod ab Æliano etiam refertur [41] : sed ibidem hæc præterea subnectit [42] : « Quocirca Cleanthes dicebat sues pro sale habere animam, ne carnes putrefierent. » Eadem quoque Plinius his verbis tradidit [43] : « Animalium hoc maxime brutum, animamque ei pro sale datam non illepide existimatur. Cicero autem magis adhuc ad Clementis propositum : « Sus, inquit [44], quid habet præter escam? Cui quidem ne putresceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus. » Ibi ille pro Cleanthe, qui a D Clemente citatur [45], Chrysippum, uti jam notavimus, appellat. Alias insuper Clemens reddit rationes, cur suilla carne homines abstinerent, nimirum quia inutilis est. Quod quidem paulo lusius Lactantius explicat [46] : « Ventri semper et pabulo servit, nec ullum alium, dum vivit, præstare usum potest, sicut cæteræ animantes, quæ vel sedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plaustra collo trahunt, vel onera tergo gestant, vel indumentum exuviis suis exhibent, vel custodiendis domibus invigilant. » De his porro, et aliis hujus abstinentiæ suppeditatis a Clemente no-

[28] l. v in Theoph. vita, § 45. [29] l. II Deipnosoph., p. 55, et l. III, p. 77. [30] l. IV Noct. Attic., c. 12. [31] Strom. lib. VII. pag, 717. [32] lib. VIII in vita Pyth., § 20. [33] l. X Deipn., p. 418. [34] Suid. ad verb. Πυθαγόρας. [35] l. De esu carn., p. 995, et seq. [36] l. XV Metamorph., fab. 2, v. 75 seqq. [37] Strom. lib. VII, p. 717. [38] loc. cit. [39] Strom. lib. VII, pag. 718. Pæd. l. III, c. 11, p. 254, et Strom. lib. II, pag. 405. [40] l. II, De re rustica, c. 4, p. 84. [41] l. X Variar., § 5. [42] Strom., lib. VII, p. 718. [43] lib. I Histor. natur., cap. 51, pag. 237. [44] lib. II De nat. deor., pag. 238, et lib. V De fin., p. 109. [45] loc. cit. [46] lib. IV De vera sapientia, cap. 17.

Digitized by Google

stro rationibus, lege, si vacet et velis, Plutarchum libro II *Sympos.*, quæst. 5, pag. 667 et seq., et in pag. 685 Henrici Stephani observationes; Athenæum lib. III *Deipnosoph.*, pag. 96; Aristotelem lib. VI *Hist. animat.*, cap. 20, et lib. VIII, cap. 21 et 28; Plinium, *Hist. natur.* lib. VIII, cap. 51; Bochartum *De animal. sacr. script.*, lib. II, cap. 57, pag. 695 et seq.; Gesnerum, Aldrovandum, et alios, qui de animalibus libros et tractatus ediderunt, a quibus ea quoque memorantur, quæ de iisdem suillis atque etiam hircinis carnibus memoriæ Clemens adhuc prodidit [47].

Quasdam ille præterea narrat esse bestias in cavernis latentes, quæ ferebantur aut aeris crassitudine, aut propria corporis exhalatione nutriri, et citra offensionem augeri. De quibus legendus est Aldrovandus, ubi de monstris disputat. Hæc autem haud dubie non minus fabulosa et fictitia sunt quam ea quæ Plinius et Solinus scriptis tradiderunt [48], Astomorum gentem nullo cibo nulloque potu, sed radicum duntaxat et florum olfactu vivere. Strabo etenim isthæc ad fabulas rejicit et amandat [49].

Quod vero inter bestias aliasque creaturas sive animatas sive non animatas sit discrimen, his Clemens noster, post veteres philosophos et Philonem, docuit verbis [50]: « Eorum quæ moventur, alia quidem ex appetitione moventur et visione, sicut animalia: alia autem per translationem, sicut inanimata; ex inanimis autem plantas quoque dicunt moveri transeundo ad augmentum, si quis eis esse plantas inanimas concesserit. Et habitum quidem lapides, naturam vero plantæ, et appetitionem, et visionem et ea quæ prius dicta sunt, bruta quoque participant; ratiocinandi vero potestas est propria humanæ animæ. » Generalem omnium creaturarum constitutionem, seu specificas, ut scholastici loquuntur, earum differentias ibi Clemens strictim attingit. Quædam enim participes sunt ἕξεως corporeæ affectionis, stabilis, ægre mobilis, qua firmissimo vinculo, sicut lapides continentur. Aliæ quemadmodum plantæ dicuntur κινεῖσθαι μεταβατικῶς εἰς αὔξησιν, « moveri transeundo in augmentum. » Bruta vero ὁρμῆς καὶ φαντασίας, « appetitione et visione » sunt prædita. At hæc paulo explicatius antea Philo dixerat [51]: « Lapidum et lignorum, quæ abstracta sunt, a coalitu vinculum validissimum Deus fecit habitum, δεσμὸν κραταιότατον ἕξιν εἰργάσατο, qui spiritus est conversa reflectens in seipsum. Incipiens enim a mediis in extrema tenditur; cumque supremam attigerit superficiem reflectitur rursus, quoad eodem loci pervenerit unde primum profectus erat. Atque hic est circularis cursus habitus, ἕξεως. Naturam autem, φύσιν, Deus iis attribuit, quæ radicibus hærent; eamque attribuit cum e plurimis facultatibus attemperatam, tum vero altrice vi et genitrice. Animam etiam fictor ipse tribus rebus finxit, a natura, φύσεως, differentem: sensu, αἰσθήσει· viso, φαντασίᾳ· impetu, ὁρμῇ. » Tribus autem his explicatis, continuo addunt: « His tot rebus animalia præstant iis, quæ radicibus hærent..... Præstat homo cæteris animantibus eximio munere, quam mentem appellamus. » Paulo demum superius scripserat [52]: « Hac ratione stirps illa fertilissima, suis cum radicibus condita, actis ipsis radicibus affirmata est; at vero singularum stirpium partim transitu moventur, partim citra transitionem condita sunt: τῶν ἐν μέρει, καὶ βραχυτέρων φυτῶν, τὰ μὲν μεταβατικῶς κινητά, τὰ δὲ ἄνευ μεταβάσεως, ut eodem in loco mansitantia; et quæ transitivo quidem motu utuntur, τὰ μὲν οὖν μεταβατικῇ κινήσει χρώμενα, quæ nos 280 animantia dicimus, eo amplioribus universi partibus accessionis vice cesserunt. » Perpende, quæso, utrum Clemens noster ad hæc Philonis verba collineaverit. Vides enim ab ipso eadem nomina, ἕξις, φύσις, ὁρμή, φαντασία, μεταβατικῶς, et alia eodem significatu usurpari. Atqui si Clemens ad eum respexit, his certe verbis, « si quis eis esse plantas inanimas concesserit, » manifestum utique omnibus facere videtur, se contra aliorum quorumdam opinionem existimavisse solam naturam, φύσιν, nullamque in plantis esse animam. Quid autem ea de re veteres philosophi censuerint, narrat Plutarchus [53], quem, si lubet, consule.

Arborum porro insitionem, quam cum Christianæ doctrinæ susceptione Clemens componit [54], quadruplicem esse ex antiquis physicis sic demonstrat. Prima, inquit, arboris insitio fit inter lignum et corticem; atque hunc in modum catechismo paganus idiota sacra doctrina imbuitur. Secunda est, qua sicut ligno arboris fisso alia planta, ita philosophis post dissecta eorum dogmata, veritatis cognitio, et Judæis aperto Veteris Testamenti vero sensu, nova Christi inseritur doctrina. Tertia arboris insitione uterque surculus ad medullam usque raditur: sic etiam hæretici ad veritatem vi trahuntur. Quarta vocatur inoculatio, ἐνοφθαλμισμός, quam Plinius quoque non plane secus ac Clemens noster sic explicat [55]: « Inoculatio sutoriæ simili fistula aperiendi in arbore oculum, cortice inciso, semenque includendi eadem fistula sublatum ex alia. In ficis autem et malis hæc fuit inoculatio antiqua. Virgiliana quærit sinum in nodo gemmæ expulsi corticis, gemmamque ex alia arbore includit. » Virgilii autem versus a Plinio designati hi sunt [56]:

Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex:
Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent inolescere libro.
Aut rursus enodes trunci resecantur, et alte
Finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
Plantæ immittuntur, nec longum tempus, et ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, et non sua poma.

Legendæ in hos Virgilii versus et in citatum Plinii locum observationes variorum, qui quartum hoc insitionis genus jam diu antiquatum esse animadvertunt. At Hervetus sibi non satis exploratum esse monet, quocum illud a Clemente comparetur. Verum de eo ipse Clemens aperte dixit: « Hoc est genus γνωστικῆς διδασκαλίας, gnosticæ doctrinæ, quæ res potest perspicere ipsas. » Quibus sane verbis quartum insitionis modum, seu inoculationem, cum perfecta gnosticorum Christianorum contendit doctrina, qua illi res ipsas nimirum divinas possunt perspicere et observare. Si autem plura de ea ibi non dixerit, non alia certe ratio esse videtur, nisi quia illam alibi, uti nos vidimus, satis explanaverat. Cæterum de hoc et aliis insitionis modis legesis Theophrastum lib. I *De causis plantarum*, cap. 6 et 7; Columellam lib. V *De re rustica*, cap. 11, et *De arboribus* cap. 26; Varronem lib. I *De re rustica*, cap. 40, etc.

Postremo nobiscum, si placet, observa Clementem nostrum [57] ut rebus, minime vero nominibus et vocibus inhærendum esse probaret, exemplum nobis attulisse corvorum, qui voces humanas imitan-

[47] Strom. l. VII, p. 716. [48] lib. IX Histor. natur., cap. 2. Solin., c. 5, p. 80. [49] Strab., lib. XV Geogr., p. 711. [50] Strom. l. II, p. 408. [51] De mund., p. 1154 et seq. [52] ibid., p. 1152 et seq. [53] l. V De placit. philos., c. 26. [54] Strom. l. VI, p. 672. [55] l. XVII Hist. nat., c. 14. [56] l. II Georg., vers. 73 et seqq. [57] l. VI, p. 690.

Digitized by Google

tur, tametsi illius, quod dicunt, nullam habeant notitiam. Sed de quibusdam aliis animantibus humano more loquentibus aliquid supra attigimus. De corvo autem Ælianus lib. II *De animalibus*, cap. 52 : « Institutus, inquit, humanam vocem emittit. » Videsis Aldrovandi *Ornitholog.*, etc.

ARTICULUS II.

Explicantur philosophorum de ultimo fine et summo bono opiniones, Epicuri, et Cyrenaicorum, Dinomachi et Calliphonis, Hieronymi et Diodori, Anniceriorum, Metrodori, Stoicorum, Zenonis, Cleanthis, Antipatri, Archidemi, Panætii, Possidonii, Aristonis, Herilli, Physicorum Anaxagoræ, Heracliti, Pythagoræ, Abderitanorum Democriti et Hecatæi, Apollodoti et Nausiphanis, Diotimi et Antisthenis, Academicorum recentiorum, ac Platonis, Speusippi, Xenocratis et Polemonis, Peripateticorum Aristotelis, Lyci, Leucimi et Critolai, ac denique quam variæ et multiplices ea de re fuerint sententiæ.

Ad moralia paganorum philosophorum instituta ethicasque quæstiones a Clemente nostro propositas et explicatas jam veniamus. Nullas autem ex illis ipse majori cura se exposuisse haud obscure significat [58], quam eorumdem philosophorum de ultimo hominis fine ac summo bono et felicitate opiniones. Ab Epicuro autem et Cyrenaicis exordium cepit, scribitque [59], « eos aperte dicere finem esse jucunde vivere, perfectum autem bonum solam esse voluptatem. Epicurus autem doloris quoque amotionem dicit esse voluptatem. » Quamobrem eodem ille in libro dixerat [60] Epicurum veritati prætulisse voluptatem. Verum postea, si tamen integer sit Græcus illius textus, de solo Epicuro hæc adhuc tradidit [61] : « Ea (cupiditas) Epicuro persuasit, ut philosophi finem poneret voluptatem. Divinam itaque rem is esse statuit firmam, ac stabilem carnis constitutionem, et quod ea ita sit futura, spem certam. » Sed hæc ipsa est opinio, quam ipse Metrodoro Epicuri discipulo postea vindicat [62]. Vide ergo an ibi Ἐπιχούρειος potius legi debeat, quam Ἐπίκουρος. Ut ut sit, quid voluptatis nomine Epicurus et Cyrenaici intellexerint, ita Clemens paulo post explicat [63] : « Atque Epicurus quidem et Cyrenaici id quod est primum naturæ proprium et conveniens, dicunt esse voluptatem. Voluptatis enim causa accedens, inquiunt, virtus peperit voluptatem. » De hac porro Epicuri opinione multi plurima et varia adnotarunt, nosque ex iis quæ præcipua sunt, alibi observavimus [64]. Si alia nihilominus adhuc desideres, lege Ciceronem præsertim lib. I *De natura deor.*, p. 211, lib. II et III *Tusculan.*, et lib. I et II *De finibus ;* Theodoretum *De Græc. affect. curat.*, serm. 11, pag. 647, et ante illos Laertium lib. X in Epicuri vita, § 128 et seq., et variorum in illam animadversiones, atque etiam Gassendum lib. III de ejusdem Epicuri vita et moribus cap. 5 et seq. Sed perpendas velim, an is nimio in Epicurum amore captus, illum plus æquo excusare, ac doctissimos alios scriptores et Ecclesiæ Patres, eidem Epicuro voluptatis patrocinium exprobrantes, accusare et condemnare videatur.

Cyrenaici vero ab Aristippo Cyrenaico, auctore **261** suo et parente, nomen traxerunt, uti testatur Laertius in ipsius Vita [65], ubi eadem illorum de voluptate sententia ab illo atque etiam a Cicerone exponitur. Rursus autem de iis et de Epicuro idem orator alibi disputat [66].

Non multum ab his dissidebant Dinomachus et Callipho, qui, quemadmodum scribit auctor noster [67], « dixerunt esse finem quidquid in se est facere, et consequendæ et fruendæ voluptati. » Tum vero paulo post de solo Calliphone [68] : « Ex Calliphonis, inquit, sententia, voluptatis quidem causa accessit virtus, procedente autem tempore, cum suam vidisset pulchritudinem, effecit ut principio, hoc est, voluptati esset honore æqualis. » De utroque autem Cicero hæc scribit [69] : « Aut voluptas adjungi potest ad honestatem, ut Calliphoni Dinomachoque placuit. » At de solo Calliphone alicubi hoc scriptum reliquit [70] : « Voluptatem et honestatem fines esse Callipho censuit. » Quod et alibi aliis repetit verbis [71]. Sed utrumque Calliphonem et Dinomachum alio in libro sic jure merito castigat [72] : « Reprehendendos Calliphonem et Dinomachum judico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. »

Mirum fortasse quibusdam videbitur Hieronymum et Diodorum, non solum a Clemente nostro, sed etiam a Cicerone Peripateticos appellari, ubi utrumque ab Epicureorum opinione tam longe non recedere his verbis ille significat [73]. « Et Hieronymus Peripateticus finem quidem esse vivere sine molestia ac perturbatione, extremum autem, seu ad finem spectans bonum, esse felicitatem. Et Diodorus, qui similiter fuit ex eadem hæresi, finem esse pronuntiat citra ullam molestiam et honeste vivere. » Neque absimili modo Tullius [74] : « Vacare omni molestia Hieronymus, hoc idem cum honestate Diodorus, ambo Peripatetici finem esse censuerunt. » Quod quidem haud semel ille et in hoc et in alio libro repetit [75]. Sed hanc ipsam ob causam dubitat utrum uterque Peripateticus dici possit. Audiendus profecto ipse est quomodo id suis verbis exponat : « Prætereo multos, aiebat [76], in his doctum hominem et suavem Hieronymum, quem jam cur Peripateticum appellem, nescio ; summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris. Qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiæ ratione dissentit..... Diodorus Critolai auditor adjungit ad honestatem vacuitatem doloris. Hic quoque suus est, de summoque bono dissentiens, dici vere Peripateticus non potest. » Utrumque igitur Cicero, etiamsi plerisque omnibus Aristotelis aliorumque Peripateticorum opinionibus subscripsisset, eo tamen ipso, quod ab eis de summo bono dissentirent, Peripateticos vere dici posse non putabat.

Epicureorum autem gregi haud dubie annumerandi sunt Annicerii, de quibus hæc Clemens memoriæ prodidit [77] : « Qui autem vocantur Annicerii ex successione Cyrenaica, nullum totius vitæ finem terminatum statuerunt ; uniuscujusque autem actionis proprium esse finem, nempe eam quæ ex actione efficitur voluptatem. Hi Cyrenaici Epicuri voluptatis terminum, hoc est, doloris ablationem infirmant et abrogant, eam constitutionem mortui appellantes ; non solum enim nos gaudio affici propter voluptates, sed etiam propter consuetudines et honores. Epicurus autem existimat omnem lætitiam ex carne primo affecta. » Annicerios suam a Cyrenaicis originem sumpsisse haud immerito Clemens affirmat. Triplicem quippe in sectam Cyrenaici divisi sunt, Hegesiacam, Theodoriam et An-

[58] Strom. lib. II, p. 416. [59] ibid., p. 415. [60] ibid., p. 365. [61] ibid., p. 412. [62] ibid., p. 417. [63] ibid., p. 415. [64] Ambros., l. II De offic., c. 13, § 50. [65] lib. II in Aristippi vita, § 86. [66] lib. II De finib., p. 54 et 58, et l. III De offic. circ. fin., lib. IV Acad. quæst., p. 35. [67] Strom. l. II, p. 415. [68] ibid. [69] lib. VIII De finib., p. 101. [70] l. IV Academ. quæst., p. 35. [71] lib. II De fin., pag. 54, et lib. IV, p. 92, ac l. V Tuscul., p. 190. [72] lib. III De offic., p. 404. [73] Strom. l. II, p. 415. [74] lib. IV Acad. quæst., pag. 54. [75] lib. II De finib., pag. 54; ibid., p. 52 et 57, et lib. V De finib., p. 110, ac Tuscul. l. II, pag. 138. [76] lib. V De finib., p. 99. [77] Strom. l. II, p. 417.

Digitized by Google

niceriam. Hujus autem parens fuit Anniceris Cyrenaicus, a quo viginti aut triginta nummis, uti scribit Laertius [78], vel sestertiis octo, sicuti Lactantius ait [79], Plato redemptus est. Videsis Menagii observationes in secundum Laertii librum, § 86. De Anniceriorum porro opinione ita Cicero : « Ab Aristippo, inquit [80], Cyrenaici et Annicerii philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt, virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis, floret Epicurus, ejusdem fere adjutor auctorque sententiæ. » Ibi quidem Tullius consulto adjecit Epicurum ejusdem fere sententiæ fuisse asserto-rem et patronum. Noster vero Clemens clarius declarat in quo utraque et Epicuri et Anniceriorum opinio discrepet. Consule Laert. lib. II, § 96, in Aristippi vita.

Pergit idem ipse auctor noster [81], et quid Metrodorus, quem Epicureum nominatim vocat, de summo bono opinatus sit, his illius verbis patefacit : « Animæ, inquit [82], bonum quid est aliud, quam firma, stabilis ac bona carnis constitutio, et spes fide digna quod ea sic futura sit ? » Eumdem plane in modum Cicero : « Ipse, ait [83], Metrodorus, pene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis : Cum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum ita futurum. » Quod quidem suis ille verbis iterum dixit lib. II *Tuscul.*, pag. 138, lib III *De officiis*, pag. 404, et lib. I *De natur. deor.*, pag. 211, ubi de eodem Metrodoro hæc habet : « Accusat Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri : neque id semel dicit, sed sæpius. » Legesis Plutarchum lib. *Non posse suaviter viv.*, pag. 1091, ubi de Metrodoro atque Epicuro sermonem facit, atque etiam Laertium et Gassendum *De Epicuri vita.*

Porro autem Clemens noster alibi [84] ejusdem Metrodori Epicurei verba protulit, quibus ille Menestratum admonet, tametsi ipse mortalis sit ; animam tamen illius ascendere, donec sæculum et rerum infinitatem conspiciat, ubi juxta Platonis sententiam homo corpore non amplius alligatus pura luce Deum contemplabitur. Ibi autem hæc ab eo divine dicta esse asserit.

Ad Stoicos etiam Clemens venit, aitque [85] : « Zeno Stoicus finem esse putat ex virtute vivere. Cleanthes autem naturæ convenienter vivere, atque in bene ratiocinando ; quod in iis, quæ sunt secundum naturam eligendis, situm esse statuit. Et Antipater ejus familiaris in iis quidem quæ sunt secundum naturam assidue et absque ulla prolapsione deligendis, iis autem quæ sunt præter naturam rejiciendis, positum esse existimat. Et rursus Archidemus sic finem esse exponebat in iis, quæ sunt secundum naturam maxima et præcipua, deligendis non posse transilire. Præter hos autem Panætius convenienter vivere appetitionibus, quæ datæ sunt nobis a natura. Postremo autem Possidonius, vivere contemplando universorum veritatem, et ordinem, et se, quoad ejus fieri potest, ita instituere, ut nulla in re ducatur a parte animæ quæ caret ratione. » De illis autem omnibus ipse antea, atque etiam alibi idem simplicius dixit [86] : « Stoici naturæ consequenter vivere finem esse statuerunt, » τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν. Quod Græcis totidem verbis narrat **262** Theodoretus [87]. At Cicero magis enucleate : « Sunt, inquit [88], fines bonorum..... Stoicis consentire naturæ, quod esse volunt e virtute, id est, honeste vivere : quod ita interpretantur, vivere cum intelligentia earum rerum, quæ natura evenirent, eligente ea quæ essent secundum naturam rejicienteque contraria. » Videsis adhuc illius lib. IV *De finib.* pag. 91. De iis autem singillatim, quemadmodum Clemens, hæc in verba Laertius disserit [89] : « Primus Zeno in libro *De natura hominis* finem ait consentanee secundum naturam vivere, id autem est secundum virtutem vivere ; ad eam quippe natura nos ducit. Similiter et Cleanthes in libro *De voluptate*, et Possidonius, et Hecato in libro *De finibus*.... Archedemus autem nihil officiorum omittendo vivere..... Cleanthes autem communem tantummodo naturam suscipit, quam sequi oporteat, non autem particularem ; virtutemque affectionem esse vulgo intellectam, et ipsam propter se ipsam esse expetendam, non ob metum aliquem, aut spem, aut aliquid eorum quæ sunt externa, sed in ipsa constitutam esse beatam vitam ; utpote quæ sit animæ insita ad consensionem totius vitæ.... Docibilem vero esse virtutem et Chrysippus in primo *De fine* dixit, et Cleanthes, et Possidonius in *Exhortationibus*, et Hecato. Quod autem docibilis sit, ex eo constat, quod boni ex malis fiant. Panætius quidem duas posuit virtutes, contemplativam et activam ; alii tres, rationalem, naturalem et moralem ; quatuor Possidonius, plures Cleanthes, Chrysippus et Antipater. »

Zenonis vero opinionem Cicero fusius clariusque ita enucleat [90] : « Zeno nullomodo is erat, qui ut Theophrastus nervos virtutis inciderit ; sed contra, qui omnia quæ ad beatam vitam pertinerent in una virtute poneret, nec quidquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam, et solum, et unum bonum. Cætera autem etsi nec bona, nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturæ esse contraria ; iis ipsis alia interjecta et media numerabat. Quæ autem secundum naturam essent, ea sumenda et quadam æstimatione dignanda dicebat : contraque contraria ; neutra autem in mediis relinquebat, » etc. Videsis eumdem Ciceronem de eodem Zenone aliisque illius asseclis et successoribus ibidem pag. 36, et lib. IV *De finibus*, pag. 86 et seqq. ; lib. III *De offic.*, pag. 389, et lib. IV *Academic. quæst.*, pag. 31, ubi Panætius « vocatur princeps prope Stoicorum, » et pag. 34, Cleanthes « quasi majorum gentium Stoicus. »

Eam fortasse ob causam ita Clemens prosequitur [91] : « Quidam autem ex recentioribus Stoicis finem esse tradiderunt, τὸ ζῆν ἀκολούθως τῇ τοῦ ἀνθρώπου κατασκευῇ, « vivere consequenter constitutioni hominis. » Prius autem vidimus hanc ab ipso atque a Theodoreto Stoicis omnibus generatim ascribi sententiam, finem esse τὸ ἀκολούθως φύσει ζῆν. Quid autem hanc inter et superiorem sententiam intersit discriminis, expende, quæso, et pronuntia.

Interim vero auctorem nostrum sequamur. Ita autem ille pergit [92] : « Quid tibi Aristonem recenseam ? Is finem dicebat esse ἀδιαφορίαν, id est indifferentiam ; indifferens autem plane relinquit indifferens. Aut ea quæ ab Herillo dicuntur, in medium adducam ? Ex scientia vivere ponit Herillus finem. » Eadem Laertius de utroque paulo explicatius loquitur [93] : « Ariston Chius Phalantusque, cognomento Siren, finem esse dixit ad aliquid inter virtutem et vitium indifferenter se habentem vivere, nullam quamlibet modicam varietatem relinquendo, sed se æqualiter in omnibus habendo. » Postea vero [94] : « Herillus Carthaginensis finem scientiam dixit, quod est semper vivere, cuncta referendo ad vivendum cum scientia, ne ignorantia

[78] in Platonis vita, § 20. [79] De falsa sapient., cap. 25. [80] l. III De offic., pag. 404. [81] Strom. lib. VI, p. 614. [82] Strom. lib. II, p. 417. [83] lib. II De finib. pag., 66. [84] Strom. lib. V, pag. 614. [85] Strom. lib. II, p. 416. [86] ibid., p. 404, et lib. V, p. 594. [87] De Græc. affect. cur., serm. 11, p. 647. [88] lib. II De finib., p. 57. [89] l. VII in vita Zenon., § 87 et seq. [90] lib. II Acad. quæst., p. 8. [91] Strom. lib. II, p. 416. [92] ibid. [93] lib. VII in Vita Zenon., § 160. [94] in Vita Herilli, § 165.

Digitized by Google

dejiciamur. » Similiter quoque Cicero : « Ariston, inquit [95], qui cum Zenonis fuisset auditor, re probavit illa, quæ ille verbis, nihil esse bonum, nisi virtutem; neque malum, nisi quod virtuti esset contrarium : in mediis ea momenta, quæ Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est in his rebus neutram in partem moveri, quæ ἀδιαφορία ab ipso dicitur. »

Rursus autem alio in libro [96] : « Atque ut Aristonis esset explosa sententia dicentis nihil differre aliud ab alio, nec esse res ullas præter virtutes et vitia, inter quas quidquam omnino interesset. » Denique libro sequenti [97] : « Hoc unum Aristo tenuit; præter vitia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam aut expetendam. »

Cum autem paulo ante ille dixisset per se ipsam rerum scientiam ab Aristotele et Theophrasto mirabiliter laudari, hæc de Herillo memorat [98] : « Hoc uno captus Herillus, scientiam summum bonum esse defendit, nec rem ullam aliam per se expetendam. » Quapropter alibi ipse nos commonefacit illum hac in re præceptori suo Zenoni plane penitusque adversari [99] : « Omitto Herillum, qui in cognitione et scientia summum bonum ponit, qui cum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit. » Utriusque porro sententia ab eodem Cicerone aliis in libris refellitur [1]. Si plura volueris, adi Lipsium [2], qui varias Stoicorum de ultimo bonorum fine opiniones recenset enucleatque. Vide etiam Laert. lib. VII De vita Zenonis sub finem, de Aristone aliisque eodem nomine appellatis, et cap. seq. de Herillo disputantem.

Post hæc autem Clemens : « Ea quoque, ait [3], quæ a physicis de re proposita decernuntur, adducamus. » Quid ille sibi physicorum nomine velit, si quæras, tibi respondebimus eos esse, qui sicut ex Laertio et Cicerone supra observatum est, usque ad Socratem, a quo ethica introducta est, de rebus naturalibus et physicis philosophati sunt. Ilos autem ipsemet Clemens noster [4] et Eusebius [5] a Thalete ortos esse alicubi significant. Plurium itaque ex illis, ac primum quidem Anaxagoræ et Heracliti opinionem his Clemens enarrat verbis [6] : « Anaxagoram Clazomenium aiunt dixisse contemplationem esse vitæ finem, et eam quæ ex ea procedit libertatem. Heraclitum autem Ephesium εὐαρέστησιν. »

Utriusque autem sententia a Theodoreto clarius sic explicatur [7] : « Heraclitus Ephesius nomen voluptatis mutavit, sed sensum servavit. Nam pro voluptate εὐαρέστησιν beneplacitum dixit. Habet tamen et aliam vim quamdam hæc definitio. Nam indefinite beneplacitum posuit, qualitatem vero illius non expressit..... Anaxagoras Clazomenius in vitæ speculatione animique libertate, quæ ex illa proficiscitur, convenientem philosopho definitionem constituens. »

Tum deinde Clemens [8] : « Pythagoram refert Heraclides Ponticus scientiam perfectionis virtutem animæ tradidisse esse beatitudinem, » Græce, τὴν ἐπιστήμην τῆς τελειότητος τῶν ἀρετῶν τῆς ψυχῆς εὐδαιμονίαν εἶναι. Sed iis haud prorsus inviti suffragium feremus, qui hunc **263** Clementis locum probaverint esse corruptum, atque ex his Theodoreti verbis emendandum [9] : Ὁ δὲ πολυθρύλλητος Πυθαγόρας, τὴν τελειοτάτην τῶν ἀριθμῶν ἐπιστήμην, ἕσχατον ὑπελάμβανεν ἀγαθόν. « Celeberrimus autem Pythagoras ultimum bonum in exactissima numerandi scientia opinatus est esse. » Apud nostrum itaque Clementem pro ἀρετῶν, « virtutum, » legendum sicut apud Theodoretum videtur ἀριθμῶν, « numerorum. » Ad hujusce autem emendationis confirmationem in medium adduci potest illud Ciceronis de Pythagoreis testimonium [10] : « Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis profluere volunt omnia. » Et certe a nobis alibi fuse probatum est [11] primum rerum principium ab ipsomet Pythagora in unitate et numeris constitui. Eam sane ob causam ille, teste Laertio [12], opinabatur « virtutem esse harmoniam, » seu numerum sonorum et musicum, « sanitatem præterea, et bonum omne, atque Deum; ideoque per harmoniam constare omnia. »

Post hæc autem Clemens [13] : « Quinetiam Abderitani docent esse finem, Democritus quidem in libro *De fine*, animi tranquillitatem, τὴν εὐθυμίαν, quam etiam appellavit εὐεστώ, et sæpe exclamat : Delectatio et ejus privatio sunt eorum terminus, qui ad summum vigorem pervenerunt. Hecatæus autem αὐτάρκειαν, sufficientiam. » Hi autem a Clemente vocantur Abderitani, Ἀβδηρῖται, quia utrumque cum Democritum, tum Hecatæum, uti ex mox dicendis patebit, Abderitanos, id est Abdera ex urbe Thraciæ maritima, quæ postea Clazomene dicta fuit, oriundos esse plerique omnes perhibent, quamvis nonnulli Hecatæum Milesium appellaverint.

Quamobrem Theodoretus hæc de Democrito Clementis nostri dictis satis congruentia ac convenientia tradidit [14] : « Epicurus supremum bonum solam esse voluptatem opinatus est. Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης, Democritus Abderites, hujus dogmatum pater, pro voluptate tranquillitatem animi, τὴν εὐθυμίαν, posuit, non sententiæ, sed nominum duntaxat facta mutatione. » Tullius autem : « Democriti, inquit [15], securitas, quæ est animi tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν. » Postea vero : « Beatam vitam si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturæ consequi volebat ut esset bono animo; id enim ille summum bonum εὐθυμίαν, et sæpe ἀχαχίαν appellat, id est animum terrore liberum. » Magis autem ad Clementis nostri mentem Laertius hujusce Democriti opinionem his verbis explicat [16] : « Finem esse rectum quietumque animi statum, εὐθυμίαν, quæ, ut quidam oblique interpretantur, non idem sit quod voluptas, verum secundum quam animus magna tranquillitate constantiaque beatus est, dum nullo metu, nulla superstitione, aut alia quavis perturbatione agitatur. Eamdem vero et εὐεστώ appellat, a bonitate constantiæ, multisque nominibus aliis. » Porro autem Democritus ille apud Ciceronem [17] « vir magnus in primis » audit et « cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit. » A nobis vero proxime laudatus Laertius [18], qui ejus vitam litteris mandavit, observat eum ab aliis Abderitem, ab aliis Milesium nuncupari.

Hecatæus etiam, auctore testeque Suida [19], Abderites philosophus cognominatus est et criticus grammaticus. » Hunc autem quidam esse putant cujus primus de Ægyptiorum philosophia liber a Laertio citatur [20]. Non desunt tamen, qui ipsum alium ab Abderite, et Milesium Hegesandri filium, et historicum fuisse existimeni. Et re quidem vera ipse Clemens noster alibi [21] Hecatæum laudat, « qui composuit historias. » Denique Hecatæi Milesii Pausanias, aliique sæpius mentionem fecerunt. At de illo videsis Vossium lib. I *De histor. Græc.*, cap.

[95] lib. IV Acad. quæst., pag. 35. [96] lib. IV De fin., pag. 91. [97] lib. V De finib., pag. 110. [98] ibid. [99] lib. IV Acad. quæst. p. 35. [1] lib. II De fin., pag. 58, et l. V, p. 101. [2] l. IV Manud. ad Stoic. philos., dissert. 13 et seq. [3] Strom. lib. II, pag. 416. [4] ibid., p. 364. [5] Præp. evang. lib. X, cap. 14, et lib. XI, c. 2. [6] Strom. l. II, p. 416. [7] l. IV, serm. 11, p. 645. [8] ibid., pag. 417. [9] loc. cit. [10] lib. IV Acad. quæst., pag. 33. [11] Appar. lib. II, dissert. 2, c. 7, § 29. [12] lib. VIII in Vita Pythag., § 33. [13] l. IV, p. 417. [14] loc. cit., pag. 645. [15] lib. V De finib., p. 101 et 113. [16] lib. IX in vita Democriti, § 45. [17] lib. I De nat. deor., p. 212. [18] lib. IX, § 34 et seq. [19] ad verbum Ἑκαταῖος. [20] in proœm., § 9 et 10. [21] Strom. lib. V, p. 603 et 616, et lib. VI, pag. 629.

Digitized by Google

10 Quamvis autem duo fuerint scriptores, certum tamen est Theodoretum [22] Hecatæi philosophi meminisse, qui, uti Clemens noster scribit [23], summum bonum, τὴν αὐτάρκειαν, « sufficientiam, » esse arbitrabatur.

Eidem philosophorum familiæ et classi ab auctore nostro ascribuntur : Ἀπολλόδοτος ὁ Κυζικηνὸς, τὴν ψυχαγωγίαν, καθάπερ Ναυσιφάνης τὴν κατάπληξιν· ταύτην γὰρ ἔφη ὑπὸ Δημοκρίτου ἀθαμβίην λέγεσθαι. Quod Latinus interpres sic reddidit : « Apollodotus Cyzicenus animi delectationem, quemadmodum Nausiphanes admirationem vel obstupefactionem. Eam enim dicit a Democrito vocari ἀθαμβίην. » Obiter animadvertas velim quomodo quædam Græca Clementis verba in ambiguo, alia minime in Latinum versa, ab illo interprete Latino hic atque etiam alibi non semel relinquantur. At si vox ἀθαμβίη, uti Suidas observat et ex aliis scriptoribus probari facile posset, idem sit atque ἄφοβος, impavidus ac stuporis et obstupefactionis expers : inde hic elici poterit Clementis nostri sensus : Nausiphanes docuit summum bonum esse admirationem, sed quæ stuporis et obstupefactionis expers sit et vacua.

Porro autem iis minime refragabimur, qui Apollodotum eum esse probaverint, qui a Laertio Apollodorus et Hortityrannus cognominatus, Epicuri discipulus dicitur. Videsis eumdem Laertium lib. x in vita Epicuri, § 25 ; Gassendum lib. II *De vita et moribus Epicuri*, cap. 6, pag. 187; Vossium lib. IV *De hist. Græc.*, cap. 20, pag. 466, ac Jonsium lib. II *De script. hist. philosoph.*, etc. Nausiphanem autem supra ostendimus fuisse Epicuri præceptorem, quem tamen ab illo omnibus contumeliis vexatum fuisse Cicero testatus est [24].

Hunc apud Clementem nostrum [25] excipit Diotimus, qui ultimum finem esse constituit « absolutam, » ut ipsemet Clemens loquitur, « bonorum perfectionem, quam dicit appellari εὐεστώ, » quemadmodum, uti vidimus, Democritus dixerat. Narrat vero Laertius [26] Diotimum fuisse Stoicum et infesto animo adversus Epicurum, quem acerrime insectatus est. At ille postea atheismi accusatus, capite pœnas luit, si adhibenda sit fides Demetrio, quem Athenæus hæc citat in verba [27] : « Θεότιμος (lege Διότιμος), qui libros aliquot scripsit contra Epicurum, ab Epicureo Zenone accusatus (atheismi), capite pœnas luit, ut ait Demetrius Magnesius in *Homonymis*. »

In eumdem porro philosophorum numerum a Clemente refertur Antisthenes, qui ultimum illum finem docebat esse τὴν ἀτυφίαν, quo etiam verbo Theodoretus usus est [28]. Sed illius prioris interpres « fastus vacuitatem, » posterioris vero « modestiam animi » Latine reddidit. Laertius vero ab eo pronuntiatum perhibet [29] τήν τε ἀδοξίαν ἀγαθὸν, καὶ ἴσον τῷ πόνῳ, « gloriæ privationem bonum esse et labori similem. » A nobis autem plura de eodem Antisthene jam observata sunt.

Quid autem eodem de argumento Academici recentiores statuerint, his Clemens verbis edocuit [30] : « Ex Academia recentiores volunt nonnulli finem tradere firmam ac stabilem a visis abstinentiam. » Simili plane modo a Cicerone litteris consignatum legimus [31] : « Quidam Academici constituisse dicuntur extremum **264** bonorum et summum munus esse sapientis, obsistere visis assensusque suos firme sustinere. » Hos autem, ἐκ τῆς Ἀκαδημίας νεωτέρους, « Academicos recentiores, » ut Clemens ait, fuisse inde colligas, quod alio in libro ipsemet Cicero de antiquioribus hæc scripsit in verba [32] : « Honeste vivere fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, et vetus Academia censuit, ut indicant scripta Polemonis, quem Antiochus probat maxime, et Aristoteles ; ejusque amici nunc proxime videntur accedere. »

Verumtamen testatum Clemens facit duplicem a Platone Academiarum principe assignari hominis finem [33] : « Unum quidem (Clementis nostri verba sunt), id quod est participabile, et primum in ipsis formis, quod quidem nominat bonum. Alterum autem, id quod est illius particeps, et quæ ab eo proficiscitur, accipit similitudinem ; quod quidem est in hominibus, qui virtutem et veram philosophiam sibi vindicant. » Et hæc quidem a Platone tradita sunt tom. II, lib. IV *De legib.*, pag. 716. Similia autem ille habet in citato postea a Clemente illius *Theæteto*, tom. II, pag. 176. Hinc sane et jure quidem merito Theodoretus : « Plato, inquit [34], Aristonis filius..... bonorum finem statuit Deo, quoad possumus, similes fieri. » Eusebius [35] tamen finem hominis a Platone in ipsa virtute positum affirmat. Sed id quoque Clemens videtur pro certo utique posuisse. Et vero quis, nisi virtute præditus, poterit unquam Dei accipere similitudinem ?

Nec obscure quidem Clemens ibidem significat [36] Platonem isthæc hausisse a magistro suo Socrate, qui, ut auctor nobis est Cleanthes, docebat « eumdem esse virum justum et beatum ; eumque exsecrari, qui primus divisit justum ab utili ; ut qui rem fecerit impiam. » Quod certe Ciceronis Theodoretique testimonio luculenter asseritur : « Socrates enim, inquit Tullius [37], « exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a natura sua (seu honestate) sejunxisset ; id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. » Theodoretus vero [38] : « Platonis quoque præceptor Socrates, filius Sophronici, non divitiis affluentem, neque secundo vento utentem, sed justitia exornatum, felicem solebat appellare ; impiosque vocabat eos qui utilitatem a justitia sejungerent. Solum enim utile hoc ducebat, quod justum. »

Præclarum porro illud Platonis documentum, aliaque ejusdem philosophi placita, a Stoicis probata et propugnata fuisse sic Clemens ostendit [39] : « Antipater Stoicus tribus quos scripsit libris, quod ex sententia Platonis solum honestum est bonum, probat etiam quod ex ejus sententia sit sufficiens virtus ad beatitudinem ; et complura alia adducit dogmata, quæ conveniunt cum Stoicis. At de his legenda sunt Ciceronis *Paradoxa* pag. 431 et seq., lib. III *De officiis*, pag. 389, etc., et Lipsii *Manuduct. ad Stoic. philosoph.*, dissert. 20, tom IV, pag. 481.

A Platone Clemens [40] ad primos venit illius discipulos, Speusippum ejusdem Platonis, ut etiam Cicero narrat, ex sorore filium, relictumque quasi hæredem, atque etiam Xenocratem et Polemonem, Platonis quoque, teste eodem Cicerone [41], auditores, de quibus nos supra disseruimus. Illorum porro de summo bono opiniones refert idem Cicero lib. IV *De finibus*, pag. 86, rursusque Xenocratis sententiam lib. V *Tusculan.*, pag. 145, ac lib. II *De legib.*, pag. 330.

Peripateticæ scholæ, cujus, uti jam animadvertimus, auctor Aristoteles fuit, sectatores ultimum hunc, uti Clemens noster testatur [42], definierunt esse finem τὸ ζῆν κατ' ἀρετήν, « vivere ex virtute ..... compleri beatitudinem triplici genere bono-

[22] loc. cit., pag. 645. [23] Strom. l. IV, p. 417. [24] lib. I De nat. deor., pag. 205. [25] Strom. l. IV, p. 417. [26] lib. X in Vita Epicuri, § 3. [27] l. XIII Deipnos., pag. 611. [28] loc. cit., serm. 11, pag. 645. [29] lib. VI in vita Antist., § 11. [30] loc. cit., p. 416. [31] lib. III De finib., p. 76. [32] lib. IV Acad. quæst., pag. 35. [33] Strom. lib. II, pag. 417. [34] Theod. loc. cit., serm. 11, p. 45. [35] Præp. evang. lib. XVI, c. 3 et 4. [36] loco citat., pag. 417. [37] lib. I De legibus, pag. 326. [38] t. IV, serm. 11, p. 646. [39] Strom. lib. V, pag. 595. [40] Strom. lib. II, pag. 418 et seq. [41] lib. I Acad. quæst., pag. 6. [42] loco citat., p. 415 et seq.

Digitized by Google

rum. Neque ergo pauper, nec inglorius, sed nec valetudinarius, sed nec si quis fuerit servus, est beatus ex illorum sententia. » Aristotelis vero illorum parentis hanc de ultimo bono et felicitate sententiam ita a Tullio brevius explanatur [43] : « Virtutis usum cum vitæ prosperitate conjunxit. » A Theodoreto autem [44] : « Aristoteles ex triplici bonorum genere, id est animæ, corporis ac externis bonis plenam felicitatem fieri affirmavit. » Quod quidem fusius Laertius lib. v, in illius Vita, § 30, et ipsemet Aristoteles, testis hac in re cæteris omnibus certior et locupletior, lib. II *Moralium*, cap. 9 et seq., explicaverunt. Peripatetici autem magistri sui opinionem sedulo amplexati sunt. Docebant etenim non solum honestum, sed etiam jucundum et utile esse bonum ; ita tamen ut unum alio esset majus, nempe honestum jucundo, et jucundo utile esse præstantius ; sed qui uno ex his careret, hunc non esse omnino beatum. Videsis Ciceronem lib. III *De finibus*, pag. 78, lib. I *De natura deorum*, pag. 198, et lib. III *De officiis*, pag. 389.

Quamvis autem illam opinionem omnibus generatim Peripateticis Clemens noster, Cicero aliique vindicaverint, tres tamen ex illis Clemens noster nominatim appellat, quorum ultimus tantummodo suum ei penitus tulerit suffragium. Hæc autem de illis ipsa sunt ejusdem auctoris nostri verba [45] : « Quinetiam Lycus Peripateticus veram animæ lætitiam dicebat esse finem, quemadmodum Leucimus eam quæ ex honestis proficiscitur. Critolaus autem qui et ipse quoque fuit Peripateticus, dicebat esse perfectionem vitæ recte fluentis secundum naturam, quæ completur ex tribus generibus, a majoribus per manus traditam significans perfectionem. »

Qui a Clemente ibi Λύκος, alibi vero Λύκων vocatur, ipsius vitam Laertius descripsit [46], mentionemque fecit Athenæus [47]. De illius vero, atque etiam Critolai sententia Cicero quædam breviter perstrinxit [48]. Verum de illo brevius adhuc scripsit Epiphanius [49] : « Critolaus Phaselita Aristotelem secutus est. » Denique de Leucimo cum neque aliis neque nobis quamvis accuratissime indagantibus nihil succurrat, vide utrum in hoc scribendo nomine aliquis non fuerit librariorum lapsus.

Ne mireris porro « tam multiplices, » ut ait Ambrosius [50], « et implicatas atque confusas » de hoc argumento proferri « quæstiones philosophorum. » Tot enim in varias et a se invicem prorsus discrepantes sententias illi abierunt, ut Augustinus eas ad ducentas octoginta octo perduci posse ex Varrone collegerit [51]. De his autem lege eumdem Augustinum citato lib. XIX *De civitate*, cap. 1, 2 et 3 ; Epiphanium in *Expositione fidei catholicæ*, et quæ in laudatum Ambrosii locum a nobis subnotata sunt.

265 ARTICULUS III.

Philosophorum opiniones de fide, spe et charitate ; de matrimonio et legibus in cælibes.

Plura quidem Clemens refert [52], quæ Aristoteles, Epicurus, Heraclitus et Plato de fide scriptis tradiderunt. Sed de illis jam nos supra cap. 11, art. 2, ubi et eadem quæ Clemens narrat a Theodoreto descripta esse [53] ostendimus. Alia porro Clemens adhuc exhibet [54], quæ Plato et Parmenides de spe, ac de charitate idem Plato et Empedocles posteris tradidisse dicuntur. Primum vero Parmenidis carmen, a Clemente citatum, protulit quoque Theodoretus [55].

Quid autem de matrimonio philosophi statuerint ut Clemens patefaciat, sic a Platone incipit [56] : « Plato matrimonium collocat in bonis externis, astruens nostri generis immortalitatem et quamdam perpetuitatem, qua posteritas posteritati lampadem quasi vicissim in manus tradit. » Quæ quidem ex illius lib. VI *De legib.*, tom. II, pag. 776, decerpta sunt. Quapropter Theodoretus : « Platonem, inquit [57], admittimus nuptias inter bona collocantem, immortalitatisque parandæ inventum, et stabilitatem generis appellantem. »

Carpocratem itaque ejusque filium Epiphanem scite corripit Clemens [58], qui in absurdi sui de communibus et promiscuis uxoribus erroris patrocinium Platonis auctoritate abutebantur. Perspicue enimvero ille ostendit ab utroque hæretico pravos in sensus ea omnia, ut jam vidimus, detorqueri, quæ hic philosophorum omnium facile princeps in suis *De republica* commentariis, puta lib. v, tom. II, pag. 457, ac, si velis, in *Timæo*, tom. III, pag. 18, de hocce argumento pronuntiaverat.

Quocirca cum alibi Clemens scribit [59] Euripidem ex eodem Platone idem dogma hausisse, ibi procul dubio lectori subintelligendum reliquit hunc poetam non melius quam illos hæresiarchas, Platonis mentem fuisse consecutum. Porro autem ex hac prava hujusce philosophi interpretatione haud absurde auctor noster [60] colligit eidem Platoni a Marcionistis perperam attribui falsissimam suam de mala generatione opinionem.

Testatum deinde Clemens facit [61] matrimonium et liberorum procreationem propter eas, quas invehunt molestias, repudiari a Democrito et Epicuro, aliisque qui summum bonum in voluptate ac molestiæ et doloris vacuitate posuerunt. Cum Clemente autem nostro concinit Theodoretus, et ad ejus mentem omnino apposite scriptis hæc tradidit [62] : « Democritum et Epicurum vehementer damnamus, qui nuptias et liberorum procreationem vitari jubent. Qui enim hominum felicitatem voluptate metiebantur, quidquid curarum aliquid vel fastidii afferre poterat omnino repudiarunt. » Hieronymus tamen nonnihil de hac, quæ Epicuro tribuitur, opinione detrahit, putatque illum vero sapienti, non omni prorsus conjugio interdixisse, sed jussisse ut is verus sapiens raro uxorem duceret : « Epicurus (verba Hieronymi ipsa sunt [63]) voluptatis assertor (quanquam Metrodorus discipulus ejus Leontium habuerit uxorem), raro dicit sapienti ineunda conjugia ; quia multa incommoda admista sunt nuptiis. » Videsis Laertium, lib. X in vita Epicuri, § 119, et Casauboni, Gassendi ac Menagii in hunc locum observationes, Arrianum lib. I, cap. 23, et lib. III, cap. 7.

« Præterea ex Stoicorum sententia, prosequitur Clemens [64], est indifferens et matrimonium, et liberorum susceptio ; ex Peripateticorum vero bonum. » Neque aliter Theodoretus eamdem Stoicorum sententiam nobis exposuit. Audi, quæso, ejus verba [65] : « Stoici media quadam via incesserunt. Conjugia enim ac liberorum susceptionem inter indifferentia recensuerunt. » Verum nonne, inquies, Zeno apud Laertium [66] dixit sapientem « uxorem ducturum procreandorum liberorum causa ? » Nonne Chrysippus apud Ciceronem adhuc

[43] lib. II de finib., p. 54. [44] loc. cit., serm. 11, p. 646. [45] Strom. lib. II, p. 416. [46] lib. V De vita et dogm. philos. [47] lib. XII Deipnosoph., pag. 547. [48] lib. III Tuscul., p. 161, ac lib. V, pag. 185, et lib. V De finib., pag. 98. [49] Exposit. fid., pag. 1090. [50] l. II De offic. ministr., c. 5, § 8. [51] l. XIX De civitat., cap. 1, § 2. [52] Strom. lib. II, p. 365 et seq. [53] tom. IV, serm. 1, de fid., pag. 478 et seq. [54] Strom. lib. V, pag. 552. [55] loc. citat., pag. 476. [56] Strom. lib. II, pag. 421. [57] De Græc. affect. curat., serm. 12, pag. 675. [58] Strom. lib. III, p. 430 et seq. [59] lib. VI, pag. 628. [60] l. III, p. 431. [61] l. II, p. 421. [62] loc. cit., pag. 675. [63] l. I advers. Jovinian. sub fin. [64] Strom. l. II, p. 421. [65] loc. cit. [66] lib. VII in Vita Zenon., § 121.

Digitized by Google

expressius decrevit [67]: « Cum ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam, atque ut e natura vivat, uxorem adjungere, et velle ex ea liberos procreare? » Ergo persuasum fuit illis non indifferens, sed bonum esse matrimonium. Animum tamen velim advertas id ab iisdem Stoicis, ipsomet Laertio teste [68], constitutum: « Quo bene et male uti possumus, id bonum non est, » atque idcirco indifferens. Et id quidem clarius adhuc patet ex iis, quæ de variis rerum indifferentium generibus ab illis statuta fuisse perhibent idem Laertius loco citato, Tullius lib. III et IV *De finibus;* et fusius Justus Lipsius lib. II *Manuductionis ad Stoicam philosophiam* tom. IV, dissert. 23 et 24.

Mirum porro nemini videbitur Peripateticis conjugium probari, qui noverit, eorum antesignanum Aristotelem, uti Aristippus memoriæ prodidit [69], « Hermiæ concubinam adamasse, quam ille cum sibi permisisset, duxisse eam, et gaudio elatum immolasse mulieri, ut Athenienses Eleusinæ Cereri, Hermiæque Pæana scripsisse, qui ἔνδον, hoc est, intus scriptus est. » Videsis quæ eam in rem a Lycone Peripatetico apud Eusebium [70] litteris consignata sunt.

Lux autem aliqua inde his afferri potest, quæ Clemens ex dictis concludit [71]: « Ut semel autem dicam, illi lingua tenus sua deducentes dogmata, voluptatibus servierunt, alii quidem pellicibus, alii vero meretricibus, plurimi autem utentes adolescentulis. Sapiens autem ille quaternio, ἡ σοφὴ δ' ἐκείνη τετρακτύς, in horto cum meretrice factis voluptatem colebat. » Non defuerunt enim qui præter illa, quæ de Hermiæ concubina dicta sunt, eumdem Aristotelem incontinentiæ et intemperantiæ accusaverint, tametsi illum ab hoc vitio Aristocles vindicare conetur [72]. Quaternionis autem nomine Pythagoram non sine ironia ab auctore nostro designari, ex iis haud plane immerito conflci potest, quæ in Ambrosium olim de eadem quaternione observabamus [73]. Ea, si animus est, adire poteris, sicut Stobæum sermone 65 et 66, *De laude et vituperio nuptiarum*, ubi Menandri carmina a Clemente paulo post citata, et plura de nuptiis a diversis scriptoribus tradita, atque varias philosophorum de iisdem nuptiis et matrimonio opiniones explicatas videbis. Neque te pigeat adire Hieronymum in fine libri II *Adversus Jovinianum*, de his multa quoque disputantem. Non omittendus tamen Homerus, qui a Clemente hæc in verba postea laudatur [74]: « Maximum votum statuit Homerus, virum et familiam, sed non absolute, verum cum bona consensione et concordia. » Ubi Homerus hæc cecinerit, fatetur Hervetus sibi non esse exploratum. Quidam vero in suis ad hunc auctoris nostri locum scholiis nos tantum admonent eadem **266** ab Euripide in *Medea* decantari. Verum nunquid falsa omnino erit illius conjectura, qui putabit Clementem ad hos allusisse Homeri versus [75]?

Σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι με-
[νοινᾷς,
Ἄνδρά τε καὶ οἶκον καὶ ὁμοφροσύνην ὀπά-
[σειαν
Ἐσθλήν· οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ
[ἄρειον.

Tibi vero dii tanta dent, quanto omnino concupiscis, Maritum et familiam, et concordiam præbeant Bonam. Non enim eo quidquam præstantius et [melius.

Vides quippe præcipua ibi occurrere verba quibus Clemens usus est, ac proinde non temere prorsus dici posse illum non ad alia quam hæc ejusdem Homeri verba collineasse.

Porro autem tametsi philosophi tam varias et contrarias de conjugio scindantur in partes, id nihilominus non obstitit, quominus illud iis qui magistratus aut reipublicæ curam gerebant, omnino probaretur. Testatur siquidem Clemens pœnas ab iis in cælibes statutas, propterea quod civitates bono maximo privarent: « Non permittunt legislatores, inquit auctor noster [76], maximos magistratus gerere iis qui uxorem non duxerant. Jam vero Laconum legislator non solum pœnam imposuit ei qui uxorem non duxisset, sed etiam ei qui unam tantum, et ei qui duxisset serius, et ei qui solus viveret. Præclarus autem Plato jubet uxoris quoque alimentum publico pendere ærario eum qui uxorem non duxisset, et sumptus quos oportet dare magistratibus. Si enim, ductis uxoribus, liberos non susceperint, quod in eis quidem situm est, hominum raritatem invehent, et civitates dissolvent, et qui ex eis constat ornatum. » Omnem sane extra controversiam esse debet indictas fuisse imperatorum lege, nimirum Julia et Papia in cælibes pœnas. Qua de lege Tacitus: « Relatum, inquit [77], deinde de moderanda lege Papia Poppæa, quam senior Augustus post Julias rogationes incitandis cælibum pœnis et augendo ærario sanxerat. » Sed illam legem, cujus etiam Suetonius mentionem fecit [78], a Constantino Magno abrogatam fuisse his illius vitæ auctor narrat verbis [79]: « Orbos antiquæ leges hæreditatis patrum ademptione plectebant. Eratque hæc sane atrocissima; quippe quæ homines liberis destitutos, tanquam alicujus criminis reos, pœna afficeret. Imperator vero, hoc abrogato jure, sanctam ac religiosam legem tulit. » Sozomenus vero enodatius hanc legem explicat [80]: « Vetus lex fuit apud Romanos, quæ vetabat ne cælibes, τοὺς ἀγάμους, ab anno ætatis 25 pari jure essent cum maritis, tum in aliis plurimis rebus, tum in eo, ut nihil testamento caperent, qui non essent genere proximi. Orbos vero, ἄπαιδας, mulctabat dimidia parte bonorum, quæ ipsis relicta erant..... Cum igitur animadvertisset imperator..... legem dedit ad populum, ut cælibes et orbi, ἄγαμοι καὶ ἄπαιδες, pari jure quo reliqui omnes fruerentur. » Exstat etiamnum in codice Theodosiano [81] illa Constantini Magni lex, in quam sicut et in legem Popiam et Juliam legendæ sunt eruditi Godefridi adnotationes, et Lipsii commentationes in citatum Taciti locum pag. 62 et 64.

Laconis autem legislatoris nomine Clemens haud dubie compellat Lycurgum, in cujus Vita Plutarchus hæc scribit [82]: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἀτιμίαν τινὰ προσέθηκε τοῖς ἀγάμοις· « Ignominiæ profecto et infamiæ notam iis inussit qui uxores non duxerant; nudarum etenim certantium spectaculo arcebantur, atque hiemis tempore ex magistratuum edicto cogebantur forum vestibus spoliati obire. Circulantes autem cantilenam in se compositam concinebant, merito ita puniri se quod non parerent legibus. » Aristonis vero apud Stobæum hæc de omnibus ge-

[67] lib. III De finib., p. 82. [68] loc. cit., § 101. [69] lib. V in vita Arist., § 4. [70] lib. XIV Præp. evang., c. 2, p. 793. [71] l. III, p. 421. [72] loc. cit., c. 2, p. 791 et 792. [73] in Ambros. lib. II De Abraham., c. II, § 80, pag. 349. [74] ibid., p. 423. [75] Odyss. lib. VI, pag. 82. [76] Strom. lib. II, pag. 422 et seq. [77] lib. III Annal. [78] in Vita August. [79] in Vita Constant. l. IV, c. 26. [80] l. I Hist., c. 9. [81] titul. de infir. poenis cælib. lege unic. [82] in Vita Lycurg., pag. 48.

Digitized by Google

neratim Lacedæmoniis verba legimus [83] : « Spartanorum lex multam statuit, primam non ducenti uxorem, alteram vero ducenti, tertiam et gravissimam illi qui malam duxerit. » Locus porro Platonis a Clemente citatus occurrit tom. II, lib. II *De legib.*, pag. 774. Legesis præterea Cragium lib. III *De republ. Lacedæmon.*, tab. 4.

ARTICULUS IV.

Multa fuisse occultata a philosophis Pythagoreis, Platone et Epicuro, ubi de sumpta ab Hipparcho pœna; de interdicta quorumdam Zenonis librorum lectione; de vario Aristotelicorum scriptorum genere: de fabulis quibus philosophi sua documenta velabant, ac de mulieribus philosophis Theano, Themisto et quinque Diodori filiabus; de Hipparchia, Arate, Lasthenia, Axiothea et Aspasia.

Quamvis publicæ essent philosophorum scholæ, « non soli tamen, inquit Clemens [84], Pythagorei et Plato multa occultabant, sed etiam Epicurei dicunt quædam esse apud se arcana, et non permittere omnibus ut ea scripta legant. » De Pythagoreis quædam jam adnotavimus [85]. Quam severe autem in hujusce Pythagoreæ de occultandis suis dogmatibus legis prævaricatores animadverteretur, patet Hipparchi exemplo, quod a Clemente his verbis ponitur [86] : « Aiunt Hipparchum Pythagoreum accusatum quod aperte scripsisset decreta Pythagoræ, expulsum fuisse a schola, et ob id ipsum tanquam mortuo impositam columnam fuisse. » Nec mirum sane. Etenim, ut ait Origenes [87] : « Pythagoreorum quidem veneranda schola ponebat cœnotaphia disciplinæ suæ desertoribus, nimirum quod haberent eos pro mortuis. » At de Hipparcho videsis Menagii in Laertium de Vita Pythagoræ, § 358, observationes.

Secundus post Pythagoreos a Clemente Plato appellatur [88], quem ænigmatice et parabolice, atque idcirco obscuritatis latebris quædam occultasse non solum hic, sed paulo ante ostendit. Quod quidem ex mox dicendis manifestum adhuc fiet.

Ad Epicurum porro quod attinet, Laertius in ejus Vita narrat ipsum dixisse [89] : « Scholam habiturum, non sane ut ingentem frequentiam cogat, recitaturumque in multitudine, sed non sponte. »

Utrum autem eo Clemens collinearit, expende, quæso, et pronuntia, postquam legeris Gassendi in hunc Laertii locum, tom. V, pag. 118, notas et animadversiones.

Auctorem vero nostrum sequamur : « Quinetiam Stoici, inquit [90], dicunt a Zenone primo quædam fuisse conscripta, quæ non facile permittunt legere discipulis, quorum non prius fuerit factum ab ipsis periculum, an germane et sincere philosophentur. »

Duplicem scriptorum Zenonis catalogum Laertius repræsentat [91] ; sed quorum lectionem Stoici discipulis ejus, nisi prius probatis, facile non permiserint, tacitus prætermisit [92]. Non difficiliter autem **267** nobis persuadebis eos fuisse quos ille posteriori loco recenset, scilicet de nuptiis et de amoribus, vel *De republica* libros, quosque Laertius eum in cauda canis, Tullius autem minus verecunde scripsisse testificantur.

« Aristotelei quoque, pergit Clemens [93], dicunt ex suis scriptis alia quidem esse ἐσωτερικά, interna, alia vero communia et externa. » Sed hæc paulo aliter et fusius ab Aul. Gellio sic explicantur [94] : Commentationum suarum artiumque, quas discipulis suis tradebat Aristoteles philosophus, regis Alexandri magister, duas species habuisse dicitur. A Alia erant quæ nominabat ἐξωτερικά, alia quæ appellabat ἀκροατικά. Ἐξωτερικά dicebantur, quæ ad rhetoricas meditationes, facultatem argutiarum civiliumque rerum notitiam conducebant. Ἀκροατικά autem vocabantur, in quibus philosophia remotior subtiliorque agitabatur, quæque ad naturæ contemplationes disceptationesve dialecticas pertinebant. Huic disciplinæ, quam dixit ἀκροατικήν, tempus exercendæ dabat in Lycio matutinum ; nec ad eam quemquam temere admittebat, nisi quorum ante ingenium et eruditionis elementa, atque in discendo studium laboremque explorasset. Illas vero ἐξωτερικάς auditiones exercitiumque dicendi eodem in loco vesperi faciebat, easque vulgo juvenibus sine delectu præbebat. » Videsis variorum hunc in locum, et in Laertii libr. V Menagii, § 197 et seq., observationes.

Quid vero quod philosophi fabulas, non omnes tamen, allegorico sensu exponendo, dogmata sua velabant tegebantque? Ex his autem quasdam Clemens recenset [95], quæ apud Platonem leguntur, Heri Armenii, de qua ille tom. II, libro X *De republ.*, pag. 214 ; Æaci et Rhadamanti tom. II in *Gorgia*, pag. 523 et 524 ; Tartari in *Phædone* tom. I, pagina 112 et 113 ; Promethei et Epimethei in *Protagora* tom. II pag. 320 et seq. ; denique belli inter Atlantinos et Atheuienses in Atlantico gesti tom. III, pag. 112 et seq.

Antequam huic de Græcis philosophis sermoni finem imponamus, cum Clemente nostro adnotandum est non solum viros, sed etiam mulieres suam contulisse in philosophicas disciplinas operam. « Didymus enim, sicut idem Clemens ait [96], in libro *De philosophia Pythagorica* refert Theano Crotoniatidem primam ex mulieribus esse philosophatam et scripsisse poemata. » Quæ quidem Hervetus negat alibi occurrere, imo vero utrumque falsum esse Menagius audacter affirmat. At quomodo illud tanta confidentia dici potest non esse verum, quod a Suida tam diserte his verbis asseritur : « Theano Cressa, sive Cretensis, philosopha, filia quidem Pythonactis, uxor vero majoris Pythagoræ, ex quo suscepit Telangem, et Mnesarchum, et Myiam, et Arignotem. Quidam vero dicunt ipsam fuisse uxorem Cratini. Scribunt autem eam fuisse Crotoniadem. Scripsit commentarios philosophicos, et apophthegmata, et poema quoddam versibus. » Non philosophicos autem tantum libros poemaque conscripsit, verum etiam « Pythagoræ scholam, eo defuncto, ait Theodoretus [97], uxor Theano cum Telange ac Mnesarcho filiis, regendam suscepit. » At facile concedimus, inquient aliqui, Theano scriptis et voce, atque etiam publicis in scholis docuisse philosophiam : sed eam omnium mulierum primam fuisse philosophatam plane cum Menagio inficiamur. Cedimus et nos si aliam, quæ prius quam Theano philosophata fuerit, nobis designaveris. Eodem quoque modo de poematibus argumentandum est. Cæterum Clemens non id quidem asseveranter affirmat, sed testem citat Didymum, cujus fides et auctoritas a nemine hactenus elevata est.

Quædam quoque Clemens ex hujusce procul dubio Theanus commentationibus, perinde ac si ad manum illas habuisset, de animæ immortalitate verba sic refert [98] : « Scribit, γράφει, Theano Pythagorica : « Esset revera malis vita epulum, « qui postquam omnia commiserunt scelera, « deinde moriuntur. Et si non esset anima immor- « talis, mors esset lucrum. »

Quam pudicam porro, philosophia duce, vitam illa duxerit, planum Clemens facit [99], sicuti ex duo-

[83] serm. 64, pag. 412. [84] Strom. lib. v, pag. 575. [85] sup. cap. 14, art. 3. [86] ibid., pag. 574. [87] l. III Contr. Cels., pag. 454. [88] Strom. l. v, pag. 572. [89] l. x in Vita Epicur., § 121. [90] Strom. l. v, p, 575. [91] l. VII in Vita Zenon., § 4 et 36. [92] ibid. [93] Strom. v, p. 575. [94] l. XX Noct. Attic., c. 5. [95] Strom. l. v, p. 575. [96] Strom. l. I, p. 309. [97] l. IV De Græc. affect. cur., p. 489. [98] Strom. l. IV, p. 492. [99] ibid., p. 522.

Digitized by Google

bus responsis, ab ea datis, in superiori dissertatione ostendimus [1]. Ibi autem diximus primam hujus philosophæ mulieris responsionem a Plutarcho delibatam nobis videri. Secundam vero Laertius paulo aliter describit libro VIII de Vita Pythagoræ, § 43. Utraque tandem sententia rursus transcripta est a Theodoreto *De Græc. affect. curat.*, serm. 12, pag. 675, et Stobæo serm. 72, pag. 442. Quid igitur mirum si Hieronymus nuptas mulieres ad Theanus imitationem excitet et adhortetur [2]? Videsis Menagium in appendice ad Laertium in *Historia mulierum philosopharum*, pag. 500 et seq.

Non solam autem Theano in philosophia studium posuisse Clemens opinatus est [3]. Alias enim laboris quoque plurimum in ea consumpsisse testatur, quarum in numero ponit Myiam et Arignotem Pythagoræ et ejusdem Theano filias. De iis vero, quarum Suidas meminit, adeundus est præter alios Menagius loc. cit. pag. 501 et seq.

« Quinetiam Themisto (Clementis nostri verba sunt[4]), Zoili filia Lampsacena, uxor Leontei Lampsaceni, dabat operam philosophiæ Epicureæ. » Et recte quidem; Laertius etenim [5], Cicero [6] et Gassendus [7] id plane asserunt ac confirmant. Quod autem scribit Lactantius [8] : « Nullas unquam mulieres philosophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themisten, » verum omnino esse non potest, uti ex jam dictis et mox dicendis quilibet facile intelligat. Lege Menag. loc. cit., pag. 498.

Quinque adhuc Diodori, cognomento Croni, filias Menexenen, Argiam, Theognen, Artemisiam et Pantacleam in dialectica exercitas fuisse Clemens Philonis dialectici haud plane incerta probat auctoritate [9]. Nam similiter quoque ab Hieronymo litteris mandatum legimus [10] : « Diodorus Socraticus quinque filias dialecticas insignis pudicitiæ habuisse narratur, de quibus et Philo Carneadis magister plenissimam scribit historiam. » Hinc itaque discimus citatum a Clemente Philonem fuisse Carneadis magistrum. Diodori porro, cujus apud Strabonem mentio, vitam brevissime descripsit Laertius [11], quemadmodum et Hipparchiæ, de qua Clemens postea sermonem habet. Videsis variorum in hæc Laertii loca observationes [12], atque etiam Suidam, Vossium, Menagium in *Hist. mulier. philosoph.*, pag. 497, et alios.

Hipparchiam apud auctorem nostrum [13] excipit Arete Cyrenaica, cujus opera Aristippus Μητροδίδακτος eruditus est. Nec plane immerito. Etenim Laertius [14] hoc in Aristippi Vita totidem pene verbis edixit quod Æliani etiam testimonio firmatur [15].

Tum deinde Clemens : « Apud Platonem, inquit [16], philosophantur Lasthenia Arcadia, et Axiothea 268 Phliasia. » De Platonis quoque discipulis ubi Laertius verba facit, utramque in eorum numerum sic aggrevavit [17] : « Cum his et mulieres duæ, Lasthenia Mantinea et Axiothea Phliasia quæ, ut Dicæarchus auctor est, virili utebatur veste. » Videsis Themistium orat. 4 et 11. Athenæus autem libro VII *Deipnosoph.*, pag. 279, et libro XII, pag. 546, Lastheniæ meminit; sed priori loco pro Σαρδιχῆς quidam non immerito putant Ἀρχαδιχῆς scribendum.

Ultima a Clemente memoratur, et nominis celebritate et dignitate aliis non inferior, « Aspasia Milesia, de qua, uti ille loquitur [18], multa conscribunt comici, et qua usus quidem est Socrates ad philosophiam, Pericles autem ad rhetoricam. » Et id quidem si opus esset testibus et bene multis, et omni exceptione majoribus, Platone [19], Plutarcho [20], Athenæo [21], Suida et aliis posset facile comprobari. Cæterum de his aliisque philosophis mulieribus adisis Menagium in sua ad Laertium appendice.

—

CAPUT XIX.

De barbaris qui ante Græcos philosophati sunt, et de septem Græciæ sapientibus.

—

ARTICULUS I.

De antiquis apud barbaros philosophis, ac speciatim de Ægyptiis, Thebæis, Chaldæis, Gallorum Druidis, Bactrianis et Zoroastre; de Persarum Magis, et iis qui Christum in cunabulis venerati sunt; de mulieribus apud Germanos vaticinantibus, de Indorum Gymnosophistis, Brachmanibus, Allobiis et Semnis, de Butta et Anacharsi, de Hyperboreis, et Idæis Dactylis, ferri, æris, litterarum Ephesiarum, et numerorum musicorum inventoribus, eorumque numero et nomine, de Chirone centauro, et Hyppa seu Hippone ejus filia.

Ante Græcos philosophos [22] barbari aliarumque nationum homines etiamsi illud philosophorum nomen non usurpaverint, re tamen vera philosophabantur. A Clemente etenim nostro id haud dubitanter his affirmatur verbis [23] : « Philosophia ergo, res quidem valde utilis, olim quidem floruit apud barbaros, per gentes resplendens; postea autem venit etiam ad Græcos. Ei autem præfuerunt et Æ_gyptiorum prophetæ, et Assyriorum Chaldæi, et Gallorum Druidæ, et Samanæi Bactrorum, et Celtarum ii qui philosophati sunt, et Persarum Magi, qui quidem Servatoris quoque nostri ortum significaverunt, stella eos præcedente venientes in Judæam, et Indorum Gymnosophistæ, et alii philosophi barbari. » Ex iis autem plures a Laertio sic memorantur [24] : « Philosophiam a barbaris initium sumpsisse plerique autumant. Nam Persis Magos, Babyloniis et Assyriis Chaldæos, Indis Gymnosophistas, Celtis, seu Gallis (Menag.) et Galatis Druidas, et qui Semnothei appellantur, ejus rei fuisse auctores ait Aristocles in *Magico*, et Sotion in decimo tertio *Successionis* libro; Phœnicem præterea Ochum, et Zamolxim Thracem, et Atlantem Libycum, ad hæc Nili Ægypti filium fuisse Vulcanum, qui philosophiæ aperuit principia; porro ipsius rei antistites, sacerdotes, et prophetas appellari solitos. » Verumtamen ipse ibidem contendit et probare nititur falsam esse hanc opinionem, ac philosophiam, cujus nomen ab appellatione barbara omnino abhorret, suum a Græcis duxisse principium. At de philosophiæ nomine, quod primum a

[1] dissert. super., c. 12, art. 2. [2] l. I adv. Jovinian. [3] Strom. l. IV, p. 522. [4] ibid. [5] l. X in Vita Epicuri, § 5. [6] orat. 37 in Pison., p. 539. [7] l. VII de Vita Epicuri, c. 3. [8] l. III De vera sapient., c. 25. [9] Strom. l. IV, p. 522. [10] l. I adv. Jovin., longe ante fin. [11] l. II De vitis et dogm. philos., § 111 et seq. [12] idem ibid., l. VI, § 96. [13] Strom. l. V, p. 523. [14] l. II in Vita Aristipp. [15] l. III De anim., c. 40. [16] Strom. l. V, p. 523. [17] l. III in Vita Platonis, § 46. [18] ibid., pag. 525. [19] t. II in Menex., p. 235, 236, 249. [20] in Vita Periclis, p. 165, 169. [21] l. V Deipnos., p. 219 et seq.; XIII, p. 569. [22] Strom. l. VI, p. 633. [23] Strom. l. I, p. 305. [24] init. procem. de dogm. philos.

Digitized by Google

Pythagora adhibitum est, Clemens noster aliique omnes ultro concedunt, et nullus cum Laertio litigabit. Scientiæ vero et disciplinis, eo cognomine designatis, datam fuisse ante Græcos a barbaris operam vario Clemens, nec infirmo probat demonstratque argumentorum genere, ac potissimum ex Græcorum philosophorum ad Ægyptios aliasque nationes, susceptis eruditionis et doctrinæ gratia itineribus, longaque apud illos commoratione.

Atque hæc multo adhuc fusius demonstrantur ab Eusebio [28], cui sicut et Clementi nostro alii magno sane numero et consensu suffragati sunt, atque in primis Cyrillus Alexandrinus, qui utriusque sententiæ hæc in verba subscripsit [29] : « Philosophati sunt apud Ægyptios, qui prophetæ dicebantur. Quinetiam Assyriorum sunt Chaldæi, Gallorum Druidæ, et Bactrorum Persicorum Samanæi, et Celtarum non pauci, et apud Persas Magi, et apud Indos Gymnosophistæ. » Ita ille contra Julianum argumentatur, atque in assertionis suæ confirmationem hoc Aristobuli, cujus multo longius fragmentum eamdem ob causam Eusebius transcripsit [30], nobis profert testimonium [31] : « Aristobulus autem Peripateticus, alicubi sic ait : Quæcunque apud antiquos de natura, περὶ φύσεως, dicta sunt, eadem etiam dicuntur apud illos, qui extra Græciam philosophantur, partim quidem apud Indos a Brachmanis, partim in Syria ab iis qui Judæi nominantur. » Nec minus perspicue Augustinus [32] : « Aliarum quoque gentium, inquit, sapientes vel philosophi habiti sunt Atlantici, Libyci, Ægyptii, Indi, Persæ, Chaldæi, Scythæ, Galli, Hispani, aliique. » Quem in locum videsis Coquei notas, et Tiraquelli observationes in Alexandr. ab Alexandr., libro quarto *Genial. dier.*, capite 13, pagin. 381.

Singulos autem si percurramus, certe Laertius philosophica quædam Ægyptiorum documenta patefecit [33], ac de iisdem Diodorus Siculus ubi disputat, hæc memoriæ mandavit [34] : « Thebæi omnium vetustissimos mortalium se esse prædicant, apud quos omnium primos philosophia, et exactior astrologia, adjuvante ipso terræ situ, ad ortus et occasus siderum illustrius cognoscendum. » Videsis quæ in eamdem sententiam ex ipso Eusebius libro x *Præpar. evang.*, cap. 8, atque ex Josepho de iisdem Ægyptiis, Chaldæis et Phœnicibus cap. 7 retulit. Adi adhuc, si velis, Plutarchum libro *De Iside et Osiride*, pag. 354, et Ciceronem libro primo *De divinatione*, p. 270.

Ex sacris, seu potius ex profanis Ægyptiorum ritibus et cærimoniis manifestum adhuc Clemens facit [35] ipsos exercuisse peculiarem quamdam philosophiam. Sed de his Ægyptiorum ritibus jam a nobis disputatum est [36].

Chaldæorum vero philosophia a Diodoro Siculo pulchre describitur : « Apud Chaldæos, inquit [37], per generis traditionem philosophia obtingit, filiusque a patre illam accipit, ab aliis interim publicis muneribus omnino liber. Et quia parentibus utuntur magistris, fit ut affatim et citra invidiam omnia discant, et certiori fide præceptis attendant. Et dum a pueris statim disciplinis imbuuntur, præclarum in philosophia habitum sibi comparant, tum quod ætas illa docilis est, tum quod multo studiis tempore insudant. Apud Græcos vero plerique magna 269 parte accedunt imparati, et philosophiam hanc sero attingunt, » etc. Sed hæc ille fuse prosequitur, quem tu consulere poteris, quemadmodum Strabonem libro XVI *Geograph.*, pag. 739, atque ex utroque, et ex Cicerone libro I et II *De divinat.*, ac Vossio *De philosoph. sect.*, cap. 1, philosophos illos Græcis antiquiores esse facile animadvertes. Quapropter hoc a Josepho disertissime traditum legimus [38] : « Ante Abrahami ad se adventum Ægyptii rudes erant hujusmodi disciplinarum, quæ a Chaldæis ad Ægyptios profectæ, ad Græcos tandem pervenerunt. »

De Gallorum Druidis Diodorus, jam a nobis laudatus, scribit [39] : « Philosophi apud eos sunt et theologi (Druidas ipsi vocant), quos eximio honore dignantur. » Sed de iis uberius Strabo, ubi de Gallis : « Apud universos, ait [40], tria hominum sunt genera, quæ in singulari habentur honore. Horum bardi hymnos canunt, poetæque sunt. Vates sacrificant, et naturam rerum contemplantur. Druidæ præter hanc philosophiam etiam de moribus disputant, » etc. At de iis plurima et pene infinita sunt, Cæsaris libro VI *De bello Gallico*, Ammiani libro XV, pag. 97 et seq., atque aliorum testimonia. Laertius [41] porro eamdem illorum ac Gymnosophistarum fuisse philosophandi et doctrinæ philosophicæ rationem testificatur. Sed cæteris omnibus copiosius de illis disseruit Lescalopierius *De theologia veteri Gallor.*, cap. 15 et seq.

Bactrianos philosophiam procul dubio docuit Zoroastres, qui illis, ut scribit Eusebius [42], Nini temporibus imperabat. Is enim non solum magiæ inventor, sed peritissimus etiam astrologus, plures libros scripsisse perhibetur [43]. Quoddam vero ex illius sacro Persicorum rituum commentario breve fragmentum apud eumdem Eusebium reperies [44]. Porro autem etiamsi Zoroastres a Clemente alibi Persa, alibi Medus appelletur ; plures tamen eum Bactrianum fuisse opinantur [45]. Frequens apud varios scriptores ejus mentio ; nosque de illo aliquid alibi notavimus [46]. Videsis post Bocharti *Phaleg.* libro IV, cap. 1, Huetii *Demonstrat. evangel.*, proposit. 4, capite quinto, et Menagii in Laertii prœmium, § 8, observationes.

Persarum Magos philosophiæ similiter studuisse illud non levissimo plane indicio est, quod stella, quæ humanos Christi Domini natales significabat, præeunte, in Judæam venerint. Plura de illis eorumque philosophicis dogmatibus ex variis auctoribus Laertius disputat [47], atque Aristoclis auctoritate ostendit ipsos Ægyptiis esse antiquiores. Quamvis autem non pauci, uti Strabo [48], Hesychius, Suidas [49] et alii sermonem de iis fecerint, præterire nihilominus non possumus quod ad institutum nostrum appositissime de illis Philo hæc in verba protulit [50] : « In barbarico solo frequentior numerus celebratur eorum, quibus egregia dicta factaque pepererunt insignem gloriam, quales apud Persas Magi, naturæ scrutatores, pro veritatis cognoscendæ studio, qui per otium divinas virtutes contemplantur clarius, et alios iisdem initiant mysteriis. »

Magos autem Christum adoraturos, ex Perside in Judæam venisse communior est veterum opinio. Justinus vero martyr eos fuisse Arabas, atque ex Arabia et Assyria Bethlehem adventasse certissime pronuntiat [51]. Atque adhuc expressius Orientales

[28] l. XX Præpar. ev., c. 4, 5, etc. [29] lib. IV Contra Julian., p. 133 et seq. [30] lib. XIV Præp. evang., c. 12, p. 663 et seq. [31] l. IV Contr. Julian. pag. 133, etc. [32] l. VIII De civit., c. 9, p. 198. [33] in prœm. De vitis et dogm. philos., § 10 et 11. [34] l. I Bib., p. 32. [35] Strom. lib. VI, p. 633. [36] sup. c. 14, art. 3. [37] l. II Bibl., p. 82. [38] l. I Antiq., c. 9, pag. 17. [39] l. V Bibliot., p. 213. [40] l. IV Geogr., p. 197. [41] in prœm., § 2. [42] l. X Præp. ev., c. 9, p. 484. [43] ad verb Ζωροάστρης. [44] Præp. evang. l. II, c. ult., p. 42. [45] Strom. l. II, p. 304 et 354. [46] supr. l. II, dissert. 5, c. 2, art. 6. [47] Procœm. de vitis et dogm. philos., § 9. [48] l. XV, p. 717, et l. XVI, p. 762. [49] Hesych. et Suid. ad verbum Μάγοι. [50] Philo Quod omnis probus sit liber, p. 876. [51] Dial. cum Tryph., p. 303, 315.

Digitized by Google

apud Cyrillum Alexandrinum [49] : « Magi, inquiunt, ex Perside, stella duce, advenerunt, natum quærentes, et invento dona obtulerunt. » Sed id fusius prosequi opus non est, de quo tam multa in Matth. cap. II adnotarunt varii sacræ Scripturæ interpretes.

Gymnosophistas a Magis ortos fuisse Clearchus Solensis apud Laertium auctor nobis est [50]. Unde autem nomen illud acceperint, si quæras, respondebit Augustinus [51] : « Per opacas Indiæ solitudines, cum quidam nudi philosophentur, unde Gymnosophistæ nominantur; adhibent tamen genitalibus tegmina, quibus per cætera membrorum carent. » Quod quidem illorum philosophandi genus adhuc postea confirmat [52]. Sed illud nobis enodatius Philo enucleavit [53]: « Apud Indos Gymnosophistæ cum naturali moralem conjungunt philosophiam, honestatis probitatisque amorem tota vita præ se ferendo. »

At Clemens observat duplex fuisse illorum genus : « Alii enim ex iis, inquit [54], vocantur Sarmanæ, alii vero Brachmanes. Et ex Sarmanis quidem ii, qui appellantur Allobii, neque urbes habitant, nec domos aut tecta habent; arborum autem induuntur corticibus, et glandes arborumque baccas comedunt, et aquam bibunt manibus; non nuptias, non liberorum norunt procreationem. »

Strabo autem de illis omnibus multo longiorem instituit disputationem. Sed quos Clemens noster Σαρμανάς et Ἀλλόβιους, hos ille Γερμανάς et Ὑλοβίους nuncupat [55]. Quapropter haud immerito jure miraberis quomodo Hervetus ex iis duabus variis lectionibus primam tantum, minime vero secundam viderit, nihilque de Allobiis se alibi legisse fateatur. Si Strabonis etenim libros accuratius pervolutasset, intellexisset utique eosdem esse Allobios, qui ab illo Hylobii cognominantur.

Quamnam vero vivendi philosophandique rationem secuti sint Brachmanes, auctor noster alibi ex Alexandri Polyhistoris *De rebus Indicis* libro sic enarrat [56] : « Brachmanes quidem certe neque animatum comedunt, neque vinum bibunt; sed aliqui quidem ex iis quotidie, sicut nos, cibum capiunt; nonnulli autem ex iis tertio quoque die, ut ait Alexander Polyhistor in libro *De rebus Indicis* ; mortem autem contemnunt, et vivere nihili faciunt; credunt enim esse regenerationem. » Præter Porphyrium autem libro *De abstinentia*, et Palladium *De Brachman.*, quædam de illis Bardesanes apud Eusebium [57] et Ammianus libro XXVIII, pag. 510, atque etiam plura Strabo [58], Suidas [59], Huetius [60] et alii litteris consignarunt.

De illis itaque hoc tantummodo adjiciemus, quod adhuc a Clemente nostro memoratur [61] : « Apertissime autem scriptor Megasthenes, qui vixit cum Seleuco Nicatore, scribit in tertio *Rerum Indicarum* : « Omnia quidem quæ de natura dicta sunt a « veteribus, dicuntur etiam ab iis, qui extra Græ« ciam philosophantur, partim quidem apud Indos a « Brachmanis, partim vero in Syria ab iis qui vo« cantur Judæi. » Sed quæ, inquies, habenda Megastheni fides, quam ei de rebus Indicis derogandam esse Strabo asserit [62] ? « Sane quicunque, inquit, de India scripserunt pleraque mentiti sunt, præ reliquis Daimachus, proxime Megasthenes..... Præcipue autem fides Daimacho et Megastheni deroganda. » Verum tametsi ille hanc insignem notam ignominiamque Megastheni inusserit, ipsius tamen testimonium, utpote veritati magis consentaneum, sumere non veretur. Quamobrem idem ille

A Megasthenes ab aliis quamplurimis **270** tanquam testis locuples et optimus citatur ab Athenæo libro quarto *Deipnosoph.*, pag. 153, et libro XI, pag. 494; Æliano libro VIII *De animal.*, cap. 7, et lib. VII, cap. 41; Plinio libro VI *Hist. nat.*, cap. 7, libro VII, cap. 2. et libro VIII, cap. 14; Josepho, et aliis. Videsis Vossium libro I *De Histor. Græc.*, cap. 21, pag. 69, et libro I *De orig. et progres. idololat.*, cap. 25, pag. 95.

Quid vero, inquiet aliquis, de Cyrillo Alexandrino sentiendum, a quo id ipsum, ut paulo ante vidimus, quod Clemens ex Megasthene refert, Aristobulo Peripatetico ascribitur? Quis ex duobus illis verum falsumque dixisse censendus est? Sed quis ea de re aliquid certo pronuntiare audeat? Attamen si quidam in alterutro fuerit memoriæ lapsus, ille dubio procul minus in Clementem, qui auctoris sui locum, quam in Cyrillum, qui nullum omnino indicavit, refundendus videtur. Porro autem ipsamet B Clementis verba ab Eusebio libro IX *Præpar. evang.*, cap. 2, pag. 410, descripta sunt.

Narrat insuper Clemens [63] quomodo Alexander decem Gymnosophistis, a se, dum bellum gereret, captis, totidem singulatim proposuerit quæstiones, et quomodo unusquisque ex illis, proposita sibi quæstione ex tempore soluta, victori regi plenissime satisfecerit. Verum Hervetus nos serio admonet hæc vix apud alium quam apud nostrum Clementem reperiri. Ab aliis tamen, quemadmodum in illius scholiis adnotatum fuit, apud Plutarchum in Alexandri Vita [64] facillime, sicut etiam a nobis inventa sunt.

Quid plura? Idem ipse auctor noster [65] : « Qui autem ex Indis vocantur Σεμνοί, nudi totam vitam transigunt, ii veritatem exercent, et futura prædicunt, et colunt quamdam pyramidem, sub qua existimant alicujus dei ossa reposita. Neque vero Gymnosophistæ, neque Σεμνοί utuntur mulieribus; hoc enim C præter naturam et iniquum esse existimant; qua de causa seipsos castos conservant. Virgines autem sunt etiam mulieres, quæ dicuntur Σεμναί. Videntur autem observare cœlestia, et per eorum significationem quædam futura prædicere. » Cum autem varium, aut saltem duplex, uti ex Clemente nostro vidimus, fuerit Brachmanum seu Brachmanarum genus, et Græcum nomen σεμνὸς idem Latine sonet, atque augustus, gravis, sanctus et reverendus, illud fortasse potius quorumdam Brachmanum, qui duriorem sanctioremque vitam agebant, epithetum videtur, quam nomen proprium. Expende tamen an ii revera dici non possint, quos Strabo Gymnetas appellabat. Ex Brachmanibus enimvero alios ait fuisse Montanos, alios Gymnetas; et alios civiles, ac domesticos [66] : « Gymnetas vero, nudos degere, quod nomine ipsorum significatur, et magna ex parte sub dio tolerantiam, quam diximus, usque ad trigesimum septimum annum exercere; mulieres cum eis vivere, non tamen permisceri, atque hos in admiratione maxima haberi. »

Porro autem de Butta, cujus præceptis plures Indos paruisse Clementem perhibet [67], aliquid jam diximus. Quamobrem quid ille de Anacharsi subnexuerit, audiamus : « Scytha, inquit, erat etiam Anacharsis, qui scribitur Græcorum multis antecellusse philosophis. » Et Strabo quidem hæc de illo posteris prodidit [68] : « At vero qui ante nos, et maxime qui non ita multum post Homeri tempora vixerunt Scythæ, tales et fuerunt, et a Græcis judicati sunt, quales Homerus appellavit..... Eaque de causa Anacharsis, Abaris, aliique nonnulli eorum simu-

[49] Apolog. adv. gent., p. 159. [50] in procem., § 9. [51] l. II De civit., c. 17, p. 369. [52] l. XV, cap. 20, pag. 402. [53] loc. cit. [54] Strom. l. I, p. 303. [55] lib. XV, pag. 713. [56] Strom. l. III, p. 451. [57] lib. VI Præp. evang., c. 10, p. 275, et l. VIII, c. 6, p. 410. [58] l. XV Geogr., p. 712 et 716. [59] ad v. Βραχμᾶνες. [60] Demonst. evang., 96 et seq. [61] Strom. lib. I, p. 305, etc. [62] l. II Geogr., p. 70. [63] Strom. l. VI, p. 634. [64] tom. I, p. 700 et seq. [65] Strom. l. III, p. 451. [66] lib. XV Geograph., p. 719. [67] Strom. l. I, p. 305. [68] l. VII Geogr., p. 301.

Digitized by Google

les apud Græcos in magna fuerunt æstimatione, quod gentilitiam quamdam facilitatis, perfectionis, ac justitiæ notam præ se ferrent. » Rursus vero paulo post [69] : « Ephorus porro Anacharsidem, cui sapientis nomen tribuit, ea de gente fuisse scribit, ac propter perfectionem, temperantiam ac sapientiam unum de septem sapientibus habitum ; et esse ejus inventa fomites, ζώπυρα, ancipitem anchoram, et rotam figuli. » Sed hæc omnia vera non esse eo geographus ille probat, quod rota prius Homero quam Anacharsi nota fuerit. Quapropter Laertius [70] nos commonefacit ab aliquibus, non autem ab omnibus asseri inventam fuisse ab ipso anchoram et rotam figuli. Videsis in hunc locum Menagii et aliorum animadversiones. De eodem porro Anacharsi rursus paulo infra, ubi de septem Græciæ sapientibus disputabimus.

Nostrum interim sequamur Clementem, qui Hellanici auctoritate ostendit [71] Hyperboreos habitasse ultra Riphæos montes; doceri autem ipsos justitiam, non vescentes carnibus, sed arborum fructibus. Ii sexagenarios extra portas ducentes tollunt de medio. » Castigatur a Strabone [72] Herodotus [73], qui nullos Hyperboreos esse opinatus est. Nec immerito quidem, uti ex citatis a Pausania [74] testibus manifestum est. Quapropter Plinius post Pomponium Melam [75] haud hæsitanter tradidit [76] : « Nec libet dubitare de gente ea, cum tot auctores prodant frugum primitias solitos Delon mittere Apollini, quem præcipue colunt. » Plinio more suo subscripsit Solinus, qui præterea ad Clementis nostri propositum addidit [77]: « In diem victum arbores subministrant. » Non minus perspicue Cyrillus Alexandrinus scripsit [78] : « Nonnullos etiam ex Hyperboreis gentibus, quæ ultra Riphæos montes habitant, justitiam colere, ingluviem et edacitatem aversari, ac Sybariticum victum non pati, solo fructuum usu contentos. »

Dubitat porro Hervetus an Clemens cum de illis dixit, « sexagenarios ἀφανίζουσι, » hoc Græco verbo significet sexagenarios ab Hyperboreis interimi, aut tantum de medio tolli et removeri, ita ut amplius non compareant. Utroque enim significatu verbum illud accipi potest. Verum in eum procul dubio scrupulum, hancque dubitationem Hervetus non incidisset, si ab illo lecta fuissent hæc Plinii verba [79] : « Mors nonnisi satietate vitæ epulatis, delibutoque senio luxu, ex quadam rupe in mare salientibus. Hoc genus sepulturæ beatissimum. » Plinii vero interpres et sequester Solinus idem aliis verbis enuntiat [80] : « Mortem accersunt, et voluntario interitu castigant obeundi tarditatem ; quos satietas tenet vitæ, epulati, delibutique, de rupe nota præcipitem casum in maria destinant. Hoc sepulturæ genus optimum arbitrantur. » Ante utrumque porro eadem Pomponius Mela memoriæ mandaverat [81]. Hunc si lubet, consule, atque hoc exemplo aliisque pluribus disce quam merito jure, uti jam notavimus, major Herveti in conscribendis tam longis ac prolixis in Clementis opera commentariis cura et diligentia sæpius desideretur.

Ne debito tamen illum fraudemus honore, ultro fatebimur ab ipso longe accuratius observari [82] in Cæsaris *Commentariis*, atque in edita a Plutarcho ejusdem Cæsaris Vita [83], omnino eadem narrari, ac ea quæ Clemens noster loco ante citato de mulierum apud **271** Germanos vaticinationibus subjunxit. Nobis autem liceat ad ejus observationes adjicere Druidem mulierem in Gallia, teste Vopisco [84], futurum Diocletiano prædixisse Romanæ gentis totiusque orbis imperium. Unde liquet longe post Cæsaris tempora apud Gallos, qui tum fortasse a Germanis distincti non erant, exstitisse adhuc feminas futura prænuntiantes.

Post hæc vero Clemens : « Quidam autem, inquit [85], fabulosius, μυθικώτερον, ex iis, qui Idæi appellantur Dactyli, sapientes quosdam primum exortos esse dicunt, ad quos et Ephesiarum quæ dicuntur litterarum, et eorum, qui sunt in musica, numerorum refertur inventio. Propter quam causam sunt appellati, qui sunt apud musicos, Dactyli. Phryges autem erant et barbari Idæi Dactyli. » Ad Strabonem [86], Cælium Rhodiginum [87] et Polydorum Vergilium [88] Hervetus nos mittit, quorum primus Idæos Dactylos putat Curetas Corybantesque cognominari. Alii vero iisdem Dactylis ferri tribuunt inventionem. Quod autem ii, ut Clemens, Ephesias litteras, musicos numeros et pedes in musica dactylos invenerint, se alibi unquam legisse omnino inficiatur. Ad Erasmum [89] denique nos mittit, ut ab eo quænam essent Ephesiæ litteræ discamus.

Quæ autem Herveti diligentiam fugerunt, ea probari stabilirique possunt hac Diodori Siculi delibata ex Cretensibus historicis de Idæis Dactylis narratione [90] : « Primi, quorum sane memoria ad nos propagata est, Cretæ incolæ ad Idam montem, Idæi Dactyli fuerunt. Quos alii centum numerant, alii tantum quinque, pari scilicet digitorum numero sic appellatos. Nonnulli, inter quos et Ephorus, Idæos Dactylos circa Idam Phrygiæ montem habitasse, et cum Minoe in Europam transiisse memorant. Et cum præstigiatores essent, incantamentis et sacris ritibus mysteriisque operam dedisse, et in Samothracia versantes, non mediocrem insulanis stuporem incussisse. Quo tempore Orpheus, quem excellenti ingenio ad poesim et melodiam natura instruxerat, discipulus horum fuisse, primusque initiorum cæremonias et mysteria in Græciam traduxisse dicitur. Cæterum Idæi Dactyli in Creta, ut tradunt, ignis usum invenerunt, ærisque ac ferri naturam in Berecyntho Antisapteræorum regionis monte indagarunt, ejusque conflandi rationem docuere. »

Quam sane ob causam ipsis, ut ille ait, delati sunt divini honores. Addit vero ludos Olympicos fuisse institutos ab uno ex illis, qui tametsi alius ab Alcmenes filio fuerit, cognominabatur tamen Hercules. « Hujus porro rei, ait, documenta adhuc esse, quod mulieres etiamnum incantationes ab hoc deo mutuantur, et amuleta quædam circumligant, ut qui magus fuerit, et sacras cærimonias tractarit. » Denique Idæos Dactylos distinguit a Curetibus, quos alii terrigenas, alii, quemadmodum etiam Strabo testificatur [91], ab Idæis Dactylis oriundos esse existimarunt. Hæc autem quamvis paulo prolixiora ideo retulimus, quia quæcunque de Idæis Dactylis scripsit Clemens, ea fere omnia ex illa Diodori narratione mirum in modum illustrantur [92].

Primum enim inde liquet illos, sicut idem Diodorus [93] et Clemens noster [94] alibi repetit, non solum fuisse Phryges atque idcirco barbaros ; sed ab ipsis quoque inventum esse ignis et ferri, atque, ut docet Plutarchus [95], æris usum ; quamvis ipse alio in libro scripserit « eorum omnium, quæ ignis operationem recipiunt, » inventionem a nonnullis Vulcano attribui.

Præterea cum Idæi Dactyli præstigiis et incantamentis, ut Plutarchus ait, operam darent, nonne vero videtur simillimum eos litteris quoque usos esse, quas Clemens et alii Ephesias appellant, et

[69] l. VII Geogr., p. 303. [70] l. I in Anach. Vita, § 105. [71] ibid., p. 305. [72] l. I, p. 61 et 62. [73] l. IV, § 3. [74] l. V, p. 154. [75] l. III, c. 5. [76] l. IV, c. 13, p. 473. [77] c. 16. [78] l. IV Contr. Julian., p. 134. [79] loc. cit., p. 472. [80] loc. cit. [81] l. III De situ orb., c. 5. [82] Strom. l. I, p. 305. [83] tom. I, p. 717. [84] in Vita Numeriani. [85] Strom. l. I, p. 306. [86] l. X, c. 12. [87] l. XVII. [88] l. c. 19. [89] Adag., chil. II, cen. 8, adag. 48. [90] l. V Hist., p. 230. [91] l. XX Geogr., p. 473. [92] l. XVII, p. 565. [93] ubi sup., p. 240. [94] loc. cit., et p. 335. [95] in Vita Num., p. 70. tom. II.

Digitized by Google

de quibus supra a nobis fuse disputatum est [96]? Postremo si unus ex illis fuit Orpheus, quid mirum si musici modi ab ipsis excogitati dicantur? Sed ad id probandum conjectura minime opus est, quod expressissimis verbis a Solino asseritur [97]: « Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris, » cujus usum, uti ex Diodoro vidimus, invenisse feruntur, « deprehensos in versificum ordinem transtulissent. » Legendæ porro in hunc Solini locum Salmasii exercitationes, ubi hæc Diomedis grammatici de dactylo pede verba descripsit [98]: « Ab Idæis Dactylis, quos Curetes sive Corybantes poetæ appellant. Hi namque in insula Creta Jovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rhythmica etiam pedis dactyli compositione celavere vocem infantis. » Diodorus tamen a Curetibus, quos, sicut diximus, ab Idæis Dactylis discriminat, armatas saltationes adinventas esse testatur [99]: « Gladii præterea et Cassides, armatæque saltationes horum inventa sunt. Horum frequenti strepitu Saturnum fefellere. » Demum Solini locus transcriptus est a Polydoro Vergilio [1], quem sane quomodo Hervetus, a quo, sicut dictum est, laudatur, non animadverterit, alii nobis edisserant.

Notandum præterea a nobis est ferri inventionem non omnibus Idæis Dactylis, sed eorum duobus Celmi et Damnaneo paulo post a Clemente vindicari [2]: Κέλμις τε αὖ καὶ Δαμναvεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δάκτυλοι, πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ· ὁ δὲ ἄλλος δς εὗρε χαλκοῦ κρᾶσιν, ὡς δὲ Ἡσίοδος Σκύθης. « Celmis et Damnaneus, Idæorum Dactyli, ferrum primi invenerunt in Cypro. Alius autem Idæus ferri, Græce χαλκοῦ (id est æris, non ferri), invenit temperaturam, ut ait Hesiodus Scythes. » Eusebius vero hunc Clementis locum exhibet, ibique scribit [3]: Τέλμις τε καὶ Δαμναμενεύς. At si Phoronidis carminis auctori fides habeatur, secundum nomen melius apud Eusebium, primum vero rectissime apud Clementem repræsentatur.

Porro autem tertii Idæi Dactyli nomen in Clementis editione omissum, in Eusebiana sic legitur, Δέλας δὲ ἄλλος, « Delas alius. » Verum ibi omnino corrupte pro Ἰδαίων et Ἰδαῖος scriptum est Ἰουδαίων et Ἰουδαῖος. Quod ad Delam vero attinet, apud Plinium [4] æris conflandi et temperandi inventum Theophrastus Delæ Phrygi, Aristoteles Lydo Scythæ, ac tandem Herodotus Glaucio Chio asseruit. Postremo animadvertendum est Strabonem, qui non secus ac paulo ante laudatus Diodorus Siculus ferrum ab Idæis Dactylis adinventum esse perhibet, varias retulisse de eorum sicut numero, ita et nominibus opiniones. Ita autem ille [5]: « Sophocles censet quinque primos mares fuisse..... a numero autem Dactylos nomen accepisse. Alii aliter fabulantur, incertis incerta connectentes, diversos et numero et nomine ponentes, Salaminum, Damnaneum, Herculem et Acmonem inter eos referentes. Alii indigenas Idæ, alii inquilinos faciunt. In hoc consentiunt primum ab eis sub Ida ferrum fabricatum, » etc. Et vero jam citatus Phoronidis auctor alia eorum nomina protulit. Videsis Natal. Comitem lib. IX *Mythol.*, cap. 7; **272** Vossium *De origine et progres. idololat.*, lib. II, cap. 55.

Lectorem porro nihil necesse est monitum a nobis fieri Clementem de ferri inventione juxta ethnicorum hominum opinionem esse locutum. Etenim Josephus [6] jure procul dubio longe potiori « æraria » inventionem vindicat Thobelo, seu « Tubalcaim, » qui, uti in Genesis libro legimus [7], « fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri. » Et vero in hujusce opinionis confirmationem illud adduci potest, quod a Noropibus, ut infra dicetur, æris elaborandi et purgandi ferri artem primum excogitatam esse testificetur.

Omnibus porro nota est fabula Chironis centauri, qui, ut postea Clemens memorat [8], ab Hermippo sapiens vocatur, et a *Titanomachiæ* auctore dicitur homines ad justitiam duxisse, « indicatis jusjurandi formulis, deorum sacris et deorum figuris. » Qua de fabula consule, si velis et vacet, Natalem Comit. libro IV *Mytholog.*, cap. 12; Suidam, Hyginum, et alios.

Hyppo autem, seu Hippe, centauri filia, « Cum Æolo, » pergit Clemens [9], « habitans, docuit eum naturæ contemplationem, patriam scientiam; » ac teste etiam Euripide, prima ex siderum ortu et oraculis præsagivit. Nullibi tamen Hervetus se legisse ait Hippen habitasse cum Æolo. Non legerat igitur Cyrilli Alexandrini contra Julianum libros, quorum in quarto et illud, et cætera omnia, quæ Clemens refert, illustrantur confirmanturque [10]: « Quin etiam, inquit, narratur Ἵππην, Chironis centauri filiam, nuptam, συνοικισθεῖσαν, Æolo, naturalem ei philosophiam tradidisse, quam a patre scientiam, ut paternam quamdam hæreditatem acceperat. » Atque ibi Cyrillus eosdem subjungit citatos a Clemente nostro Euripidis versus. Clemens porro verbum συνοικήσασα adhibet, quo non sola cohabitatio et contubernium, sed conjugium quoque significatur. De Hippe autem, et de patre ejus Chirone aliquid adhuc deinceps dicendum erit.

Porro autem a nobis hactenus demonstratum est quibus argumentis Clemens noster planum fecerit scientiam illam, quæ philosophia dicta est, prius apud barbaros, quam apud Græcos philosophos floruisse, ac reipsa fuisse in usu. Jam itaque quid de septem Græciæ sapientibus et illorum philosophandi ratione ille tradiderit expendamus.

ARTICULUS II.

De septem Græciæ sapientibus, et quam variæ fuerint de illis eorumque numero, ac potissimum de septimo opiniones, de quibusdam Pherecydis sententiis, et de illius theologia.

Nihil magis vulgare et pervagatum quam septem, ut aiunt, fuisse Græciæ sapientes. At magna tamen de illis, ait Laertius [11], ac de illorum etiam numero discordia est. Majori autem contentionis æstu de septimo disceptatur. Clemens vero de illis ita pronuntiat [12]: « Dicunt Græci in admiratione fuisse habitos propter sapientiam primos septem, qui cognominati fuerunt sapientes: quorum quatuor quidem fuerunt ex Asia, Thales Milesius, et Bias Prienæus, et Pittacus Mitylenæus, et Cleobulus Lindius; duo autem ex Europa, Solon Atheniensis, et Chilo Lacedæmonius; septimum autem alii quidem dicunt esse Periandrum Corinthium, alii vero Anacharsim Scytham, alii vero Epimenidem Cretensem, quem Græcum prophetam novit Paulus..... Alii autem Acusilaum Argivum in septem sapientum numerum retulerunt; alii autem Pherecydem Syrium; Plato autem pro Periandro, tanquam sapientia indigno, propterea quod fuerit tyrannus, ponit Mysonem Chenæum. » Verum Laertius non tantum de illo septimo varias fuisse opiniones tradidit, sed etiam plures de illis, imo et septemdecim seu potius sexdecim a nonnullis computari. Hic porro verba illius, etiamsi paulo

[96] sup. cap. 14, art. 4. [97] Polyhist. c. 30, p. 11. [98] loc cit., 171. [99] l. VI, p. 231. [1] l. II De invent. rer., c. 14. [2] Strom. l. I, p. 307. [3] l. X Præp. evang., c. 6, p. 473. [4] l. VII Hist. nat., c. 56, p. 97. [5] l. X, p. 473. [6] l. I Antiq. Judaic., c. 3. [7] Gen. IV, 22. [8] Strom. l. II, p. 306. [9] ibid. [10] l. IV Contr. Julian., p. 134. [11] lib. I De vita et dogm. philos., in Vita Thalet., § 40 et seq. [12] Strom. l. I, p. 299. [13] in proœm. § 13.

Digitized by Google

longiora, ideirco describenda sunt, quia Clementi nostro lucis aliquid possunt afferre. In suo itaque proœmio postquam dixisset [13]: « Sapientes habiti Thales, Solon, Periander, Cleobulus, Chilon, Bias, Pittacus, » addidit: « His annumerant Anacharsim Scytham, Mysonem Cheneum, Pherecydem Syrum, Epimenidemque Cretensem. Addunt nonnulli Pisistratum tyrannum; » illud idem libro primo hunc in modum fusius prosequitur [14]: « Magna de illorum numero discordia est; Leandrius enim pro Cleobulo et Mysone Leophantum Gorsiada, Lebedium seu Ephesium inserit Epimenidemque Cretensem. Plato autem in *Protagora* Mysonem pro Periandro; Euphorus pro Mysone ponit Anacharsim; alii Pythagoram adjiciunt. Porro Dicæarchus quatuor nobis consensu omnium sapientes tradit, Thalem, Biantem, Pittacum, atque Solonem; tum sex alios nominat, quorum ex numero tres elegerit, Aristodemum scilicet, Pamphilum, Chilonem Lacedæmonium, Cleobulum, Anacharsim et Periandrum. Addunt quidam Acusilaum, Cabam, sive Scabram Argivum. Hermippus autem in libro *De sapientibus* decem et septem fuisse tradit, quorum ex numero septem illos alii aliter eligunt. Primo loco ponit Solonem, tum Thalem, Pittacum, Biantem, Chilonem, Cleobulum, Periandrum, Anacharsim, Acusilaum, Epimenidem, Leophantum, Pherecydem, Aristodemum, Pythagoram, Lasum Charmantidæ seu Sisymbrini, sicut Aristoxenus tradit, Chabrini filium, Hermioneum, Anaxagoram. Enimvero Hypobotus in *Descriptione philosophorum* hanc illorum seriem exponit, primo Orpheum, deinde Linum, tum Solonem, Periandrum, Anacharsim, Cleobulum, Mysonem, Thalem, Biantem, Pittacum, Epicharmum, et extremo loco Pythagoram. » Vides sane de his Græciæ sapientibus eorumque numero tot olim pene fuisse sensus quot capita.

Plura autem alia de illis veterum testimonia huc congerere possumus: sed unum duntaxat, ex Pausania desumptum, subjunxisse sufficiat [15]: « Præ Delphici, inquit, templi foribus leguntur perutilia vitæ hominum documenta, ab iis hominibus conscripta, quos Græci sapientes appellarunt. Fuerunt illi ex Ionia Thales Milesius, et Prienensis Bias; ex Æolica vero natione, e Lesbo insula Pittacus Mitylenæus; ex iis, qui in Asia sunt, Doriensibus Cleobulus Lindius, Atheniensis præterea Solon, et Spartanus Chilon; septimum Plato Aristonis filius pro Periandro Cypsesi filio enumerat Chenensem Mysonem. » Citatus autem a Pausania et a Clemente nostro Platonis locus in illius *Protagora*, ut recte Laertius animadvertit, his verbis legitur: « Ex illorum hominum genere erat Thales Milesius, et Pittacus Mitylenæus, et Bias Prienensis, et noster Solon, et Cleobulus Lindius, et Myso Chenensis; inter illos autem septimus Chilo Lacedæmonius annumeratur. » In sua tamen ad Dionysium epistola scripsit Periandrum solitum esse huic sapientum numero ascribi; **273** sed ejus procul dubio nomen, propter ipsius, ut ait Clemens, tyrannidem ex hoc illustrium virorum catalogo postea expunxit delevitque.

Anacharsis autem in eorum numero repositus legitur a Nicolao, cujus hæc sunt apud Stobæum verba [16]: « Ex horum (apud Scythas) Galactophagorum numero etiam Anacharsis fuit, existimatus unus e septem sapientibus, qui in Græciam profectus est, ut aliarum gentium leges exploraret. » His plane consentanea apud Cyrillum Alexandrinum ita exhibentur [17]: « Scytha genere ipse quoque Anacharsis erat. Tanta autem apud Græcos in admiratione sapientiæ fuit, ut nonnulli septem sapientum numero ascribendum illum putaverint. »

Porro autem hæc Anacharsidis sententia a Clemente memoratur [18]: « Mihi omnes Græci Scythæ sunt. Is autem erat, qui apud Græcos in admiratione est habitus, qui dixit: Mihi indumentum est χλαῖνα, læna, cœna lac et caseus. » Plures Anacharsidis, sed non omnes sententias collegit Laertius in illius Vita [19]; quippe qui non solum hanc prætermiserit, sed illam quoque, qua cuidam per convicium Scytham eum appellanti respondit: « Genere, non ingenio et moribus, » aliter ipse huncque in modum retulerit: « Exprobranti sibi Attico, quod Scytha esset; at mihi, ait, dedecori est patria, sed patriæ tu. » Nec mirum ulli esse debet quod ille dixerit lac et caseum, ut ex Clemente nostro audivimus, sibi esse cœnam; quandoquidem jam ex Nicolao observatum est eum fuisse ex gente Scytharum, qui Galactophagi nuncupabantur, « et alimentum solum sibi lac equinum, ut ille ait [20], habent, quod et potant, et confectos inde caseos edunt. » Porro autem χλαῖνα erat vestis, seu penula villosa, de qua Pollucem consule [21].

Testatum præterea Clemens facit [22] Heraclitii σκοτεινοῦ, obscuri et tenebricosi, libro similem fuisse Pherecydis Syri theologiam, atque ex prophetia Chami desumpta esse quæcunque ab illo allegorice dicta sunt. Theologiæ etenim suæ obscuritatem ipse Pherecydes Thaleti declarat in ea, quæ ad ipsum ejus nomine fertur, epistola, cujus Græca verba Latine sic reddenda esse Casaubonus putavit [23]: « Quæcunque leges ad deos pertinentia, allegorice sunt intelligenda, omnia enim scripta sunt ænigmatice. » Alii vero ea sic Latina fecerant: « Forte quædam de theologia reservavi, cætera intelligere oportet; omnia quippe indico potius, quam aperio. » Nos quidem non fugit hanc epistolam plurimis spuriam et adulterinam videri. Sed ex ea tamen probatur Pherecydis obscurum dicendi genus, de quo plura Salmasius in suis ad Solinum pag. 842 et 843 exercitationibus, et a nobis nonnihil alibi perstrictum est [24].

De illis porro Græciæ sapientibus videsis Laertium qui eorum vitas conscripsit, Porphyrium a Cyrillo Alexandrino citatum lib. I *Contra Julian.*, pag. 28; Valerium Maxim. lib. IV, cap. 1, § antepenult.; Augustinum lib. XVIII *De civitat.* cap. 35, et varias eruditorum virorum in Laertium et Augustinum animadversiones. Lege præterea Plutarchi librum *De septem sapientum convivio*, tom. II, pag. 146 et seqq., et tom. I in Vita Solonis, pag. 84; Ausonii *ludum septem sapientum*; Tatianum *Orat. ad Græcos*, Theophilum lib. III; Joach. Stephan. lib. *De Jurisdict. veter. Græc.*, cap. 1 et seqq., atque Meursium lib. *De vita, legibus*, etc., *Solonis*, cap. 5.

ARTICULUS III.

Quomodo septem Græciæ sapientes dici possint recentiores Moyse, et tribus primis philosophorum Græcorum sectis antiquiores.

Septem illos Græciæ sapientes Moysis ætate posteriores, sed tribus illis celeberrimis et antiquissimis, de quibus a nobis superius dictum est, philosophorum sectis et successionibus fuisse vetustiores, affirmate Clemens pronuntiat [25].

[13] in proœm. § 13. [14] lib. I in Vita Thalet., § 41 et 42. [15] l. X, p. 340. [16] serm. 5, p. 69. [17] lib. IV contr. Julian., pag. 133. [18] l. I, p. 308. [19] lib. I, § 103 et seqq. [20] serm. 5, pag. 69. [21] l. VII, c. 13. [22] Strom. l. V, p. 571, et lib. VI, p. 642. [23] l. I in Vita Pherec., § 122. [24] l. II, p. 574. [25] Strom. l. I, p. 299, 300.

Digitized by Google

Moyse autem illos esse recentiores nemo est qui dubitet, et id quidem de illis disertissime a Tatiano [26], non secus atque de Lycurgo, aliisque legumlatoribus, a Theophilo Antiocheno [27] aliisque chronologiæ scriptoribus probatur. Et hoc quidem ex infra dicendis adhuc patebit.

Longe ergo explicatu difficilius est, quomodo septem illi sapientes dici possint trium philosophicarum sectarum, Ionicæ, Italicæ et Eleaticæ ætate superiores; quandoquidem Thales Milesius, cæteris antiquior, Ionicæ scholæ et familiæ auctor fuit et princeps. Quamobrem quid de eorum tempore auctor noster statuerit, examinandum est. At ille Thalètis ætatem atque ex ea aliorum tempus sic consignat [28]: « Thales ex Græcorum sapientibus antiquissimus, fuit circa quinquagesimam Olympiadem. Qui autem cum Thalete connumerati sunt sapientes, fuerunt eodem tempore, ut ait Andron in *Tripode*. » Atque inde eruditissimus auctor noster illos prima Olympiade, ac Salomonis, et a fortiori Moysis, ævo longe posteriores esse colligit. Nos autem de hac Thaletis ætate jam disseruimus. Quocirca Clemens postea adhuc scribit: Post Orpheum, Musæum et Homerum, « longe fuerunt recentiores Lycurgus, et Solon, et septem sapientes, et Syrius Pherecydes, et magnus Pythagoras, qui longe fuerunt inferius circa Olympiades. » Hæc autem et superiora Clementis nostri, atque etiam Tatiani a nobis superius laudati, verba Eusebius non solum exhibet [29], sed illius quoque sententiam Græcorum ipsorum testimonio, quo certe nullum aliud firmius luculentiusque desiderari potest, invictissime asserit et confirmat [30].

De Solonis autem tempore ita Clemens nominatim decernit [31]: « Solonis æmulator fuisse scribitur Mnesiphilus, cum quo versatus est Themistocles. Floruit Solon quadragesima sexta Olympiade. Heraclitus enim Bausonis filius persuasit Melancomæ tyranno ut deponeret tyrannidem. Hic despexit regem Darium adhortantem ut veniret ad Persas. » Post hæc vero observat Heraclitum esse recentiorem Pythagora, utpote cujus in scriptis suis meminit [32]. Non ita tamen asseveranter de Solonis ætate Laertius his verbis statuisse legitur [33]: « Floruit maxime, inquit, circa quadragesimam sextam Olympiadem, cujus tertio anno princeps Atheniensium fuit Sosicrates; quo etiam tempore leges eis dedit; obiit autem in Cypro ætatis suæ anno octogesimo. » Verum Eusebius ad secundum ejusdem Olympiadis annum scribit [34]: « Solon Draconis legibus antiquatis, extra eas, quæ ad sanguinem pertinebant, sua jura constituit. » Suidas autem subsequentem Olympiadem ei assignat; Tatianus vero [35] solam quadragesimam; sed ab ejus textu numerum senarium excidisse quidam suspicantur. At Cyrillus Alexandrinus Eusebio palam suffragatus est [36]. Denique ut alios veteres recentioresque **274** chronographos prætereamus, Aulus Gellius narrat [37] latas a Solone leges trigesimo tertio Tarquinii Prisci, Romæ regnantis, anno. Sed ibi Meursius legendum putat anno regni ejus 22 [38]. Quod tamen aliis probatum non fuit. Videsis eumdem Meursium, lib. *De vita, legibus*, etc., *Solonis*, cap. 73.

Heracliti autem Blysonis, sive, ut aliis placet, Blosonis, vel Blautonis, seu potius Blysonis filii, qui a Clemente nostro citatur, ætatem his Laertius verbis designat [39]: « Heraclitus Blysonis, sive, ut quidam volunt, Heraciontis filius, Ephesius circa nonam et sexagesimam Olympiadem clarus est habitus. » Tum postea ille nobis Darii ad Heraclitum, ac vicissim Heracliti ad Darium epistolam exhibet. Quod quidem Clementis nostri dictis consentaneum esse nemo est qui non videat. Unde Suidas de eodem Heraclito: « Vixit sexagesima nona Olympiade, sub Dario Hystaspis filio, » annis scilicet triginta sex post Pythagoram, qui Olympiade sexagesima florere inceperat. Eusebius autem [40] Heracliti tempus ad septuagesimæ Olympiadis initium rejecit. Deinde vero quatuor post annis: « Pythagoras, inquit, philosophus moritur. » Sed de hac Pythagoræ ætate nos supra.

Nihil prorsus de Mnesiphilo et Melancoma, a Clemente memoratis, sibi occurrisse Hervetus declarat. Quid igitur? Numquid ille non legerat hæc Plutarchi in vita Themistoclis de priore verba [41]: « Credendum illis potius, qui Themistoclem scribunt Mnesephili Phrearii fuisse asseclam. Fuit hic neque orator, neque ex secta philosophorum, quos Physicos nominant; verum eam, quam sapientiam vocabant, quæ scientia erat reipublicæ gerendæ, et prudentia negotiosa amplexus est, et tenuit velut sectam ex successione Solonis; quam sequentes cum artibus confuderunt forensibus, et ab actu rerum trajecerunt meditationem ad verba, unde sophistæ sunt appellati. » Miraberis procul dubio hæc excidisse Herveto, nihilque de iis in Clementis nostri scholiis adnotatum. De Melancoma autem tyranno nihil nobis sicut et aliis hactenus succurrit.

Jam porro a nobis petet aliquis cur Clemens primum inter sapientes locum Thaleti, revera philosopho, et Ionicæ, ut diximus, sectæ parenti locum dederit; septem tamen Græciæ sapientes tribus prædictis philosophorum sectis antiquiores fuisse asseveret. Rationem nobis ipsemet suggerere videtur, ubi post absolutum de illis sapientibus sermonem confestim addidit [42]: « Tandem autem Pythagoras, Pherecydis familiaris, se ipsum primus appellavit philosophum. » Ante Pythagoram igitur, quem Græcis sapientibus recentiorem esse constat, cum nemo philosophi nomen assumpserit, haud plane immerito Clemens eosdem Græciæ sapientes ante philosophos floruisse affirmat. Nobis tamen si fidem habere renuas, velisque testem non omnino incertum tibi proferri, en præsto est Eusebius [43], a quo et illud, et ea quæ de iisdem sapientibus Clemens noster disputat, mirum plane in modum confirmantur. Audi, quæso, illius verba: « Et vero Græci fatentur ipsi post Orpheum, Linum, ac Musæum... viros illos omnino septem philosophiæ in Græcia laude claruerunt, quos ipsi quoque sapientes nominarint. Atqui Cyro Persis imperante, floruerunt omnes, quo tempore prophetarum apud Hebræos omnium novissimi exstitere, annis post Trojana quidem tempora amplius sexcentis, post Moysem vero non paucioribus mille ac quingentis, ut facile tibi paulo post ex temporum ratione serieque constabit. Cæterum eo circiter ævo, cum recentiores isti septem sapientes emersissent, humanioris quidem et castigatioris disciplinæ magistri fuisse perhibentur; sed tamen præter celebres quasdam eruditasque sententias nihil admodum reliquerunt. At longe serius philosophorum in Græcia vigere nomen ac prædicari cœpit. Horum princeps ille Pythagoras, Pherecydis ante discipulus, a quo philosophiæ nomen inventum est. »

ARTICULUS IV.

Quæ fuerit Græciæ sapientum philosophandi ratio, et de quibusdam eorum effatis et sententiis.

Qualis fuerit horum Græciæ sapientum philoso-

[26] in fin. Orat. cont. Græc., p. 174. [27] l. III ad Autolyc., p. 133. [28] Strom. lib. I, p. 332. [29] lib. I Præp. evang., c. 11 et 12. [30] eod. l. c. 4, p. 470. [31] Strom. lib. I, p. 302. [32] ibid., p. 332. [33] lib. I in Vita Solon., § 62. [34] in Chron. [35] in fine Orat. ad Græc., pag. 174. [36] lib. I contra Julian., pag. 12. [37] lib. XVII Noct. Attic., c. 20. [38] l. I De archont. Athen. c. 12. [39] l. IX, § 1. [40] in Chron. [41] l. I, pag. 15. [42] l. I, p. 300. [43] l. X Præpar. evang., c. 4, p. 470.

Digitized by Google

phandi modus et ratio, ex Eusebio quidem audivimus. Sed Clemens illam, quam ab Hebræis et barbaris deliḃatam esse ostendit, apertius explicat, docetque ipsam fuisse Hebraicam atque ænigmaticam: « Brevitatem » quippe, ut ille loquitur [45], amplectebantur, quæ est admonitoria et quæ utilissima. » Et id quidem ille testimonio probat Platonis, cujus cum neque librum neque verba citaverit, hic describenda sunt [46] : « Illi omnes, » nimirum Græciæ sapientes, æmuli, inquit Plato, studiosi, et quasi amatores fuerunt Lacedæmoniæ eruditionis, in cujus etiam disciplinam sese tradiderunt, illiusque hujusmodi rationem exstitisse perspicuum est cuilibet ex brevibus illis dictis et illustri memoria dignis, quæ illorum nominibus circumferuntur. Illi cum communiter convenissent, communi sententia suæ illius sapientiæ primitias Apollini Delphico consecrarunt, quæ templo Delphico inscriptæ, omnibus vocibus celebrantur: *Nosce te ipsum*, et, *Ne quid nimis*. Hæc nimirum hac de causa dico, quoniam antiqua fuit illa philosophandi ratio, ut magna sermonis brevitate uterentur. »

Breves porro et eruditas plerasque illas sapientum sententias nobis Clemens exhibet [47], atque ab illa orditur celeberrima, *Nosce teipsum*, quam quidam Chiloni, Chamelæo autem Thaleti, et Aristoteles Pythiæ tribuerunt. Laertius [47] eam quidem Thaleti ascribit; sed « Antisthenes, inquit, in *Successionibus* ait fuisse Phemonoes, idque sibi usurpasse Chilonem. » De illo effato plura observat Menagius in hunc Laertii locum, nosque olim aliquid in nostris ad Ambrosium adnotationibus [48]. Lege adhuc Stobæum serm. 22, pag. 176, 177 et 184.

Pausanias autem de illo et secundo, quod Clemens deinde memorat, apophthegmate, *Ne quid nimis*, hæc habet [49] : « Illi sane (Græci sapientes), Delphos profecti, celebratas illas hominum sermone sententias Apollini dedicarunt, *Cognosce te ipsum*, et *Ne quid nimis*. » Similiter quoque Plato, qui prioris non semel meminit, in libro *Charmenides* inscripto, de secundo atque etiam de tertio, a Clemente postea citato, hæc scriptis tradidit [50] : « Interpretationum diversitati obnoxia quoque sunt alia elogia, ab aliis postea inscripta : *Ne quid nimis; Sponde, præsto noxa est;* atque ibi de transcriptis a Clemente aliis adagiis disputat, quemadmodum et in *Philebo* et *Menexeno* rursus de secundo [51] : *Ne quid nimis.* **275** Quid vero, quod Plinius tria illa effata Chiloni sic adjudicat [52] ? « Mortales oraculorum societatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis consecrando aureis litteris, quæ sunt hæc: *Nosse se quemque*, et *Nihil nimium capere; Comitemque æris alieni esse miseriam.* » Hoc enim ultimum idem est, ac *Sponde, noxa præsto est*, quod Laertius a Chilone sic pronuntiatum perhibet [53] : « Sponsioni non deesse jacturam; » ubi legesis Menagii observationes. A Plutarcho etiam tria illa effata ita simul exhibentur [54] : « In admiratione etiam de priscis sunt breviloquentes, et templo Apollinis Pythii non *Iliadem*, aut *Odysseam*, neque Pindari *Pæanes* inscripsere Amphictyones; sed *Nosce te ipsum*, *Ne quid nimis*, *Sponde*, *præsto noxa*, admirati gravitatem tenuis sermonis in tanta brevitate sensum, quasi malleo ductum concludentis » Et vero Laertius [55] ubi has similesque sententias pluA ribus adjudicari animadvertit, monitos nos quoque facit secundam et tertiam Chiloni adjudicatam fuisse. Ibi porro plurima more suo Menagium proferentem adire poteris. Homericum porro carmen a Clemente nostro ibidem citatum reperies, *Odyss.* VIII, p. 106. Illius autem Latina versio in ultimis horumce *Stromatum* editionibus typographorum haud dubie lapsu prætermissa est. De tribus autem illis sententiis consule, si velis, Stobæum serm. 3, p. 45; Sidonium Apollinarem carm. 15; Ausonium *Lud. septem sapientum*, Erasmum *Adag.* chiliad. 1, centur. 6, proverb. 93, 96 et 97, etc.

Tum deinde Clemens [56] : « Didymus id censet esse Solonis, sicut et Cleobuli : *Modus optimus.* » Laertius vero et Stobæus [57] hoc pronuntiatum soli Cleobulo vindicant, quemadmodum et Sidonius Apollinaris carm. 15, v. 45 :

Lindie tu Cleobule jubes : Modus optimus ut sit.

B Ausonius quoque *Lud. sept. sapient.* :

Ἄριστον μέτρον esse dixit Lindius
Cleobulus, hoc est : Optimus cunctis modus.

Observat post hæc auctor noster hanc sententiam [58] : « Omnes homines mali, vel plurimi homines mali, » Bianti a Sotade Byzantino fuisse attributam. Nec forsitan plane immerito. Nam Laertius in ejusdem Biantis vita scribit illum cuidam respondisse [59] : « Ita amandum, quasi odio simus habituri; malos enim esse plurimos. » Primam hujus sententiæ de amore et odio partem etiamsi ab Aristotele eidem Bianti tribuatur; contendit tamen Cicero [60] illam non tam sapientis hujus esse viri : « Sed impuri cujusdam, et ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam revocantis. » Secundam vero partem Stobæus [61] Ausonius et Sidonius Apollinaris locis citatis ipsimet Bianti adjudicant.

C Periandro autem ascriptum fuit, uti Clemens addidit, hoc effatum : Μελέτη πάντα καθαίρει· quod Hervetus interpretatur [62] : « Omnia vincit diligens meditatio. » At paulo aliter hoc refert Laertius : « Ipsius est et hoc Μελέτη τὸ πᾶν, » totidemque verbis ab Ausonio describitur; a Stobæo autem Μελέτα τὸ πᾶν. Laertii porro interpres Græcum verbum Μελέτη, quod alii atque etiam Sidonius Apollinaris meditationem, ille exercitationem reddere maluit [63]. Et vero hæc Græca vox utrumque significat. Quamobrem ultimam interpretationem priori si anteponas, haud ægre concedes inde non procul recessisse Maronem, cum cecinit [64] :

..... Labor omnia vincit
Improbus.....

Cæterum Hervetum procul dubio miraberis, qui has duas posteriores sententias non alibi quam apud Clementem nostrum se legisse palam profitetur.

D Præterea docet Clemens [65] Pittacum communi sermone hujus proverbii, *Nosce tempus*, dici auctorem. Eodem plane modo Laertius illud eidem Pittaco, non secus atque laudati a nobis poetæ Ausonius et Sidonius Apollinaris adjudicarunt. Multa hanc in rem congerit Erasmus, quem quivis facile consulere poterit [66].

Denique Meursius præclarissima Solonis dicta et effata ex variis auctoribus collecta repræsentat [67].

[45] Strom. l. I, p. 299. [46] Plato t. II in Protag., p. 343. [47] Strom. l. I, pag. 300. [47] in Vita Thalet., l. I, § 40. [48] Ambr. serm. 2 in psal. CXVIII, p. 985. [49] l. X, p. 340. [50] Plato, t. II in Philebo, p. 48, l. I Alcibiad., p. 129 et seq., t. III in Phæd. p. 229. [51] t. II l. Charmen., p. 64. In Philebo, p. 47, et Menex., p. 247. [52] l. VII Hist. nat., c. 32, p. 55. [53] l. I in Vita Chilon., § 73. [54] tom. II l. De garrul., p. 511. [55] l. I in Vita Thalet., § 41, et in Vita Chilon., § 73. [56] ibid. [57] Laert. l. I in Vita Cleobuli, § 93; Stob., serm. 3, p. 44. [58] ibid. [59] Laert., ibid., § 87. [60] l. De amicitia, p. 427. [61] serm. 3, p. 46. [62] Strom. lib. I, p. 300. [63] Laert., ibid., in Vita Periand., § 99; Auson., loc. cit. Stob. serm. 3, p. 46; Sidon., carm. 15. [64] Virgil. I Georg., v. 145. [65] ibid. [66] Laert. l. II in Vita Pittaci, § 79; Auson. et Sidon. Apol. loc. cit.; Erasm., chil. I, centur. 2, chil. VII, adag. 70, p. 281. [67] l. De Solon. vita, legib., etc., c. 29.

Digitized by Google

CAPUT XX.

De ethnicis legislatoribus et vatibus

ARTICULUS I.

De ethnicis legislatoribus Solone, Pittaco, Praxiphane, Minoe, Zaleuco, ac quomodo hi tres legislatores primi dici potuerint. De Cerere, Lycurgo, Draconе, Pythagora et Epicuro.

Ex septem Græciæ sapientibus duos Clemens commemorat [68], Solonem et Pittacum, quorum unus Atheniensibus, alter Mitylenæis leges tulit. De Solone autem res omnibus nota est, patetque ex Laertio, Plutarcho et Meursio, qui vitæ illius historiam ediderunt [69]. Nec minus id de Pittaco constat, de quo Laertius in ejus Vita [70] : « Fecit ad sexcentos elegos versus, et soluta oratione de legibus ad cives. » Quem in locum legesis Menagii observationes.

Narrat alibi Clemens : « Quod Pittacus ille rex Mitylenæorum moluit [71], eo tanquam efficaci utens exercitio. ἐνεργῷ γυμνασίῳ χρώμενος. » Ut magnam nobis Hervetus de plurimarum, quæ Clemens scripsit, rerum ignoratione admirationem sæpius movit, ita hic in maximam nos traducit, cum aperte declarat se quod Pittacus moluerit nullibi legisse. Obvia enim omnibus sunt, et cuilibet etiam tardiori sua, ut ita dicam, sponte sese offerunt, hæc in ejusdem Pittaci vita, quam præ cæteris omnibus legere debebat, Laertii verba [72] : Τούτῳ γυμνάσιον σῖτον ἀλεῖν, ὥς φησι Κλεάρχος ὁ φιλόσοφος· « Huic exercitium fuit molendi tritici, ut Clearchus philosophus testatur. » Neque inventu multo difficilior Herveto fuit hic Plutarchi de eodem Pittaco sermo [73] : « Thales jocans probe facere Epimenidem dixit, qui molendo coquendoque cibos molestias sibi ipsi facere nollet, quod Pittaco usu veniret; se enim cum in Lesbum venisset, audivisse hospitam sic cantare ad pistrinum: Ἄλει, μύλα, ἄλει, καὶ γὰρ Πιττακὸς ἄλει, μεγάλας Μιτυλήνας βασιλεύων. « Mole, pistrinum, mole; nam et Pittacus molit rex magnæ Mitylenæ. »

In legislatorum porro mentionem quandoquidem incidimus, non abs re erit ex more nostro expendere quæ de aliis Clemens memoriæ prodidit [74]. Hæc autem ille de primis legislatoribus : « Zaleucus, inquit, Locrus primus scribitur leges tulisse. Alii autem dicunt Minoem filium Jovis, Lyncei tempore : is fuit post Danaum decima (in Græco textu habetur ἑνδεκάτη, undecima) generatione ab Inacho et Moyse. » **276** Hervetus qui in Græco textu pro Μίνῳ τοῦ Διὸς ἐπί, legerat Μίνωτον Διοσεπί, Latine vertit « Minotum filium Diosepi, » atque in commentariis suis omnino negat se de hoc Minoto uspiam legisse aliquid. Nihil sane mirum, cum hæc nomina et verba omnino præpostere in manuscriptis codicibus scripta fabricataque fuerint. At de Minoe Tatianus [75] eadem omnino ac Clemens noster, hunc in modum narravit : « Minos, qui omni genere sapientiæ excellere visus est, et ingenio clarus, et legalibus latis, sub Lynceo, qui post Danaum regnavit, undecima post Inachum ætate floruit. » Ante utrumque vero Diodorus Siculus [76] : « Ab hoc, inquit, non paucæ, aiunt, Cretensibus leges sunt latæ, dum a Jove patre, ad colloquium ipsius in speluncam quadam venire solito acceptas illas fingit. » De hoc Minois cum Jove ad leges accipiendas colloquio Plutarchus et Strabo, a nobis mox citandi, disputant. Eusebius porro [77] dicit eum anno 801 leges et jura constituisse.

Quis autem sit Praxiphanes, dictu longe difficilius. Etenim quibusnam gentibus leges ille sanciverit, tacet Clemens, patriam patremque ejus indicasse contentus. At expende, quæso, an ille ipse dici non possit, qui a Strabone viris politicis et litteratis ita ascribitur [78] : « Viros memorabiles tulit Rhodus..... civiles, et in litteris ac philosophia versatos, cum ipsum Panætium, tum Stratoclem, Andronicum Peripateticum, Leonidam Stoicum, et his priores Praxiphanem, Eudemum, Hieronymum. »

De Zaleuco autem, quem Clemens leges quoque primum scripsisse ibidem perhibet, hæc postea tradidit [79] : « Plato, Ephorus, Chamelæo, Heracleotes in opere *De ebrietate*, et Aristoteles *De republica Locrorum*, Zaleucum Locrum leges a Minerva accepisse litterarum monumentis tradiderunt. » Is porro Pythagoræ discipulus fuit, et a Laertio [80] et Suida legislator dicitur. Legesis Jamblicum in ejusdem *Pythagoræ Vita*. Plures autem latas a Zaleuco leges Diodorus Siculus exhibet [81]. Athenæus vero [82], a quo citatus a Clemente Aristotelis liber alicubi laudatur, scribit ab eodem Zaleuco capite damnatos, quicunque injussu medici nec recuperandæ valetudinis causa vinum biberent. Cujus quidem legis et aliarum mentionem fecit Ælianus [83]. Denique idem Ælianus [84] et Valerius Maximus [85] memoriæ prodiderunt filio ejus adulterii convicto, eum ut legi a se in adulteros utroque oculo privandos instituæ satisfaceret, populi veniam poscentis precibus exoratum, sibi unum et filio unum oculum eruisse.

Verum, inquies, hæc vera, certa claraque esse fateor. Sed urgebis, quomodo Zaleucus a Clemente primus legislator potuit appellari, qui Epboro, apud Strabonem [86] attestante, leges suas ex Cretensium, Laconum et Areopagitarum legibus composuit, edixitque tantummodo pœnarum imponendarum modum et definitionem? Hujusce difficultatis nodus facile procul dubio solvetur, si animum advertas eo tantum sensu Zaleucum, Minoem aliosque, si velis, primos legislatores a Clemente dici, non quod omnium hominum primi leges tulerint; sed quia Zaleucus omnium primus eas Locrensibus, et alii aliis certis quibusdam imposuerint aut civitatibus, aut provinciis, aut nationibus. Et vero Diodorus Siculus testatur [87] alicubi Ægyptios venditasse legum optimarum sanctiones apud se inventas; alibi vero scribit a quibusdam traditum fuisse primas leges a Cerere promulgatas, atque idcirco nomen Thesmophori illi impositum : « Asserunt, inquit, nonnulli leges a Cerere promulgatas esse, quibus homines suum cuique tribuere assuefacerent, et ab hac promulgatione illam Thesmophoron appellari. » Plinius autem [88] paulo magis asseveranter : « Eadem Ceres prima leges dedit; ut alii putavere, Rhadamanthus. » At tandem omnino affirmate Ovidius cecinit [89] :

[68] Strom. l. I, p. 300. [69] Laert. l. I De vitis et dogm. philos., § 45 et seq. Plut. tom. II, p. 78 et seq. Meurs. l. De vita, legib., etc., Solon. [70] Laert. loc. cit., § 79. [71] Pæd. l. III, c.x, p. 242. [72] l. I, § 81. [73] Plut. Conviv. sept. sapient., tom. II, p. 157. [74] Strom. l. I, p. 309. [75] Orat. cont. gent., p. 174. [76] l. V, p. 237. [77] in Chron. [78] Strab. l. XV Geogr., p. 655. [79] ibid., p. 309; Strom. l. I, p. 305. [80] l. VIII, § 16. [81] l. XII Bibl., p. 299. [82] l. VI, p. 264; l. X, p. 429. [83] l. II Var. hist., § 37. [84] l. XIII, § 25. [85] l. VI, c. 5. [86] l. VI Geogr., p. 260. [87] l. I, p. 32 et l. V, p. 232. [88] l. VII Hist. nat. c. 56, p. 94. [89] Metamorph., l. V, fab. 6.

Digitized by Google

Prima Ceres unco glebas dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges; Cereris sunt omnia munus.

Sed hæc non minus falsa sunt, atque a paganis ficta, quam Zaleucum leges a Minerva accepisse. Plutarchus enim de illius aliorumque legislatorum familiari cum Deo colloquio hæc in verba disseruit [90]: « Sed cum his fidem habeamus, quid? Num abnuemus Zaleuco, Minoe, Zoroastre, Numa, Lycurgo, regna moderantibus et constituentibus respublicas, Deum usum familiariter? An vero potius cum his deos dicemus, ut recta suggerant iis et moneant, esse serio congressos; poetis vero et lyricis vibrissantibus, si tamen unquam, per lusum frui..... Sed nec altera fama, quæ de Lycurgo et similibus viris refertur, quidquam habet absurdi, cum ferocem multitudinem et difficilem tractarent, multaque in civitatibus suis novarent, commentos fuisse; ut auctoritatem divinam adhiberent illis ipsis, ad quos ista simulabant, salutarem. » Vides itaque quæ fides habenda sit his, quæ de Lycurgo a paganis tradita Clemens retulit [91]: « Lycurgum scribunt assidue Delphos euntem ad Apollinem leges ab eo accepisse. » Quæ quidem ipse Plutarchus fusius prosequitur [92]. Quapropter de utroque, nimirum Minoe et Lycurgo, hæc Strabo satis aperte et ingenue scripsit [93]: « Minos per novennium, ut Plato dicit, in Jovis antrum descendit, et ab illo præcepta accepit, quæ ad homines afferret. Eodem modo Lycurgus ejus imitator egit. Nam sæpe peregrinans, ea ex Pythia intellexit, quæ Lacedæmoniis imperanda erant. Hæc quam vera fuerint, non disputo. » Prius vero dixerat [94]: « Lycurgus ad condendum leges se contulit, ad deum, qui apud Delphos est, commeans, indeque mandata asportans, sicut Minos ex antro Jovis se afferre prætendit, » etc.

Quorsum ergo, inquies, has similesque fabulas serio nobis Clemens referre et repetere non veretur? Scilicet ut paganos suismet telis et armis confoderet, vinceret et expugnaret. Ex his enimvero, quæ plerique illi omnes vera esse existimabant, planissimum ipse facit ipsos fidem derogare iis non posse, quæ cum a Judæis tum a Christianis de Moyse Christoque Domino, divinisque eorum institutis verissime docebantur.

Post hæc autem ita Clemens pergit [95]: « Lycurgus multis annis post Trojam captam, qui fuit centum et quinquaginta annis ante Olympiades, tulit leges Lacedæmoniis. Draco autem, qui ipse fuit legislator, invenitur fuisse circa trigesimam nonam Olympiadem. » Nihil de Lycurgi ætate certum esse Plutarchus putavit, variasque refert de illa veterum scriptorum opiniones [96]. Attamen Tatianus [97] eamdem Lycurgi, quemadmodum Draconis ætatem, et postea Suidas ita assignant: « Lycurgus multo post Ilii captivitatem, natus annis centum ante Olympiades; Draco autem circa trigesimam nonam Olympiadem **277** nascitur. » Quinquaginta igitur annis ille Lycurgum juniorem, quam Clemens noster, arbitratus est. Eusebius autem in *Chronico* ad annum 1154: « Lycurgus insignis habetur; » ad annum vero 1196: « Lycurgus Lacedæmoniis jura composuit; » et ad annum 1128: « Lycurgi leges a Lacedæmone juxta sententiam Apollodori hac ætate susceptæ; » denique ad annum 1240: « Hic constituitur Olympias prima. » Ex quibus liquet a Lycurgi ætate usque ad primam Olympiadem non plures, uti Eusebius opinatur, quam centum profluxisse et sex annos, ac longe pauciores ab eo tempore quo leges Lacedæmoniis condidisse perhibetur. Ad Tatiani autem sententiam recentiores chronographi potius quam ad Clementis accedunt. Verum si nullus sit in Clementis textu error, nemo hac opinionum diversitate moveatur; quandoquidem maxima fuit veterum, teste Plutarcho, de ætate Lycurgi dissensio. Utrique porro tam Clementi quam Tatiano in assignato Draconis tempore subscripsit Petavius [98], quem, si vacat, aliosque chronographos consule.

Huic de legislatoribus sermoni Clemens continenter addidit [99]: « Antilochus autem, qui scripsit de omnibus viris doctis, ὁ τοὺς ἱστορας πραγματευσάμενος, a Pythagoræ ætate usque ad mortem Epicuri, quæ fuit decimo Octobris, complectitur omnes trecentos duodecim ἔτη, annos. » Quæ ultima vox « annos » in operum Clementis editione Græco-Latina typographico errore omissa est.

Ad quid ergo, inquies, ibi illa Pythagoræ Epicurique mentio? Nunquid ideo, quia et ipse Pythagoras « leges, » ut inquit Laertius [1], « Italis dedit, atque cum discipulis clarus habitus est, qui ferme trecenti rempublicam administrabant, ita prudenter, ut ferme ἀριστοκρατία, hoc est, respublica optimorum diceretur? » Recte quidem, si Epicurum leges etiam, vel suæ patriæ, vel quibusdam populis dedisse probaveris. Si vero id probari non possit, sensus Clementis hic esse videtur: Antilochus, qui de omnibus viris doctis scripsit, trecentorum duntaxat et duodecim annorum spatium a Pythagoræ ætate usque ad Epicuri mortem complexus est. Quod quidem ex assignata utriusque ætate a vero colligitur non prorsus esse alienum. Ibi autem illud pro more suo Stromata, id est disjuncta et sæpe sibi invicem non cohærentia scriptitans, ideo inseruit, quia de quorumdam ætate sermonem prius fecerat.

ARTICULUS II.

De ethnicis vatibus, Sonchete, Bacide, tam Bœotio quam Arcade, de Amphileto, Cometa, Cynira, Admeto, Aristæo, Amphiarao, Epigene, Dionysio, Nicia, Calchante, Mopso, et de Batto, qui Mopsi divinationem composuisse dicitur.

Præter philosophos et sapientes, multi apud Græcos fuerunt vates, arioli, fatidici et oraculorum interpretes, atque, ut Clementis nostri verbis utamur [2], χρησμολόγοι συχνοί, « qui multa multis prædixerunt. » Non infimum autem inter eos locum tenuit Sonchetes, qui a Clemente archipropheta Ægyptius et Pythagoræ præceptor fuisse perhibetur. Sed quia de illo jam supra cap. 17, art. 2 et 4, disseruimus, de aliis nunc agendum est, quos Clemens uno eodemque loco nominibus suis singillatim appellat [3]. Primus autem nobis sese offert: « Bacides, unus quidem Bœotius, alter Arcas, Βάκιδες, ὁ μὲν Βοιώτιος, ὁ δὲ Ἀρκάς. » Tres autem ab Æliano [4] distinguuntur Bacides, « primus Græcus, alter Atheniensis, tertius Arcas. » Et magis ad Clementis nostri mentem Philetas apud Suidam narrat [5]: « Unum quidem fuisse ex Eleone Bœotiæ, alterum vero Atheniensem, tertium vero Arcadem, ex urbe Caphia, qui et Cydas et Aletes vocabatur. Theopompus vero in nono *Philippicarum*, cum alia multa de hoc Bacide mirabilia tradit, tum etiam illud, quod olim Lacedæmoniorum uxores furore correptas lustravit, ex oraculo Apollinis, qui hunc lustratorem ipsis dederat. At de primo Pausanias [6]: « Ex Bœotia, inquit, Bacis, quem nympharum instinctu divinasse credunt. » Postea vero [7]: « Hanc barbarorum in Græciam irruptionem prædictam Bacidis oraculis invenias. » Denique prius dixerat [8]: « Hujus Bacidis, quem nympharum afflatu divinasse tradunt, et aliis Græciæ populis edita vaticinia celebrantur. » Ibi porro atque alio in libro fatidica ejus car-

[90] Plut. t. I in Vita Numæ, p. 62. [91] Strom. l. I, p. 307. [92] tom. I in Vita Lycurgi, p. 42, etc. [93] l. XVI Geogr., p. 762. [94] l. X, p. 482, etc. [95] Strom. lib. I, p. 389. [96] in Vita Lycurgi, t. I, p. 39. [97] Orat. cont. Græc., p. 174. [98] Chron. ad an. 4091. [99] ibid., p. 309. [1] l. VIII, § 3. [2] Strom. l. I, p. 333, 304. [3] ibid., p. 333. [4] l. XII, § 33, p. 198. [5] Suid. ad verb. Βάκις. [6] l. X. [7] ibid., p. 30. [8] lib. IV, p. 157, et l. IX, p. 295.

Digitized by Google

mina, quemadmodum et alia, Herodotus scriptis prodidit [9].

Tertius inter vates locus a Clemente datur Amphileto Atheniensi, cujus consilio Pisistratus in tyrannidem eo, quo ille prædixerat, tempore invasit. Certum quidem esse fatetur Hervetus tum a Pisistrato occupatam tyrannidem, cum ostentatis, quæ sibi inflixerat, vulneribus, custodes ab Atheniensibus impetrasset. At negat idem ipse Hervetus se alibi, quantum meminerit, legisse Amphileti consilio factitatum. Nunquid ergo ille non legerat, aut oblitus omnino erat se primum Herodoti legisse librum [10], ubi narrat hac arte et dolo usurpatum quidem a Pisistrato Atheniensium imperium, sed illo semel et iterum amisso et recuperato, tandem post fusum ab Amphileto duobus carminibus vaticinium, tertio in illud invasisse et eo potitum fuisse? Quis autem non videat illuc Clementem collineasse, et in ejus textu, una littera mutata, pro Ἀμφίλυτος, uti apud Herodotum et Platonem [11], corrupte forsitan a librariis Ἀμφίληπτος positum. Videsis Meursium lib. *Pisistratus*, sive *De Pisistrati vita*, etc., cap. 3, 4 et 5. Hujusce porro Pisistrati tyrannidis Pausanias [12] aliique mentionem fecerunt.

Alios deinde vates solo suo nomine Clemens ita appellavit [13]: « Taceatur Cometa Cretensis, Cyniras Cyprius, Admetus Thessalus, Aristæus Cyrenæus, Amphiaraus Atheniensis, Timoxeus Cercyræus, Demænetus Phocensis, Epigenes Thespiensis, Nicias Carystius, Aristo Thessalus, Dionysius Carthaginiensis, Cleophon Corinthius. » Tres primos, Cometam, Cyniram et Admetum, fuisse ariolos et futura prædixisse nullo ex auctore se comperisse dicit Hervetus, atque illos idcirco sibi, ut Clemens jubet, tacendos. A vero autem nunquid ille aberrabit, qui suspicabitur priorem eum esse Cometam, quem Apollonius Rhodius libro I *Argonaut.*, carm. 35 et 36, ac Valerius Flaccus I, v. 356, Argonautis asciscunt? Quid si secundus dicatur esse ille Cinyras, rex Cypri, de quo plura canit Ovidius, et cujus meminere Suidas et Hesychius [14]? Quid autem si is Admetus esse credatur, rex Thessaliæ, cujus, ut in superiori dissertatione dictum a nobis est, armenta Apollo per novem annos pavisse fertur? Utrique enim et nomen et patria a Clemente indicata conveniunt. Sed de his conjecturis aliorum esto judicium.

Hos excipiunt Aristæus Cyrenæus et Amphiaraus Atheniensis. At Diodorus Siculus [15] integram prioris **278** breviter descripsit historiam, ubi patefacit quomodo in deos relatus, et familiari cum Deo colloquio usus, multarum rerum cognitionem perceperit. Quinimo ibi quoque, quod magis ad nostrum institutum spectat, fama pervulgatum ait, ipsum ab Apolline patre suo de sua in Co insulam migratione, habendisque apud Coos honoribus accepisse responsum.

Eodem adhuc in libro Amphiaraum vatem nuncupat, narratque eum præscivisse fore ut in Argivorum contra Thebanos bello interiret [16]. A Pausania autem disces apud Phliasios in postica fori parte fuisse domum, in quam, quemadmodum illi perhibebant, ingressus Amphiaraus, « cum noctem (Pausaniæ verba sunt [17], unam obdormisset, statim divinare cœpit, cum ante indoctus plane fuisset. » Plura qui desiderabit, is Herodotum libro I, § 46 et 49, Ciceronem libro I *De divinatione*, pag. 270, Homerum, Statium aliosque adeat. Porro autem Clemens infra [18] meminit illius, quæ ut diximus, a Diodoro Siculo memoratur, Argivorum adversus Thebas expeditionis et belli. Inde vero ille colligit Amphiaraum esse una generatione Iliaco excidio posteriorem.

Cæteros autem vates a Clemente memoratos aut tacet Hervetus, aut sibi penitus incognitos esse declarat. Epigenes tamen apud Plinium [19] « gravis auctor in primis » audit, ac sideralis scientiæ, quemadmodum Dionysius medicinæ peritus. Attamen huic non ita facile, quam illi, vaticinandi peritia forsitan concedetur.

[20] Niciæ vero vita a Plutarcho publicam in lucem emissa est, atque in illius fine hunc ipsum Niciam multa Atheniensibus prædixisse testificatur. Quod si quis objiciat hunc Niciam Caristium non esse, is alium nobis indicet, qui et Caristius revera fuerit, et vates, atque illico cedimus.

Aristonis porro nomen multi, sicut diximus, prætulerunt, de quibus plura Menagius [21]. Sed Aristonem Thessalum ariolum quis præter Clementem nostrum dixerit, ab illo nullus plane citatur.

Huic vatum choro Clemens inseruit [22] Calchantem et Mopsum, « qui fuerunt, inquit, Trojanis temporibus; antiquior autem Mopsus, ut qui navigaret una cum Argonautis. » Strabo autem [23] ex Hieronymo observat tres fuisse Mopsi nomine appellatos, quorum primus Tiresiæ, ut in Latina versione legitur, filius, et vates, cum in Græco habeatur, ἀπὸ μάντεως τοῦ Τειρεσίου. Secundus Mopsus Lapitha Argonautarum socius. Tertius denique Mopsus, a quo Attica Mopsopiæ appellationem assumpsit. De quo autem Clemens noster loquatur, ex eodem Strabone videamus. Alio itaque in libro hæc scriptis ab eo tradita fuere [24]: « Memoriæ proditum est Calchantem cum Amphilocho Amphiarai filio a Troja pedestri itinere eo venisse; cumque apud Clarum in se meliorem vatem incidisset Mopsum, Mantus filium, quæ Tiresiæ fuit filia, Μόψῳ τῷ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου θυγατρός, præ mœrore vita excessisse. » Fabulam autem ex Hesiodo, Pherecyde aliisque edisserit. Postea vero [25]: « Mallus condita est, inquit, ab Amphilocho et Mopso Apollinis filio ac Mantus, Μόψου τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Μαντοῦς, de quibus multæ ferunntur fabulæ, et facta earum est a nobis mentio, cum de Calchante dissereremus, et lite de divinatione inter Mopsum et Calchantem. » Cum igitur Strabo, quemadmodum Clemens noster, Mopso Calchantem adjungat, inde certe colligitur de iisdem ab utroque, ac proinde de Mopso Apollinis et Mantus filio sermonem institui. Ex quibus obiter animadvertas, quæso, corruptum videri priorem Strabonis locum, atque ex posteriori ita corrigendum, ἀπὸ Μόψου τοῦ Μαντοῦς Τειρεσίου. Sed hæc quasi per transennam.

Ad propositum autem nostrum recte Cicero [26]: « Calchantem et augurem scribit Homerus (ita Orator loquitur) longe optimum, eumque ducem classis fuisse; at illum auspiciorum credo scientia non locorum. Amphilochus et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed iidem augures, iique urbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt. » Citatus autem ab eo Homeri locus occurrit paulo post initium *Iliad.* I, pag. 6:

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ἤδη τὰ τ' ἐόντα, τὰ τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,
Καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω.

[9] Herodot. l. VIII, § 20, 77, 96. [10] l. I, § 59 et seq. [11] Herod. loc. cit., Plat. in Theag. [12] l. I, p. 3 et 20. [13] ibid., p. 333. [14] Ovid. Metam., l. X, fab. 9. Suid. ad verb. Κινύρα. [15] l. IV, Bibl., p. 195, 196. [16] Id. ibid., p. 186. [17] l. II, p. 56. [18] Ibid., p. 334. [19] lib. VII Nat. hist., c. 49, 56, p. 77, 94. Idem l. XX, c. 11, p. 41; c. 20, p. 77. l. XXII, c. 22, p. 199; l. XXV, c. 2, p. 376. [20] lib. I Strom., p. 333. [21] in lib. VII Laert., § 164. [22] ibid., p. 333. [23] l. IX Geogr., p. 443. [23*] Idem l. XIV, p. 642 et seq. [24] ibid., p. 675. [25] lib. I De divinat., pag. 270.

Digitized by Google

Calchas Thestorides augurum longe optimus,
Qui sciebat et præsentia, et futura, et præterita,
Et navibus dux fuit Achivorum ad Ilium.

Ex eodem autem Cicerone emendandus est Tertulliani locus [26], ubi Mopsus vates in Sicilia pro Cilicia legitur. Exstat etiamnum in *Ἀνθολογία* [27], seu *Variorum epigrammatum florilegio*, unum in fatidicum Calchantem epigramma.

Porro autem de Mopso hæc narrat Ammianus Marcellinus [28] : « Mopsuestia vatis illius domicilium Mopsi, quem a commilitio Argonautarum, cum aureo vellere direpto, redirent, errore abstractum, delatumque ad Africæ littus, mors repentina consumpsit; et ex eo cespite Punico tecti manes ejus herofici, dolorum varietati medentur, plerumque soapitales. » Sed ibi Valesius auctorem suum nostrumque Clementem idcirco erroris arguit, quod Mopsum Mantus et Apollinis filium Argivum cum Mopso Ampyci et Chloridis filio Titaresio, seu Thessalo confuderint. Ea autem ratione Clementem falsum opinatur, quia dixit Mopsum et Amphilochum floruisse belli Trojani temporibus; Mopsum autem, utpote Argonautarum comitem paulo antiquiorem videri. Sed ubinam id a Clemente scriptum est? Nihil enim de Mopso, præter allata et mox referenda, aliud addidit, nisi istud [29] : « Præter hos autem fuerunt alii. . Mopsus Apollinis filius et Mantus in Pamphylia, et Amphiloehus Amphiarai filius in Cilicia. » At tibi, ut vides, Clemens non de tempore disputat, sed de loco, ubi uterque vaticinatus est.

Verum, inquies, quem primum Clemens appellat Mopsum, cum Argonautis navigasse testatur. At hic non Argivus, et Apollinis Mantusque filius fuit, sed Ampyci, et Thessalus, uti Apollonius Rhodius Hesiodusque cecinerunt. At animum, obsecro, adverte, Mopsum illum a Clemente adjungi Calchanti, quem cum Mopso Apollinis et Mantus filio contendisse ex ipsomet Hesiodo Strabo perhibet. Quid autem vetat, quominus Clemens unius ejusdemque Mopsi duobus in locis fecerit mentionem, idemque haud semel repetiverit? Si tamen illum ibi revera hallucinatum esse ostenderis, emendandum esse ultro fatebimur. Videsis interim de Calchante et Mopso Natal. Comit., lib. IV Mythолog., cap. 10, pag. 353, etc.

Duo insuper de Mopso Clemens subtexuit, quorum primum illud est [30] : « Aiunt Battum Cyrenæum composuisse eam, quæ *Mopsi* dicitur, *divinationem.* » **279** At Valesius in proxime citatum Ammiani Marcellini locum adnotat, in Cyrenaica provincia constructum fuisse Mopsi templum, oraculo celebre, atque hoc ipso de oraculo Clementem esse intelligendum. Quod quidem Tertulliani, a nobis paulo ante citati, testimonio firmare conatus est. Sed neque ille, neque alius Clementis interpres, quis ille sit Battus indicat. Nonne autem is ipse est, qui in Pindari scholiis laudatur ἐν δευτέρῳ Ἀττικῶν ἱστοριῶν, « libro secundo *Atticæ historiæ?* »

Secundo autem Clemens adjecit [31] : « Et Dorotheus in primo libro, qui inscribitur *Pandecta*, refert Mopsum adiisse Halcionem et Coronem. » Quid autem putas ad hunc locum ab Hervetо adnotari? Nobis forsitan non credes, nisi ipsius audias verba. Hæc autem ipsissima sunt : « Quænam sint Alcione et Corone nunquam scriptum me legere memini. » Miraberis procul dubio Hervetо tam parum memori, aut diligenti excidisse illud a Plinio scriptis mandatum [32] : « Maliacus sinus ab incolis dictus, in quo oppida Halcione, » etc. Postea vero : « In Elionum agro sinus Coroneus a Corone. » Neque minus accurate Ptolemæus libro III, cap. 16, et Strabo libro VIII, pagina 340, ubi situm sit illud oppidum, et Pausanias libro IV, pag. 144, cur ita appelletur, manifestum omnibus fecerunt.

ARTICULUS III.

De aliis vatibus a Clemente memoratis, Pythagora, Abari, Aristæa, Epimenide, Zoroastro, Empedocle, Phormione, Polyarato, Empedotimo, de Execesti annulo, de Herme Thebano, Æsculapio Memphitano, Heleno, Œnone et Breno, de Jamo et Jamitis, de Polyidio, Telemo, Onomacrito, Amphiarao, Theoclymeno, Telmesso, Galeo, Idmone, Amphilochio, Alcmæone, Annania, Aristandro, Orpheo, Orthagora, Gato Julio nepote, et Branchо.

Institutum de vatibus sermonem Clemens sic prosequitur [33] : « Præscientiæ Pythagoras quoque magnus, ὁ μέγας, semper mentem adhibuit. » Ab Hervetо autem id solo probatur Pythagoræ nomine, quod ipsi ideo impositum fuisse fertur, quia vera non minus quam Pythius ipse prædiceret. Fateor equidem hoc in illius Vita Laertium [34] Aristippi testimonio asseruisse : sed Pythagoreum præscientiæ et divinationis studium longe validius, quam nominis etymologia, probari poterat ejusdem Laertii auctoritate [35], hisque illius verbis : « Divinatione ea sola utebatur, quæ fit per vaticinia et auguria, minimum vero ea, quæ fit per ignem, thure tantum excepto. » Alios adhuc testes si quis velit, ad Plutarchum libro quinto *De placit. philosoph.*, cap. 2, pag. 904, Porphyrium apud Eusebium libro I *Præparation. evang.*, cap. 3, pag. 464, et Suidam ad verbum *Πυθαγορᾶ τὰ σύμβολα*, etc.

Secundus vates est Abaris Hyperboreus, Scytha origine, ut notat Suidas, Seuthæ filius, qui Scythica oracula conscripsit, et ut quibusdam placet, Pythagoræ fuit discipulus. Mentionem illius faciunt Herodotus libro IV, § 36, et Diodorus Siculus libro II *Biblioth.*, pag. 92, Vossius *De poet. Græc.*, pagin. 15 et 16, et alii.

Tertius Aristæas Præconnesius, qui, ut Strabonis verba adhibeamus [36], « fuit auctor carminum, quæ Arismapæa dicuntur, præstigiis nemini secundus, et quem nonnulli putabant fuisse Homeri magistrum. Haud infrequens de eo sermo apud varios scriptores, Herodotum libro IV, § 3; Pausaniam libro I, pag. 22, et libro V, pag. 154; Tatianum *Orat. ad Græcos*, pag. 173; Origenem lib. III *contra Celsum*, pag. 449; Aulum Gellium libro IX *Noct. Attic.*, cap. 4. Videsis in eum Oiselii observationes, et Vossium *De histor. Græcis*, libro primo, cap. 6, atque libro IV, pag. 433.

Neque omitti debet Plinius [37], qui non solum de hoc Aristæa, sed etiam de Epimenide, quem postea Clemens appellat, fictitia quædam refert, quæ in vita ipsius a Laertio composita, atque apud Pausaniam, Plutarchum et alios reperies [38].

Quod autem de eodem Clemens noster adjecit Epimenidem Spartam venisse, hoc a se lectum non fuisse Hervetus ingenue confessus est. Sed ab illo legi debebat edita, uti diximus, a Laertio [39] Epimenidis Vita, ubi scribitur corpus ejus a Lacedæmoniis asservari.

Pausanias autem secundo libro [40] seu in *Corinthiacis* scribit quidem : « Ante ædem Minervæ sepulcrum videas, quod esse dicunt Epimenidis; Lacedæmonios enim dum bellarent cum Gnosiis, Epimenidem vivum cepisse; ac deinde cum eum occidissent, quia minime læta prædiceret, sublatum cadaver eo in loco humasse. » Verum tertio

[26] I. De anim., c. 45. [27] l. v, epigr. 8. [28] l. xiv, p. 40. [29] ibid., p. 334. [30] ibid., p. 133. [31] ibid., p. 334. [32] Plin. l. iv, c. 7, p. 427, 445. [33] Strom. lib. i, pag. 334. [34] lib. viii, § 21. [35] l. viii, § 20. [36] Strab. l. xiii Geogr., p. 589 639. [37] l. vii Hist. nat., c. 52, p. 85. [38] Laert. l. i De vita et dogm. philos.; Pausan. l. i, p. 15, Plutarch. tom. II, p. 764. [39] loc. cit., § 113. [40] p. 63.

Digitized by Google

Laconicorum libro[41] magis affirmate hæc pronunciat : « Inter hæc est Epimenidis Cretensis monumentum, et Apharei Perieris filii. Veriora autem existimo, quæ a Lacedæmoniis, quam quæ ab Argivis de Epimenide commemorantur. »

[42] Hunc excipiunt Zoroaster Medus et Empedocles Agrigentinus. At de utroque nos alibi. Hujus autem vitam Laertius[43] publici fecit juris. De subsequentibus autem Phormione, Polyarato et Empedotimo ait Hervetus nihil sibi, quod diceret, occurrisse. Multi autem sunt Phormiones : unus quidem Peripateticus, qui coram Sennibale de imperatoris officio, et de omni re militari copiosius, nec sine illius fastidio perorasse ferebatur[44]. Alius fuit Phormio Asopichi filius, quem Athenienses, soluta omni, quam debebat, pecunia, ut ait Pausanias[45], classi suæ præfecerunt, et cujus victorias Diodorus Siculus[46] celebrat. Tertius ab eodem Pausania memoratur[47] Phormio cæcus, qui per somnium prævidit Erythræos viros, si feminarum capillis funem contexuissent, facile navem, quo vellent, pertracturos. Quod quidem non solum factum fuisse, sed illum etiam videndi facultatem recepisse perhibent. Vates itaque ille fuit, sed Erythræus; Clemens autem de Phormione Lacone loquitur. Alium denique idem Pausanias[48] tradit fuisse Phormionem, revera Spartanum, qui Tindari filiorum domum inhabitavit; sed utrum is vates quoque fuerit, dictu haud facile. Vide igitur num de hoc, aut illo, aut certe de alio aliquo Clemens intelligi debeat.

Porro Suidas cujusdam, sicut ille, mentionem facit Empedotini, qui de physica auscultatione scripserat; sed hunc fuisse vatem quis certo audeat affirmare? Magis tamen rara et longe obscurior Polyarati memoria.

Omnibus itaque longe exploratius illud est, quod de Socratis dæmonio Clemens subjunxit, et de quo nos supra egimus[49]. At de Execesti Phocensium tyranni annulo, quo rerum gerendarum tempus cognoscebat, testem Clemens citat[50] Aristotelem libro *De Phocensium* **280** *republica*. Verum jam a longo tempore hujusce libri jacturam fecimus.

Transit inde Clemens[51] ad alios vates, qui in Ægypto reipsa homines, opinione autem dii fuerunt. Cæteris autem præficitur Ἑρμῆς, *Hermes Thebanus*, quem Hervetus Trismegistum esse existimat. Nec nos quidem negabimus hujic et nomen et patriam, a Clemente assignata, convenire. Sed utrumque non minus etiam cum ultimis duobus ex quinque Mercuriis belle congruit, qui non solum idem nomen, patriamque eamdem habuisse dicuntur, verum etiam, Tullio teste[52], in deorum numerum sunt ascripti. Nonnulli porro censent ultimum esse ipsummet Trismegistum, hosque facile in Herveti sententiam pedibus ituros arbitramur. Plura autem de variis Mercuriis Pausanias passim, ac de Ægyptio Diodorus Siculus libro secundo, pag. decima, atque de hoc et aliis Lil. Gyrald., *Histor. deor.* syntag. 9.

Tres quoque Æsculapios ibidem Cicero, sed tacita tamen eorum patria, distinguit. Opinatus est autem Hervetus eum, quem Clemens loco citato Memphitanum vocat[53], non alium esse, quam qui apud Ciceronem specillum, seu potius specium, hoc est instrumentum chirurgicum quo vulneris altitudo explorari solet, invenisse, primusque vulnus obligavisse fertur. Recte quidem, si aliqua ratione vel auctoritate illud ab eodem Hervete probaretur.

A De Mercuriis jam aliquid dissert. super. cap. I, art. 3, adnotavimus. De Memphi vero plura legere poteris apud Strabonem libro XVII *Geogr.*, pag. 803 et seq.; Herodotum libro II, § 99 et 163, et Plinium cum alibi tum præcipue libro quinto, capite nono, pag. 554.

Post Tiresiam autem et Mantum, de quibus paulo ante diximus, sequitur apud Clementem nostrum[54] Helenus, quode ipso Tullius[55] : « Quid Asiæ, inquit, rex Priamus, nonne et Helenum filium, et Cassandram filiam divinantes habebat, alterum augurii, alteram mentis incitatione divina? » Quamobrem Homerus plura de illo cecinit[56], atque etiam Virgilius, quem de Laocoonte lib. II *Æneidos*, carmine 40 et seq., et rursus carm. 201 et seq., multa canentem audire poteris.

Hervetus porro, qui ejus amores et vaticinium, sed nullo auctore citato, notat, continuo addidit de Breno, Creno, Iacho, Polyidio, et multis aliis, quos B Clemens deinde recenset, vix alibi quidquam posse inveniri. Sic autem prosequitur Clemens noster[57] Οἰνώνη καὶ Βρῆνος ἐν Ἰλίῳ, « OEnone et Brenus in Ilio. » At quidam suspicantur ibi esse quoddam librarii erratum, potiusque legendum Οἰνώνῃ Κεβρένου. hoc est, OEnone Cebreni fluvii filia, de qua Apollodor. lib. II. Verum quia jam ostendimus fuisse Paridis, seu Iliacis temporibus vatem quamdam OEnonem, quis probabilius esse non videat, Clementem non de illa loqui, sed de hac, quæ cum Breno, Laocoonte et Heleno iis temporibus exstitit?

Postea Clemens Crenum introducit inter Heraclidas, de quibus lege Herodotum libro I, § 7; Diodorum Siculum libro IV *Biblioth.*, pag. 181 et 182, atque Eusebium libro V *Præparat. evang.*, capite 20, pag. 210 et 211, et paulisper expende an quem ille *Carnum*, Κάρνον vocat, is ipse dici non possit, qui a Clemente nostro Κρῆνος cognominatur[58].

C Mirum profecto nemini videbitur Hervetum in quærendis et laco et lacidis oleum perdidisse et operam. Utrumque enim illud nomen in ejus codice corruptum, in Latinis Græcisque editionibus melius *Iamus* et *Iamitæ* redditum est. Apud Pausaniam autem[59] de iis hæc habentur : « Monumentum videas, quod iis erectum est vatibus, qui ex Elide venerunt, et Iamitæ sunt appellati. » Et iterum alio in libro[60] : « Vates, qui Iamidæ nuncupantur, ab Iamo oriundi sunt, quem Apollinis satu ortum, a patre divinandi peritiam accepisse carmine prodidit Pindarus. » Ad hæc vero Cicero[61] : « Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Cluditarum, aruspicinæ nobilitate præstantes. »

Vatis quoque subsequentis, de quo postea Clemens noster : « Polyidus Argis et Megaris, cujus meminit tragœdia, » mentionem procul dubio hæc in verba fecit idem Pausanias[62] : « In primo aditu ad Liberi patris fanum sepulcrum est Astycrateæ D et Mantus filiarum Polyidi..... Polyidus quidem ipse venisse dicitur Megara, ut Alcathoum de cæde Callipolidis filii lustraret, et Liberi templum ædificasse cum simulacro, quod totum ætate nostra præter os occultatur. » In Ἀνθολογίᾳ, seu *Florilegio variorum epigrammatum*[63] unum legitur, ubi de Polyido vate ita canit poeta :

Ἐγγύθι δ' αὐτοῦ
Μαντιπόλος πάλιν ἄλλος ἔην, φοιβήϊδι δάφνῃ
Κοσμηθεὶς Πολύειδος. Ἀπὸ στομάτων δὲ τινάξαι
Ἤθελε μὲν κελάδημα θεοπρόπον· ἀλλὰ ἑ τέχνη
Δεσμῷ ἀφωνήτῳ κατερήτυεν.

[41] p. 93. [42] lib. I Strom., pag. 334. [43] l. VIII De vita et dogm. philosoph. [44] Cicer. lib. II, De orat., p. 150. [45] l. I, p. 21. [46] l. XII Bibl., p. 305, 311. [47] l. VII, p. 210. [48] lib. III, p. 98. [49] cap. 17, art. 5. [50] Lib. I Strom., p. 334. [51] Strom. lib. II, p. 334. [52] lib. III, De nat. deor., pag. 248. [53] Strom. l. I, p. 334. [54] ibid. [55] lib. II De divinat., p. 270. [56] Iliad. VI, p. 103, et XIII, p. 254. [57] ibid., p. 334. [58] ibid. [59] l. III, p. 94. [60] l. VI, p. 179. [61] l. I De divin., p. 270. [62] l. II, p. 41. [63] l. V, epigr. 6.

Digitized by Google

Prope vero illi
Sacerdos quidam alius erat, Phœbea lauro
Ornatus Polyidus. Ex ore vero vibrare
Volebat vocem divinam, sed ipsum ars
Vinculo muto impediit.

Recte quidem notat Hervetus ab Ovidio decantatum [64], quod de Telemo deinde Clemens noster narravit. Sed prius Homerum libro IX *Odyss.*, pag. 128, laudare potuisset. Herodoti quoque de Onomacrito testimonium jure quidem merito sumpsit. Verum mendose in ejus editis Herodoti lib. VI, § 5, pro lib. VII, Polymnia § 6, citatur. Sed de Onomacrito alius adhuc erit dicendi locus.

Tum vero Clemens [65] refert vaticinatos fuisse Amphiaraum, de quo Diodorus Siculus [66], nosque alibi, et « Theoclymenum in Cephalenia, Telmessum in Caria, Galeum in Sicilia. » Nonne autem ex tribus his primus est Theoclymenus, qui vates haud semel ab Homero vocatus, adventum Ulyssis prædixisse perhibetur [67]. De hoc tamen Hervetus nihil se invenisse dicit, quemadmodum neque de secundo, Telmesso scilicet vate : sed tantum de Telmesso oppido Lyciæ, aut Cariæ, aruspicum disciplina celebrato. In suis tamen ad ejusdem Clementis nostri *Προτρεπτικὸν* commentariis, verisimile sibi esse ait oppidum istud a Telmesso vate suam traxisse appellationem. Sed ad hunc locum de eo quædam notavimus [68], ex quibus liquido patet quam parum felix fuerit Hervetus, multa non penitus occulta, nec inventu omnino difficilia quærendo.

Nam et lubens adhuc fatetur se de tertio vate Galeo alibi prorsus invenisse nihil. Quid autem eum prohibuit, quominus ea saltem inveniret, quæ de Galeis seu Galeotis veteres scriptum reliquerant? Apud Athenæum enim occurrit istud Archippi de Galeis vatum omnium sapientissimis carmen :

Γαλεοί γε πάντων μάντεων σοφώτατοι.

281 Præter Ælianum autem [69] et Hesychium, Cicero testatur Galeotas non solum vates fuisse, sed in Sicilia, uti Clemens de Galeo dixit, vaticinatos. De Dionysio enimvero hæc Orator memoriæ prodidit [70] : « Huic interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Sicilia nominabantur, responderunt. » Bochartus vero [71] observat quosdam opinari illis nomen a Stellionis industria inditum ; quod tamen eos duxisse putat ab Hebræa voce *Gala*, quod patefacere significat. Mythologi denique fabulantur illos a Galeote Apollinis et Themistus filio, Telmessi autem fratre suam duxisse originem. Si quis porro hunc Galeotem ipsum reipsa esse probaverit, quem Clemens Γάλεον vocat, in suam ille sententiam nos facile adducet.

Paulo fortunatior fuit Hervetus, cum ex Volaterrano accepit Idmonem, qui a Clemente inter Argonautas vaticinans postea inducitur, fuisse Apollinis et Asteriæ filium. Sed animadvertere adhuc debebat hunc quoque non solum ab Herodoto et Apollonio, sed ab Orpheo quoque [72], aut potius a carminum ipsi ascriptorum auctore filium dici Abantis.

Δὴ τότ' Ἀβαντος παῖς νόθος ἦλυθε καρτερὸς Ἰδ-
[μων,
Τὸν ῥυπόκυσσαμένη τέκεν Ἀπόλλωνι ἄναχτι,
Ἀμβρόσιον παρὰ χεῦμα, Φερητιὰς ἀντιάνειρα.
Τῷ καὶ μαντοσύνην ἔπορε καὶ θέσφατον ὁμφὴν
Φοῖβος, ἵν' ἀνθρώποισιν ἀρηρότα μυθίζοιτο.

Martius Idmon nothus annumeratur Abantis,
Quem de concubitu generavit Apollinis olim
Circum divinos animosa Pheretia fluctus.
Huic præscire dedit, huic promere voce futura
Phœbus, ut utiliter genti memoranda loquatur.

Postea vero apud eumdem Clementem nostrum [73] « Amphilochus Amphiarai filius in Cilicia vates dicitur. » Quid autem existimas de hoc vate, Hervetum suis observasse in commentariis? Mira sane. Nos enim vero monitos facit apud Pausaniam in *Corinthiacis* libro II, adde pag. 61 et 62, scriptum esse, quod ille Amphilochus Amphiarai filius fuerit. Recte quidem. Quid præterea? Quod in Cilicia fuerit vates, inquit, non legi. Cur ergo, vir doctissime, non legisti primum ejusdem Pausaniæ librum [74]? Certe ibi legisses hæc ipsissima illius verba : « Amphilocho in ipsa urbe apud Athenienses ara sua est, in Ciliciæ vero urbe Mallo ejusdem oraculum, quod omnium est, quæ ætate mea exstant, minime fallax. » Quid vero, quod ipsemet Clemens noster alio in libro [75] Amphilochum pluribus, qui oracula dedisse ferebantur, haud incerte annumerat. At is sane alius esse non videtur, quam iste : « In Cilicia vates. » Denique Ciceronem [76] de eo, quem Mopso conjungit, loquentem jam audivimus.

Eadem pene Hervetus de Alcmæone, qui a Clemente apud Acarnanes vaticinatus asseritur, ac de Amphilocho adnotavit, scilicet eum fuisse etiam Amphiarai et Eriphiles filium, matremque occidisse : sed eatenus tantummodo fuisse vatem, quatenus pater ejus Amphiaraus vaticinatus est. Verum non solum Diodorus Siculus, sed Pausanias etiam, aliique plura de hoc Alcmæone narrant et fabulantur [77]. addidit autem Pausanias illum ex Callirhoe secunda uxore sua genuisse Acarnanem et Amphoretum, atque ab Acarnane denominatos Acarnanes, qui prius Curetes vocabantur. Quomodo autem vates fuerit, ibi Pausanias omnino silet ; nisi forte id conjiciendi inde locum relinquat, quod tradiderit Psophide circa ejus tumulum crevisse eo usque cupressos, ut earum proceritate mons obumbraretur. Eas vero non cædi, quippe quas Alcmæoni sacras putent indigenæ, easdemque virgines appellent. Utrum tamen ibi Alcmæon oracula fuderit, atque idcirco a Clemente apud Acarnanes fatidicus dicatur, definire omnino non audemus.

« *Anias* quoque *in Delo*, pergit Clemens [78], vates fuit. » Sed Hervetus animadvertit illum a Virgilio regem et sacerdotem Apollinis dici, sed quod fuerit vates, nullibi se legisse. At certe ab illo legi debuerat quintus Diodori Siculi liber [79], ubi hæc totidem verbis habentur : « Staphilo et Chrisothemide tres natæ sunt filiæ, Molpœdia, Rhœo, et Parthenos. Rhœenem Apollo compressit ac gravidam fecit. Iratus ob id parens, ac si ab homine stuprata esset, filiam arce inclusam in mare projecit. Quæ in Delum ejecta, puellum enixa est, cui Ἄνιόν nomen dedit. Et quia præter spem e discrimine erepta fuerat, infante Apollinis aræ imposito, Deum oravit, ut si vera ejus soboles esset, salutem illi præstaret. Et tunc quidem puerum ab Apolline occultatum esse fabulantur ; cui tamen postea diligentem educationis curam impendit, et divinandi scientia instructum, ad magnos quosdam honores extulit. »

In eorumdem vatum numerum rursus ab auctore nostro aggregatur « Aristander Telmensis, qui fuit cum Alexandro. » Nihil mirum, inquit Hervetus, cum ex eo esset oppido, in quo puerorum et mulierum, teste Arriano, certissimæ habebantur divinationes. Sed quid opus conjectura, ubi Plutar-

[64] Metam. l. XIII, fab. 8. [65] ibid. p. 324. [66] l. IV Bibl., p. 186. [67] Odyss. l. XVII p. 247 ; XV, p. 218 ; XX, p. 296, etc. [68] Dissert. super. c. 7, art. 3. [69] l. XII Var. hist., c. 46. [70] Cicer. lib. I De divinat., p. 262. [71] l. IV De anim. sacr. Script., c. 7, p. 1088. [72] Argonaut. tom. I Poet. Græc., p. 482. [73] ibid., p. 334. [74] p. 33. [75] Admon. ad gent., p. 9. [76] lib. I De divin., p. 270. [77] Diod. Sicul. l. IV Bibl., p. 187. Pausan. l. I, p. 33 ; l. VIII Arcad., p. 255 [78] ibid., p. 354. [79] l. V Bibl., p. 229.

Digitized by Google

chus [80] eumdem Aristandrum vatibus non solum ascribit, sed vatem quoque nominatim appellat? « Vates, inquit, Aristander victimis cæsis cum inspiceret exta, confidentius asseruit apu Coronem, urbem illo mense haud dubie expugnandam.... Hoc portentum Aristandri prædictioni eventum habuit respondentem. » Plura his similia ibidem pag. 684, 693 et 694 retulit. Adire etiam poteris Ælianum libro XIX *Histor. var.*, § ult.

Tres denique, sed non sine testis alicujus auctoritate, hoc paganorum vatum agmen claudunt [81]: « Nam Philochorus, ut ait Clemens, refert Orpheum fuisse vatem. » At eum fuisse insignem poetam, arguit Hervetus, omnes consentiunt; vatem vero ex Clemente ejusque vade Philochoro discimus. Hanc ex his duobus tantum? Quid ergo nonne et Pausanias [82] id quoque diserte his verbis asseruit? « Ægyptius quidam censebat Amphionem et Orpheum, etsi Thrax diceretur, fuisse Ægyptios, propterea vero alteri feras allicere, alteri vero saxa ad muros construendos movere attributum, quod uterque magorum scientia excellerent. » Neque his longe absimilia a Diodoro Siculo [83] scripta legimus. Videsis Plinium [84] et Natalem Comitem libro VII *Mythol.*, cap. 14.

Deinde vero Clemens [85]: « Theopompus, inquit, et Ephorus, et Timæus Orthagoram quemdam vatem fuisse scribunt. » Illius Orthagoræ *De rebus Indicis* citantur ab Ælian. lib. XVI *De animal.* c. 35, et lib. XVII, c. 5. Strabo autem narrat quid ille de Tyrina insula litteris consignaverit. Utrum vero is ipse sit, quem tres a Clemente laudati auctores vatem prædicant, quidam suspicari, nullus certo asseverare audebit.

Ultimus tandem inter vates locus ibidem a Clemente datur Gaio Julio Nepoti; utpote qui eo nomine a Pythocle Samio in quarto *Italicorum* libro **282** nuncupetur. Tertium vero ejusdem operis librum simili modo, ὡς Πυθοκλῆς ἐν τρίτῃ Ἰταλικῶν, Plutarchus [86], quemadmodum ipsemet Clemens alibi [87], testium illius *De concordia* librum citavit. Cum itaque varios hujusce scriptoris libros exstitisse certum sit, dubium quoque esse non debet in iis Gaium Julium Nepotem, sicuti Clemens testatur, vatem appellari.

His omnibus adjungendus est Branchus, quem Clemens quoque noster alio in libro [88] ariolum adhuc nuncupat, ubi animadvertit illi ab Apollodoro Corcyræo ascriptos quosdam Empedoclis versus. De illo autem hæc Statius lib. III *Thebaid.* cecinit [89]:

....Patrioque æqualis honori
Branchus...

Rursus autem lib. VIII [90],

...Et intonsi claudet penetralia Branchi,
Nec Clarias hac luce fores, Didymæaque quisquam
Limina, nec Lyciam supplex consultor adibit.

Videsis, si lubet, de hoc vate variorum in hæc carmina observationes. Neque tamen prætermittenda sunt hæc Strabonis de eodem Brancho verba [91]: « Machærei de stirpe postea natum ferunt Branchum, qui templo apud Didyma præfuit. » Postea vero: « Ibi fabulæ Branchum fuisse dicunt, et amorem Apollinis. » Laertius tamen templum Branchidanum a Brancho ædificatum fuisse asserit [92]. Sed in hunc locum Casauboni et Menagii animadversiones consule.

Denique præter illa omnia, quæ hactenus de paganorum vatibus diximus, legere adhuc poteris quæ de illis scripto tradidere Cicero (lib. I *De divinat.*, pag. 270 et seq.; Eusebius lib. IV et V *Præpar. evang.*; Cyrillus Alexandrinus lib. IV *Contra Julianum*, pag. 133 et 134; Bullingerus lib. *De oraculis et vatibus*, et alii.

ARTICULUS IV.

De mulieribus ethnicis fatidicis, et vatibus Hippone, Bœone, Manto, Sibyllis, Œnone et Phœmone.

Plures quoque mulieres Clemens commemorat [93], quæ quidem non secus ac viri vates fuisse credebantur. Earum autem antesignana est « Hippo filia Chironis, » cujus Hervetus haud dubitanter affirmat nullam usquam fieri mentionem.

Sed hæc Herveti oscitantia a nobis castigata est, ubi disputavimus de barbaris philosophis, ac Cyrillum Alexandrinum de Hippe seu Hippone, ejusque patre Chirone eadem omnino, ac Clementem nostrum, litteris consignasse ostendimus [94].

De secunda vate, quæ a Clemente *Bœo*, Boio, cognominatur, mirum ait Hervetus esse ubique silentium, penitusque periturum ipsius nomen, nisi illud idem auctor noster suis in scriptis curasset asservari. Quid ergo? Nonne Pausanias decimo suo in libro his verbis nomen Bœonis servavit [95]? « Bœo indigena mulier Delphis, hymno composito, advenas ab Hyperboreis profectos, oraculum Apollini dedicasse tradidit, cum alios, tum Olena, qui primus vaticinatus fuerit, primusque senarios repererit . . . . . Hi sunt quos Bœo fecit versus:

Hic posuere tibi juvenes penetralia Phœbe,
Olim ab Hyperboreis Payasusque et Dius Agyieus, etc. »

Tertia mulier fatidica est *Manto*, de qua rursus Clemens [96]: « Tiresias et Manto, ut dicit Euripides. » Notior est Mantus historia, seu fabula, quam ut Hervetum fugere potuerit. Sed cum nullus ab eo testis citetur, non abs re forsitan erit, hic tres exhibere de illa Virgilii versus [97]:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantus et Tusci filius amnis:
Qui muros, matrisque dedit tibi, Mantua, nomen.

Pausanias vero de illa, atque etiam de Tiresia hæc retulit [98]: « Traditum est Græcorum monumentis Argivos cum Polynicis filios secuti, Thebas cepissent, dum ad Delphicum Apollinem cum reliqua præda vatem etiam Tiresiam pertraherent, sitientem illum in via, hausta de Tilphussa fonte aqua, animam egisse. Est ejus sepulcrum ad ipsum fontem. Vatis filiam Manto ab Argivis Apollini aiunt sacratam: sed transmisisse eam classe, jubente Deo, Colophonem in Ioniam, ibique Ithaco Cretensi nuptam. Quæ de Tiresia dicuntur alia, de annorum scilicet, quem vixisse scripserunt numero, et quod vir evaserit ex femina, quodque in *Odyssea* Homerus eum unum sapientem esse apud inferos dixerit; hæc omnes jam audita norunt. »

Apud Ciceronem vero haud plane absimilia de Tiresia hunc in modum occurrunt [99]: « Amphiaraus et Tiresias non humiles et obscuri, neque eorum similes, ut apud Ennium est,

Qui sui quæstus causa fictas suscitant sententias:

sed clari et præstantes viri, qui avibus et signis admoniti, futura dicebant. Quorum de altero etiam

[80] tom. I, in Vita Alexand., p. 665, 679. [81] ibid., p. 334. [82] l. VI, p. 199. [83] l. II Bib. p. 14. [84] lib. VII, cap. 56, pag. 101. [85] ibid., p. 334. [86] Par. tom. II, pag. 309. [87] Admon. ad gent., pag. 37. [88] lib. V Strom., pag. 570. [89] Vers. 478. [90] Vers. 198 seq. [91] lib. IX Geogr., p. 421, et lib. XIV, p. 634. [92] l. I in Vita Chil., § 72. [93] lib. I Strom., p. 333. [94] sup. c. 19, art. 1. [95] lib. X, pag. 320. [96] Strom. I, p. 335 et 334. [97] Æneid., lib. X, carm. 198 et seq. [98] lib. IX, pag. 307. [99] lib. I De divin., p. 270.

Digitized by Google

apud inferos Homerus ait solum sapere, cæteros umbrarum vagari modo. » Porro autem Clemens vadem suum dat Euripidem, a quo revera Tiresias in *Phœnissis*, act. 3, vaticinans inducitur ; Homeri autem locus a Pausania et Cicerone laudatus, habetur lib. x *Odyss.*, pag. 145. Denique de Tiresia et Manto jam aliquid in superiori articulo attigimus.

Posthæc vero Clemens [1] fatidicis mulieribus annumerat Sibyllarum turbam, quas singulatim nominibus appellat suis. Sed de illis fuse a nobis alibi haud semel in superioribus nostris dissertationibus disputatum est.

Aliam adhuc, sed alieno in loco, vatem fuisse Clemens testatur [2], nomine Œnonem. Nympha autem Edæa hæc fuit, quæ Paridis amore capta, ipsi prænuntiavit, fore ut ex Græcia reversus patriæ incendium excitaret. Illius ad Paridem epistolam Ovidius versibus edidit [3], alibique adhuc. quemadmodum Strabo [4], utriusque, et ejusdem Œnonis et Paridis sepulcri meminit. Videsis Partherium, *Eroticon* cap. 4.

Denique Clemens [5] in harumce vatum mulierum gregem retulit Phœmónoem, quam alicubi Delphis, alibi vero primam Acrisio responsa sive oracula fudisse opinabantur. Sed de illa paulo post, ubi de carminis hexametri inventione dicendum.

283 CAPUT XXI.

De scientiarum, artium, aliarumque rerum inventoribus.

ARTICULUS I.

De inventoribus astrologiæ, lucernarum, anni in duodecim menses distribuendi, et templa caste adeundi, in iisque commorandi, geometriæ, et ex astris, atque ex avium volatu futura prævidendi, item aruspicinæ, et ex somniis divinandi, necnon tubæ, tibiæ, fistulæ, ac modorum.

Longa Clemens inductione ostendit [6] omnes fere disciplinas et artes, quemadmodum philosophiam, uti superius ostensum est, non a Græcis hominibus, sed a barbaris fuisse adinventas. Auctori autem nostro plane suffragatur Eusebius [7], hancque sententiam non solum variis rationum momentis, sed certissima etiam antiquorum apud paganos scriptorum, atque ipsiusmet quoque Clementis nostri auctoritate confirmat. Prolixum etenim istud de rerum inventoribus illius fragmentum scriptis suis inseruit ; sermonis tamen ordine non semel immutato, verbisque aliquando transpositis, ac quibusdam omnino prætermissis.

Quam vera autem sit utriusque opinio [8], ut planum omnibus fiat, ea quæ Clemens memorat ; nonnulliis tamen, de quibus, uti de litterarum, legum ac ferri inventione, supra disseruimus [9], exceptis, jam a nobis singillatim, et auctoris nostri vestigiis insistendo percurrenda sunt. Cum illo itaque dicendi initium sumamus ab astrologia, qua, inquit ipse, Ægyptii, sicut et Chaldæi, primum imbuti, ab illis ad alios postmodum derivata est. Et vero Diodorus Siculus ubi de Ægyptiis disputat : « Thebæi, ait [10], vetustissimos omnium mortalium se esse prædicant : apud quos omnium primos philosophia et exactior astrologia sit inventa, adjuvante ipsos terræ situ, ad ortus et occasus siderum illustrius cognoscendum. » Postea vero [11] : « Affirmant Ægyptii litteras, et notationem siderum, speculationes item geometricas, et artes quamplurimas, legumque optimarum sanctiones apud se inventas » Quinetiam [12], « Chaldæos in Babylonia Ægyptiorum colonos esse, et a sacerdotibus astrologiam edoctos, eo celebritatis pervenisse asserunt. » Sequenti demum in libro de Chaldæorum astrologia copiosius disserit.

Verumtamen alio in libro eamdem scientiam ab Acti, Solis filio, Ægyptios accepisse sic enarrat [13] : « Actis in Ægyptum profectus, Heliopolim condidit, parentis nomine illi imposito. Et ab hoc Ægyptii astrologiæ scientiam acceperunt. Post cum in Græcia, diluvio oppressa, maxima pars hominum periisset, litterarum monumentis simul deletis, hanc Ægyptii occasionem adepti, studium astrologiæ sibi manciparunt. Cumque Græci per ignorantiam litterarum culturam non amplius sibi vindicarent, ipsos omnium primos astrorum notitiam reperisse rumor invaluit. »

Certum itaque et exploratum omnino non est utrum Ægyptii astrologiam invenerint, an vero eam a se inventam falso jactitarent. Quamobrem Laertius : « Asserunt, inquit [14], et ipsi geometriam, astrologiam et arithmeticam se primos invenisse. » An autem eas vere vel falso se invenisse gloriarentur, ille tacitus, nec forsitan inconsulto prætermisit. Varia siquidem fuit, teste Plinio, veterum ea de re opinio : « Astrologiam enim, ait ille [15], Atlas Libyæ filius ; ut alii, Ægyptii ; ut alii, Assyrii invenerunt. » Prius autem ubi de Babylone : « Durat ibi, ut ipse loquitur [16], Jovis Beli templum. Inventor hic fuit sideralis scientiæ. » Quod quidem a Solino [17] adoptatum transcriptumque fuit. Servio autem si credimus [18], astrologiam primus Assyrios docuit Prometheus. Verumtamen Josephus existimat Ægyptios ab Abrahamo et numerorum scientiam didicisse et siderum. Nam ante « Abrahami, inquit [19], ad se adventum Ægyptii rudes erant hujuscemodi disciplinarum, quæ a Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem pervenerunt. » Quid vero, quod apud Eusebium [20], a quo hæc Josephi verba descripta sunt, Polyhistor astrologiæ originem altius ab ipso Enocho repetit, atque Artabani testimonio probat eam deinceps ab Abrahamo fuisse cum Ægyptiis et Phœnicibus communicatam ? At Isidorus Hispalensis Josephi opinionem refert, additque [21] : « Græci autem dicunt hanc artem prius ab Atlante excogitatam, ideoque dictus est sustinuisse cœlum. » Denique Theodoretus aliorum potius sententiam quam suam ita explicat [22] : « Aiunt geometriæ, et astrologiæ, et astronomiæ inventores primos fuisse Ægyptios ; astrologiæ autem dierumque natalium observatio Chaldæorum fertur esse inventum. »

In eumdem procul dubio sensum dicit Clemens ab Ægyptiis et Chaldæis ad alios homines manasse astrologiam. Tum vero continenter ille adjecit [23] : « Ægyptii rursus et lucernas primi accendere docuerunt, et annum in menses duodecim diviserunt,

[1] Strom. I, p. 333. [2] ibid., p. 334. [3] epist. 31. [4] l. XIII Geogr., p. 596. [5] Strom. I, p. 323 et p. 333. [6] lib. II Strom., pag. 306 et seqq. [7] l. X Præpar. ev., c. 5 et seqq. [8] lib. II Præp. evang., p. 256 et seqq. [9] cap. sup. [10] l. I, p. 32. [11] ibid., pag. 44. [12] ibid., pag. 51, pag. 82. [13] idem lib. V, pag. 227. [14] Laert. in procœmio. [15] lib. VII Histor. natur., cap. 56, p. 102. [16] ibid., lib. VI, c. 26, p. 712. [17] Pol. hist., c. 56. [18] in Virg. Eclog. VI, p. 78. [19] l. I Antiq., c. 9. [20] lib. IX Præp. evang., pag. 8, 9 et 10. [21] lib. III Orig., c. 24. [22] tom. IV, lib. I De Græc. affect. curat., p. 476. [23] Strom. l. II, p. 306.

Digitized by Google

et in templis cum mulieribus coire prohibuerunt, neque ad sacra ab uxore illotis adeundum esse lege sanxerunt. » Athenæi vero de lucernis hæc sunt verba [24] : Οὐ παλαιὸν δὲ εὕρημα λύχνος. Φλογὶ δὲ οἱ παλαιοὶ τῆς δᾳδὸς, καὶ τῶν ἄλλων ξύλων ἐχρῶντο. Quæ quidem Latinus interpres sic vertit : « Non admodum priscum inventum est lucerna. Tædæ flamma veteres et aliorum lignorum utebantur. » Sed Casaubonus [25] hunc vult esse Athenæi sensum : Antiquitus ignotis adhuc lucernis, facibus, candelis, et aliis similibus, in usum nocturni luminis tædam accendebant, aut aliis utebantur lignis. Porro autem quam antiquus sit lucernarum apud Ægyptios usus, inde colligitur quod Herodotus [26] narrat illos in urbe Sain diem festum celebrantes, facientesque sacrificium, noctu non solum in illa urbe, sed per universam quoque Ægyptum frequentes accendisse lucernas, imbutas sale, oleoque plenas, cum multo lychno, quod per totam ardebat noctem, atque idcirco huic festo nomen, accensio lucernarum, fuisse impositum. At de lucernis varii scriptores multa quidem, atque integros etiam libros et dissertationes conscripserunt. Videsis Stuckium lib. III, *Antiquit. conviv.*, cap. 34; Michael. Angel. Caussæi dissertat. *De æneis antiquorum lucernis*, et Octavii Ferrarii *De veterum lucernis sepulcralibus*, etc.

De anni vero in duodecim menses commemorata ab auctore nostro divisione hæc apud eumdem Herodotum legimus [27] : « Omnium hominum primos Ægyptios annum comperisse, distinguentes eum in duodecim temporum menses; et hæc comperisse ex astris. Qui eo prudentius, ut mihi videtur, hoc agunt, quam Græci; quod Græci tertio quoque anno intercalarem mensem introducunt, temporum gratia : Ægyptii vero numero tricenorum dierum, quibus duodecim menses taxant, adjiciunt quotannis quinos dies; unde eis ratio circuli temporum constat, eodem redeuntis. »

284 Similia ab Diodoro Siculo [28], ubi de Thebæis Ægyptiis disserit, sed aliis verbis tradita sunt. Verum Plutarchus : « Apud nonnullos, inquit [29], barbaros tribus, et in Græcia apud Arcadas quatuor, sex in Acarnania Ægyptiis menstruus annus fuit, mox quadrimestris. » Plinius autem [30] : « Annum alii æstate unum determinabant, et alterum hieme; alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere; quidam lunæ senio, ut Ægyptii. » Verum Solinus : « Apud Ægyptios, inquit [31], annus quatuor mensibus terminabatur. » In eumdem quoque modum Augustinus scribit [32] : « Perhibentur Ægyptii quondam tam breves annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur. Unde annus plenior et verior, qualis nunc et nobis et illis est, tres eorum annos complectebatur antiquos. » At eruditissimus ille vir, quemadmodum Plutarchus, non quod ipsi revera, sed quod alii ea de re aut vere aut falso senserint, exposuere. Verior itaque videtur antiquorum scriptorum Herodoti et Diodori de anno Ægyptiaco sententia. Quamobrem Apuleius : « Anni, inquiebat [33], certus modus apud solos semper Ægyptios fuit. » Horum itaque opinionem Clemens noster secutus, vel potius eam, sicut et alias deinceps, contra Græcos urget ac proponit.

Quod autem de Ægyptiorum templis Clemens [34], et post eum Isidorus retulit, id desumptum videtur ab Herodoto, apud quem hæc habentur [35]. « Aiunt solemnem esse Marti die festo hanc rixam et insti tutum, ne in templo cum feminis coiretur, neve a Venere nisi ablutis templa adirentur. Illi sunt qui primi cæremoniis vacaverunt. Nam cæteri fere mortales præter Ægyptios ac Græcos coeunt in templis, et a Venere surgentes, non abluti introeunt in templum, putantes hominem esse ut cæterus animantes. »

Ad hæc vero tradit Clemens eosdem Ægyptios fuisse adhuc geometriæ inventores. Et hoc quidem jam paulo ante, et alibi a Diodoro, Laertio et Theodoreto, atque etiam a Tatiano assertum vidimus [36]. At Laertius alio in libro significantius geometriæ inventorem designat, ubi de Pythagora scribit [37] : « Hunc et geometriam perfecisse, cum ante Mœris initia elementorum ejus invenisset, Anticlides auctor est in secundo *De Alexandro*. » Atqui ille Mœris sive Myris Ægypto imperavit, de quo plura Diodorus Siculus [38]. A Platone [39] nihilominus geometriæ inventum Theut Ægypti dæmoni ascribitur. In citatum porro Laertii locum legendæ sunt variæ animadversiones.

Quomodo autem geometria ab Ægyptiis inventa dicatur, disces in primis ab Herodoto lib. II, § 109; Diodoro Siculo lib. I, pag. 73; Strabone lib. XVII *Geogr.* pag. 757 et 758, « ob agrorum scilicet dimensionem, qua opus est, inquit iste, cum Nilus auctus terminos confundit. »

At Josephus tamen contra tot veterum scriptorum auctoritatem et testimonium, illam geometriæ et astronomiæ inventionem antiquissimis Hebræorum patriarchis ita vindicat, ut propterea vitam illis ad longe plures, quam aliis hominibus, annos productam a Deo fuisse, sic haud dubitanter affirmet [40], ἔπειτα καὶ δι' ἀρετὴν, καὶ τὴν εὐχρηστίαν ὧν ἐπενόουν, ἀστρονομίας καὶ γεωμετρίας. Deinde tam propter studium virtutis, tum propter utilitatem inventarum astronomiæ et geometriæ, Deus illis prolixiorem largitus est vitam, quarum certitudinem assequi non poterant, si minus sexcentis annis vixissent; ex tot enim magnus annus constat. » Sed id nihil contra nostri facit opinionem Clementis, qui alibi probat ex sacris Hebræorum fontibus hæc et alia omnia fuisse delibata, quæ Græci philosophi, aliique aliarum artium et scientiarum professores vera docuerunt. Nihil enim hic aliud demonstrandum aggredi videtur, quam easdem disciplinas et artes fuisse, ipsismet fatentibus non a Græcis, sed a barbaris, excogitatas.

Quamobrem ita ille persequitur [41] : « Sunt autem qui dicunt Cares eam, quæ ex astris colligitur, invenisse præscientiam. » Quod quidem a Tatiano similiter scriptis traditum alibi animadvertimus [42]. At si eo nomine nihil aliud, quam ὡροσκοπία, id est horarum maxime natalium consideratio significatur, hanc alii Chaldæis assignant. Tullius siquidem : « In Syria, inquit [43], Chaldæi cognitione astrorum solertiaque ingeniorum antecelluerunt. » Unde etiam Isidorus Hispalensis [44] : « Astrologiam et nativitatis observantiam Chaldæi docuerunt. » Eam sane ob causam vanæ fallacique huic scientiæ addicti, ab antiquis Ecclesiæ Patribus solo Chaldæorum nomine nuncupati, sæpe sæpius perstringuntur.

Tum deinde Clemens [45] : « Avium volatus primi Phryges observaverunt. Aruspicinam autem, seu extispicinam perfecte tenuerunt Tusci, qui fuere vicini Italiæ. Isauri autem et Arabes auguriis studuerunt sicut Telmisenses ei, quæ per somnia fit, divinationi. » Prædictio ab avibus videndis ducta auspicium, sicut et augurium ab avium garritu, vel

[24] l. XV Deipnosoph., pag. 700. [25] in hunc Athen. loc., p. 985. [26] l. II, § 62. [27] l. II, § 4. [28] l. I Bibl., p. 32. [29] in Vita Numæ, tom. I, p. 72. [30] lib. VII Histor. natur., c. 48, p. 74. [31] p. 4. [32] l. XII De civit., c. 10. [33] Satur. l. I, c. 10. [34] loc. cit. [35] l. II, § 64. [36] lib. II Appar., dissert. 5, c. 2, § 6. [37] l. VIII de Vita Pythag., § 11. [38] l. I Bibliot. p. 33. [39] in Phædr., tom. III, p. 274. [40] lib. I Aut., c 4, p. 11. [41] Strom. l. II, p. 306. [42] lib. II App. dissert. 5, c. 2, § 8. [43] lib. I De divinat., p. 270. [44] lib. III Orig., cap. 24. [45] Strom. lib. II, p. 306.

Digitized by Google

gestu, vel etiam gustu dicebatur. Quidam vero utramque confundunt, quemadmodum Theodoretus, a quo scriptum est[46] : « Arabes et Phryges avium observationes primi invenerunt. » Gregorius autem Nazianzenus : « Augurandi, inquit[47], disciplina a quibus aliis inventa, quam a Phrygibus, qui primi avium volatum ac motum curiosius observarunt? » Ex paganis autem scriptoribus Cicero hæc memoriæ prodidit[48] : « Phryges, et Pisidæ, et Cilices, et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperant. Quod idem factitatum in Umbria accepimus... Etrusci autem quod religione imbuti studiosius, et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt; quodque propter aeris crassitudinem de cœlo apud eos multa fiebant, quod ob eamdem causam multa inusitata partim ex cœlo, alia ex terra oriebantur; quædam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu portentorum exercitatissimi exstiterunt..... Arabes autem et Phryges, et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montes hieme et æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt. Eadem et Pisidiæ causa fuit, et nostræ Umbriæ. » Etruriam porro seu Hetruriam, eamdem esse ac Tuscorum sive Tyrrhenorum regionem, Umbriæ proximam et continentem nullus est qui ignorat. Subsequenti autem libro[49] idem Cicero narrat Etruscos aruspicinæ fontem et originem cuidam Tagi, qui puerili specie visus, senili erat prudentia, acceptam retulisse. Interpretationis denique per somnia initium Tatianus[50] Gregoriusque Nazianzenus[51] iisdem ac Clemens noster, Telmessibus attribuunt. Verum ea omnia Plinius aliis sic ascripsit[52] : « Auguria ex avibus Car, a quo Caria appellata. Adjecit ex cæteris animalibus Orpheus, aruspicium Delphus, ignispicia Amphiaraus, auspicia avium Tiresias Thebanus, interpretationem ostentorum et somniorum Amphictyon. »

285 Post hæc vero Clemens[53] : « Etrusci tubam et Phryges tibiam excogitavere ; Phryges enim erant Olympus et Marsyas. » Clementi nostro Tatianus et Gregorius Nazianzenus plane suffragantur[54]. At iis procul dubio Diodorus Siculus hæc in verba præiverat[55] : « Phryx ille Marsyas.... Mira in homine isto solertia et castitas. De solertia inde conjecturam capiunt, quod fistulæ multis instructæ calamis sonos imitatus, totam ad tibias harmoniam traduxit. » De Etruscis vero seu Tyrrhenis hæc alio in libro litteris mandavit[56] : « Tyrrheni classe pollentes, diu maris imperium tenuere, et mare Italiæ subjectum, Tyrrhenum de suo nomine appellarunt. Hi inter cætera, quibus pedestrem militiam exercuere, tubam σάλπιγγα (uti apud Clementem nostrum) repererunt, ad bella utilissimam, quæ Tyrrhena inde vocatur. » Verum Athenæus hæc paulo fusius explicat, variorumque de iis refert opiniones[57] : « Tubas et cornua, κέρατα καὶ σάλπιγγες, Etrusci repererunt. Metrodorus Chius in *Troicis* scribit Marsyam, fistulam et tibiam, σύριγγα καὶ αὐλόν (Clemens simpliciter αὐλόν), Celænis invenisse, cum uno calamo superiores canerent. Euphorion hexametrorum scriptor *De poetis lyricis* tradit fistulæ, cui unicus et simplex est calamus, μονοκάλαμον σύριγγα, inventorem Mercurium fuisse, vel ut aliqui memoriæ mandarunt, Seuthen et Rhonacen Medos; ejus vero quæ multis est compacta calamis, Silenum; illius autem quæ cera glutinatur, Marsyam. » Quapropter Plutarchus Alexandrum a Clementis nostri opinione propius abfuisse ita alicubi memorat[58] : « Alexander in *Collectaneis de Phrygia* primum Olympum asserit in Græciam pulsationem fidium, κρούματα, intulisse; deinde Idæos dactylos et Hyagnidem primum tibia cecinisse : post Marsyam hujus filium, inde Olympum. » Quibusdam deinde interjectis : « Hunc, inquit, Olympum, aiunt unum fuisse eorum, qui descenderunt a primo Olympo, Marsyæ discipulo, qui nomos in deos fecit. Is enim cum amasius fuisset Marsyæ, et ab eo artem canendi tibia, τὴν αὔλησιν, didicisset, harmonicos nomos in Græciam intulit, quibus nunc Græci utuntur in feriis deorum. » Postea tamen Sotericum in eodem libro sic loquentem inducit[59] : « Non Marsyæ, aut Olympi, aut Hyagnidis inventum tibia, ὁ αὐλός, neque sola citharæ Apollinis est; sed idem deus et citharæ et tibiæ cantum invenit. » Denique ut Hyginum, Tzetzem, aliosque missos faciamus, hoc a Plinio traditum accepimus[60] : « Invenisse dicunt æneam tubam Pisæum Tyrrhenum..... obliquam tibiam, Midas in Phrygia ; geminas tibias, Marsyas in eadem gente. »

Quæ porro hactenus protulimus veterum scriptorum testimonia, iis lucem aliquam præferunt quæ postmodum a Clemente nostro sic narrantur[61] : « Aiunt autem obliquam quoque fistulam, τὴν πλαγίαν σύριγγα, Satyrum invenisse Phrygem; κρούματα, autem seu modos, Olympum Phrygem. » Duo enim ibi Clemens perhibet, quorum secundum a Plutarcho jam laudato asseritur. Ad primum vero si spectare existimes obliquam Plinii tibiam, fatendum est diversam illius fuisse atque Clementis nostri, seu potius auctorum ab ipso laudatorum, de ea opinionem.

ARTICULUS II.

De inventoribus medicinæ, nauticæ, ac construendi navem ; triremem, quatriremem, classemque instruendi, et fabricandi arma, harpen, pellam, clypeum, lora pugilum et cæstus, omnem armaturam, varias machinas ferri, ærisque fabricam, et temperamentum, lapidicinam, auri metalla, psalticen, currum, lectum, et vestes byssinas, ac pilos tingendi.

Institutum de rerum inventoribus sermonem Clemens noster ita prosequitur[62] : « Medicinam autem Apim Ægyptium indigenam, αὐτόχθονα, priusquam Io veniret in Ægyptum : postea autem Æsculapium dicunt artem amplificasse. » Eusebius vero hunc Clementis locum mutilatum exhibet, omittitque hæc verba[63] : « Indigenam priusquam Io veniret in Ægyptum; » haud dubie quia isthæc parum necessaria judicabat. Ipsi autem ac Clementi Theodoretus[64] et Suidas[65] subscripserunt. At Diodorus Siculus[66] : « Apollo scientiam medicam, quæ per fatidicam exercetur artem, qua sanitatem ægroti quondam recipiebant, in lucem produxit..... Ex Apolline et Coronide natus Æsculapius, cum multa in arte medica ex patris disciplina cognovisset, chirurgiam et medicamentorum confectiones adinvenit. Radicum etiam vires perscrutatus est, adeoque tandem provexit artem, ut pro conditore ejus ac principe colatur. » Plinio tamen si credimus, variæ erant ea de re antiquorum sententiæ, quas ille hunc exponit in modum[67] : « Medicinam Ægyptii apud ipsos volunt repertam; alii per Arabum, Babylonis et Apollinis filium; herbariam et medicamentariam a Chirone Saturni et Philine filio.... Sol Oceani filius, cui Gellius medicinæ inventionem ex melle assignat. » Arabum porro eumdem esse existimant, atque Ἀσκληπιόν, id est Æsculapium, de quo Ter-

[46] tom. IV, serm. I, De fide, p. 467. [47] orat. 3 in Julian., p. 250. [48] l. I De divinat., p. 270. [49] l. II De divinat., pag. 285 et seq. [50] orat. cont. Græc. [51] loc. cit. [52] l. VII, c. 56, p. 101 et 102. [53] Strom. l. II, p. 306. [54] Tatian. et Greg. loc. cit. [55] l. III Bibl., p. 134. [56] lib. V, pag. 219. [57] lib. IV Deipnosoph., p. 184. [58] tom. II, lib. De music., p. 1132 et 1133. [59] ibid., p. 1135. [60] loc. cit., p. 100 et 102. [61] Strom. l. II, p. 307. [62] ibid. [63] lib. X Præp. evang. cap. 6, p. 475. [64] loc cit., p. 467. [65] ad Γράμματα. [66] l. V, p. 235. [67] lib. VII, cap. 56, p. 96 et seq.

Digitized by Google

tullianus dixit [68] : « Primus medelas Æsculapius exploravit. » Plures autem fuisse Æsculapios supra ex Cicerone vidimus [69], qui de tertio hæc habet verba [70] : « Tertius Arsippi et Arsinoæ, qui primus purgationem alvi, dentisque evulsionem, ut ferunt, invenit, cujus in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et lucus ostenditur. » Quem in locum videsis Lescalopierii adnotationes.

« Atlas autem Libys (Clementis nostri verba sunt [71]) primus navem, ναῦν, est fabricatus, et mare navigavit. » Theodoretus vero [72] : « Scapham, σκάφος, inquit, in Libya primum compactam fuisse affirmant. » Vox autem σκάφος, cujuscunque generis navem cum significet, inde colligitur eum ab auctoris nostri sententia non multum recedere. At Sanchoniathonem apud Eusebium loquentem sic audias [73] : « Usous, cum turbulenta imbrium ventorumque tempestate coorta ex Tyri arborum collisione ignis exarsisset, quæque ibidem erat silvam incendisset, arbore cujus ante ramos amputarat, navigii loco usus, nequaquam sese mari, nullo licet exemplo, committere dubitavit. » Ei autem Tibullus aliqua saltem ex parte his verbis concinit [74] :

Utque maris vastum prospectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Verumtamen Strabo scribit [75] : « Persam quemdam, Erythram nomine, cum equorum armentum, lexnæ asilo exagitatum, usque ad mare compelleretur, atque **286** ad insulam quamdam transmitteret, primum constructa rate in insulam ea transivisse. » Sed non omnino clara sunt illius verba, σχεδίαν πηξάμενος πρῶτος περαιωθεῖη πρὸς τὴν νῆσον, iis siquidem significatur Erythram vel navem primum construxisse, vel primum omnium in hanc insulam ea transportatum. Ad hunc autem scriptorem si respexit Plinius, illum primo sensu intelligendum esse his indicat verbis [76] : « Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit; antea ratibus navigabatur, inventis in mari Rubro inter insulas a rege Erythra. » Ibi porro ille adhuc edisserit a quibus excogitata fuerint varia navium genera. Sed triremem, quam Clemens [77] paulo post a Sidoniis, hanc idem Plinius [78], auctoritate Thucydidis [79] fultus, ab Aminocle Corinthio primum fabricatam fuisse perhibet. Huic autem Clemens noster [80], qui tradit quatriremem a Carthaginensibus primum esse constructam, non solum assentitur, sed Aristotelem præterea hujusce opinionis testem assertoremque producit [81]. Verum Diodorus Siculus refert Neptuno omnium primo ascripta maris negotia, et classis, στόλου, instructionem.

Ad quorumdam dehinc armorum fabricam transit auctor noster, aitque [82] : « Thraces primi eam, quæ ἅρπη vocatur, invenerunt; est autem incurvus gladius; et pellis, πέλταις, primi usi sunt in equis. Similiter autem Illyrii quoque peltam invenerunt. » At Hervetus, qui in corrupto suo codice pro ἅρπη, uti etiam in Claromontano habetur, πάρμη legerat, fatetur hanc vocem a se nullibi repertam. Sed facile ipsi erat hoc librariorum corrigere mendum ex Eusebio, qui ipsamet Clementis verba sic exhibet [83] : Θρᾷκες πρῶτοι τὴν ἅρπην εὗρον, ἔστι δὲ μάχαιρα καμπύλη · « Thraces primi harpen, incurvus is gladius est, invenerunt. » Et re quidem ipsa ἅρπη falcem, seu falcatum ensem significat, quemadmodum πέλτη, Latine pelta, est scutum brevissimum in modum lunæ jam mediæ. Porro autem alia quorumdam opinio sic a Strabone refertur [84] : « Alii aiunt Telchimes e Creta primum in Cyprum, deinde Rhodum venisse; primosque ferrum et æs fabricatos, atque etiam Saturno, τὴν ἅρπην, falcem fecisse. » Sed hoc ille fictum plane, et commentitium esse haud obscure pronuntiat. De harpe videsis Lipsium tom. III, lib. II *Saturnal.*, cap. 9, pag. 521.

Addit autem Clemens [85] Itanon Samnitem primum clypeum fecisse. Quod quidem etiamsi Eusebius [86] totidem atque auctor noster verbis repetat, quidam tamen pro *Itanon* legendum putant *Tritannum*, atque eo nomine compellari celeberrimum illum gladiatorem, quem Plinius [87] ac deinde Solinus [88] eximia ac sane stupenda fortitudine et viribus præditum narrant. Et re quidem ipsa Solinus, Plinii sequester, observat illum a Varrone *natura* Samnitem appellari. Verum quia Plinius ipsum *Samnitium armatura celebrem* vocat, hinc quidam colligunt, vel ibi, sicut alibi haud semel, errasse Solinum, vel in ejus textu pro *natura*, legendum *armatura* : quæ quidem vox, sicuti etiam apud Plinium, *armaturam* significat. Clypeorum tamen inventionem ille ipsemet Plinius [89] aliis, et Apollodorus [90] Præto et Acrisio inter se bellantibus, sive Calcho Athamantis filio attribuit. Plura autem, quæ etiam ad rem nostram conducunt, leges de clypeo, ejusque etiam origine apud Lipsium tom. III, lib. III, *De Rom. milit.*, pag. 70 et seqq.

Aliud armorum genus ἱμάντας, id est longa lora pugilum, seu cæstus fuisse Amyci, Bebrycum regis, inventum Clemens postea denuntiat [91]. Et vero Pollux [92] inter pugilum arma numerat ἱμάντας. Canit autem Theocritus [93], atque etiam Apollonius Rhodius [94] quomodo idem ille Amycus cum Pollucе hisce armis decertando occubuerit. Clemens vero satis aperte declarat lora pugilum, et cæstus inde suam sumpsisse originem.

Cæterum omnem armaturam Diodorus Siculus Marti auctori suo vult adjudicari : « Mars, inquit [95], universam armaturam fabricari, et milites armis telisque instruere, et collatis signis strenue decertare primus docuit. » Contra vero Artapanus apud Eusebium narrat Judæos armorum, atque etiam navigiorum, variarumque ad tollendos lapides, hauriendamque et deducendam aquam machinarum inventionem Moysi attribuisse [96] : « Illi enim (ait Artapanus) et navigiorum, et machinarum, quibus adducti sursum lapides, inter sese posteà coagmentantur, et armorum Ægyptiacorum et instrumentorum partim hauriendæ vel deducendæ aquæ necessariorum, ipsiusque adeo philosophiæ inventionem acceptam ferunt » Nec omnino forsitan absurde, si Judæorum nomine in Tubalcain, vel, ut ait Josephus [97], Thobel, armorum, atque si velis, rei militaris initium refundendum esse putaveris.

Cum autem æs et ferrum ad arma etiam pertineant, vel saltem eorum plerumque sint materia, jam vidimus [98] quomodo Clemens, etiamsi ferri inventionem Idæis Dactylis, et uni ex ipsis χαλκοῦ κρᾶσιν, æris temperamentum assignaverit, postea tamen addidit [99] : « Quinetiam Noropes (est autem genus Pæoniæ, nunc autem appellatur Norica) æs elaborarunt, et primi ferrum purgarunt, κατειργάσαντο χαλκὸν, καὶ σίδηρον ἐκάθηραν πρῶτοι. » Primo

[68] De coron. milit., cap. 8. [69] dissert sup., cap. 9, art. 1. [70] lib. III De nat. deor., pag. 263. [71] Strom. I, p. 307, [72] loc. cit. [73] l. I Præpar. ev., cap. 10, pag. 35. [74] lib. I, eleg. 8, vers. 20. [75] lib. XVII Geogr., p. 779. [76] loc. cit., pag. 104. [77] Strom. II, p. 307. [78] pag. 105. [79] l. II De bello Peloponn. post init. [80] pag. 307. [81] loc. cit., pag. 105. [82] p. 307. [83] lib. X Præp. evang., cap. 6, p. 475. [84] lib. XIV Georg. p. 654. [85] p. 307. [86] loc. cit. [87] lib. VII, c. 20, p. 38 et seqq. [88] Polyhist., p. 7. [89] c. 56, p. 100. [90] lib. II De diis, p. 85. [91] p. 307. [92] lib. III, c. 50, § 5. [93] Idyll. 20. [94] lib. II Argonaut. init. [95] lib. V Bibl., p. 255. [96] lib. IX Præp. evang., c. 27, p. 432. [97] lib. I Antiq. Jud., cap. 3. [98] supr. cap. 19, art. 1. [99] p. 307.

Digitized by Google

autem si fides habenda [1] : « Ærariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas monstrasse putant. » Æraria autem fabrica nihil aliud apud Plinium sonat, quam ars ex ære vasa cæteraque his similia fabricandi. Verum cum Clemens [2] superius dixerit unum ex Dactylis reperisse χαλκοῦ κρᾶσιν, *æris temperamentum*, si hisce verbis eamdem vasa ænea conficiendi artem intelligat; hinc aperte colligetur illum, in hac longa inventionis rerum inductione, non tam suam, quam aliorum retulisse opinionem. Cæterum varii scriptores magno consensu Chalybas ferri non solum fabricæ, sed etiam inventionis auctores esse affirmant. Nam Dionysius in *Orbis descriptione*, v. 768 et seqq., cecinit :

Τοῖς δ' ἐπι Χάλυβες στυφελὴν καὶ ἀπηνέα γαῖαν
Ναίουσιν, μογεροῦ δεδαηκότες ἔργα σιδήρου.
Οἳ ῥα βαρυγδούποισιν ἐπ' ἄκμοσιν ἑστηῶτες,
Οὔ ποτε παύονται καμάτου, καὶ 'οἰζύος αἰνῆς.

Post hos autem, etiam Chalybes duram et sævam
[terram
Habitant, laboriosi, edocti fabricam ferri :
Qui quidem gravisonas ad incudes stantes,
Nunquam cessant a labore et ærumna grari.

Apollonius quoque lib. II *Argonauticorum*, v. 374 et seqq ,similiter :

. . . . . Μετὰ δὲ σμυγερώτατοι ἀνδρῶν
Τρηχείην Χάλυβες καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν,
Ἐργατίναι. τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.

. . . . Indeque laboriosissimi hominum
Asperam Chalybes, et duram terram tenent
287 *Operarii, qui circa rem ferream occupantur.*

Nec alia sane fuit Ammiani Marcellini opinio, cujus hæc sunt verba [3] : « Chalybes per quos erutum et domitum est primitus ferrum. » Quamobrem Catullus de iisdem Chalybibus Græcos versus sic Latine reddidit [4] :

Ut Chalybion omne genus pereat :
Et qui principio sub terra quærere venas
Instituit, ac ferri frangere duritiem.

Ad hæc vero, Ovidii de Noricis hoc legimus carmen [5] :

Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Denique præter Virgilium lib. I *Georg.*, v. 57 et 58, ac Valerium Flaccum *Argonaut.* IV, legesis Bocharti *Phaleg.* lib. III, cap. 12.

Jam vero ut ad alia gradum faciamus : « Cadmus Phœnix (verba auctoris nostri sunt [6]) primus invenit lapidicinam; et in monte Pangæo excogitavit auri metalla. » Pangæus autem mons est Thraciæ in Macedoniæ confinio. At de lapidicina, a Cadmo inventa, Clementi nostro patrocinatur Plinius [7] : sed de loco, ubi ille eam invenerit, duas idem Plinius testatur fuisse opiniones : « Lapidicinas, inquit ille, Cadmus Thebis; aut, ut Theophrastus, in Phœnice. » Verum de auri metallis quosdam Clementi consensisse perhibet, et ab illo dissensisse alios. Paulo siquidem superius ille hæc subjunxit [8] : « Auri metalla et conflaturam Cadmus Phœnix ad Pangæum montem; ut alii, Thoas et Eaclis in Panchaia, aut Sol Oceani filius. » Contra vero Cassiodorus [9] : « Primi dicuntur aurum Æacus, argentum Indus rex Scythiæ reperisse, et humano usui summa laude tradidisse. »

Præterea Clemens ibidem, φασὶ Τυρσανοὺς τὴν πλαστικὴν ἐπινοῆσαι, » Tuscanos aiunt plasticen excogitasse. » Sed secunda vox Græca non solum in Clementis nostri, sed Eusebii etiam textu in duas, A τοὺς κανούς, præpostere omnino divisa erat. Tatianus vero, Τουσκανοὶ πλαττήν· quod quidem posterius verbum, si bene, ut prius, scriptum sit, idem sonat ac πλαστικήν, de qua in superiori libro disputatum a nobis est [10]. »

Tum deinde Clemens : « Persas quoque, inquit [11], primos audivimus currum, et lectum, et pedum scabellum effecisse. » At Plinius etiamsi de curru expresse non loquatur, ad eum tamen collimare videtur, ubi scribit [12] : « Bigas prima junxit Phrygum natio, quadrigas Ericthonius. » Ælianus vero [13] : « Et equos primus Ericthonius jungit. » Sed quod ille haud obscure Athenis factum esse innuit, hoc Eusebius in Græcia et apud alias nationes prius actum haud dubitanter ita asseverat [14] : « Ericthonius primus quadrigam junxit in Græcia. Erat quippe apud alias nationes. » Moysi porro hunc Ericthonium supparem fuisse ibidem ille connotavit. Atqui ante Moysis ætatem Ægyptios, uti ex sacra Scriptura discimus, curribus usos fuisse certum est. B Quapropter pagani sese ad fabulas more suo contulerunt. Nam, ut ait Cicero [15] : « Quartam Minervam quadrigarum inventricem ferunt. » Videsis Scaligerum in citata Eusebii verba.

Neque mireris auctorem nostrum dicentem Persas primos effecisse lectum : « Antiquis enim (teste Plinio [16]), torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. » Postea itaque lectus a Persis, si Clementi nostro fidem habeas, primum status est, et apud eos cœpit esse in usu.

Deinde vero in Clementis textu, quem corruptum esse putant, hæc legimus [17] : « Quinetiam tempore Semiramidis regis Ægyptiorum, ἐπί τε Σεμιράμεως βασιλέως Αἰγυπτίων (cum Eusebio [18] enim legi volunt, ἐπί τε Σεμιράμεως βασιλίδος Ἀσσυρίων, Semiramide Assyriis imperante) narrant inventas fuisse vestes byssinas. » Quid vero? Si Clemens ibi significare voluerit byssinas vestes ab Ægyptiis primum fuisse confectas, nonne dici potest solum Σεμιράμεως nomen, quo quidem Ægypti rex quidam designabatur, librarii cujusdam oscitantia depravatum? De byssinis enimvero vestibus hæc Pollux tradidit [19] : « Byssus lini quædam species apud Indos. Nunc vero apud Ægyptios ex arbore lana quædam fit, ex qua vestem confectam, lino maxime similem esse quispiam dixerit, sola densitate excepta. Densior enim arbori fructus enascitur, nuci similis, triplici munitus cortice; qua dirempta, postquam instar nucis floruerit, interius hoc, quod lanam refert, eximitur, unde subtegmen conficitur; stamen autem illi subtendunt lineum. » Nonne his verbis ille aperte significat byssinas vestes ab Ægyptiis, uti Clemens refert, fuisse primum concinnatas et contextas. Videsis Ferrarium part. II *De re vestiaria*, libro secundo, cap. 12.

Prius vero Clemens dixerat [20] : « Medea Æetæ filia Colchis prima pilos tingere excogitavit. » In hujusce autem opinionis confirmationem in medium D haud forsan immerito proferri possunt hæc de ipsamet Medea Diodori Siculi verba [21] : « Ipsa cavum Dianæ simulacrum concinnat, in quo varii generis pharmaca recondit, et unguentis capillum sibi in canum, vultumque, et totum corpus rugis obsitum facit, ut veram anus formam intuentibus repræsentaret. » Sed de illa cum poetæ tum mythologi plura memorant. Adi Natal. Comit. lib. VI *Mythol.*, cap. 7. De pilis porro tingendis nos in super. dissert., cap. 12, art. 1, disputavimus.

---

[1] lib. VII, c. 56, p. 97. [2] p. 307. [3] lib. XXII, p. 312. [4] De coma Berenices tom. I Poet. Græc. p. 553. [5] Metam. lib. XIV, fab. 17. [6] pag. 307. [7] lib. VII, c. 56, p. 96. [8] ibid., p. 97. [9] lib. IV Variar. epist. 34. [10] Apparat. lib. II, dissert. 5, c. 2, § 6. [11] pag. 307. [12] lib. VII, pag. 101. [13] lib. III Variar. hist., c. 38. [14] in Chron. ad an. 544. [15] lib. III De nat. deor. [16] lib. VIII Natur. hist., c. 48, p. 228. [17] p. 307. [18] p. 476. [19] lib. VII, cap. 17. [20] p. 307. [21] lib. IV Biblioth., pag. 176.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De inventoribus grammaticæ, scribendæ epistolæ, et rhetoricæ orationis.

Ad alias artes et disciplinas si transeamus, observandum a nobis illud quidem erit, quod de primo grammatico hæc in verba, a quibusdam non satis intellecta, Clemens noster tradidit [23] : Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Κυμαῖος πρῶτος τοῦ Κριτικοῦ εἰσηγήσατο τοὔνομα, καὶ Γραμματικὸς προσηγορεύθη. Ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖόν φασιν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο, *Γραμματικὰ* ἐπιγράψας, ὠνομάσθη δὲ ὁ Γραμματικὸς, ὡς νῦν ὀνομάζομεν· πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος. Quæ quidem Latinus interpres ita reddidit : « Apollodorus autem Cumanus primus critici nomen suscepit, et appellatus est Grammaticus. Nonnulli autem dicunt Eratosthenem Cyrenæum. Quoniam autem duos edidit libros, quos inscripsit *Grammaticos*, nominatus est Grammaticus, sicut nos nominamus ; primus Praxiphanes Dionysiphanis filius Mitylenus. » Horum autem auctoris nostri verborum is sane est sensus : Apollodorus Cumanus nomen Critici primus suscepit, ac præterea Grammaticus appellatus fuit. Quidam vero Eratosthenem Cyrenæum, ideo quod duos *De grammatica* libros scripserit, Grammaticum quoque, sicut nunc nominamus, nuncupaverunt. At Praxiphanes primus Grammaticus cognominatus est. Verum dictu difficile quis fuerit iste Praxiphanes. Ex Laertio enim discimus [23] a Praxiphane litteris traditam **288** fuisse Platonis et Isocratis de poetis disputationem. Alium quoque memorat [24] Praxiphanem Platonis Peripatetici atque Epicuri alium auditorem. Strabo autem [25] quemdam, « inter civiles et in litteris ac philosophia versatos, » Praxiphanem recenset. Utrum autem de uno ex illis, aut de alio aliquo Clemens loquatur, a peritioribus criticis lubenter audiemus.

Plinius vero memoriæ mandavit [26] « grammatica enituisse (Apollodorum), cui, inquit, Amphictyones (id est, commune Græciæ concilium, apud Thermopylas cogi solitum) Græciæ honorem habuere. » Hunc autem Hervetus esse putat, de quo Clemens noster loquitur. Verum iste non Cumanus videtur fuisse, sed Atheniensis, filius Asclepiadis, et Aristarchi grammatici Panætiique philosophi discipulus, cujus varia opera ab antiquis scriptoribus sæpius citantur. Deinde vero Plinius illum non primum fuisse grammaticum, sed grammatica tantum enituisse refert.

A veritatis autem semita longius adhuc aberrat Vergilius, qui arbitratur Laertium ex Hermippo accepisse primum omnium grammaticam docuisse Epicurum, cujus vim Plato primus speculatus est. Laertii enimvero hæc verba sunt [27] : Φησὶ δὲ Ἕρμιππος γραμματοδιδάσκαλον αὐτὸν γεγενῆσθαι· ἔπειτα μέντοι περιτυχόντα τοῖς Δημοκρίτου βιβλίοις ἐπὶ φιλοσοφίαν ἄξαι. « Grammaticam vero illum docuisse primum, deinde lectis Democriti libris, operam philosophiæ dedisse Hermippus auctor est. » Non aliud autem hæc verba significant, nisi Epicurum prius grammaticam docuisse, quam philosophiæ operam daret. Quamobrem Sextus Empiricus [28] narrat eumdem Epicurum, relicto grammatico qui ipsi responderat non sui muneris esse, sed philosophi, quid chaos esset explicare, illico accessisse ad philosophos.

Strabo vero [29] alicubi Apollodorum grammaticum citat, castigatque, sed cujas ille fuerit penitus silet. Varios autem eo nomine appellatos recenset Vossius [30] ; verum de Cumano nihil plane. Videsis de variis illis Apollodoris Jonsium, lib. II *De histor. philosoph. scriptor.*, cap. 17, et laudatum a Vossio Scipionis Tetti de iis commentarium.

Quiddam porro de Eratosthene Cyrenæo paulo certius habemus. Etenim de illo hæc Strabo litteris consignavit [31] : « Callimachus quoque Cyrenæus est, et Eratosthenes, ambo ab Ægypti regibus in honore habiti, ille poeta simul et grammaticæ studiosus, hic et in his, et in philosophia, et in mathematicis, ut quisquam alius, excellens. » Vernantamen Suidas [32] hunc non solum Aristotelis philosophi Chii, sed Lisaniæ etiam Cyrenæi grammatici auditorem fuisse testatur. Non potuit ergo primus grammaticus merito audire. Quidam nihilominus perhibent eum ob grammaticæ aliarumque scientiarum peritiam sibi primum omnium philologi vindicasse cognomen. Atqui nonnulli, teste Casaubono [33], inter grammaticum, philologum et criticum, nihil contendebant esse discriminis. Et vero κριτικοὶ olim dicebantur poematum aliorumque operum judices et censores, quales, teste Quintiliano [34], Aristarchus atque Aristophanes fuerunt. Clemens autem de eo potissimum loquitur, qui critici nomen primus suscepit. Cæterum idem ipse Clemens aperte tradidit hoc non ab omnibus, sed a quibusdam tantum Eratostheni tributum.

Grammatica porro cum bene et loquendi et scribendi ars sit, nulli dubium esse potest, quin ilia ad litteras scribendas plurimum conduxerit. At, inquit Clemens [35] : « Primam scripsisse epistolas Atossam, Persarum reginam, dicit Hellanicus. » Quod quidem a Tatiano memoriæ proditum ostendimus [36]. Atossa autem Cyri filia et Darii uxor fuit.

Quis autem rhetoricam orationem primus composuerit, si quæras, respondet auctor noster [37] : « Aiunt quæ in schola fiunt orationes, et rhetoricæ proprietates invenisse, et mercede primum judicialem orationem alteri tradendam conscripsisse Antiphontem Rhamnusium, ut dicit Diodorus. » Et certe Plutarchus [38] in libro *De vita decem rhetorum* Antiphonti primum inter eos locum his verbis dedisse legimus : « Antiphon Sophili filius tribu Rhamnusius, patrem audivit.... Facultatem dicendi adeptus (quidam suopte ingenio eam consecutum existimant), animum quidem ad rempublicam appulit..... Præterea civibus quibusdam, id petentibus, orationes scripsit, quibus causas in judicio suas tuerentur; idque primus ipse aggressus a nonnullis dicitur. Sane eorum, quos ipse ætate subsecutus est, nullius ulla juridiciales exstat oratio, ac ne æqualium quidem ejus, Themistoclis, Aristidis, Periclis.... Prompto fuit ingenio, ideoque Nestor cognominatus. » Suidas tamen [39] huic Antiphonti Gorgiam ea ipsa in re anteposuit. Nam de Antiphonte : « Nullus, inquit, cognoscitur, qui fuerit ejus magister ; sed tamen post Gorgiam forensis dictionis princeps fuit. » De Gorgia autem hunc scribit in modum [40] : « Hic oratoria disciplinæ forma vim elocutionis et artis tradidit, et tropis, et translationibus, et allegoriis, et hypallagis, et abusionibus, et trajectionibus, et conduplicationibus, et repetitionibus, et apostrophis, et compar bus est usus. A singulis vero discipulis exigebat minas centum. » At si fidem Suidæ habere nolumus, testemque alium locupletiorem desideres, præsto nobis est Diodorus Siculus, cujus ipsissima hæc

[23] Strom. lib. I, p. 309. [24] lib. III in Vita Platonis, § 8 et 109. [25] l. X, § 13. [26] l. XIV, pag 655. [27] lib. VII Hist. nat., c. 37, p. 58. [28] lib. X in Vita Epic., § 2. [29] l. X advers. math. [30] l. XIV Geogr., p. 661. [31] De hist. Græc., l. II, c. 21, p. 134, et l. III, p. 326 et seq. [32] l. XVII, p. 838. [33] ad v. Ἐρατοσθένης. [34] in l. III Athen., c. 1. pag. 147, et comment. de critica. [35] l. X Institut. orat., cap. I, p. 307. [36] Apparat. l. II, c 2, § 6. [37] p. 308. [38] tom. II, p. 832. [39] ad vocem Ἀντιφῶν. [40] ad verbum Γοργίας.

Digitized by Google

sunt verba [41] : « Gorgias orator dicendi facultate eloquentissimum quemque sua ætate supergressus est. Hic varias dicendi artes primus invenit, et in sapientis eloquentiæ studio ac professione adeo supra alios eminuit, ut mercedis loco centum a singulis discipulis minas acciperet. » Quid ergo? Nonne, inquies, Diodorus a Clemente testis citatur? At si hic ab ipso citatur, nonne dicendum est Clementem memoriæ lapsu pro Gorgia scripsisse Antiphontem? Sed priusquam tuum feras de ea re judicium, audi adhuc, oro te, Ciceronem, de claris oratoribus hæc disputantem in verba [42] : « Itaque ait Aristoteles cum sublatis in Sicilia tyrannis, res privatæ longo intervallo judiciis repeterentur, tum primum (quod esset acuta illa gens, et controversa natura) artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse. Nam antea neminem solitum via, nec arte, sed accurate tamen, et de scripto plerosque dicere, scriptasque fuisse et paratas a Protagora rerum illustrium disputationes, quæ nunc communes appellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset : quod judicaret hoc oratoris maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Huic Antiphontem Rhamnusium similia quædam habuisse conscripta, quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis causam, cum se ipse defenderet, se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides. » At si uterque Gorgias et Antiphon similia habuerunt, nihil mirum si nonnulli id Gorgiæ, quod **289** alii Antiphonti ascripserint. Clemens itaque cum non quod ipse, sed quod alii censuerint, explicet, auctorem suum Diodorum, sed alium forsitan a Siculo laudavit. Non eum autem solum, sed Plutarchum etiam [43], si id necessarium credidisset, in opinionis suæ confirmationem citare potuit. Videsis de utroque Antiphonte et Gorgia Photii *Biblioth.*, cod. 259, pag. 1451 et seqq.

ARTICULUS IV.

De inventoribus artis poeticæ, et musicæ, modorumque musicorum, iambi, dithyrambi, hymni, choreæ, ἐρωτικῶν, variorumque saltandi modorum, nomorum, citharæ, nablæ aliorumque instrumentorum musicorum.

Ad artem poeticam et musicam quod spectat, plura de variis illarum partibus earumque auctoribus Clemens congerit, ac de illis more suo satis confuse disserit. Et primo quidem alieno in loco de musica hæc habet [44] : « Zethus et Amphion inventores musicæ fuerunt circa Cadmi ætatem. » Sed mirum sane quam variæ multiplicesque fuerint de musices inventione antiquorum opiniones. Quamvis enim Valerius Probus [45] auctori nostro patrocinetur, atque Eusebius hæc ipsamet ejus verba in libros suos transtulerit; ille tamen ipse Eusebius alibi [46] scribit Græcos Dionysio tribuisse musicæ saltem harmonicæ inventum. Plinius vero [47] musicam a solo Amphione excogitatam esse perhibet. At Servius [48] : « Studium, inquit, musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos crepitu ac tinnitu æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent. »

Atque ut Berosum, qui Bardo Gallorum regi, et Polybium [49], atque alios, qui Arcadum majoribus originem musicæ tribuere videntur, missos faciamus, hanc Diodorus Siculus [50] alicubi Mercurio assignat, alibi vero eorumdem, aut saltem musicorum acromatum scholas, musicosque conventus A Baccho, alibi denique quasdam illius partes, Minervæ, alias Apollini vindicat. Boetio porro si credimus [51], cum Pythagoras in fabrorum officinis animadvertisset diversum malleorum sonum ex vario eorum pondere oriri, inde musices consonantiam adinvenit. Quid plura? Chamæleon Ponticus, apud Athenæum [52], ait « priscis hominibus repertam ac excogitatam musicam ab iis avibus, quæ in solitudinibus canunt, ad earumque imitationem institutam fuisse musices disciplinam. » Unde Lucretius de musicæ origine sic cecinit [53] :

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit multo, quam lævia carmina cantu
Concelebrare homines possent, auresque juvare,
Et zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas.
Inde minutatim dulces didicere querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Avia per nemora, ac silvas, saltusque reperta,
B *Per loca pastorum deserta, atque otia dia.*

At his paganorum scriptorum opinionibus verior procul dubio tibi videbitur sententia Josephi [54], qui Jubal Lamechi filium « musicæ operam haud dubie primum dedisse, psalteriumque et citharam » invenisse testis non omnino incertus nobis est. In Geneseos etenim libro [55] dicitur fuisse « pater canentium cithara et organo; » vel ut in Græca LXXII Seniorum interpretatione : οὗτος ἦν ὁ καταδείξας ψαλτήριον, καὶ κιθάραν.

De musicis autem modis ita auctor noster : « Modos, inquit [56], μέλος, poematibus primus adjecit, et Lacedæmoniorum leges numerosis versibus scripsit Terpander Antissæus. » Hæc paulo fusius Plutarchus explicat, aitque [57], « Terpandrum citharœdicorum poetam nomorum, et sua, et Homeri carmina in certaminibus certo quodque modulo cecinisse, eumque primum modis citharœdicis nomina imposuisse. . . . . .

C . . . . . citharœdicæ artis nomi multo ante tibicinum nomos tempore instituti sunt a Terpandro. Is ergo citharœdicis nomina fecit Bœotium, Æolium, Trochæum acutum, Cepionem, Terpandrium, Tetraœdium. Fecit etiam Terpander procœmia citharœdica in heroicis carminibus. . . . . Terpandrum porro æmulatum esse Homeri versus, et Orphei cantilenas, Ὀρφέως τὰ μέλη. » Quamobrem Plinius ait [58] : « Citharœdica carmina composuit Terpander. » Apud Photium autem Proclus in *Chrestomathia* [59] : « Nomimus Apollo ita appellatus est, quod veteribus, choros constituentibus, et ad tibiam vel lyram nomon canentibus Chrysothemis Cretensis primus stola usus insigni, et accepta cithara, Apollinem imitatus, cecinerit nomon, qui cum eo genere vehementer probatus esset, permansit hic modus certaminis. Terpandrum vero nomon absolvisse primum apparet, cum heroicum carmen adhibuit. » Verum Suidas [60] scribit Terpandrum a quibusdam D dici Hesiodi, vel Homeri gentilem; ab aliis vero aliunde oriundum, ac fuisse lyricum, « qui primus septem chordis instructam lyram fecit, et lyricos modos primus scripsit, quamvis quidam Philamonem eos scripsisse velint. » Pindari denique auctoritate Athenæus [61] ostendit excogitatum ab eo fuisse barbiton : quamvis illius inventionem Anacreonti Neanthem Cyzicænum adjudicasse testificetur. Videsis Erasmum *Adag.*, chiliad. 1, centur. 6, adag. 41, et Plutarchum jam a nobis laudatum lib. *De musica*, pag. 1140 et 1141.

Sed ad Clementem nostrum redeamus : « Jam vero,

[41] l. XII Bibliot., p. 313. [42] in Brut., pag. 217. [43] loc. cit. [44] Strom. l. I, p. 323. [45] in Virgil. [46] l. X Præp. evang., c. 6, et l. II. [47] l. VII Natur. histor., c. 56, p. 102. [48] Polyhist., c. 11. [49] l. IV, p. 289. [50] l. I Biblioth., p. 20; l. IV, p. 419, et l. V, p. 255. [51] l. II De music., c. 10. [52] l. IX Deipnosoph., p. 390. [53] l. V De rer. nat. ante fin. [54] l. I Antiq. Judaic., c. 3. [55] Gen. IV, 21. [56] p. 308. [57] circ. init. lib. De music, tom. II, p. 1132. [58] l. VII, c. 56, p. 103. [59] Bibl. cod. CCXXXIX, 986. [60] ad verb. Τέρπανδρος. [61] l. VI Deipnosoph., p. 175.

Digitized by Google

inquit [62], iambum quidam excogitavit Archilochus Parius, claudum autem iambum Hipponax Ephesius. Nonnulla autem hunc in locum observat Hervetus, docto sane viro haud indigna. Sed ipsi procul dubio excidit, aut potius ab eo nunquam lectum est, quod hoc de iambo Proclus apud Photium memoriæ prodidit : « Iambicorum, inquit [63], poetarum Archilochus Parius facile princeps, et Simonides Amorginus, vel, ut quidam volunt, Samius, et Hipponax Ephesius, quorum primus quidem tempore Gygis, alter vero Ananiæ Macedonis, Hipponax vero Darii temporibus floruerunt. » De utroque illo poeta adhuc aliquid infra dicendum erit. Quamobrem hic tantum observabimus Archilochi iambos a Plutarcho ad musicam sic referri [64] : « Iambici ad pæonem epibatum intentio, et heroici aucti in prosodaicum, et creticum ; et quod iambicorum alia dicuntur ad pulsationem, alia canuntur, id ab Archilocho monstratum, a tragicis deinde usurpatum ferunt, idque Krexum accepisse, et ad dithyrambum traduxisse. »

At dithyrambi quandoquidem ille mentionem fecit, audi quid de illius inventione Clemens noster tradidisse legitur : « Dithyrambum autem, inquit ille [65], excogitavit Lassus Hermioneus. » Ipsius opinioni subscripsere Suidas [66] et Aristophanis scholiastes [67], atque illius de eodem Lasso, seu Laso, hæc sunt verba : « Hic primus librum de musica scripsit, et dithyrambum in certamen deduxit, et contentiosas opiniones introduxit. » Arioni tamen dithyrambi primam saltem apud **290** Corinthios originem sic asserit Herodotus [68] : « Arion primus omnium, quos novimus, et fecit, et nominavit, et docuit Corinthi dithyrambum. » Proclus vero ubi hujus nominis etymologiam pandit, ibi testem citat Pindarum, qui dithyrambum Corinthi repertum fuisse simpliciter asseruit [69] : « Dithyrambus in Bacchum conscriptus, a quo nomen accepit, vel quod apud Nysan in antro dithyrambo, hoc est, bifori sit educatus, vel quod apertis suturis Jovis repertus sit, vel quod bis genitus videatur, semel ex Semele, iterumque ex femore. Repertum vero fuisse Corinthi dithyrambum Pindarus refert. Primum vero, qui hoc carmine cecinerit, Aristoteles Arionem fuisse prodit, qui primus cyclicum chorum duxit. » Adisis Cœl. Rhodigin., lib. VII *Lection. antiquar.*, cap. 5, p. 228 et seq., atque Vossium *De poetis Græcis*, pag. 23 et seqq.

Ad hæc vero Clemens [70] : « Hymnum Stesichorus Hymeræus, choream Alcman Lacedæmonius, amatoria, τὰ ἐρωτικά, Anacreon Teius, canticum ad saltandum accommodatum, ὑπόρχησιν, Pindarus Thebanus, et nomos, νόμους, primos cecinit in choro et cithara Timotheus Milesius. » De tribus primis multa nobis apud Athenæum [71] et Suidam [72] occurrunt. Atque, ut ab ipso posteriore ordiamur, hæc illius sunt de Stesichoro verba : « Fuit lyricus, ejusque poemata exstant Dorica dialecto libri 26..... Dictus est autem Stesichorus, quod primus instituerit κιθαρῳδίας χορόν, chorum citharœdiæ. Nam ante vocabatur Tisias. » De Alcmane autem Lacedæmonio ita idem Suidas : « Cum esset, inquit [73], valde deditus amoribus, amatoriorum carminum, ἐρωτικῶν μελῶν, inventor fuit..... Primus autem auctor fuit, ne hexametri ad lyram canerentur, μὴ ἑξαμέτρους μελῳδεῖν. » Postremo de Anacreonte Teio hæc ille narrat [74] : « Scripsit elegias, et iambos, omnia lonica dialecto..... Vitam autem suam in puerorum et mulierum amoribus, et carminibus, πρὸς ἔρωτος παίδων, καὶ γυναικῶν, καὶ ᾠδάς, transegit. Conscripsit autem et carmina vinolenta, et iambos, et illa quæ vocantur Anacreontia. » Quibus vero temporibus ii floruerint ipse quoque ibidem notat Suidas, quemadmodum Eusebius [75] et Vossius [76], quos simul componere te minime pigeat.

Porro autem chorus citharœdiæ dicitur esse cantus ad citharam, ita ut chorus ad citharæ cantum saltaret, chorea vero saltatio cum cantu. At si hæc unum idemque sint, certe vides Clementem id uni tribuisse, quod alteri Suidas ascribit. Suspicioni igitur locus haud immerito datur, ne aliquid in Clementis textu hiulcum subsit, aut corruptum. Verum meminisse debes non unam esse omnium hisce de rebus opinionem, atque auctorem nostrum habuisse, ac postea citasse sententiæ suæ vades et testes.

Verum quid Athenæus [77] de iisdem tribus illis hominibus et rebus ab eorum unoquoque adinventis dixerit, jam attendamus. De primo autem hæc ille loquitur in verba : « Stesichorus amori non mediocriter deditus, eum canticorum modum composuit quæ olim παιδικά et παιδιά (hoc est, pueriles lusus, sive puerilia oblectamenta) vocaverunt. » At si hæc cantica, ᾄσματα, revera hymni fuerint, is certe Clementi nostro consentit.

Paulo autem superius ille de Alcmane dixerat [78] : « Architas Harmoniacus scribit, ut ait Chamelæon, amatoriis versibus condendis omnium principem ac ducem Alcmanem fuisse, erga mulieres petulantissimum, et ante omnes in vulgus eam musam, et ea carmina edidisse, quæ in hominum congressu ac conventiculis canerentur. »

Postremo ille ibidem narrat Critiam hæc de Anacreonte cecinisse :

Τὸν δὲ γυναικείων μελέων πλέξαντα πότ' ᾠδάς
Ἡδὺν Ἀνακρεόντα Τέως εἰς Ἑλλάδ' ἀπῆγεν,
Συμποσίων ἐρέθισμα, γυναικῶν ἠπερόπευμα,
Αὐλῶν ἀντιπάλον, φιλοβάρβιτον, ἡδὺν, ἄλυπον.

Muliebrium versuum cantus olim qui texuisti
Dulcem te, Anacreon, Teos in Græciam adduxit,
Voluptatis convivalis irritamentum, mulierum fastidiosum,
Tibiarum hostem, lyræ studiosum, suavem, semper gratum, etc.

Is autem ab eodem Athenæo [79] vocatur μελικὸς ποιητής, cujus alio adhuc in libro Clemens noster meminit [80], quemadmodum Strabo [81], qui eum cum Polycrate vixisse et mentione illius sua carmina opplevisse testificatur.

Tum deinde Clemens [82] ait a Pindaro excogitatam fuisse ὑπόρχησιν, qua voce Latinus illius interpres putat canticum ad saltandum accommodatum significari. Vide autem an illa idem non sonet atque ὑποχρηματική, quam Athenæus docet esse tertium lyricæ poeseos saltandi genus : « Tres, inquit [83], sunt in scenica poesi saltationes, tragica, comica, satyrica, totidem et lyricæ poeseos, Pyrrhiche, gymnopedice, et ὑποχρηματική. » Et paulo post ait illam, a saltante choro decantari, virisque ac mulieribus esse communem. De ea porro videndus est Meursius lib. *De saltatione veterum*, ubi plura hanc in rem disputavit. At ipsius de animo elapsum id videtur, quod Clemens noster de hyporchesi tradidit. Proclus autem apud Photium de hyporchemate hæc scripto prodidit [84] : « Ὑπόρχημα, hyporchema, inquit, vocabant carmen cum saltatione decantatum. Ὑπό enim veteres pro μετά sæpe usurpaverunt. Hujus inventores fuisse referunt, hi quidem Curetas, alii

[62] pag. 308. [63] in Bibl. cod. CCXXXIX, pag. 983. [64] De music., p. 1141. [65] p. 308. [66] ad verb. Λάσος. [67] Schol. in Vesp. [68] l. I, § 23. [69] apud Phot., loc. cit. [70] p. 308. [71] l. XIII Deipn., p. 600 et seqq. [72] ad verb. Στησίχορος. [73] ad verb. Ἀλκμάν. [74] ad verb. Ἀνακρέων. [75] in Chron. [76] De poet. Græc., p. 16. [77] lib. XIII, p. 601. [78] ibid., p. 600. [79] l. XIII, p. 671. [80] l. III Pædag., c. 12, p. 251. [81] lib. XV Geograph., p. 63. [82] p. 308. [83] l. XIV Deipn., p. 630. [84] Bibl. cod. CCXXXIX, p. 986 et seq.

Digitized by Google

vero Pyrrhum Achillis filium; unde saltationis genus quoddam Pyrrhichiam nominant. » Posteriora quidem hujusce scriptoris verba Meursius exhibet, ubi multa de pyrrhiche congerit. Sed nos commonefacere debebat ab illo pyrrhichen cum hyporchemate confundi, quamvis illa Athenæus apertissime distinxisse videatur.

Præterea Clemens addidit [85] : « Νόμους primos cecinit in choro et cithara Timotheus Milesius. » Verum Hervetus opinatur qui hæc dixerit inveniri posse neminem. Quid ergo sibi volunt hæc Plutarchi de Timotheo verba [86]: « Quod autem cytharœdici nomi antiquitus ex heroicis versibus constiterint, Timotheus declaravit, qui primus nomos heroicis permiscens, dithyrambicam cantavit dictionem; ne prima fronte videretur veterem musicam violare. » Atque ut Proclum de his paulo obscurius disserentem [87] missum faciamus, nonne mentem suam de his Boetius, ad quem Hervetus nos mittit, satis aperte declaravit? « Quoniam vero, inquit [88], Timotheus Milesius super eas, quas ante repererat, unum addidit nervum, ac multipliciorem musicam fecit, exegere de Laconica, consultumque de eo factum est. » Quod quidem consultum ille Græce repræsentat, et continuo hæc subnectit: « Quod consultum id scilicet continet: Idcirco Timotheo Milesio Spartiatas succensuisse, quod multiplicem musicam reddens, puerorum animis, quos acceperat erudiendos, officeret, et a virtutis **291** modestia præpediret, et quod harmoniam, quam modestam susceperat, in genus chromaticum, quod est mollius, evertisset. » Quapropter in eumdem sensum scribit Suidas : « Timotheus Thersandri, vel Neomysi, vel Philopodis filius, lyricus, qui decimam et undecimam chordam addidit lyræ, et antiquam musicam ad molliorem modum traduxit. Fuit autem temporibus Euripidis tragici, quibus et Philippus Macedo regnabat. Obiit autem ætatis anno 97. Scripsit versibus modos musicos 19, parœmias 58. » Nonne autem hæc omnia si Hervetus legisset, aut ad ea serio animum advertisset, ad confirmandam aut illustrandam Clementis nostri mentem sufficere ei debebant? Athenæus porro [89] non semel hujus meminit Timothei, de quo legendus est Vossius lib. *De poet. Græc.*, pag. 46.

Scriptis demum hæc Clemens noster tradidit : « Cappadoces primi invenerunt id quod nablium appellatur, τὸν νάβλαν καλούμενον, quemadmodum Assyrii quoque dichordon. » Ab aliis tamen, nempe a Phœnicibus, illud inventum fuisse testis est apud Athenæum Sopater : « Nablan, inquit [90] ille, Sopater Parodus in poemate, cui titulus est *Portæ*, a Phœnicibus inventum fuisse scribit. » Eumdem Athenæum libro a nobis laudato [91], atque lib. XIV, pag. 623 et seqq. consulere poteris tam de aliis musices instrumentis, quam de variis illius modis, de quibus Clemens ibidem disserit [92]. Neque te pigeat adire Casauboni in hos Athenæi libros animadversiones, atque etiam Plutarchum libro *De musica*, Boetium libro etiam *De musica*, cap. 56; Julium Pollucem lib. IV *Onomast.*, cap. 9 et 10; Polydorum Vergilium lib. I *De inventor. rer.*, cap. 14 et 15.

ARTICULUS V.

De inventoribus carminis hexametri, tragœdiæ et comœdiæ, ac quis primus librum ediderit.

Jam quidem multa, quæ ad artem poeticam attinent, hic de musica disputantes, et alibi perstrinximus [93]. At præterea varias Clemens noster sententias de carminis heroici hexametri, unam vero duntaxat de poematum auctore sic proponit [94] : « Aiunt Phanotheam Icarii uxorem invenisse τὸ ἡρῷον τὸ ἑξάμετρον, heroicum hexametrum : alii vero Themin, unam ex Titanidibus; Didymus autem in libro *De philosophia* refert Theano Crotoniatidem primam ex mulieribus esse philosophatam et scripsisse poemata. Nihil autem de his omnibus sibi occurrisse Hervetus fatetur. De hexametro tantum carmine ut aliquid comperti habeamus, ille ad Polydorum Vergilium [95], et hic Vergilius ad Plinium nos mittit. At Plinius hæc duntaxat de heroico carmine posteris prodidit [96] : « Versum heroicum Pythio oraculo debemus; haud dubie quia hoc carminum genere responsa sua reddebat. Verum de Phemonoe idem narrat Pausanias, qui Olenem nihilominus ante omnes alios primum his versibus, sed quodam tantum in loco vaticinatum fuisse sic perhibet [97] : « Maxima vero fuit nominis celebritate Phemonoe, ut quæ dei interpres prima fuerit, prima etiam senariis longioribus oracula decantarit, καὶ πρώτη τὸ ἑξάμετρον ἦσε; Bœo tamen indigena mulier Delphis, hymno composito, advenas, ab Hyperboreis profectos, oraculum Apollini dedicasse tradidit, cum alios, tum Olena, qui primus vaticinatus eo in loco fuerit, primusque senarios longiores repererit, τοῦτον δὲ μαντεύσασθαι πρῶτον, καὶ ἆσαι πρῶτον τὸ ἑξάμετρον. » Proclus vero apud Photium de eadem Phemonoe [98] : « Melos, ait, primo reperit Phemonoe, Apollinis sacerdos, hexametris oracula reddere solita. » Eusebius denique Pausaniam cum Plinio his paucis verbis reconciliavisse quibusdam fortasse videbitur [99] : « Apud Pythium vates prima Phemonoe hexametris versibus futura cecinisse narratur. » Uterque enim hæc de Phemonoe generatim, nullaque addita exceptione pronuntiat.

Verum hi scriptores, inquiet aliquis, plane non dicunt Phemonoen hexametri carminis esse inventricem, sed hexametro carmine dedisse de rebus futuris oracula et vaticinia. Deinde vero Clemens, non de Phemonoe, sed de Phanotea Icarii uxore loquitur. Utraque autem ab illo aperte distinguitur. Nam infra de Phemonoe hæc ipsius sunt verba [1] : « Quod si quis dicat Phemonoen primam Acrisio responsa dedisse, πρώτην χρησμῳδῆσαι Ἀκρισίῳ, sciat quod septem annis post Phemonoen fuit Orpheus, et Musæus, et Linus præceptor Herculis. » Responsa autem illa erant oracula, quæ scriptores, a nobis laudati, a Phemonoe, quam paulo infra vatibus Clemens annumeraverat, hexametris versibus reddita fuisse affirmant. At si hæc opinio, cui tamen de præscripto tempore suffragium suum ferre Clemens non audet [2], vera sit, debuit certe Phemonoe illa primos poetas Orpheum, Musæum et Linum, antecedere. Quia tamen inde invicte conflci non potest eam omnium omnino primam carmen hexametrum composuisse: inde profecto oritur, ut hoc alii Phanotheæ, uti Clemens, alii autem Themidi adjudicandum esse censuerint. De Themide porro id Diodorus Siculus litteris mandavit [3] : « Themis vaticinandi artem, sacrorum ritus, et leges, deorum cultui servientes, princeps informavit, et quæ ad bonam jurisdictionem ac pacis studia pertinent, edocuit..... Quin et ipsum Apollinem, quando responsum editurus est, Themisteueiv, id est, Themidis munus obire dicimus, quod Themis nimirum inventrix oraculorum exstiterit. » Cum autem oracula hexametro, sicut dictum est, carmine fusa fuisse perhibeantur, idcirco nonnulli originem hujuscemodi carminis ad eam retulere.

[85] p. 308. [86] tom. II, l. De music., p. 1132. [87] Bibl. loc. cit. [88] l. I De music., c. 55. [89] l. III Deipn., p. 122; l. VI, p. 243; l. VIII, p. 338, etc. [90] p. 307. [91] l. IV Deipn., p. 175. [92] p. 307. [93] l. II Appar., dissert. 6, c. 2, § 6. [94] l. I Strom., p. 309. [95] l. VII De invent. rer., c. 2. [96] l. VII Natur. hist., c. 56, p. 103. [97] l. X, p. 320. [98] Bibl. cod. CXXXIX, p. 982. [99] Chron. ad an. 650. [1] lib. I Strom., p. 323. [2] p. 334. [3] l. V Bibl., p. 232.

Digitized by Google

Verumtamen aliquem audire nobis videmur objicientem aliquod fortasse in Clementis nostri textu esse mendum, ac pro Phanothea legendum esse Phemonoe. Illius siquidem non solum longe clarius celebriusque quam Phanoteæ fuit nomen : sed ipsa quoque prima hexametrum carmen, oracula fundendo, a scriptoribus plerisque omnibus unanimi consensu edidisse dicetur [4]. Huc accedit quod Porphyrius illam non Icarii, sed Delphi filiam appellet. Itaque illorum, qui hæc nobis objicient, conjecturam improbabilem omnino esse non putaremus, nisi manu scriptorum codicum auctoritas ei penitus repugnaret. Sed de his diversis opinionibus jam satis superque disputavimus, atque eo maxime, quod Clemens in quam magis propendeat nobis non significet.

De Theano denique quam Clemens [5] Didymi auctoritate fretus, « primam » quidem, sed tantummodo « ex mulieribus » sicut « philosophatam, ita et poemata scripsisse » tradit, paulo superius a nobis actum est [6].

Quapropter ad tragœdiam et comœdiam veniamus, de quibus idem auctor noster magis adhuc ex aliorum, ut assolet, quam ex sua sententia, hæc constituit [7] : « Et tragœdiam quidem Thespis Atheniensis, comœdiam autem Sisarion Icarieus. Tempora eorum tradunt grammatici. » Nos quidem Hervetus admonet **292** Thespim ab Horatio dici tragœdiæ inventorem : sed nihil de Sisarione Icarieo a se ullibi quidquam repertum. Eosdem Horatii versus citat Donatus, ut similiter probet auctorem tragœdiæ eumdem esse Thespim : « Comœdiam autem, inquit ille [8], apud Græcos dubium est quis invenerit, apud Latinos certum est. Comœdiam et tragœdiam togatam primo Livius Andronicus reperit. » Evanthius autem Donato coævus : « Quamvis, ait [9], retro prisca volventibus, reperiatur Thespis tragœdiæ primus inventor ; et comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse dicatur ; Homerus tamen, qui fere omnis poeticæ largissimus fons est, etiam his carminibus exempla præbuit, et velut quadam suorum operum lege præscripsit, qui *Iliadem* instar tragœdiæ, *Odysseam* ad imaginem comœdiæ fecisse monstratur. » Sed hanc de Homeri operibus, ad comœdiæ et tragœdiæ instar effectis, opinionem Scaliger refellit [10]. Castigat quoque Siculos, qui ut majoribus suis comœdiæ initia tribuerent, se Megarensium colonos et Epicharmum civem suum fuisse venditabant. Ipsius vero opinio est comœdiam, ut in cæteris usu venit, a parvis initiis, nimirum a lusibus, post cœnam et tota nocte fieri solitis, postea certis quibusdam paulatim astrictam regulis, et arte perfectam, atque Epicharmi ingenio factam fuisse cultiorem. Tragœdiam vero esse rem antiquam, comœdia tamen non vetustiorem. Ad Thesei enim sepulcrum legimus certasse tragicos. Neque ab hac opinione longius discessisse videntur a nobis jam laudati Donatus et Evanthius.

Porro autem Aristoteles scribit [11] varias propter rationes Homerum, Sophoclem, Aristophanem et Epicharmum sibi comœdiam tragœdiamque vindicare, et utramque quidem Dorienses, tragœdiam vero Peloponnenses, atque comœdiam Megarenses et Siculos. Quapropter Solinus ubi de Sicilia sermonem facit : « Hic primum, inquit [12], inventa comœdia. » Atque inde patet quam obscura sint earum, ac præsertim comœdiæ, ut idem Aristoteles testatur [13], et primordia et origo. Et vero quamvis plerique omnes Thespim cum Clemente nostro tragœdiæ auctorem esse fateantur ; Laertius tamen unam tantum illius partem ei hunc tribuit in modum [14] : Olim tragœdiam prius quidem chorus solus agebat ; postmodum vero Thespis unum invenit histrionem, ut chorus interdum quiesceret, secundum postea Æschylus adjecit, et tertium Sophocles ; atque in hunc modum tragœdia consummata est. » Verumtamen hæc non impediunt quominus Clemens noster quamplurimos nactus sit suæ de Thespi sententiæ patronos et astipulatores, quamvis Suidas quoque quosdam ei refragatos esse testificetur [15]. Videsis variorum in citatum Laertii locum observationes et notas.

Solus igitur restat Sisarion, et ut in manuscripto nostro codice legitur, Συσαρίων, cujus longe infrequentior apud scriptores memoria. Cum eum autem Icarieum Clemens vocaverit, expende, quæso, utrum ejus opinio his confirmari possit Athenæi verbis [16] : « Comœdiæ prima quidem origo et tragœdiæ fuit ex compotatione et temulantia in Icario Atticæ pago, ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς, vindemiæ tempore, unde trigodiam principio, et comœdiam appellarunt. » Verum si quis cum Herveto velit sibi Susarionis nomen ab aliquo indicatum proferri, is adeat Diomedem, et eum sic loquentem audiat [17] : « Poetæ primi comici fuerunt Sussarion, Nullus (vel ut alii scribendum censent, Mullus), et Magnes. » Plura de comœdia et tragœdia scire qui cupierit, ille præter citatos a nobis auctores, consulat Lilium Gregorium Giraldum, Julium Cæsarem Scaligerum, Joannem Casalium, *De tragœdia et comœdia* [18], necnon et Polydorum Vergilium, et aliorum de utraque, ac de cæteris, de quibus hactenus disseruimus, rerum inventoribus libros, et commentarios, aliasque lucubrationes.

De ipsorummet porro librorum conscriptione et promulgatione hæc narrat Clemens [19] : « Et Alcmæon quidem, Perinthi filius, Crotoniata, primus librum scripsit de natura. Alii autem Anaxagoram, Hegesibuli filium, Clazomenium, primum librum scriptum edidisse referunt. » Hervetus autem hic adnotat primum nullibi, secundum vero apud Laertium reperiri. Miraberis procul dubio Hervetum non legisse hæc ejusdem Laertii verba in brevissima Alcmæonis historia [20] : « Videtur primus de naturæ ratione scripsisse : δοκεῖ πρῶτος φυσικὸν λόγον συγγεγραφέναι, ut Favorinus in omnimoda historia. » Minus fortasse mirandum, si id de Theodoreto dixisset, a quo ille non Ἀλχμαίων, sed Ἀλκμάν vocatur. Scriptis enim hæc ille tradidit [21] : « Alcman Pirithi filius, Crotoniades, qui primus fertur de natura rerum scripsisse. » Sed hunc nihilominus eumdem esse, ac eum, de quo Clemens disserit, haud ambiguum est : quandoquidem idem Alcmæonis seu Alcmanis pater, eadem patria, et libri scriptio ab utroque Clemente ac Theodoreto assignatur.

Verumtamen Themistius haud hæsitanter illud Anaximandro, Thaletis discipulo, sic ascribit et vindicat [22] : « Illius (Thaletis) studia ac doctrinam æmulatus Anaximander, Praxiadis filius, non omnia tamen imitatus est ; sed hoc immutavit statim, atque ab usitata ratione deflexit, quod primus Græcorum, quos scimus, ausus est horum de natura scriptum a se in publicum proferre. Contra enim libros conscribere ignominiosum habebatur, neque apud veteres Græcos usu ac consuetudine receptum erat. Nam Anaxagoram Clazomenium omitto. »

De hoc autem Anaxagora Laertius eadem, quæ Clemens noster, ita scripsit, ut ex ipso videantur esse desumpta : « Primus, inquit [23], Anaxagoras librum a se scriptum edidit. » Nos quidem non fugit hoc ab Aulo Gellio alicubi fuisse litteris et me-

[4] Apud. Stob., serm. 21, p. 185. [5] lib. I Strom., p. 309. [6] sup. c, 19. art. 4. [7] l. I Strom., p. 308. [8] de tragœd. et comœd. Thesaur. antiquit. Græc, vol. VIII. [9] apud Donat., loc. cit. [10] Comment. de comœd. et tragœd., c. 1. [11] De art. poet., c. III. [12] Polyb., c. V. [13] loc. cit., c. 5. [14] l. III De vit. et dogm. philos. in Vit. Platon., § 56. [15] Ad verb. Θέσπις. [16] l. II Deipn., c. 5, p. 40. [17] l. III De arte grammatica. § 83. [18] tom. VIII, antiq. Græc. [19] l. I S.rom. p. 308. [20] l. VIII De vitis et dogm. philos., § 83. [21] tom. IV, serm. 1, p. 468. [22] Orat. 26, p. 317. [23] l. II De Vit. et dogm. philos., § 11.

Digitized by Google

moriæ consignatum [24] : « Libros Athenis disciplinarum liberalium ad legendum præbendos primus posuisse dicitur Pisistratus tyrannus; deinceps studiosius accuratiusque ipsi Athenienses auxerunt. » Sed ille de libris qui Athenis duntaxat, et non alibi publicati sunt, cum agat, ibi certe Clementis nostri sententiæ nullo penitus modo adversatur.

293 ARTICULUS VI.

De iis qui de rerum inventoribus scripserunt, Scamone, Theophrasto, Cydippo, Antiphane, Aristodemo, Aristotele, Philostephano, et Stratone.

Satis Clementi nostro non fuit de artium et scientiarum aliarumque rerum origine, primordiis et inventione longam instituisse disputationem; nisi eos quoque nobis indicaret, qui de harumce rerum inventoribus aliquid prodiderunt. Eos autem nominatim appellavit, ut palam unicuique faceret, quos ipse eorum, quæ de rerum primordiis dixerat, vades testesque habuerit. Sic autem ille [25] : « Scamon quidem Mitylenæus, et Theophrastus Eressius, et Cydippus Mantinæus, et præterea Antiphanes, et Aristodemus, et Aristoteles; quinetiam Philostephanus, et Strato quoque Peripateticus, ἐν τοῖς περὶ Εὑρημάτων ταῦτα ἱστόρησαν, in libris suis *De iis quæ sunt inventa*, hæc narrarunt. » Utrum autem hæc aliunde probari possint, si quæras, responsum tibi dabimus, priorem ab Eusebio [26], qui hunc Clementis nostri locum transcripsit, nuncupari Σκάμμων, et illius *De inventis* librum ab Athenæo sic fuisse citatum [27] : Σκάμων, uti apud Clementem nostrum, ἐν πρώτῳ *Περὶ εὑρημάτων*· « Scamon libro primo *De inventoribus rerum*. » Et paulo infra [28] : Ἔφορος καὶ Σκάμων ἐν τοῖς *Περὶ εὑρημάτων*· « Ephorus et Scamon in libro *De inventis*. » Ipsius quoque meminere Suidas ad verbum *Σκάμων*, et Vossius libro III *De histor. Græc.*, pag. 411.

Secundus est Θεόφραστος ὁ Ἐρέσσιος, « Theophrastus Eressius. » Ita enim vocatur a Suida [29], qui plura de eo nobis suggerit. Sed melius apud Eusebium et Epiphanium legitur Ἐφέσιος [30]. Etenim ita cognominatur a Laertio [31], qui ejus vitæ historiam nobis reliquit, ubi inter varias ejus lucubrationes eosdem illius atque Clemens noster recenset libros *Περὶ εὑρημάτων α' β'* « *De inventis* primum et secundum. » Plurimos quoque ejus libros citat Athenæus [32], atque in primis *Historiam de plantis*, de qua superius egimus. Eusebius autem in *Chronico* ad annum 1696, hæc de illo scripsit : « Theophrastus philosophus agnoscitur, qui a divinitate loquendi, ut ait Cicero, nomen accepit. »

De Cydippo nihil aliud a Vossio lib. *De hist. Græc.*, pag. 350, et Gesnero in *Biblioth.*, traditum, nisi quod de illo Clemens nobis suppeditavit.

Plurimos Antiphanis nomen habuisse certum est. Ab ipsomet enim Clemente nostro laudatur [33] « Antiphanes Delius medicus. » Alibi vero « Antiphanes comicus, » cujus loca pene infinita apud Athenæum reperies [34]. Ab eo autem appellatur alter Antiphanes Colophonius libro VII *Deipnosoph.*, pag. 304. Alius autem a Strabone libro II *Geograph.*, pag. 202, turpi mendacii macula notatur. Utrum autem aliquis ex illis, vel alius quispiam ab auctore nostro laudetur, aliorum esto judicium.

Plures adhuc Gesnerus [35], ac præcipue Vossius [36], memorant Aristodemi nomine vocatos : sed quis libri a Clemente nostro citati auctor fuerit, plane incompertum esse Vossius fatetur.

Aristoteles quoque in eorumdem scriptorum numerum ab auctore nostro aggregatur. At si is fuit Stagyrites, quem, ut ait Cicero [37], « excepto Platone, haud scio an recte dixerim principem philosophorum, » certe hic illius liber jam a longo tempore periit, nec in editis ejus operibus publici juris unquam factus est.

Philostephani alio in libro mentionem Clemens fecerat [38], et ab Athenæo patria Cyrenæus, et Callimachi familiaris dicitur [39]. Non pauca de illo a Gesnero in *Biblioth.*, Vossio libro I *De hist. Græc.*, capite 15, pag. 93, et Harduino in auctorum a Plinio citatorum syllabo reperies.

Ultimus inter hosce scriptores locus Stratoni Peripatetico datus est. Quia vero Laertius octo hujusce nominis fuisse perhibet [40], opinatur Vossius [41] de ultimo locutum esse Clementem, propterea quod ab utroque Peripateticus appelletur. Sed eum haud immerito castigat Menagius; quia animum satis advertisse non videtur librum Stratonis nomine a Clemente citatum, Straloni Lampsaceno in illius vita a Laertio edita adjudicari. In scriptionum si quidem illius numero ponuntur, *Εὑρημάτων ἔλεγχοι δύο*. « Inventorum elenchi duo. » At ii procul dubio sunt, quorum Clemens mentionem fecit. Neque dixeris hunc Stratonem non fuisse Peripateticum. Nam idem Vossius probat illum idcirco fuisse hujusce philosophorum familiæ sectatorem, quod Theophrastum audierit. Et re quidem vera non semel testatur Cicero [42] eum Theophrasti fuisse auditorem, atque etiam nova pleraque, et perpauca de moribus tradidisse. Nihil itaque prohibuit quominus a Clemente nostro Peripateticus recte cognominari potuerit. Sed quid conjecturis opus est, ubi id a Plutarcho [43] non secus, atque ab eodem Clemente nostro scriptum legimus ? « Et quidem, inquiebat ille, Peripateticorum reliquorum summus, Περιπατητικῶν ὁ χορυφαιότατος, Strato (haud dubie Lampsacenus), neque cum Aristotele sentit de multis rebus; et de motu, mente, anima, ortu contraria Platoni defendit. »

CAPUT XXII.

De magistris, qui discipulos sibi similes effecerunt, et de mutuis scriptorum Græcorum furtis.

ARTICULUS I.

De magistris, qui discipulos sibi similes fecerunt, Ischomacho, Lampide, Charidemo, Simone, Perdice, Crobylo, Archelao, Homero, Pyrrhone, Demosthene, Chrysippo, Aristotele, et Platone.

A primis rerum inventoribus ad eos si transeamus, qui aliorum magistri præceptoresque fuerunt, eosque quibusdam imbuerunt disciplinis; videbimus a Clemente nostro inductione haud longa probari hunc fuisse magistrorum morem, ut discipulos sibi efficerent similes : « Si quis, inquit [44], Ischomacho se dederit instituendum, eum faciet agricolam, et

[24] l. VII Noct. Att., c. 17. [25] Strom. l. I, p. 308. p. 630. [26] ibid., p. 637. [27] ad verb. Θεόφραστος. [28] Euseb., loc. cit. Epiphan., Expos. fid., p. 1090. [31] l. V De Vitis et dogm. philos., § 57. [32] l. I Deipn., p. 30; l. II, p. 50, 54, etc. [33] Præd. l. I, p. 140. [34] ibid., l. III, c. 2, p. 218, et l. IV Strom., p. 483. [35] in Bib. [36] l. II De Hist. Græc., p. 137 et seq. [37] l. V, De fin., p. 98. [38] Admon. ad gent., p. 38. [39] l. VIII Deipn., p. 331. [40] l. V De Vitis et dogm. philos., § 60. [41] l. II De hist. Græc., c. 20, p. 130. [42] l. IV Academ. quæst., p. 8; l. I De nat. deor., p. 200, et l. V De fin., p. 99. [43] l. adv. Colotem, p. 1115. [44] Strom. l. VII, p. 761.

Digitized by Google

si Lampidi nautam, et Charidemo imperatorem, A et Simoni equitandi gnarum, et Perdici cauponem, et Crobylo obsoniorum conditorem, et Archelao saltatorem, et Homero poetam, et Pyrrhoni contentiosum, et Demostheni oratorem, et Chrysippo dialecticum, et Aristoteli physicum, et Platoni philosophum. » At pleraque hæc omnia sibi Hervetus declarat esse incomperta, seque nescire utrum Ischomachus fuerit agriculturæ peritus, vel de illa aliquid scriptum reliquerit. Neque etiam scire se ait utrum Lampis scripserit de re nautica, et de re imperatoria Charidemus, atque etiam Simon de equitandi **294** arte. Crobylus vero ipsi videtur obsoniorum fuisse conditor, sed homo scelestissimus. Quid plura? Fatetur Archelaum Judææ tetrarcham re quidem vera fuisse saltatorem, sed quid de saltandi arte litteris mandaverit, nihil occurrere. Denique pro Ischomacho putat longe potiori jure a Clemente nostro indicari potuisse clarissimum poetam Hesiodum, quo nemo melius apud Græcos de B agricultura aliquid publicis monumentis consignasse perhibetur.

Verum majorem Herveti diligentiam haud immerito quis desiderabit. Difficile etenim ipsi adeo non erat plura de hisce a Clemente memoratis præceptoribus invenire. Nam ab Ischomacho, ut dicendi cum Clemente nostro capiamus initium, hunc non solum laudat Columella; sed etiam a Xenophonte, quem Cicero Latine reddidit, citatum esse testificatur, ipsiusque verba exhibet; deinde isthæc subjungit [45]: « Sed hæc nimirum prisca, et ejus quidem temporis fuit, quo idem Ischomachus negabat quemquam rusticari nescire. » Rursus autem alio in libro [46]: « Cicero auctoritatem Xenophontis secutus, in *Œconomico* inducit Ischomachum scisciţanti Socrati hæc narrantem: Præparatis, » etc.

Proximum ab eo Clemens posuit Lampidem nauticæ ita peritum, ut alios hac arte informare potuerit. Quidni? quandoquidem illum Plutarchus non C solum ναυκληρικὸν appellat, sed de ipso quoque hæc litteris mandavit [47]: « Lampis nauclerus interrogatus quomodo divitias consecutus esset, respondit: Magnas non difficulter, parvas cum ærumna, et tarde. » Demosthenes vero testatur [48] Lampide illo nullum in tota Græcia navicularium fuisse opulentiorem. Sed plura de eo in sua adversus Phormionem oratione profert et memorat.

De Charidemo quoque nobis multa suppetunt, quibus Clementis nostri opinio potest egregie stabiliri et muniri. Quid enim ad eam confirmandam his Diodori Siculi verbis validius et luculentius? « Charidemus Atheniensis, inquit [49], qui ob virtutem et imperatoriæ artis præstantiam in magna erat admiratione, sub Philippo enim meruerat, in administrandis negotiis princeps, et consultor optimus, » etc. Illius quoque meminit Arrianus [50], et Quintus Curtius [51] qui eum « belli peritum » appellat.

Nec minus Clementi nostro favet Xenophon, a quo Simonis de re equestri liber his citatur verbis [52]: D « Scripsit quidem et Simo librum *De re equestri*, qui Athenis equum aheneum, in Eleusinio dicatum posuit, et abs se præstita in basi cælavit. » Imo vero si fidem Plinio habere velis [53]: « Primus de equitatu scripsit. »

Recte quidem Hervetus nos ad Erasmi *Adagia* misit [54], ut aliquid de Perdice accipiamus. At citare etiam poterat illud Aristophanis carmen [55]

Πέρδιξ μὲν εἰς κάπηλος ὀνομάζετο
Χωλός.

Perdix quidem unus caupo nominatus est claudus.

Videsis edita in hunc locum Græca scholia.

Præter Crobylum vero turpissimum lenonem ab Herveto memoratum, alius fuit comicus poeta, cujus carmina, ab Athenæo descripta [56], satis indicant ab eo, sicuti Clemens noster significat, disci potuisse obsoniorum condimenta.

Quamvis Hervetus fateatur Archelaum, Judææ tetrarcham, fuisse saltatorem; nihilominus non censet eum a Clemente nostro designari; utpote qui nihil de saltandi arte litteris consignaverit. Quasi vero nullus saltandi artem docere potuerit, nisi de ea aliquam composuerit commentationem. Eam igitur ob rationem hunc Archelaum ab auctore nostro non indicari opinamur; sed quia eum plures sive reges, sive philosophi, atque alii etiam eo nomine appellati fuerint, difficillimum dictu est de quo Clemens noster fecerit sermonem. Quid vero, si in eo nomine describendo librarii more solito erraverint? Certe si pro Archelao Aristonicus ibi legatur, habebit Hervetus virum qui, teste Athenæo, librum edidit de saltatione: Ἀριστόνικος, inquit ille [57], οὗ ἐστι καὶ σύγγραμμα *Περὶ ὀρχήσεως*· « Aristonicus qui *De saltatione* librum edidit. » Quod quidem eo confirmari potest, quod paulo superius ille de eodem, uti videtur, Aristonico dixerat [58]: Aristonicum Caristium, τὸν Ἀλεξάνδρου σφαιριστὴν, ob ejus artis peritiam Athenienses civitate donarunt, ac insuper statua. » Nec absurde forsan in hujus conjecturæ firmamentum id adhuc proferri potest, quod de illo Plutarchus his verbis tradidit [59]: « Citharœdi cum alii, tum Aristonicus, qui in pugna quadam cum ad auxilium ferendum accurrisset, strenue præliatus cecidit. Huic æneam statuam fieri, et Pythiis collocari jussit Alexander, cithara et hasta projecta conspicuam, non virum modo honorans, sed musicam etiam, ut quæ fortes faciebat, » etc. Tametsi porro hæc sufficiant, ad probandum quemlibet ab eo, sicut ait auctor noster, saltatorem institui potuisse; an tamen de illo, vel potius de aliquo ex iis, quibus Archelai nomen inditum sit, loquatur, certo statuere non audemus. Quamobrem iis facile præbebimus assensum, qui Archelaum nobis prodent, cujus auctor noster præ cæteris aliis mentionem credidit esse faciendam.

De aliis porro, ab eodem Clemente nostro commemoratis, res clarior et dilucidior esse videtur quam ut explanatione aliqua indigeat. Quis enim est, amabo te, qui nesciat Homerum poetarum, Demosthenem oratorum, Platonem philosophorum fuisse omnium facile principes? Quis etiam ignorat, ad litigiosum, ἐριστικόν, hominem efficiendum neminem esse aptiorem Pyrrhone, qui, ut ait Laertius [60], « de omnibus nihil decerneret, nec quidquam comprehendi posse diceret? » Quem vero fugit celebre illud de Chrysippo effatum [61]: « Si apud deos usus esset dialecticæ, non futuram aliam quam Chrysippeam? » Denique etiamsi Aristoteles cæteris logica excelluisse dicatur, non immerito tamen Clemens asserit physicum ab ipso eruidiendum et instituendum. Etenim præterquam quod plura ille de animalibus aliisque rebus physicis et naturalibus scripsit, minime ambiguum est longe magis ab eo quam a Platone cultam fuisse scientiam naturalem.

295 ARTICULUS II.

De iis quæ poetæ ex aliis poetis, ac quidam quoque alii ex iisdem poetis furati sunt.

Discipulos magistris suis similes factos fuisse

[45] Columel. l. VII De re rust. init., p. 415 et 417. [46] l. XII, p. 451. [47] l. An seni resp. sit gerend., p. 787, tom. II. [48] Demosth. orat. cont. Aristocr., p. 458. [49] l. XVII Bibl., p. 577. [50] l. II De expedit. Alexan. p. 11. [51] Quint. Curt., post init. l. III. [52] init. l. De re equest., p. 952. [53] l. XXXIV Hist. nat., c. 8, p. 125. [54] Adag., chil. II, cent. 2, adag. 29. [55] Ὄρνιθες. [56] Deipn. l. I. p. 5, l. III, p. 109; l. VI, p. 248; l. VIII, p. 365 et l. X, p. 429. [57] l. II Deip., p. 20. [58] ibid., p. 18. [59] l. I de fort. Alexan., p. 334. [60] lib. IX in Vita Pyrrh. init. [61] l. VII in Vita Chrysippi, p. 181.

Digitized by Google

nullus plane admirabitur. At plurimis dubio procul mirum videbitur, quot quantaque paganorum Græcorumque auctorum ex aliorum itidem paganorum scriptis, libris aliisque quibuslibet commentationibus, infinita propemodum cujuscunque generis furta, et compilationes Clemens noster retegat [62], atque in aperto ponat ac propatulo. Nam ille, ut ait Eusebius [63]: « Orphei, Heracliti, Platonis, Pythagoræ, Herodoti, Theopompi, Thucydidis, Demosthenis, Æschinis, Lysiæ, Isocratis, et infinitorum aliorum loca inter se committit, quorum verba subjungere plane supervacaneum sit, cum ipsorum Clementis scriptorum copiam quivis habeat. » At licet Eusebius hunc Clementis locum, quia ipsius libri tunc omnium manibus terebantur, atque etiam quia hoc prorsus sibi necessarium esse non judicabat, integrum transcribere noluerit; nostri tamen muneris esse censemus quædam obscuriora illius et difficiliora dicta patefacere, ac in Clementinis scholiis omissa, aliorum auctoritate et testimonio munire ac tueri.

Verum ante omnia cum eo mittimus Socratem, ex quo variarum sectarum asseclæ philosophi præcipua sua dogmata se hausisse fatebantur. De illo enim supra cap. 17, art. 5, disputavimus. Quamobrem ab Homeri furtis ut ordiamur, adnotandum est citatum illius a Clemente de femina testimonium [64], quod ex Orpheo decerpsisse fertur, occurrere *Iliad.* VI, pag. 160, et in *Antholog. poet.*, pag. 750, repræsentari. Alia vero ejusdem poetæ de vita hominis, foliorum arboribus simili, carmina ex Musæo, ut iterum Clemens ait [65], delibata, invenies *Iliad.* VI, pag. 106.

At hoc primo in gradu sistet nos aliquis, et sciscitabitur quomodo Clemens [66] dicere potuerit Homerum isthæc ex Orpheo et Musæo, atque alia adhuc ex ejusdem Orphei *Theogonia* desumpsisse, quæ *Iliad.* IX, pag. 124, ad Cyclopem transtulit; quandoquidem ipsemet Clemens eumdem Homerum « poetarum omnium antiquissimum » alibi prædicat [67]? Nonne ibi ille oscitans hallucinatus est? Inter omnes etenim satis constat Orpheum et Musæum, ut postea ostendetur, Homero, quemadmodum ipsemet Clemens fatetur, esse ætate superiores? Responderi tamen potest Homerum ideo ab illo antiquissimum poetam dici, quia non amplius exstant aliorum, ipso vetustiorum, carmina; et quæ horum, scilicet Orphei ac Musæi, nomine circumferebantur, ea plures non ab illis, sed ab aliis ipsomet Homero recentioribus, puta Onomacrito composita fuisse putabant. Quod quidem si verum sit, hic certe potius ab Homero, quam Homerus ab illo hos versus decerpsisse dicendus est.

Longe autem plura ex ejusdem Homeri carminibus alios compilasse Clemens demonstrat. Versus siquidem illius de defunctis contumelia non afficiendis contendit ab Archilocho fuisse subreptos. Utriusque autem iidem versus a Stobæo transcripti sunt [68].

Adnotat deinde Clemens [69] ab Euripide quoddam factum fuisse carmen ex hoc Homerico:

Αἰδὼς ἥτ' ἄνδρα μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησιν.

Qui pudor ipse hominem multum lœditque juvatque.

At Stobæus illud Hesiodo ascribit [70]. Sed quid mirum, si Hesiodus hoc integrum carmen ex Homero sumpserit, quod Euripides, uti ex Clemente nostro colligimus, simili carmine tantummodo imitatus est?

Præterea Clemens de clypeo, quem Vulcanus fabricasse ferebatur, duos in medium protulit ejusdem Homeri versus, ex quibus a Pherecyde Syro dictum putat [71]: « Zas facit magnum pulchrumque pallium, et varie in eo describit terram, et Oceanum, et domos Ogeni. » Duo autem illi Homerici versus longe a se invicem dissiti, *Iliad.* XVIII, leguntur; et primus quidem pag. 341, eodem plane modo atque apud Clementem nostrum:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν.

In eo quidem terram effinxit, inque cœlum, inque mare.

Secundus vero in eadem *Iliade*, pag. 344, similiter atque in libris Clementis nostri editis invenies:

Ἐν δὲ ἔτιθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο.

In eo etiam posuit fluminis magnum robur Oceani.

Vides sane Clementem satis pro more suo duo citare carmina, quasi uno eodemque in loco decantata; quæ tamen procul remota esse certum est. In citatum autem Pherecydis locum plura animadvertit Salmasius [72], putatque illum ex ejus *Theologia* esse decerptum. Observat insuper Ogenum, etsi Stephano deus quidam antiquus videatur, a Clemente tamen nostro pro Oceano usurpari. Denique suspicatur in illius textu legendum: καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν, καὶ Ὤγενα, καὶ τὰ Ὠγένου δώματα. Sed utrum hæc correctio Græco codici manuscripto penitus repugnans, admittenda, et quantum in illius probatione sit virium et roboris, expende et pronuntia.

Quid vero, quod Clemens adhuc animadvertit ex duobus a se allatis Homeri carminibus, duo alia ab Euripide facta fuisse? Et re quidem vera Homerici versus occurrunt *Odyss.* XVII, p. 250, ubi pro verbo ἀποπλῆσαι, « replere, » quo Clemens utitur, legimus, ἀποκρύψαι, « occultare. » Apud Athenæum vero Diphilus hos Euripidis versus profert [73]:

Νικᾷ δὲ χρεία μ' ἡ ταλαίπωρός τε μοῦ
Γαστὴρ· ταλαιπωρότερον οὐδὲν ἔστι γάρ.

Egestas me vincit, tum ærumnosus
Venter meus, nil enim ventre est miserius.

Ex his porro Casaubonus [74] Clementis nostri textum emendare haud dubie conatur. At hunc, si velis, consule, atque etiam Erasmi *Adag.*, chiliad. III, centur. 10, adag. 9; pag. 762. Ex ejusdem vero chiliad. IV, centur. 7, adag. 14, pag. 891, enucleatum insuper habebis, quod Clemens postea [75] adducit ex Callia et Menandro *de insamentibus* proverbium.

Quod autem ex Sophocle profert Clemens: « Dona hostium non esse dona, » id fuse explicatum et confirmatum invenimus in Erasmi *Adagiis*, chiliad. I, centur. 3, adag. 35, pag. 101. Nec absimili modo ipse adhuc chil. III, centur 7, adag. 35, pag. 727, illud enucleat, quod Clemens post hæc narrat [76] a Philisto et Thucydide post Solonem atque Theognidem de hominis ob res secundas et prosperas insolentia ac ferocitate fuisse traditum.

Tum deinde auctor noster describit [77] Critiæ post Euripidem de filiis, quos paterna severitas optimos reddit, effatum. At Casaubonus [78] opinatur illud depromptum fuisse ex illius *De rebus publicis* libro, quem ab Athenæo et Polluce [79] laudatum legimus. Quorumdam autem opinio est hunc alium esse a Critia, Callæschri filio, cujus Ἐλεγοι ab eodem Athenæo citantur [80].

Prolatum subinde a Clemente [81] de somni illecebra carmen apud Stobæum [82] plane idem leginus. At ibidem ille aliud exhibet ex Sophoclis *Aldibus* carmen. Opinatus est autem Casaubonus [83]

[62] Strom. l. VI, p. 618 et seq. [63] lib. X Præp. evang., c. 1, p. 462. [64] Strom. l. VI, p. 618. [65] ibid., p. 619. [66] ibid., p. 628. [67] l. V, p. 545. [68] serm. 124, p. 619. [69] Strom. lib. VII, p. 621. [70] serm. 31, p. 211. [71] p. 621. [72] in Solin., p. 842. [73] l. X Deipn., p. 422. [74] in cit. Athen. loc. [75] p. 622. [76] ibid. [77] ibid. [78] in lib. XI Athen. Deipnos., c. 3, p. 779. [79] Onom. l. VII, c. 13, p. 358. [80] l. XI, p. 463; l. X, p. 432, et l. XV, p. 666. [81] p. 621. [82] serm. 98, p. 559. [83] in l. VII Athen., c. 4, p. 483.

Digitized by Google

hanc esse veram hujusce tituli lectionem ; nisi postea magno librorum consensu corrigendam esse animadvertisset, atque ex *Aleadibus*, ἐξ Ἀλεάδων, haud incerto scribendum.

Alios quoque auctor noster [84] ejusdem Sophoclis de tempore, omnia patefaciente, versus exhibet, quos totidem verbis Aulus Gellius [85], et Erasmus [86] in illud adagium : *Tempus omnia revelat*, transcripserunt. Verum quia Clemens [87] illos excerptos esse dicit ex Sophoclis Ἱππόνου, *Hippono*, monet nos idem Casaubonus [88] quosdam existimavisse legendum Ὑπόνου ; ita ut huic tragœdiæ *Suspicaci* nomen fuerit. Potiorem tamen, et veram esse primam Clementis nostri lectionem, variis ille rationum momentis haud inepte demonstrat.

Unicum autem Euripidis in *Climeno* de labore carmen a Clemente prolatum [89] Stobæus Alexidi in Orchestride vindicat [90]. Alii vero ejusdem Euripidis versus, sine metri forma in auctoris nostri libro transcripti [91], ad eam a Stobæo sic reducuntur [92] :

Ἀντὶ πυρὸς γὰρ ἄλλο πῦρ μεῖζον ἐκβλαστοῦ-
Γυναῖκες, πολὺ δυσμαχώτερον. [μεν
Ignis enim loco alium ignem majorem produci-
Nos mulieres, multo difficiliorem impugnatu. [mus

Ex quibus colligere est ibi non solum multas esse lectiones, a Clementinorum operum editionibus diversas, sed eosdem etiam versus ex Euripidis *Hippolyto* fuisse delibatos.

Præterea animadvertit Clemens [93] Theodectem ex Euripide accepisse quod de varia nutanteque fortuna cecinit. Et id quidem in metri formam sic a Stobæo redditur [94] :

Τὸ μὴ βεβαίους τὰς βροτῶν εἶναι τύχας.
Quod hominum fortuna sit instabilis.

At ille deinceps [95] secundum Euripidis versum paulo aliter nobis repræsentat, quam apud Clementem nostrum ; a quo tamen totidem, atque ab Euripide in fine *Medeæ* Græcis verbis, sed melius Latinis, et metrico modo sic exhibitum legimus [96] :

Πολλὰ δὲ ἀέλπτως κραίνουσι θεοί.
Multaque præter spem perficiunt dii.

ARTICULUS III.

De philosophorum, historicorum et oratorum furtis.

A poetis Clemens [97] venit ad philosophos, historicos et oratores, ac similia in eorum scriptis furta deprehendit et demonstrat. Palam enim primo facit Xenophontem [98] et Sophoclem ab Alcmæone Crotoniate philosopho accepisse inimicum facilius quam amicum caveri. At quam affert Clemens Xenophontis sententiam, illa in quinto *Historiarum* ejus libro, non diversis tamen sine lectionibus, invenies.

Quæ vero Heraclitus et Empedocles de primis rerum principiis tradiderunt, illum Clemens [99] ex Orpheo, hunc autem ex Athamante Pythagorico ea hausisse opinatur. Sed de his jam satis supra disseruimus. Videsis Plutarchum *De placit. philosoph.*, libro I, c. 2, pag. 878 ; Sextum Empiricum, et alios.

Pergit Clemens [1], aitque Menandri carmen, quo cecinit eos citius ex hac vita migrare quos dii diligunt, ex Platone esse delibatum. Et vero Platonis locus invenitur in ejus dialogo *Antiochus* inscripto, tom. III, pag. 367. Menandri vero versus a Stobæo, serm. 119, pag. 602, iisdem verbis descriptus est.

Apud Theodoretum [2] quoque ea reperimus, quæ Clemens ex Euripide, Hyperide, Isocrate et Andocide continenter subnectit. Utrumque Clementem et Theodoretum inter se contendere si te non pigeat, nec te etiam laboris pœnitebit.

Monitum tamen præterea te esse volumus in Clementis scholiis [3] recte animadverti delibatos ab Hyperide, subsequentes Euripidis versus, a Stobæo exhiberi serm. 2 *De malitia*, scilicet pag. 30. Sed ibi adjiciendum erat Theognidis etiam versus [4], ex quibus illi etiam, ut ait Clemens, decerpti fuerunt, in editis illius sententiis esse transcriptos.

In iisdem scholiis [5] de postea citato Stosimi versu ad Suidæ verbum Γήπιος mittimur. Addendum autem erat eumdem versum ab Erasmo [6] quoque, quamvis tacito auctoris nomine, referri et explicari.

Neque etiam ibi prætermitti debebat, quod deinde ex Herodoto Clemens protulit [7], in hujus textu paulo aliter, quam in illius lib. III, ita fuisse scriptum [8], Πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκ ἔτι μὲν ζώντων, ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο· « Patre et matre jam vita defunctis, alius frater nulla ratione esse potest. » Quæ quidem Interphernis ad Darium responsio esse perhibetur.

Platonis effatum [9] : « Senex, ut videtur, bis fuerit puer, » non solum in eo, qui in scholiis, et ab Erasmo laudatur [10], ejusdem Platonis libro reperire est, sed etiam in supposito ipsius dialogo *Axiocus*, tom. tertio, pagin. 367.

Observat autem Casaubonus Demosthenis in oratione *De corona* hæc ipsamet esse verba, quæ auctor noster deinde a Philino desumpta fuisse dixit [11]. Videsis Athenæum eo in loco, qui a Casaubono explanatur [12].

De Isocrate, atque etiam Lysia, quem Clemens noster deinde ostendit fuisse ejusdem Isocratis æmulum atque imitatorem, plura sane et præclara memoriæ prodidit Cicero. Sufficiat autem ex multis hæc delibasse [13] : « Exstitit jam senibus illis, quos paulo ante diximus, Isocrates, cujus domus cunctæ Græciæ **297** quasi ludus quidam patuit, atque officina dicendi, magnus orator, et perfectus magister, quanquam forensi luce caruit... Tum fuit Lysias ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed egregie subtilis scriptor atque elegans, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere. Nam plane quidem perfectum, et cui nihil admodum desit, Demosthenem facile dixeris. » Longe alia plurima de utroque tam Lysia quam Isocrate congesta sunt in hunc Ciceronis librum, atque in libros *De oratore*, etc. At utriusque vita in vulgus emissa est a Plutarcho, tom. II, pag. 835 et seqq., ac plura de eorum orationibus et scriptis Photius *Biblioth.*, cod. 260 et 262, disputat.

Subsequentes vero [14] Homeri de morte pro patria in bello fortiter obeunda si invenire cupias, adi *Iliad.* XII, pag. 235. Laudati quoque ibidem a Clemente Theopompi, et plura aliorum eodem de argumento verba tibi Victorius exhibebit [15].

Ad hæc vero, Clemens [16] de mortis necessitate citat Homericum carmen ex *Iliad.* VI, pag. 115, acceptum, atque Demosthenis verba quæ ex illius oratione *De corona* Stobæus se exscripsisse testificatur [17].

In citatum deinde [18] Platonis et Philemonis comici effatum lege, si velis, quod Erasmus in hoc adagium : *Ex aspectu nascitur amor*, explicationis gratia protulit [19].

Ex ipsomet Platone illud rursus decerptum fuisse Clemens perhibet, quod Historicus narrat, nulli plantæ a natura insitum ; ut postquam ad teneriorem ætatem pervenerit, revera mansuescat. Utrum autem ea vox Ἱστορικὸς sit proprium auctoris cu-

[84] p. 621. [85] l. XII Noct. Attic., c. 11, p. 641. [86] Chiliad. IV, centur. 4, adag. 17. [87] p. 423. [88] loc. cit. p. 488. [89] p. 621. [90] serm. 29, p. 199. [91] p. 622. [92] serm. 71, p. 452. [93] p. 625. [94] serm. 105, p. 562. [95] serm. 110, p. 581. [96] p. 164. [97] p. 624. [98] lib. de institut. Cyr., p. 127. [99] p. 624. [1] p. 625. [2] tom. IV, serm. 6, p. 580 et 581. [3] p. 625. [4] tom. I Poet. Græc., p. 706. [5] p. 625. [6] Adag., chil. I, cent. 10, adag. 53, p. 305. [7] p. 625. [8] l. III, § 119. [9] p. 626. [10] Adag., chil. I, cent. 5, p. 157. [11] p. 626. [12] l. X Deip., 425, et Casaub. in eumd. l., c. 7. [13] Brut., p. 217. [14] p. 626. [15] l. XV Variar. lect., cap. 11. [16] p. 627. [17] serm. 7, p. 90. [18] p. 627. [19] Adag., chil. I, cent. 2, adag. 79, p. 81. [19] p. 627.

Digitized by Google

jusdam nomen, vel utrum proprio hujus scriptoris nomine ab amanuensibus librariis omisso, illius tantum cognomen fuerit, ab aliis libenter audiemus.

Euripidis porro *Chrysippum*, inter ejus opera nunquam editum, a Clemente nostro [20] ibidem laudari ne, quæso, mireris. A Stobæo siquidem semel atque iterum hoc idem opus compellatum invenies [21].

Ex eodem Stobæo illud confirmatur, quod continenter Clemens a Platone assertum ait [22], « mulieres esse communes [23]. » Et hoc quidem desumptum esse videtur ex ejusdem Platonis lib. v *De republ.*, tom. II, pag. 257 et seqq. Euripidis autem Protesilans, ubi ille, teste Clemente nostro, huic Platonis sententiæ subscripsit, sæpius adhuc a Stobæo citatur.

Duo denique auctor noster [24] profert ab Epicuro dictitata, quorum prius ab Euripide defloratum his concipitur verbis : πλουσιώτατον αὐτάρκεια πάντων· « sufficientia res omnium ditissima. » Posterius vero ex Aristophane excerptum, illud erat, δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία· « justitiæ fructus maximus est perturbationum vacuitas. » In ejusdem autem Epicuri vita hæc Laertii sunt verba [25] : τὴν αὐτάρκειαν δὲ ἀγαθὸν μέγα νομίζομεν· « frugalitatem magnum existimamus bonum. » Postea vero [26] : Ὁ δίκαιος ἀταραχτότατος· « justus a perturbationibus maxime est liber. » Quos quidem in Laertii locos multa pro more suo Menagius, quem si lubet, poteris consulere.

De hisce tandem Græcorum furtis pervolutare te ea non pigeat, quæ Eusebius lib. x *Præpar. evang.*, cap. 3, ex Porphyrio scriptum nobis reliquit.

ARTICULUS IV.

De majoribus Græcorum furtis, quibus integra aliorum opera, libros, aliasque commmentationes sibi ascripserunt, et de Hippia, qui de Græcorum furtis disputavit.

Ab his tam apertis et frequentibus Græcorum furtis, ad alia adhuc majora et illustriora Clemens noster transit [27], manifestumque omnibus facit illos non solum Græcorum suorum scriptorum sententias, effata et pronuntiata, sed integras etiam commentationes librosque integros subripuisse, eosque pro suis venditasse ac divulgavisse. Orditur autem ille ab Eugamone, seu Eugrammone, ut apud Eusebium [28], qui pauca quædam ex hoc auctoris nostri loco ad probandas Græcorum scriptorum expilationes transcripsit. Furti autem a Clemente ideo insimulatur ille Eugamon, quod integrum Musæi *De Thesprotis* librum sibi falso attribuerit, suumque ei impudenter inscripserit nomen. De illo rursum ita Eusebius in *Chronico*, Olympiade LIII, ad annum 1451 : « Eugamon (sicuti in Clementis textu) Cyrenæus, qui *Telegoniam* scripsit, agnoscitur. » Suspicantur autem quidam pro *Telegoniam*, ibi *Theogoniam*, quemadmodum in antiqua hujus *Chronici* editione, legendum.

Alter plagiarius in medium a Clemente producitur Pisander Camirenus, qui, ut ille ait, Pisini Lindii *Heracleam*, Ἡράκλειαν, id est, Herculis labores suffuratus, duos saltem de illis libros, inscripto suo nomine, publicam emisit in lucem. Ex hoc autem Pisandro isthæc Athenæus retulit [29] : « Pisander libro secundo, Herculeam pateram esse tradit, qua vectus Hercules, Oceanum trajecit; Herculi vero Oceanum accommodasse. » Ex iisdem procul dubio libris depromptum est quod Pisander ille, quemadmodum Pausanias narrat [30], de hydræ fabula, et de avibus, crepitaculorum sonitu ab Hercule loco suo depulsis, memoriæ prodidit. Videsis Gesneri *Biblioth.*, et Vossium *De poet. Græc.*, pag. 15.

A At eidem Gesnero nihil de Pisino, quem alii omnino prætermiserunt, aliud occurrit, quam id quod hic a Clemente nostro de illo traditum est.

Pisinum vero excipit Panyasis Halicarnassæus, quem idem auctor noster [31] arguit a Cleophylo, seu potius Creophylo Samio furatum esse *Œchaliæ captivitatem*. Sed alii quidam scriptores Cleophylum eam ab Homero accepisse opinati sunt. De illo siquidem ita loquitur Suidas [32] : « Creophylus Astychis filius Chius, vel Samius, versificator. Quidam autem tradunt ipsum Homeri generum fuisse, qui filiam ejus habuerit uxorem. Alii vero dicunt eum fuisse tantum amicum Homeri, et cum ipsum hospitio excepisset, ab eo accepisse poema *De Œchaliæ captivitate.* » Prius autem Strabo de illo hæc litteris mandaverat [33] : « Samius fuit etiam Creophylus. Hunc aiunt Homero hospitium aliquando præbuisse, donoque ab eo accepisse inscriptionem poematis *De capta Œchalia*. Callimachus contra B quodam epigrammate indicat auctorem fuisse Creophylum, sed Homero ob hospitium fuisse attributum :

Me Samius fecit, qui quondam excepit Homerum
Hospitio. Casus, Euryte, ploro tuos,
Formosamque Ioleian. Homero scripta feruntur
Ista; Creophylo, Jupiter, hocce leve est?

298 Quidam hunc Homeri fuisse magistrum tradunt; alii non hunc, sed Aristeam Proconnesium. » De eo plura Gesnerus adnotat in *Biblioth.*, et Vossius *De historicis Græcis*, lib. III, pag. 347. At animum velim advertas ex ipsismet Clementis nostri verbis illam posse haud absurde confirmari Callimachi opinionem. Etenim eidem Clementi nostro, si unquam vel minimum suboluisset, Creophylum hoc *De capta Œchalia* poema ab Homero revera accepisse, certe ille duplex procul dubio hujusce poematis furtum Græcis objicere non omisisset, et primum quidem Creophyli ab Homero, ac deinde Panyasis a Creophylo. Et vero illud eo sane minus tacere debebat, quo C plures poetarum ex Homero compilationes, de quibus paulo superius dictum est, accuratius commemorat.

Post hæc vero « Aristophanes, inquit ille [34], in primis *Thesmophoriazusis*, ἐν ταῖς πρώταις *Θεσμοφοριαζούσαις*, versus transtulit ex comœdia Cratini, cui nomen est *Empipragmeni*, id est, *Exusti.* » Eodem plane modo hæc comœdia ab Aulo Gellio citatur [35] : « Odii in mulieres Aristophanes quoque meminit, ἐν ταῖς προτέραις *Θεσμοφοριαζούσαις*, in his versibus, » etc. Duæ itaque Aristophanis comœdiæ illum, quo « feminæ Cereris festum celebrantes » significantur, Græcum titulum præferebant. Una autem ex his duobus cum aliis Aristophanis comœdiis typis haud semel edita est. Quædam vero posterioris carmina ab Athenæo citantur hunc in modum [36] : Ὅτι Ἀριστοφάνους τὰς δευτέρας *Θεσμοφοριαζούσας* Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος *Θεσμοφοριάζασας* ἐπιγράφει· « Aristophanis fabulam, cui titulus est : *Secundæ Cerealia* (seu *Cereris festum*) *celebrantes*, Demetrius Trœzenius in- D scribendam putat, *secundæ quæ Cerealia celebrantur.* » Sed quo jure Demetrius eam ita inscriptam esse voluerit, non facile intelligitur. Etenim cum Clemens noster et Aulus Gellius primam Aristophanis comœdiam *Thesmophoriazusæ* titulo notatam citaverint, aliam eodem titulo insignitam fuisse haud obscure declarant. Porro autem Athenæus [37] sæpius citat Aristophanem in *Thesmophoriazusis*, sed nulla facta prioris et posterioris comœdiæ distinctione.

Nec multo sane infrequentius ab illo [38] laudatur alia ejusdem Aristophanis comœdia, cui præfixum *Dædalus* nomen erat. In ea autem, uti Clemens noster addidit [39], Aristophanes ex Platone comico,

[20] ibid. [21] serm. 64, pag. 409, et serm. 93, p. 560. [22] p. 628. [23] serm. 6, p. 82. [24] p. 628. [25] lib. x, § 130. [26] § 144. [27] Strom. lib. VI, pag. 628. [28] lib. x Præp. evang., c. 2, p. 462. [29] lib. II Deipnosoph., pag. 469. [30] l. I, p. 80, et l. VIII, p. 253. [31] p. 628. [32] ad verb. Κρεώφυλος. [33] l. XIV Geogr., p. 638. [34] p. 628. [35] lib. XV Noct. Attic., cap. 20. [36] lib. I Deipnosoph., pag. 29. [37] lib. III, p. 104, 117; lib. VII, p. 324. [38] Deipn. lib. VII, p. 316; lib. IX, p. 367, 368 et 374. [39] pag. 628.

Digitized by Google

et hic vicissim ex illo plurima compilaverat. In Clementis porro nostri textu prætermissum videtur comœdiæ nomen, in qua Plato multa pariter ex Aristophane transcripsisse dicitur. Quæ autem illa sit, cum triginta nec minus ab Athenæo citentur, quis, quæso, divinabit?

Prosequitur Clemens [40]: « *Κώκαλον*, *Cocalum*, qui apte factus fuerat ab Aristophane, comicus Philemon, cum eum paululum immutasset, egit in comœdia, quæ *Ὑποβολιμαῖος*, *Suppositus*, inscribitur. » Illam Aristophanis comœdiam ita olim citabat Athenæus [41] : « Festivus etiam Aristophanes in *Cocalo*, ἐν *Κωκάλῳ*, dixit, » etc. Plura de Philemone Gesnerus observat [42], quibus ea adjici possunt quæ de illius comœdiis hic a Clemente nostro commemorantur.

Quid vero, quod ab auctore nostro [43] admonemur Hesiodi carmina, ab Eumelo et Acusilao historiographis in solutam transmutata orationem, perinde atque nihil aliud, nisi ab ipsis profectum continerent, publici facta fuisse juris? Quis autem uterque historiographus fuerit, si roges, tibi respondebimus Clementem nostrum, sicuti jam a nobis superius dictum est, animadvertisse Acusilaum Argivum a quibusdam celebri septem Græciæ sapientium numero ascribi. An autem ipse sit, cujus jam facit mentionem, inde probari potest, quod illum Dionysius Halicarnassæus [44] iis annumeret qui ante Peloponnesiaca tempora historias composuere. Huc vero accedit, quod etiam de illo narrat Josephus : « Qui autem historias, inquit [45], apud eos (Græcos) conscribere tentavere, id est, Cadmus Milesius, et Acusilaus Argivus, et post hunc quicunque alii fuisse referuntur, paululum tempus Persarum contra Græcos expeditionem præcessere. » Hunc autem ipsum esse, de quo Clemens loquitur, ex iis aliquis haud immerito jure inferre se posse opinabitur, quæ mox ab eodem Josepho subjunguntur : « Sed ego videbor me potioribus esse superfluus, si explanare voluero quantis quidem locis Hellanicus ab Acusilao de genealogiis discrepet, et in quantis Hesiodum corrigat Acusilaus. » Nonne etenim ea plagiariorum subdola pravaque fraudulentas suas compilationes et furta tegendi consuetudo est; ut quorum scripta furantur, eorum sive veros, sive falso attributos errores sese corrigere sæpius jactitent, atque hac fraude et dolo nihil ex his delibasse videantur? De hoc autem Acusilao videsis Vossium lib. I *De histor. Græc.*, cap. 1, pag. 5 et 13, ubi observat apud Suidam pro Ἀγησιλάου, legendum esse, Ἀκουσιλάου. Vide etiam quæ ille adhuc ibid. lib. IV, cap. 2, pag. 436, de illius ætate et stylo disputat.

Major itaque de Eumelo est difficultas. A multis enim celebratur Eumelus Corinthius. Verum is non historiographus, sed poeta fuit. Et re quidem ipsa Clemens noster Eumeli protulit carmen [46], quod a Solone transcriptum fuisse asseverat. Quamobrem Vossio [47] aqua hærere videtur, utrum ille idem fuerit atque historiographus. At Eumeli quintus *Historiarum* liber a Laertio in vita Aristotelis laudatur. Quis autem vero satis simile esse non videat hunc esse, quem Clemens, non secus atque Acusilaum, furti et latrocinii accusat? De Eumelo autem Corinthio et poeta nos alibi.

Nullus porro a Clemente nostro memoratur, cujus scripta a pluribus direpta et expilata fuerint, quam Melesagoras. Quot enim qualesque ii fures fuerint, vix nobis credas, nisi ejusdem Clementis verbis eos tibi repræsentemus. At hæc ipsa sunt illius verba [48] : « A Melesagora est suffuratus A Gorgias Leontinus, et Eudemus Naxius historici, et præterea Bion Proconnesius, qui etiam veteris Cadmi res gestas transcripsit, et Amphilochius, et Aristocles, et Leandrius, et Anaximenes, et Hellanicus, et Hecatæus, et Androtion, et Philochorus. » Vides sane undecim nec minus scriptores, a Clemente bene numeratos, qui non solum ex Melesagoræ fontibus hortulos irrigarunt suos; sed ea etiam quæ ab ipso accepere, ex se ipsis tanquam ex prima sua origine profluxisse falso et impudenter proclamarunt.

Quis itaque, quantusque vir, et quam præclara esse debuerint ingenii illius monumenta, ex eorum nomine, numero et fama conjice, qui ea suffurati, nihil a se melius excogitari scribique potuisse ultro confessi sunt. Porro autem si is, ut quibusdam videtur, idem sit atque Amelesagoras Chalcedonius, illum Dionysius Halicarnassæus ante Peloponnesiacum bellum floruisse testatur [50]. Videsis quæ de B illo **299** adnotavit Vossius, lib. I *De hist. Græc.*, cap. 2, pag. 10 et 11.

Inter hujus autem Melesagoræ compilatores primas Clemens noster defert Gorgiæ Leontino, cujus celeberrimum apud antiquos scriptores nomen. Nam ut Dionysium Halicarnassæum, Plutarchum, Platonem, Quintilianum, Suidam aliosque complures missos faciamus, narrat Laertius eum fuisse [51]: « In oratoria insignem, qui et artem rhetoricam scripserit, quem tradit Apollodorus in *Chronicis* centum et novem ætatis annos implevisse. » Tullius vero : « Sophistæ, inquit [52], nominabantur, quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quæstionem, id est, jubere dicere qua de re quis vellet audire. Audax negotium, dicerem impudens; nisi hoc institutum postea translatum ad nostros esset. » Legesis eumdem Ciceronem, lib. I et III *De orat.*, lib. I *De invent.* in Bruto, etc. Jam autem de eo disseruimus C supra cap. 21, art. 3.

Secundum Clemens locum dedit Eudemo Naxio, quem historicum quoque vocat. At ille priore in libro narrat Eudemum [53]: « In historiis astrologicis, ἐν ταῖς ἀστρολογικαῖς ἱστορίαις, prædixisse defectum solis, qui fuit eo tempore quo inter se manus conseruere Medi et Lydi. » A Laertio autem hic Eudemi liber paulo aliter citatur [54]: ἐν τῇ περὶ τῶν ἀστρολογουμένων ἱστορίᾳ. Sed hic alius esse videtur atque Eudemus Naxius, quem Vossius eumdem ac Eudemum Carium esse opinatur [55]. Istum autem ante Peloponnesiacum bellum, non secus atque Amalesagoram vixisse, jam a nobis citatus perhibet Dionysius Halicarnassæus.

Tertium Clemens accersit Bionem Proconnesium, quem Laertius in Vita Bionis [56] Boristhenidis philosophi primum ex decem aliis fuisse dicit, qui Bionis nomine appellati sunt. Nec temere forsitan aliquis eum esse dixerit, quem Athenæus in *Æthio-* D *picis* simpliciter Bionis nomine laudasse legitur.

Tribus illis quartus annumeratur Amphilochus, quem historiæ quoque scriptorem, et veteri Cadmo, cujus res gestas scripsit, recentiorem esse Clemens significat. Sed quis cujusve ille fuerit, tacet ipsemet auctor noster, nec dictu facile est. Non semel enim ab eo memoratum vidimus [57] Amphilochum vatem. Alterius quoque Amphilochi mentionem faciunt Varro [58], Plinius [59] et Columella : sed hunc de re rustica scripsisse palam testificantur. At si unus tamen ex his duobus is sit, de quo nunc agitur, certe secundus ab auctore nostro potius quam primus designatur. Nam eum ferunt alia adhuc plura, quam de re rustica, scriptis tradidisse.

[40] ibid. [41] l. XIV Deipnosoph., p. 156, et lib. XI, p. 478. [42] in Biblioth. [43] p. 629. [44] tom. II, De Thucyd. hist., p. 138. [45] init. lib. I cont. Apion., p. 1034. [46] p. 621. [47] l. IV De hist. Græc., p. 429 et seq. [48] lib. V De Vita et dogm. philos., § 6. [49] p. 629. [50] tom. II De Thucyd. hist., p. 138. [51] lib. VIII in Vita Emped., § 58, et l. II in Vita Plat., § 2. [52] lib. II De finib., pag. 51. [53] Strom. lib. II, pag. 302. [54] lib. I in Vita Thalet., § 23. [55] l. III De hist. Græc., pag. 365. [56] l. IV, § 58. [57] sup. c. 20, art. 3. [58] init. l. I De re rustica. [59] l. XVIII, c. 16, p. 483.

Digitized by Google

Nec minor est de Aristocle difficultas. Tres enim ita cognominatos fuisse testis est Suidas [60]. Sed Vossius ad Meursii opinionem lubentius accedit [61], qui nullum ex his tribus, sed alium patria Rhodium a Clemente nostro citari probabilius existimat. Ab illo autem prætermitti non debuit Aristoclis *De Lacedæmoniorum republica* libros, et alium *De choris* fuisse ab Athenæo laudatos [62]. Non enim minus verisimile videtur hunc esse, quem Clemens furti accusat.

Similis furti reum deinde [63] agit Leandrium, ex quo jam alio in libro testimonium de Clearchi sepulcro haud dubie sumpserat. Utroque siquidem in loco ab eo nuncupatur Λεάνδριος, quamvis apud Eusebium [64], quemadmodum in primo Clementis nostri *Stromatum* libro [65], Λέανδρος cognominetur. Aiunt autem hunc eumdem esse, quem Laertius [66] Leandrium Milesium vocavit, et a Callimacho citari testatus est. Verumtamen quia alius Leandrius Nicanor a Stephano laudatus legitur, non ita certum et compertum esse potest, utrum Clemens de uno tantum scriptore sit intelligendus. Sed de illo jam aliquid in super. dissert., cap. 14, art. 1, perstrinximus.

Præter Anaximenem philosophum, Anaximandri auditorem, de quo nos alibi : « Fuerunt, inquit Laertius [67], alii duo Lampsaceni ejus nominis, orator unus, alter historicus, qui oratoris nepos Alexandri gesta conscripsit. » Verum quia hæc Græca sunt Laertii verba : Ῥήτωρ καὶ ἱστορικὸς, ὃς ἀδελφῆς υἱὸς ἦν τοῦ ῥήτορος τοῦ τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις γεγραφότος, ea Menagius post Vossium melius Latine reddi ita posse putavit : « Orator et historicus, nepos ex sorore oratoris, qui *Alexandri gesta* conscripsit. » Itaque is Anaximenes orator *Gesta Alexandri* scripsisse ibi perhibetur. At si res ita se habeat, ille etiam esse videtur, de quo Pausanias [68]: Reperi Anaximenis effigiem, qui priscas Græcorum, et Philippi atque Alexandri res gestas conscripsit. » Et paulo post : « Ante Anaximenem quidem nemo subita oratione conatus est dicere. Jam qui in Alexandrum scripti sunt versus, ejus nomine circumferuntur; mea quidem sententia falso Anaximeni attribuuntur. » Inde autem haud plane incerto colligi potest Anaximenem, a quo Philippi, Alexandri, et Græcorum gesta scriptis prodita sunt, hunc esse ipsum, qui a Laertio orator et historicus dicitur. Diodorus vero Siculus paulo obscurius de Anaximene hæc memoriæ mandavit [69]: Anaximenes etiam Lampsacenus, qui primus rerum Græcarum historiam descripsit, a deorum ortu et generis humani primordiis exorsus, ad Mantineum illud prælium et Epaminondæ mortem deducit, universas prope Græcorum ac barbarorum res gestas duodecim voluminibus complexus. » Eodem quoque modo ab Athenæo laudatur [70]: Anaximenes Lampsacenus, ἐν ταῖς πρώταις ἐπιγεγραμμέναις ἱστορίαις, « in historiis quas primas nominavit. » Et rursus alio in libro [71] : « Anaximenes in libro cui titulus est, *Regum mutationes.* » Suidas porro quæ de Anaximene tradidit, hæc ex citato a nobis Pausania mutuatus est. Cum duo itaque fuerint Anaximenes Lampsaceni, dictu profecto difficile videbitur de quo Clemens noster intelligendus sit. Attamen si de Anaximene oratore Pausanias, Diodorus et Athenæus revera loquantur, de illo quoque locutum esse Clementem nostrum facile concedemus. Cæterum Vossii [72] opinio est de Anaximene juniore ab illo reipsa fieri sermonem. Videsis Menagii in citatum a nobis Laertii locum observationes.

Post hunc Anaximenem in medium prodeunt Hellanicus et Hecatæus, quorum saltem patriam si Clemens indicasset, ad eorum cognitionem facilius pervenire potuissemus. Plures enim historiæ scriptores utroque eo nomine vocati sunt. A Dionysio siquidem Halicarnassæo [73] Hecatæus Milesius ante Peloponnesiacum bellum, et Hellanicus Lesbius postea, sed ante Herodotum floruisse perhibentur. Et re quidem vera Hecatæus citatur ab Herodoto [74], ab eoque vel Hecatæus simpliciter appellatur, vel Hecatæus Hegesandri filius, et λογοποιὸς, sive historicus. Pausanias vero illum aut Hecatæum Milesium, aut Hecatæum tantummodo cognominat [75]. Ex his porro nonne quis jure haud immerito suspicari potest, hunc ipsum esse, de quo nunc Clemens noster verba facit, et de quo paulo superius dixerat [76]: **300** Ἑκαταῖος ὁ τὰς Ἱστορίας συνταξάμενος· « Hecatæus qui composuit *Historias.* » Ab eo quippe videtur diversus esse alius Hecatæus Abderites, de quo sicuti et de Milesio jam a nobis aliquid observatum est [77]. Sed de hoc Hecatæo adhuc infra disputandum.

Quamvis etiam Clemens hic et alibi [78] non semel Hellanicum simpliciter compellaverit, duo tamen celebres historici nomen istud sortiti sunt, quorum alter Lesbius fuit, uti ex Herodoto vidimus, seu Milesius, alter vero Mitylenæus. Quamobrem peritiores critici ultro fatentur dubium omnino et anceps esse, de quo scriptore ii intelligi debeant, a quibus ille, quemadmodum a Clemente nostro, Hellanicus duntaxat nuncupatur. Verumtamen vero plane simile est eum illius mentionem fecisse Hellanici, de quo paucis quibusdam verbis interjectis hæc dixit [79] : « Dieuchidas autem Megaricus orationis principium ex Hellanici *Deucalionea* traduxit. » At hanc commentationem, cujus priorem librum ab Athenæo citatum comperimus [80], quidam Hellanico Lesbio adjudicare non dubitaverunt. Plura de utroque Hellanico disputat Vossius [81], quem, si lubet, consule. At prætermitti a nobis non potest Porphyrius, qui apud Eusebium de aliis Hellanici furtis, et de transcripta ab Herodoto pene tota Hecatæi historia hæc posteris tradidit [82]: « Quid attinet hoc loco dicere aut Hellanici *De moribus barbarorum* opus, ex Herodoti Damasique scriptis esse conflatum? aut Herodotum in secundo ex historica Hecatæi Milesii narratione quamplurima verbis totidem exscripsisse, pauca quædam leviter ementitum, » etc.

Hellanicum excipit Androtion, qui is procul dubio ipse est, quem Pausanias [83] *rerum Atticarum* commentarios, sive *Atticam historiam* scripsisse testatur. Quorumdam etiam opinio est illum esse, qui a Varrone et Columella operis sui initio aliis *De re rustica* scriptoribus ascribitur. Atque eo nomine citatur a Theophrasto in sua *De plantis* historia [84], et ejus *Georgicon* Athenæus laudasse legitur [85], quamvis superius dixerit [86] : « Androtion sive Philippus, sive Hegemon in *Georgico.* » Videsis Vossium lib. III *De histor. Græc.*, pag. 322, et Harduinum in auctorum a Plinio citatorum indice.

[60] ad v. Ἀριστοκλῆς. [61] l. II De hist. Græc., c. 1, p. 165. [62] l. IV Deipnosoph., pag. 140 et 174. [63] Admonit. ad gent., pag. 29. [64] l. II Præp. evang., c. 6, p. 71. [65] pag. 300. [66] l. I, in Vita Thalet., § 28. [67] lib. II in Vita Anax., § 3, [68] l. VI Eliac., p. 195 et 196. [69] l. XV Bibliothec. p. 504. [70] l. VI Deipnosoph., p. 231. [71] l. XII, p. 531. [72] l. I De hist. Græc., c. 10, p. 57 et seq., et c. 11, p. 67. [73] De Thucyd. hist., t. II, p. 138, 139, 140 et 141. [74] l. II, § 142; l. IV, § 125, et l. VI, § 337. [75] l. III, p. 108; l. IV, p. 112; l. VIII, p. 239 et 276. [76] Strom. lib. I, pag. 603. [77] sup. cap. 18, art. 2. [78] Strom. I, p. 305, 307 et 321. [79] l. VI, p. 629. [80] l. X Deipnosoph., pag. 416. [81] l. I De hist. Græc., c. 1, p. 8, et 9, et lib. IV, c. 5, p. 448 et seq. [82] l. X Præp. evang. c. 3, p. 466 [83] l. VI, pag. 185, et l. X, p. 323, [84] l. II c. 8. [85] l. III Deipnosoph., pag. 82. [86] ibid., p. 75.

Digitized by Google

Ultimus tandem scriptorum Melesagoræ fur et plagiarius a Clemente notatur Philochorus, qui ab eo atque etiam ab Athenæo sæpius laudatur. Legesis Gesneri *Bibliothecam*, et quæ a nobis de illo alibi observata sunt[87].

Porro autem quemadmodum Philochorum a Melesagora, ita ab illo Dieuchidam plura, uti paulo ante dictum est, subripuisse nos Clemens admonet[88]. Quartum porro illius *Megaricorum* librum ab ipso prius citatum animadvertimus, ἐν τετάρτῳ, inquit, *Μεγαρικῶν*, et a Laertio[89] ἐν πέμπτῳ *Μεγαρικῶν*, sed simplicius ab Athenæo[90], ἐν τοῖς *Μεγαρικοῖς*. Adi Vossium lib. III *De histor. Græc.*, pag. 334, et variorum in Laertii locum animadversiones.

Postremo, ut tam longa auctoris nostri de mutuis Græcorum furtis oratio unde orta est, eo terminetur, constanter ille tradit Platonem a Pythagora, et illos ab Ægyptiis didicisse animam esse immortalem. Plures vero Platonici, uti ipse subnectit, venditabant Stoicos et Aristotelem ab ipso Platone præcipua sua decerpsisse placita et documenta. Denique Epicurum sua quoque a Democrito fuisse suffuratum. Verum ea omnia nemini incomperta esse possunt, qui Laertii et aliorum de philosophorum Vitis et dogmatibus libros, qui Plutarchi, Theodoreti et aliorum de philosophorum sectis et opinionibus commentaria, qui Ciceronis aliorumque de rebus philosophicis lucubrationes, vel extremis, ut aiunt, digitis attigerit. Præter enim ea, quæ et in hac, et in aliis nostris dissertationibus a nobis adnotata sunt, certe de Epicuro Metrodorus apud Plutarchum palam affirmat[91] : « Nisi prævisset Democritus, Epicurum nunquam fuisse ad sapientiam perventurum. » Clarius vero Cicero : « Quid est, inquit[92], in physicis Epicuri non a Democrito? Nam et si quædam commutavit, ut quod paulo ante de inclinatione atomorum dixi; tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem A locorum, innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus, et interitus, omnia fere quibus naturæ ratio continetur. » Rursus autem alio in libro hæc non minus certa et perspicua scripto tradidit[93] : « Quæ mutat, ea corrumpit; quæ sequitur, sunt tota Democriti, atomi, inane, imagines, quæ idola nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus; infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur, et intereant quotidie. Quæ etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum laudatum a cæteris, ab hoc, qui eum secutus esset, nollem vituperatum ». Brevius autem alibi dixit[94]: « Democriti fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit. » Quamobrem illum jure merito irridet[95], quod « gloriaretur in scriptis se magistrum habere nullum. » Sed hæc quæ Orator sæpius repetit, et nemo unquam negavit, fusius prosequi nihil necesse est.

B Porro autem profitetur Clemens innumera esse alia Græcorum furta, quæ quidem, ait ille[96], si sigillatim proferre voluero, vita me citius deficiet. Quapropter ad Hippiam sophistam Eleum, qui in hoc argumento versatus est, nos prius miserat. Quis autem ille sit, si scire aveas, ex his Ciceronis verbis accipe[97] : « Eleus Hippias cum Olympiam venisset maxima illa celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta pene audiente Græcia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum artes, quibus liberales doctrinæ atque ingenuæ continentur, geometriam, musicam, litterarum cognitionem et poetarum, atque illa, quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur; sed annulum quem haberet, pallium quo amictus, soccos quibus indutus esset, se sua manu confecisse. » Quidam haud dubie illius liber ab Athenæo his citatur verbis[98] : Ἱππίας ὁ σοφιστὴς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ *Συναγωγῇ*. « Hippias sophista in opere, quod *Collectionem* appellat. »

CAPUT XXIII.

301 De variis artibus, scientiis et disciplinis.

ARTICULUS I.

Quid sit dialectus et de primis gentium dialectis et linguis.

A nobis jam ea more nostro investiganda sunt, quæ Clemens noster in hisce, de quibus agimus, *Stromatum* libris, de variis artibus, scientiis et disciplinis scripto tradenda nobis esse censuit. Itaque ut a diversis gentium dialectis ad grammaticam, uti nemo nescit, pertinentibus ordiamur, observandum est dialectum ab illo sic definiri[99] : Διάλεκτός ἐστι λέξις ἴδιον χαρακτῆρα τόπου ἐμφαίνουσα· ἢ λέξις ἴδιον, ἢ κοινὸν ἔθνους ἐπιφαίνουσα χαρακτῆρα. « Dialectus est dictio, quæ loci proprium ostendit characterem : vel dictio, quæ proprium, vel communem gentis characterem ostendit. » Alio autem in libro hanc dialecti definitionem omnibus probari sic asseverat[1] : Διάλεκτον ὁρίζονται λέξιν ἐθνικῷ χαρακτῆρι συντελουμένην. « Dialectum definiunt dictionem, quæ gentis stylo ac figura conficitur. » Optimam vero esse hanc dialecti definitionem inde probatur, quod omnes facile concedunt dialectum, stricte loquendo, nihil aliud esse quam proprium et peculiarem loquendi modum, qui verbis potius quam syntaxi aut compositione ab aliis distinguitur. Quapropter cum Aristoteles dicit[2] : Διάλεκτος ἡ C τῆς φωνῆς ἐστι τῇ γλώττῃ διάρθρωσις· « Dialectus est vocis per linguam explanatio, » ibi illud nomen ab eo generaliter accipitur. Nam, ut ipse postea docet[3], διαφέρουσι καὶ αἱ φωναὶ κατὰ τόπους, καὶ αἱ διάλεκτοι, « differunt voces et dialecti secundum locos et regiones. » Videsis Guill. Baillium tractatu *De dialectis*, nec non Plutarchomer. adnot. 16, et alios.

De variis autem gentium dialectis et linguis, atque earum, ut videtur, origine hanc Clemens narrat fuisse Euphori et aliorum opinionem : « Euphorus et alii, inquit[4], multi historici et gentes et linguas dicunt septuaginta quinque, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, cum audissent vocem Moysis dicentis : Erant autem animæ ex Jacob septuaginta quinque, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα, quæ descenderunt in Ægyptum. » Ubi autem in sacris nostris litteris occurrat citatus ille locus, qui in hujusce Clementis nostri libri editionibus notatus non est, si a nobis inquiras, tibi respondebimus illum procul dubio esse, qui in D Græca Septuaginta duorum Seniorum interpretatione sic legitur[5] : Πᾶσαι ψυχαὶ οἴκου Ἰακὼβ αἱ εἰσελθοῦσαι μετὰ Ἰακὼβ εἰς Αἴγυπτον, ψυχαὶ ἑβδομήκοντα πέντε. « Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, animæ septuaginta quinque. » At quamvis hæc sententia tam

[87] sup. lib. II, dissert, 5, c. 7, § 7, et dissert. sup., c. 14, art. 2. [88] Strom. lib. I. p. 328. [89] l. I in Vita Solon., §57. [90] l. VI Deipnosoph. pag. 262. [91] l. I adversus Colotem, p. 1108. [92] lib. I De nat. deor., pag. 206. [93] l. II De finib., p. 42. [94] l. I Nat. deor., pag. 212. [95] ibid., p. 205. [96] Strom. lib. VI, p. 624. [97] lib. III De orat., p. 199. [98] l. XIII Deipnosoph., p. 609. [99] Strom. l. I. p. 338. [1] l. VI, p. 678. [2] l. IV De hist animal., c. 9, p. 828. [3] ibid. p. 829. [4] Strom. lib. I, p. 338. [5] Genes. XLVI, 27.

Digitized by Google

firmo niti videatur fundamento, ab ea nihilominus Clemens recedere non dubitat. Ibi enim continenter addidit [6] : Φαίνονται δὲ εἶναι καὶ κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον αἱ γενικαὶ διάλεκτοι δύο καὶ ἑβδομήκοντα, ὡς αἱ ἡμέτεραι παραδιδόασι Γραφαί. « Videntur autem juxta veram rationem dialecti generales esse septuaginta duæ, ut nostræ tradunt Scripturæ. »

Quo autem sacræ Scripturæ in loco illud inveniatur, si adhuc aliquis a nobis quæsierit, illum mittemus ad Augustinum, qui postquam de filiis Noe ex capite decimo Geneseos disputavit, in eo quoque locum, a Clemente haud dubie citatum, occurrere his significat verbis [7] : « In summa igitur omnes progeniti de tribus filiis Noe, id est, quindecim de Japhet, triginta unus de Cham, viginti septem de Sem, fiunt septuaginta tres. Deinde sequitur Scriptura dicens [8] : *Hi filii Sem in tribubus suis secundum linguas suas in regionibus suis, et in gentibus suis.* Itemque de omnibus : *Hæ*, inquit, *tribus filiorum Noe secundum generationes eorum, et secundum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluvium.* Unde colligitur septuaginta tres, vel potius (quod postea demonstrabitur) septuaginta duas gentes tunc fuisse, non homines. Nam et prius cum fuissent commemorati filii Japhet, ita conclusum est [9] : *Ex his segregatæ sunt insulæ gentium in terra sua unusquisque secundum linguam suam in tribubus suis et in gentibus suis.* Ex hoc itaque ultimo Geneseos loco Augustinus putat indicari primam variarum apud homines linguarum, seu, ut ait Clemens, dialectorum originem. Quapropter illud postea repetit [10] : « Ex illis igitur tribus hominibus, Noe filiis, septuaginta tres, vel potius, ut ratio declaratura est, septuaginta duæ gentes, totidemque linguæ per terras esse cœperunt, quæ crescendo et insulas impleverunt. » Quis autem Clementem nostrum ad illud, quod Augustinus designat, Scripturæ testimonium respexisse vero perquam simillimum esse merito negaverit?

De primævis igitur gentium dialectis et linguis duæ præcipue fuerunt scriptorum sententiæ, quarum dissensio ex variis Scripturæ sacræ locis, quibus eas probari posse putabant, orta est. Prima enim fuit Euphori, aliorumque, ut ait Clemens noster, historicorum, qui earum numerum ex eodem Jacobi filiorum, quos Scriptura in Ægyptum descendisse testatur, numero deduxere. Alii vero, quemadmodum Clemens noster, et Augustinus, ex prius assignato ab eadem Scriptura nepotum Noe numero parem harumce linguarum numerum statui voluerunt.

Verum posterioris hujus opinionis fautores et patroni propter variantes sacri textus lectiones in varias adhuc partes scissi sunt. Quidam enimvero textui Hebraico firmiter inhærentes, septuaginta tantummodo Noe filios variarum familiarum principes, ac totidem, nec plures primævas linguas fuisse pertinaciter contendunt. Alii vero Græcam Septuaginta duorum Seniorum interpretationem secuti, illis septuaginta Noe filiis duos alios supra hunc numerum, ac proinde totidem linguas adjiciendas esse arbitrantur. Huic autem opinioni, præter citatum a nobis Augustinum, atque etiam, ut diximus, ipsummet Clementem nostrum, suffragatur Eusebius in *Chronico* [11], ubi, postquam eos, qui ex tribus Noe filiis procreati fuerunt, sigillatim enumeravit, ibidem ter subjecit illos secundum linguas suas fuisse dispersos. Clarius vero Epiphanius : « Ergo illi, inquit [12], turrim et Babylonem ædificant. Sed divino Numini de insana molitione displicuit. Ideoque dissipatis eorum linguis, septuaginta duas ex una fecit, pro hominum numero, qui illo tempore repertus est, » Rursus autem alibi [13] : « Quo tempore Babylon in Assyria ab iisdem illis exstructa, qui et turrim condiderunt. Erantque tum... homines fere LXXII stirpium auctores et capita, nimirum ex Chami progenie XXII, e genere Sem XXXII, e Japheti vero stirpe XXV, cum turris illa cum Babylone conderetur. Ab his in universum orbem nationes omnes et linguæ dissipatæ sunt. Posteaquam septuaginta illi duo, qui **302** turrim moliebantur, confusis linguis huc illucque dispersi sunt, et pro una, quam callebant, alius aliam ex afflatu Dei, ac voluntate sortitus est. Ex quo ad hanc usque diem linguarum omnis est conflata varietas, quarum uniuscujusque auctorem licet nullo negotio deprehendere. » In Græco textu Epiphanii legitur : Τοῦ Χὰμ τριάκοντα δύο, καὶ τοῦ Σὴμ δεκαπέντε, καὶ τοῦ Ἰάφεθ εἰκοσιπέντε. Sed illum sic corrigit Petavius : Τοῦ δὲ Ἰάφεθ δεκαπέντε, τοῦ δὲ Σὴμ εἰκοσιπέντε. Veruntamen in his numeris unus delicit, qui adhuc adjici debuerat. At ille nihilominus librariorum error nullo plane modo obstat, quominus mens opinioque Epiphanii aperta omnibus, prorsusque manifesta sit. Denique præter Hieronymum [14] et commentariorum inter ejusdem Hieronymi opera editorum auctorem, alii bene multi magno plane numero et consensu huic sententiæ suum tulerunt suffragium.

Verum tametsi tot tantique fuerint hujusce opinionis defensores, aliis tamen, ac præcipue recentioribus, visum est nihil in sacra Scriptura de hisce linguis omnium primis ac dialectis esse constitutum, nec certi aliquid de illis posse definiri. Ex memoratis siquidem Noe filiis diversas ab aliis, vel gentes, vel familias, adeoque linguas constitui posse plane penitusque inficiantur. Videsis, si lubet, Franciscum Junium, Bonfrerium, Cornelium a Lapide, aliosque in allata a nobis Geneseos verba, atque etiam Buxtorf. dissert. *De linguarum confusione.*; Walton., prolegomen. 1 in Bibl., parag. 11 et 12, et seq.

ARTICULUS II.

Primas dialectos barbaras fuisse, ubi de precibus aliena et non vulgari lingua fundendis, de Hebraicæ linguæ et dialecti antiquitate, de Hellenæ Hellanicæ linguæ auctore, de variis ejusdem linguæ, atque etiam deorum et animalium dialectis, ac de singulari elephantum, scorpii Libyci, ac piscium arte et industria.

Ex his, quæ disputata sunt, facile, uti putamus, intelligitur cur postea a Clemente nostro primæ et generales dialecti barbaræ, id est, non a Græcis, sed ab Hebræis originem suam habuisse dicantur : « Primæ, inquit [15], et generales dialecti barbaræ quidem, nomina autem habent natura. Nam et preces fatentur homines esse potentiores, quæ dicuntur voce barbara. » Quod ibidem ab illo auctoritate probatur Platonis, qui in *Cratylo* vocem πῦρ barbaram esse aperte declarat. Et hic quidem Platonis locus legitur in eo libro tom. I, pag. 409 et seq.

A nobis autem obiter observandum est Clementem, de suæ ætatis hominibus loquentem, quasi per transennam dixisse illos fateri eas preces esse potentiores, quæ non vulgari ac vernacula lingua, sed barbara funduntur. Nemo enim est qui nesciat quanto contentionis æstu ab hujus et superioris ætatis cum catholicis, tum aliis scriptoribus de hac quæstione disceptatum fuerit. At quia infinitæ propemodum ea de re disputationes editæ sunt, satis nobis esse debet adnotasse fusas barbara sive aliena lingua preces, εὐχὰς βαρβάρῳ φωνῇ λεγομένας, a Clemente nostro nec rejici, nec improbari.

[6] p. 338. [7] l. XVI De civit. Dei, c. 4, p. 418. [8] Genes. X, 31 et 32. [9] ibid. 5. [10] Aug. De civ. Dei, p. 421. [11] l. I, p. 6. [12] l. I advers. hæres. p. 6. [13] hæres. XXXIX, Sethian., § 7, p. 388. [14] tom. VII in psalm. XLIV, p. 37. [15] lib. I Strom., pag. 338.

Digitized by Google

Duo autem cuilibet non minus nota de Hebraica lingua ille tradidit [16]. Et primo quidem Hebraicam dialectum, sicut et alias omnes, habere proprios peculiaresque loquendi modos, qui illius χαρακτῆρα ostendunt. Secundo autem dixit eamdem Hebraicam linguam esse Græca longe vetustiorem. Etenim si, ut ille ait [17], « ab Hellene Jovis filio, qui fuit cognominatus Deucalion, contigit Hellanicas, id est Græcas appellari linguas, ex temporibus quæ prius diximus, facile perspici potest quot generationibus sint Hebraica lingua posteriores linguæ, quæ sunt apud Græcos. »

Verumtamen Conon, a Photio citatus [18], testatum nobis fecit paucos profecto credidisse Hellenum Jovis fuisse filium, sed longe plurimos persuasum penitus habuisse illum Deucalione prognatum. Ea siquidem fuit Diodori Siculi sententia [19], atque etiam Eusebii, cujus hæc sunt in *Chronico* verba [20] : « A Deucalionis Hellene et Pyrrhæ hi, qui prius Græci Hellenes nuncupati sunt. » Quod quidem ab Apollodoro et aliis assertum fuisse Scaliger in suis ad hoc *Chronicon* animadversionibus adnotavit.

De Græcorum autem dialectis sic Clemens statuit [21] : « Dicunt autem Græci esse quinque apud se dialectos, Atticam, Ionicam, Doricam, Æolicam, et quintam communem, καὶ πέμπτην τὴν κοινήν· » Eadem quoque Joannis grammatici [22] et aliorum fuit sententia. At peritiores grammatici, ultima rejecta, quatuor tantum præcipuas Græcorum dialectos fuisse existimant, quamvis iis alias plures adjici posse fateantur. Strabo vero, tametsi ad eos accedat, putat quatuor illas omnibus notissimas Græcorum dialectos ad duas posse haud immerito referri. Ionicam quippe ab Attica ortam, ac Doricam eamdem atque antiquam et incorruptam Æolicam esse censet. « Multæ, inquit [23], cum sint gentes Græciæ, præcipue tot sunt, quot et sermonis Græci varietates, seu dialecti. De his Ionicam cum antiqua Attica eamdem esse dicimus. Nam et Ionium nomen gesserunt prisci Attici, et inde sunt orti, qui colonias in Asiam duxerunt Iones, ac ea usi lingua, quam Ionicam nunc appellamus. Dorica etiam eadem est quæ Æolica, » etc. Sed de his plura apud grammaticæ Græcæ scriptores, omnibus facile obvios, atque idcirco ea fusius prosequi superfluum esse duximus.

Quid vero, quod « Plato, inquit Clemens [24], diis quoque quamdam dialectum attribuit, maxime quidem id conjiciens ex somniis et oraculis ; alias autem ex dæmoniacis, qui nec sua voce, nec dialecto utuntur. » At Hervetus nos admonet se nescire quo ex Platonis loco id desumptum fuerit. Nonne autem ipsemet Plato, citato Homeri testimonio, in *Cratylo* dixit [25], quædam esse nomina, quibus dii, alia quibus homines ad res appellandas designandasque utantur ? At sane etiamsi illud fusius ibidem probaverit, ad rem tamen nostram ea magis faciunt, quæ in libro, qui *Io* inscribitur, de poetis oraculorumque nuntiis et divinis vatibus ille prodidit : « Neque poeta, ait ille [26], potest prius versus condere quam correptus Deo fuerit, et extra mentem suam positus, ac proinde ipsius mens in seipso amplius minime fuerit. Quandiu enim mens sui compos est, minime fieri potest ut carmina condat et vaticinetur. Quocirca Deus cum mentem illis eripit, his utitur ministris, oraculorum nuntiis et divinis vatibus ; ut nos qui audimus, intelligamus eos ipsos minime esse, qui hujusmodi res tanti momenti dicant ; sed Deum esse, qui illa dicat, et illorum hominum ministerio nos alloquatur. » Jam igitur vide, quæso, et perpende quam jure merito Clemens noster dici possit **303** ad hunc collineasse Platonis locum. Porro autem de deorum lingua lege Casauboni et Menagii in librum I Laertii *De Pherecydis Vita*, § 119, observationes.

De eodem rursum Platone Clemens hæc continenter adjecit : [27] « Existimat autem rationis quoque expertium esse animalium dialectos, quas eiaudiant, quæ sunt ejusdem generis. » Quo quidem de argumento præter alios legere poteris Aristotelem libro IV *De historia animalium*, cap. 9 ; Plutarchum lib. *De solertia animal.*, tom. II, p. 967 etc. ; Ælianum libro V *De animal.*, cap. 51 ; Plinium lib. VIII *Hist. natural.*, cap. 2 et seq. ; Aldrovand., etc.

Ad id autem probandum Clemens tria nobis exempla, non minus admiratione quam nostris animadversionibus digna proponit. Primum est elephantis « qui cum in cœnum, ait auctor noster [28], ceciderit et clamaverit, præsens aliquis alius id contemplatus, revertitur paulo post, et secum ducit gregem elephantorum, et eum servat, qui ceciderat. » Ælianus aliquid simile de elephantis memorat, illudque verum esse profitetur : « In fossam, inquit [29], delapsos, injectis fruticum fascibus, subtrahunt, quibus tanquam scalis senectute graves ascendentes liberantur. » Narrat quoque eos simili plane solertia cum fossas insidiosas transiliunt, inde illum ab aliis extrahi, qui pontis vicarium sese eis præstiterat. Plutarchus vero post Jubam de iisdem hæc litteris mandavit [30] : « Venatores fossas, quas ad ipsos capiendos faciunt, levibus sarmentis, et terra vili injecta obtegunt. Cum ergo elephantorum unus in fossam inciderit, reliqui materiam congerunt, et lapides ingerunt, ut illapsus facile exire possit. » Plura alia hujusce elephantorum sagacitatis duo illi scriptores atque in primis Ælianus lib. II *De animal.*, cap. 15, et Plinius lib. VIII *Histor. natural.*, cap. 3 et seq., exempla nobis exhibuere. At de eo, quod Clemens noster protulit, videsis Aldrovandum lib. I *De quadrupedibus*, pag. 440.

Secundum est scorpii Libyci, quem uti Clemens ait [31], « si hominem non feriat, tunc abeuntem reverti cum pluribus ; alterum autem ab altero instar catenæ pendentem moliri insidias. » Vide autem num ille ad hanc alludat Æliani de iisdem scorpiis Libycis narrationem : « Scorpius, inquit [32], si quid unde semetipsum in tecto suspendat, nanciscatur, ibi fortissime forcipibus inhærescit, simul et dimittit aculeum. Secundus igitur ex tecto descendens, per primum serpit, atque suis itidem forcipibus ad illius aculeum adhærescit, et sublimem suum sinit aculeum. Item a secundo tenetur tertius, a tertio quartus, quintus similiter ordinem servat, itemque cæteri omnes per primos decurrunt. Postremus dormientem ferit, et per superiores recurrit, similiter ab illo secundus, tum vero ab ultimo tertius, reliquique sese subducunt, quoad velut sane catenam solventes, inter se omnes subtraxerunt. » Adisis Aldrovandum lib. *De insectis*, pag. 81.

Tertium tandem et ultimum, quod a Clemente nostro subponitur exemplum [33], est piscium, quorum, ut quidam perhibent, si quis e laqueo evaserit, nullus eodem die ejusdem generis invenietur. Plura autem de hac piscium, ne capiantur, calliditate narrat Plutarchus [34], quibus id quod Clemens non omnino asseveranter, sed aliorum duntaxat testimonio in medium adduxit, mirum in modum confirmari potest.

ARTICULUS III.

De cognitione, utrum aliqua sit in belluis cognitio, et anima humana aliquid sine sensuum adminiculo

[16] l. VI, p. 678. [17] ibid., p. 679. [18] Phot. Bibl. cod. CLXXXVI, p. 438. [19] l. IV Bibl., p. 183. [20] ad an. 497. [21] l. I, p. 338. [22] apud Scapul. [23] Strab., init. lib. VIII Geogr., p. 333. [24] p. 338. [25] t. I, p. 391 et seq. [26] eod. tom., p. 534. [27] p. 338. [28] ibid. [29] l. VI De animal., c. 61. [30] tom. II, l. De solert. animal., p. 972. [31] p. 338. [32] lib. VI De animal., cap. 23. [33] p. 338. [34] l. De solert. animal., p. 976 et seq.

Digitized by Google

cognoscat, atque judicium, seu secunda mentis operatio, sit voluntatis actus, de vera et falsa opinione, de demonstratione, scientia, sapientia et prudentia.

Ad ea quæ de variis scientiis, artibus et disciplinis Clemens noster litteris mandavit [38], antequam veniamus, observare juvat ab illo satis perspicue explicari quid sint scientia, intelligentia, experientia, cognitio, sapientia, fides, recta opinio et veritas. Docet autem duplicem in homine esse cognitionem, vixque ac ne vix quidem a se ipso impetrare potest, ut ullam in belluis esse concedat. Audiamus, quæso, quibus verbis ea de re mentem suam aperuerit. « Dicitur, inquit [39], duplex cognitio, διπλῆ ἡ γνῶσις· una quidem communiter, quæ est in omnibus hominibus, similiter intelligentia et apprehensio, σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις, quæ ex cognitione singulorum, quæ subjecta sunt, publice elucet, quam non solum habent potestates, quæ sunt ratione præditæ, sed etiam quæ ea carent, quam ego nunquam nominaverim cognitionem, ἣν οὐκ ἄν ποτε ἔγωγε γνῶσίν τε ὀνομάσαιμι, ut cum sit a natura ingeneratum, ut cognoscat per sensus. Quæ autem ἐξαιρέτως, excellenter et præcipue, nominatur cognitio, γνῶσις, ex mente et ratione formam accipit, et characterem, per quem solæ potestates rationales participes fiunt cognitionis, καθ' ἣν μόναι αἱ λογικαὶ δυνάμεις γνώσεις γενήσονται, quæ iis quæ apprehenduntur intelligentia, per nudam animæ operationem pure ac sincere applicantur. » Duplex igitur a Clemente cognitio, γνῶσις, distinguitur. Prima est, qua non solum homo, sed etiam belluæ et animalia ratione carentia, corporeis sensibus ea quæ sibi objiciuntur, vident, aut percipiunt. At ille negat hanc perceptionem proprie ac vere appellari posse cognitionem, γνῶσιν. Ne autem quis id a se temere et inconsiderate dictum crederet, hanc continuo affert rationem; quia hæc perceptio belluis naturaliter insita, solius fit corporei sensus ope ac ministerio, atque proinde illa corporea tantum est. Itaque eam non γνῶσιν, sed σύνεσιν et ἀντίληψιν, perspicientiam et perceptionem vult appellari.

Ex hac porro Clementis nostri doctrina haud obscure colligitur illum nullam in belluis proprie dictam cognitionem admisisse, sed quamdam duntaxat rei sibi subjectæ perceptionem. Nihil autem in hac belluarum perceptione, nisi plane corporeum esse persuasum omnino habuit. Quid ergo, inquies, nonne ille superiori in libro [37] profert Xenocratis et Democriti opinionem, qui aliquam fatebantur esse in animantibus, ut a nobis observatum est [38], Dei cognitionem? Optime quidem. Sed ibi Clemens non ait se horum philosophorum subscripsisse sententiæ.

Secunda autem, et proprie dicta γνῶσις, cognitio, uti ille ait, ἀπὸ τῆς γνώμης καὶ τοῦ λόγου χαρακτηρίζεται, « ab animi sententia et ratione suum accipit characterem. » Itaque hæc cognitio est solius animæ rationalis, quæ ratione sua res ipsas percipit et intelligit.

Inde vero Hervetus infert Clementem ab opinione Aristotelis recessisse, qua ille ejusque discipuli tandiu pro certo posuerunt nihil, uti aiebant, esse in **304** intellectu, quod prius in sensu non fuerit. Verum non ex hoc solo auctoris nostri loco id Hervetus colligere poterat, sed ex aliis etiam quæ in superiori dissertatione adnotavimus [39], atque etiam ex iis quæ superius de hominis anima, ac potissimum de gnostico, disputavimus. Unde autem ille hanc doctrinam Peripateticæ omnino contrariam hauserit, si a nobis postules, respondebimus ab eo delibatam fuisse ex Platone, cujus ille alibi hæc verba attulit [40]: « In *Phædro* dicit animam cum per se fuerit solam, αὐτὴν καθ' αὑτὴν γενομένην τὴν ψυχὴν μόνην, posse veræ sapientiæ, et quæ vires humanas superat, esse participem. » Visne et aliis ejusdem philosophorum principis verbis tibi id probari? Ecce præsto sunt in illius *Theæteto*, ubi diserte asserit [41], « animam partim ipsam per se ipsam res considerare, partim per corporeas facultates. » Quod quidem ille hinc probat, quia anima per se ipsam rerum *essentiam* et veritatem cognoscit.

Perpendas autem velim, utrum Peripateticæ scholæ sectatoribus illud magis faveat, quod de judicio, sive de secunda, sicut illi loquuntur, mentis operatione idem Clemens noster tradidit [42]: « Assensiones, συγκαταθέσεις, non solum Platonici, sed etiam Stoici dicunt esse in nostra potestate. Omnis ergo opinio, δόξα, et judicium, κρίσις, et existimatio, ὑπόληψις, et disciplina, μάθησις, quibus vivimus, et semper sumus cum genere humano, est assensio. » Et vero si judicium sit revera assensus et approbatio, et hæc sit in nostra potestate, nonne inde recte sequitur judicium, quo propositionem aliquam veram aut falsam judicamus, esse potius voluntatis nostræ quam nostri actum intellectus?

Cur ergo, inquies, idem de opinione, δόξα, a Clemente decernitur? Opinio etenim cum neque evidens, neque certa sit, quomodo ei assentiri possumus? Quamobrem alibi Clemens dixerat [43]: οὐ γάρ ποτε ἡ ἀλήθεια οἴησις, « non est enim veritas opinio. » Sed quamvis opinio incerta et inevidens sit, atque idcirco a scientia distinguatur; hoc tamen non impedit, quominus sæpe homines cognoscant quasdam falsas, alias autem veras esse opiniones. Et certe ex hac falsæ aut veræ opinionis cognitione fit, ut quem priori negani, posteriori præbeant assensum. Imo vero nonnulli, sed errore decepti, falsæ etiam opinioni assentiuntur. Quod si quis pertinaciter contendat hunc assensum debere errorem aut veritatem appellari, ei penitus non refragabimur. Cur autem falsa et vera opinio aliquo saltem modo dici non possit, plane non videmus. Quia vero fragilitati humanæ id sæpius accidit, ut suam falsis adjungat assensionem, quomodo homo falsa opinione imbutus possit ad veritatem revocari, sic Clemens noster docet [44]: « Τριτὴ θεραπεία οἰήσεως, Est triplex ratio curandæ opinionis: causæ cognitio, et quomodo ea possit auferri, et tertium animæ exercitatio et assuefactio, ut possit sequi ea quæ recte judicata fuerint. »

Quemadmodum autem falsa opinio est error, ita etiam conjectura, teste nostro Clemente [45], est imbecilla opinio, quæ fidem simulat et imitatur: Ὑποκρίνεται τὴν πίστιν ἡ εἰκασία, ἀσθενὴς οὖσα ὑπόληψις· « Fidem imitatur conjectura, quæ est imbecilla opinio. »

Quid vero, quod ille adhuc nos admonet, ex ipsa opinione, sicuti ex scientia fieri demonstrationem? « Nihil, ait [46], obstat, quominus duplex nominetur demonstratio, ἀπόδειξις, una ex scientia, ex opinione altera. » Hanc autem dicit humanam ex rhetoricis, seu dialecticis argumentis, illam autem ex apertis sacræ Scripturæ testimoniis plane confici. Quamobrem hæc ab eo, ἡ ἀνωτάτω ἀπόδειξις, « summa et suprema demonstratio » appellatur. Unde alio in libro hæc ipse adhuc scripsit [47]: « Quæ est apud nos (id est, Christianos) agnitio veritatis, ut ex iis, quæ jam sunt credibilia, iis quæ nondum sunt, fides habeatur, efficit: quæ quidem est essentia, ut ita dicam, demonstrationis, ἥτις οὐσία, ὡς εἰπεῖν, ἀποδείξεως καθίσταται. » Sed nemo non videt accuratam et propriam illius, quam scholastici vocant,

[38] lib. II Strom., pag. 293 et 396; l. VI, p. 691 et seq. [39] l. VI, p. 617. [37] III, p. 390. [38] sup. c. 6, art. 1. [39] dissert. super., cap. 6, art. 2; sup. c. 6, art. 3, et c. 13, art. 5. [40] l. V, p. 552. [41] tom. I, p. 185 et seq. [42] lib. II Strom., p. 384. [43] lib. II Strom., p. 297. [44] l. VII, p. 759. [45] l. II, p. 365. [46] p. 381. [47] l. VII, p. 759.

Digitized by Google

ibi ab eo non proferri demonstrationis divisionem et definitionem. Ubi etenim de demonstratione sic disserit, non aliud ipsius propositum nec alia mens est, quam ut ostendat demonstrationem ex sacris nostris Scripturis desumptam, qualibet alia esse certiorem. Quapropter magis proprie et generaliter eam prius definierat [48] : Ἀγνοουμένου πράγματος φανερὰν συγκατάθεσιν, « rei quæ ignoratur manifestam assensionem, sive comprobationem. »

Scientiam vero, ἐπιστήμην, ait ille [49], definiunt philosophi, φιλοσόφων παῖδες, « habitum qui transmoveri non potest a ratione, » ἕξιν ἀμετάπτωτον ὑπὸ λόγου. Alibi autem [50], Ἡ ἐπιστήμη ἐπιστητικὴ ἐστιν ἕξις· « Scientia est habitus, qui facit sistere. » Sed hic scientiæ potius effectus est quam definitio. Inde tamen ipse deductam putat hujus Græcæ vocis etymologiam : « Si scientiæ, inquit [51], quæ dicitur ἐπιστήμη, danda est etymologia, ex statione et quiete, quæ dicitur στάσις, ejus sumenda est explicatio ; quoniam nostram in rebus sistit mentem, quæ prius alias aliter ferebatur. » Verum quia ibi eamdem vocis πίστεως etymologiam attulit ; inde profecto satis liquet illum his verbis genus duntaxat, et non propriam ac peculiarem, ut scholastici loquuntur, indicasse scientiæ differentiam. Scientia enim non tantum certa, sed evidens, ut aiunt, rei necessariæ per propriam causam cognitio esse debet.

Porro autem contendit ille scientiam idem esse atque sapientiam, quæ ab eo definitur [52] : « Scientia divinorum et humanorum bonorum. » At de illa, quemadmodum de prudentia, plura hisce in *Stromatum* libris disputat [53]. Palam vero facit quidnam inter utramque sit discriminis, et quantæ utilitatis sit sapientia, cujus principium est pietas. Priori autem loco citat Clemens Callimachi et Bacchylidis testimonium ; sed prius eodem sensu apud Cyrillum Alexandrinum [54], et posterius apud Theodoretum [55] reperies. Denique auctor noster ex Isocrate in *Panathenaico* ostendit, qui vere sapientes dici debeant. Qui quidem Isocratis locus in laudato a Clemente illius libro non procul ab initio legitur.

305 ARTICULUS IV.

De veritate, quibus in rebus consistat, ipsam esse magnæ virtutis principium, et ejus primordium esse admirationem, atque in cognitione et actione versari, duas illius esse species, multa esse ejus criteria, variasque disciplinas ad eam comparandam conferre, et esse utiles, ac quomodo.

Jam vero quid Clemens de veritate statuat [56], paulisper attendamus. At ille primo dicit eam quatuor in rebus, nimirum sensu, intelligentia, scientia, opinione, ac potissimum mente consistere. Deinde autem : « Merito a Græcis, inquit [57], acclamatum est : Principium magnæ virtutis regina veritas : » ἀρχὰ μεγάλας ἀρετᾶς ἄνασσα ἀλήθεια. Sed ubinam gentium illud a Græcis voce aut scripto traditum unquam fuerit, fatetur Hervetus sibi esse penitus incompertum. Verum, ut id disceret, debebat Stobæi adire sermones [58], atque undecimi initio hæc animadvertisset, quæ Olympiadi tribuuntur pene totidem verba : ἀρχὰς μεγάλας ἀρετᾶς ὦνας (in margine, ἄνασσα) ἀλήθεια.

Philosophi vero qui, ut alibi auctor noster observat, veritatem diligit : « Principium, inquit [59], est res admirari, ut ait Plato in *Theæteto*. Matthias adhortans in *Traditionibus* : Admirare præsentia ; eum esse primum gradum statuens ulterioris cognitionis. Qua ratione etiam scriptum est in Evangelio secundum Hebræos : Qui admiratus fuerit, regnabit, et qui regnavit, requiescet. » Triplici itaque auctoritate probat admirationem esse veritatis principium. De secunda autem et tertia, ex Matthiæ *Traditionibus* et Evangelio secundum Hebræos petita, jam supra disputavimus. Tertia autem desumpta est ex his Platonis verbis [60] : Μάλα φιλοσόφου τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ τῆς φιλοσοφίας ἢ αὕτη· « Hæc maxime philosophi affectio est admirari ; non enim aliud est philosophiæ primordium. »

Manifestum præterea erudītus auctor noster [61] facit veritatem non in cognitione tantum, sed etiam in actione versari ; ita tamen ut hæc a contemplatione profluat.

Duas porro ille docet [62] esse veritatis species et ideas, ἰδέας, nomina scilicet et res ; ac Græcos nominibus, atque orationis elegantiæ et ornatui, Christianos vero rebus ipsis, in quibus versandum est, inhærere. Monitos nihilominus ille nos facit nominum, sicut et rerum, distinctionem ac cognitionem, neque minimæ ad intelligendas sacras Scripturas esse utilitatis, neque exiguam obscuris illius locis lucem afferre : « Nominum, ait ille [63], et rerum distinctio in ipsis quoque Scripturis magnam lucem affert animis. Necesse est enim audire et dictiones plura significantes, et plures, quando quid unum significant ; unde etiam fit ut recte respondeatur. »

Porro autem quamvis ille veritatem inventu difficillimam esse haud semel asseveret [64], fatetur tamen [65] multa esse, quæ ad eam inquirendam conferunt, eamque Filio Dei opitulante inveniri : « Sunt quidem, inquit ille [66], communia quædam criteria, sicut sensus ; alia autem eorum, qui consultarunt, et exercuerunt ea, quæ vera sunt, nempe quæ vera et falsa per mentem et rationem artificiose distinguunt. » Atque hi tandiu inquirunt veritatem, donec illam in Scripturis sacris invenerint ; et ea inventa, conquiescunt.

Quid vero, quod sicut veritas a Filio Dei, divinisque, uti diximus, Scripturis, vel, ut ait citatus a Clemente [67] Plato [68], a Deo inquirenda est ; ita sane et ad eam comparandam nos juvant, non solum philosophia, ut supra dictum est, sed aliæ etiam ejusdem philosophiæ adjutrices disciplinæ? Et id quidem cum Clemens inductione, ex variis disciplinis desumpta, comprobavisset, sic concludit [69] : « Philosophiam ergo adjuvant disciplinæ, et ipsa philosophia ad tractandum de veritate. » Ad consequendam enim veritatem, quæ multo sine labore et experientia comparari non potest, animum hominis præparant, et disponunt disciplinæ, atque inde ille ad veritatis cognitionem perducitur. Quamobrem quomodo sacræ Scripturæ lectio ad veritatem adipiscendam omnino necessaria est : sic et humanas disciplinas utiles esse nullus unquam jure merito inficias iverit. Quod quidem Clemens [70] testimonio confirmat Platonis, qui etiamsi negaverit encyclopædiam ad bonum conferre, profitetur tamen ab illa opem ferri ad excitandam exercendamque animam ; ut ea quæ percipiuntur intelligentia, assequi possit.

Maximis igitur in rebus eos falli demonstrat, qui contra objiciebant [71] : « Quid juvat nosse causas, quomodo sol moveatur, et reliqua astra ; aut geometrica speculatum esse theoremata, aut dialectica, aut unamquamque ex aliis disciplinis, » quæ

[48] l. II, p. 362. [49] ibid. [50] l. III, p. 393. [51] l. IV, p. 531. [52] l. VI, p. 694. [53] l. IV, p. 477 ; l. VI, p. 691 ; l. II, p. 396. [54] l. I cont. Julian. init., p. 7. [55] tom. IV, serm. I, De fide, p. 477. [56] l. II Strom., p. 364. [57] l. VI, p. 656. [58] serm. 11, p. 136. [59] Strom. l. I, p. 380. [60] Theæt. tom. I, p. 155. [61] Strom. lib. VI, p. 660. [62] l. I, p. 289 et seq., 293 ; lib. VI, p. 689 et seq. [63] ibid., p. 655 et seq. [64] ibid., p. 660. [65] ibid., p. 689, et l. I, p. 318, et l. VII, p. 754. [66] ibid., p. 755 et seq. [67] l. VI, p. 675. [68] in Phæd., t. III, p 262. [69] l. VI, p. 660. [70] l. I, p. 316. [71] ibid., p. 661 et seq.

Digitized by Google

ab humano ingenio, minime autem a veritate docentur? Quam infirmi etenim levisque momenti sit hæc objectio, hinc ipse convincit [72], quia homines libero præditi libertatis arbitrio, possunt humanam doctrinam sanctam efficere, « etiamsi eam acceperint per homines. » Et id sane ab illo pluribus ipsiusmet divinæ Scripturæ testimoniis et Abrahæ exemplo stabilitur et confirmatur.

Præterea vero ille luculenter demonstrat [73] ab eo qui veras Græcorum sive paganorum disciplinas et artes coluit, aurum probum ab adulterino, id est, verum a falso, sophisticam artem a philosophia atque ab orthodoxa veritate, hæreses et errores caute ac prudenter secerni ac separari.

Quapropter non imperfectis tantummodo Christianis, sed etiam perfectissimo, seu, ut ipse loquitur [74], gnostico per eum licet, ut ex unaquaque disciplina illud sumat quod confert ad veritatem. Quinimo brevi inductione ostendit [75] quid ex singula quaque disciplina ab illo decerpi debeat; ea tamen lege, ut iis non tanquam *virtutibus*, sed tantum ad assequendam veritatem *adjutricibus* utatur. Cuilibet tamen Christiano præcipit, ut in illis non immoretur, et permaneat, sed postquam quæ in iis bona et vera sunt elegerit, ad veram, sive Christianam philosophiam revertatur.

Nemini porro hæc Clementis nostri sententia nllam admirationem movere debet. Persuasum siquidem ille habuit in omnibus, non solum disciplinis, sed etiam artibus aliquid boni inesse, quod ab ipsomet Deo profectum est: « Jam vero ea etiam, inquit [76], quæ bona sunt in artibus, ut in artibus, ἐν τέχναις, ὡς ἐν τέχναις, habent principium divinitus. »

Nos tamen ille [77], nec semel, nec segniter monitos esse vult, omnibus Christianis, atque in primis gnostico, seu eorumdem Christianorum perfectissimo, vitandum esse multum et inutilem disciplinarum abusum. Confirmari autem id potest ipso Platonis Heraclitique testimonio, quod ille alibi hunc protulit **306** in modum [78]: Ἥδει γάρ, οἶμαι, ὡς ἄρα ἤδη πολυμαθὴ νόον ἔχει· ὃ διδάσκει καθ' Ἡράκλειτον· « Sciebat enim, ut existimo, eum multarum rerum scientem jam habere mentem, quod docet, ut est Heracliti sententia. » Sed hoc Menagius censet ita esse corrigendum: Ἥδει γάρ, οἶμαι, ὡς ἄρα ἡ πολυμάθεια νόον οὐχὶ διδάσκει καθ' Ἡράκλειτον. Et sane hanc emendationem probat prætermissa ab auctore nostro sententia, quæ apud Laertium sic legitur [79]: Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει, « multa peritia mentem non docet. »

Non aliter itaque has disciplinas, quæ utilitatis aliquid habent, a Christianis adhibendas esse Clemens opinatur; nisi veluti quasdam præexercitationes, quibus et captiosa adversariorum sophismata diluere, et veritatis cognitionem assequi possint. Denique tunc eas non modo inutiles, sed perniciosas esse asserit, quando cum vera philosophia conjunctæ non fuerint: « Artes, inquit [80], si cum philosophia conjunctæ non fuerint, cuilibet exitiales erunt. » Sed hæc omnia ex iis clariora et apertiora omnibus fiunt, quæ superius de philosophia disputavimus.

ARTICULUS V.

De grammatica, dialectica, arithmetica, et quibusdam numeris, de musica, geometria, architectura, agricultura, nautica et astronomia.

Clementem nostrum, de singulis disciplinis disserentem, si sequamur, ab ipso hæc audiemus [81]: « Eum bene et utiliter eruditum existimo, qui omnia refert ad veritatem; adeo ut ex geometria et musiça, et ex grammatica, et ipsa philosophia colligens quod est utile, nullis insidiis interceptam servet fidem. » Censet igitur Christianum hominem, singulis hisce disciplinis liberaliter ornatum, posse earum ope et præsidio hæreticorum aliorumque paganorum et errantium hominum insidias ac dolosas cavillationes ita declinare, ut illibatam Christianæ religionis doctrinam et nullis falsis artibus interceptam fidem conservet.

Cum autem grammatica in verbis et vocibus potissimum versetur, inde certe Clemens recte collegit eam ad intelligendas sacras utriusque Testamenti Scripturas esse utilem: « Quomodo, inquit [82], non est utile, dividere voces, quæ sunt ancipites, et quæ in Testamentis afferuntur æquivoce? » Et vero artis grammaticæ utilitatem, imo et necessitatem probe cognoscunt, qui eosdem sacros libros, vel primoribus, ut aiunt, labiis gustavere, atque ii in primis, qui illos interpretari, exponere, verosque eorum sensus perscrutari conati sunt. Nos tamen Clemens, uti diximus, commonefacit Christiano non in solis nominibus et verbis, sed rebus ipsis et veritati, quæ ex illis eliciuntur immorandum.

Dialectica autem a Clemente dicitur [83] respondendi et interrogandi scientia. Nec ab hac scientia longe absunt ii, de quibus Laertius scripsit [84]: « Dialecticam recte disserendi scientiam circa orationem, quæ interrogatione et responsione consistit, versari dicunt. Quocirca ipsam ita definiunt, scientiam veri, falsique et neutrius. » Atque hanc alibi [85] suum a Zenone Eleate exordium sumpsisse perhibet.

De illius itaque utilitate hæc Clemens noster tradidit [86]: « Perspicuitas opem fert ad tradendam veritatem, et dialectica, ne prosternamur ab hæresibus, quæ faciunt incursiones. » Quis autem inficiabitur non minimum esse fructum et emolumentum dialecticæ, quæ efficit ut ab hæreticis non decipiamur, et vanas eorum argutias et cavillationes diluamus, confutemus et explodamus?

Nec mirum sane. Nam dialectica, ut ille ait [87], juxta Platonis sententiam, « est quædam scientia inventrix eorum, quæ sunt significationis, » τῆς τῶν ὄντων δηλώσεως εὑρετική τις ἐστὶν ἐπιστήμη. Duplex porro dialectica ab eo distinguitur. Prima in rebus sophisticis versatur, « et aliquid dicit, vel facit eorum, quæ dicuntur, aut fiunt ab hominibus [88], » atque hæc procul rejicienda est. Altera a bono et moderato viro acquirenda, « ut possit facere et dicere ea quæ Deo grata sunt, idque universum pro viribus. » Docet autem Clemens hanc esse prudentiam, quæ ea dividit, quæ percipiuntur intelligentia, quæ ad veram sapientiam nos quasi manu ducit, quæ ad ipsummet etiam Deum audet progredi, quæ tandem divinorum cœlestiumque scientiam profitetur. Atque hæc omnia ex septimo Platonis *De republica* libro videtur hausisse [89]. Ad hæc vero dialectica, quemadmodum ille alibi ait [90], quæ intellectu percepta fuerunt, fuse et rationabiliter, ac cum electione et assensu explicat. Quæ autem vere dicta sunt, confirmat, dissolvitque *dubitationes* et sophismata: « Est enim, sicuti adhuc scripsit [91], dialectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur a sophistis. » Quidni vero? quandoquidem « dialectici, inquit Laertius [92], a disserendo vocati sunt, hi nimirum, qui verborum ac rationum acumine pugnant. »

Arithmeticæ quoque utilitatem eo Clemens demonstrat [93], quod gnosticus seu perfectissimus, sicut

[72] p. 656. [73] l. I, p. 291 et seq. [74] l. VI, p. 654. [75] p. 655, 659. [76] p. 694. [77] l. II, p. 339, et l. VI, pag. 656. [78] l. I, p. 315. [79] l. IX in Vita Herac., § 1. [80] l. I, p. 289. [81] Strom. l. II, p. 291. [82] ibid., p. 292. [83] ibid. [84] l. VII in Vita Zenon., § 42. [85] in Procœm., § 18. [86] l. I, p. 319. [87] p. 354. [88] ibid., [89] tom. II, lib. VII De repub., p. 351 et seq. [90] Strom. lib. VI, p. 692. [91] ibid., p. 656. [92] in Procœm., § 17. [93] lib. VI, pag. 654.

Digitized by Google

dictum est, Christianus in ea « adnotet augmenta et decrementa numerorum, et eas quæ sunt inter se relationes, et quod plurima cadant in proportionem numerorum. » Ad illud porro arithmeticæ probandum emolumentum, non modo Abrahæ profert exemplum, sed quædam etiam de nonnullis numeris animadvertit [94], videlicet numerum decimum esse undequaque perfectum, octonarium vero esse primum cubum, in quacunque dimensione æqualem, atque ut alios missos faciamus, numerum 120 constare ex paritate numeri 64 et imparitate numeri 54, quorum partes quadratos generant; imo vero eumdem numerum 120 quatuor componi uno triangulo scilicet 15, altero quadrato 25, tertio pentagono 35, quinto denique hexagono 45. Sed quamvis Clemens noster et alii postea Ecclesiæ Patres, ut alibi diximus [95], post Platonicos, ac potissimum Pythagoreos scientiæ numerorum addictissimos, in iis enucleandis aliquando versati fuerint; majorem tamen fructum ex allegorica et mystica explicatione percipi posse arbitrati sunt.

In iis enimvero multas post Philonem Judæum deprehenderunt allegorias, et symbola, multas quoque alias, quas illi adnotarunt, figuras, sicut in numero trecentesimo decimo octavo, in quo Clemens noster [96], et alii, ut vidimus, existimant designari crucis Christi figuram.

Ubi vero auctor noster expressam a Clemente Romano [97] gnostici, seu perfecti Christiani, formam et imaginem exhibet, citata ab illo Psalmi tricesimi primi verba interrumpit [98], ac quædam de septenario et octonario numero media sic interjicit [99] : *Adeste filii, audite me*, ait Dominus, *timorem Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos* [100]? « Deinde hebdomadis et ogdoadis subjungit **307** mysterium, quod inducit cognitionem : *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo et fac bonum, quære pacem et persequere eam* [1]. Per hæc enim significat cognitionem cum abstinentia a malis, et cum operatione bonorum, docens perfici et opere et sermone. » Horum autem Clementis nostri verborum sensus, quem se satis non percepisse Hervetus fatetur, iste est : Clemens Romanus his Psalmistæ verbis declarat hebdomadem, sive septenarium numerum significare a malis abstinentiam, ogdoadem vero, sive numerum octonarium, qui illo perfectior, et summam perfectionis, sicut olim ad Ambrosii in Lucæ Evangelii expositionem observabamus [2], complectitur et continet, significare bonorum operationem, quæ sermone et opere perficitur. Et id quidem inde confirmari potest, quod de his aliisque utriusque illius numeri significationibus postea Clemens prodidit [3].

Ea autem [4] numerorum mystice exponendorum consuetudo vulgaris adeo illius tempore pervagataque erat, ut aliis denarium esse sacrum si diceret, id sibi inutile et supervacaneum videretur. Quamobrem istud, utpote jam tibi forsan inusitatum, discere si aveas, legesis Philonis lib. *De congres. quær. erudit. grat.* pag. 637 et seqq.; Origen. homil. 13 in Levit. p. 105, etc.

Hervetus tamen declarat sibi in memoriam non redire illud a se ullibi lectitatum, quod de vicesimo quinto numero prius a Clemente scriptum legimus [5] : « Jam vero numerus 25 qui est quintus ab unitate, dicitur esse symbolum tribus Leviticæ. » At hæc mystica significatio his niti videtur sacri Numerorum libri verbis [6] : « A viginti quinque annis, et supra ingredientur Levitæ : ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt, » etc. Quid vero, quod Origenes eamdem plane numeri 22 symbolicam nobis attulit interpretationem ? Levitæ, inquit [7], « qui deserviunt Domino, et primogeniti filiorum Israel admirabili hoc et sacrato numero titulantur. » De his porro aliisque, quorum auctor noster mentionem facit [8], numeris, eorumque mystica et allegorica significatione plurima occurrunt apud antiquos Ecclesiæ Patres, Origenem, Ambrosium, Augustinum, et alios complures, ex quorum scriptis multa Hieronymus Laureus in sua ad *Allegoriarum silvam* appendice collegit.

Ex his porro quæ de arithmetica diximus, quilibet facile concedet musicam esse quoque Christiano utilem. Nemo etenim nescit eam nihil aliud esse nisi ipsammet arithmeticam, quæ cum in numeris sonoris versetur, in iis harmonicas concentuum causas, et interjecta inter sonos intervalla distinguit, ac de illis sive sensu, sive ratione dijudicat. Quamvis autem illa idcirco ab eodem Clemente nostro στοχαστική, « conjecturalis » fortasse dicitur [9]; ipsius nihilominus utilitatem exemplo Davidis, Psalmos numerose canentis, sic comprobat [10] : « Exemplum musicæ simul psallens et prophetans ponatur David, Deum concinne et numerose laudans. » Tum deinde ostendit harmoniam Doricam et Phrygiam esse Christiano maxime consentaneam ac convenientem, atque ex hac eadem psalterii harmonia, quæ modorum honestatem et gravitatem patefacit, magnum Terpandro, de quo nos supra, exemplum fuisse.

Per Clementem itaque nostrum Christiano hac uti licet musica. At quomodo, et quam ob causam ea uti debeat, ex iis quæ idem Clemens dixerat, sic ipse concludit [11] : « Est ergo attingenda musica ad mores ornandos et componendos. Certe etiam in convivio nobis invicem psallendo propinamus, nostram incantantes cupiditatem, et Deum glorificantes, propter copiosam donationem eorum, ex quibus fructum et emolumentum capiunt homines, ἐπὶ τῇ ἀφθόνῳ τῶν ἀνθρωπείων ἀπολαύσεων δωρεᾷ, et quod perpetuo suppeditata fuerint nutrimenta ad augmentum corporis et animæ. » Quapropter gnosticus, seu perfectus Christianus, uti ait Clemens [12] : « Ex musica persequitur proportionem, quæ est in iis quæ sunt conjuncta et composita. »

Neque porro musicam voce tantum cantando Christianis utilem esse docet : sed iis quoque permittit quorumdam iustrumentorum musicorum usum : « Et si ad lyram, inquit [13], et citharam canere et psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio. »

Non omne tamen musicæ genus licitum esse contendit. Quemadmodum enim illud, de quo loquimur, bonum, utile et admittendum esse asserit, ita et aliud censet supervacaneum et penitus rejiciendum. Quodnam autem sit, his ille exponit verbis [14] : « Est autem supervacanea respuenda musica, quæ frangit animos, et varie afficit; ut quæ sit aliquando lugubris, aliquando vero impudica, et incitans ad libidinem. » Quod quidem ipse in secundo *Pædagogi* libro, cap. 4, enucleatius explicat, fusiusque prosequitur. Clementi itaque illius tantum musicæ usus probatur [15], atque ab illo Christianis conceditur, ex quo ii aliquid boni et emolumenti fructusque spiritualis possunt demetere ac percipere.

Geometriam quoque, agriculturam, architecturam et nauticam cuidam Christianis utilitati ac

[94] p. 656 et 657. [95] Ad epist. Ambros. 44, p. 976, num. 3. [96] loco cit. [97] Epist. 1 ad Corinth. § 22, p. 202. [98] lib. IV Strom., p. 517 et seqq. [99] Psal. XXXIII, 12, 13. [100] Ibid., 14, 15. [1] In Ambr. l. V; in Luc., pag. 1367. [2] l. IV Strom., p. 538 et 564. [3] lib. VI, p. 680. [4] lib. VI, p. 657. [5] Numer, VIII, 24. [6] homil. 4, in Numer., p. 117. [7] lib. VI, p. 658. [8] lib. I Strom., p. 316. [9] lib. VI Strom. p. 658. [10] pag. 659. [11] pag. 654. [12] lib. II Pædag. c. 4, p. 163. [13] l. VI Strom., p. 659. [14] lib. I, p. 316.

Digitized by Google

emolumento esse posse palam ille asseverat [15]. Atque geometriam quidem, et architecturam illis fructuosas esse inde ostendit [16], quod ejus opere veritatem perspiciant, et inventis proportionibus adducantur « ad longitudinem absque latitudine, et superficiem, quæ caret altitudine, et signum quod nullas habet partes, et a sensibilibus nos traducit ad ea, quæ percipiuntur intelligentia, » hoc est, ad Deum, qui nec corporeus est, nec finitus.

Quomodo autem hæc scientia ad Christiani hominis virtutem proficere possit, Clemens pulchre docet [17], ubi proportiones in tabernaculi, arcæ et mensæ, quæ in Hierosolymitano templo erant, constructione observatas, mystico allegoricoque sensu interpretatur.

Neque porro minus eidem Christiano utilem esse astronomiam haud plane incerto Abrahæ exemplo manifestum omnibus facit [18]. Quinetiam quomodo illa ab ipsomet gnostico, sive perfectissimo, ut sæpius diximus, Christiano utiliter adhibeatur, hunc ille exponit in modum [19]? « Ab astronomia a terra elevatus una cum cœlo mente in altum extolletur, et simul cum astrorum conversione circumagetur, semper considerans divina, et eam quæ est inter se invicem consensionem et convenientiam, a quibus adductus Abraham, ascendit ad cognitionem ejus, qui creaverat. »

308 ARTICULUS VI.

Sophisticam artem, sicut et alias, quæ vocibus et verbis tantum constant, esse penitus ejiciendas et exterminandas; quæ a Christianis movendæ quæstiones, aut non movendæ, ac a quibus et quomodo legendi paganorum libri.

Non eadem profecto, sed longe alia Clementis de artibus, quæ in verbis tantum versantur, ac potissimum de sophistica arte fuit mens et sententia. Quid autem sit hæc ars quam Græci, inquit, magni æstimabant, sic ille explicat et definit [20] : « Ars sophistica est, δύναμις φανταστική, potestas phantastica (seu imaginationis), quæ falsas opiniones, tanquam veras, verbis ingenerat. » Cur autem eam sic definierit, hanc continuo reddit rationem : « Præbet enim ad persuadendum quidem, τὴν ῥητορικήν, dicendi artem, ad contendendum autem, τὴν ἐριστικήν, artem litigandi. »

Quod quidem ille adhuc plenius facit [21] non modo auctoritate Platonis, a quo « ars mala, » et Aristotelis, a quo « ars quædam decipiendi » vocatur; sed etiam ab ipsius principio, officio et fine, quæ idem Clemens noster his ibidem edisserit verbis [22]: « Sophisticæ artis principium quidem est, τὸ φαινόμενον, id quod apparet, » sive rerum tantum apparentia, non autem res ipsæ, et veritas. « Officium vero duplex : unum quidem ex rhetorica, quod perpetua oratione rem persequitur, » διεξοδικὸν φαινόμενον, seu longa rei apparentis, non autem veræ prosecutio : « Alterum vero ex dialectica, ἐρωτικόν, interrogans. Ejus vero finis est, ἡ ἔκπληξις, stupor et admiratio, » non autem veritas.

Itaque cum ars sophistica sit ars litigandi, quæ tota circa ea tantum quæ apparent versatur, nec *alium* habeat finem quam ut homines ad stuporem et admirationem, non autem ad veritatem adducat, hæc ex rhetorica et dialectica nihil boni, sed id duntaxat quod deterius est, accipit, sibique vindicat.

Inde igitur Clemens recte colligit eam, sicut et alias supervacaneas artes, quæ vocibus et verbis tantummodo consistunt, ab Apostolo jure prorsus merito proscribi et condemnari. Cui ille paulo post adhuc subscribit, atque hanc ibi suæ subscriptionis ac suffragii reddit rationem [23] : « Ars autem contentiosa et sophistica est penitus repudianda; quandoquidem ipsæ sophistarum dictiones non solum multorum oculos perstringunt, et eos seducunt, sed nonnunquam etiam vim afferentes, Cadmeam referunt victoriam. » Non alio igitur hæc ars sophistica collineat, quam ut hominum oculos perstringat, eosque fallat et seducat, ac Cadmea victoria, id est, infausta, infelici, ac ipsis perniciosa et funesta decipiat [24]. Quamobrem Christiani vera philosophia et dialectica, uti supra ex Clemente nostro dictum est, accurate imbui et informari debent; ne fallaci illa arte decipiantur, atque dolosas illius fraudes ac fallacias, captiosaque sophismata dignoscant, propulsent, ac funditus evertant.

Neque a proposito nostro alienum esse videtur, hic paulisper expendere quas a Christiano movendas quæstiones, aut non movendas esse Clemens censuerit. Docet itaque [25] eam quæstionem esse optimam, quæ fidei nostræ omnino conveniens et consentanea est : stultas vero, inutiles et inerudituas hæreticorum, atque a fortiori paganorum quæstiones, teste Apostolo, esse vitandas et rejiciendas, nec de iis temere laborandum, juxta illud Æschyli carmen :

Ne in iis labores temere, quæ nihil juvant.

Quod quidem carmen, ut id obiter admonemus, invenies apud Theodoretum tom. IV, serm. 4, *De Græc. affect. curat.*, pag. 531.

Quadruplex autem aliarum inutilium et vitandarum quæstionum dicit esse genus [26]. Ac primo quidem eæ, quæ omnibus omnino perspicuæ et manifestæ sunt, verbi gratia, utrum dies sit. Secundo, quæ a nemine unquam certo definiri possunt, exempli causa, utrum stellæ numero pares sint, an impares. Tertio, quæ in utramque partem æqua parique ratione possunt stabiliri et propugnari, quemadmodum utrum fetus in matris utero sit, aut non sit animal. Postremo ubi argumentum, quod ex utraque parte profertur, a nullo unquam solvi poterit. Vult ergo Clemens has omnes quæstiones ab omnibus Christianis vitari, ac prorsus rejici. Atque utinam tam prudentes, certæ ac firmæ de movendis proponendisque quæstionibus regulæ in Christianorum scholis nunc accurate et diligenter ab earum præfectis servarentur. Tum enim illi maximo sane et durissimo, ac penitus ingrato adolescentium aliorumque non abuterentur labore, et eos scientia melius informarent.

Denique simili quoque prudentiæ lege Clemens præcipit [27] ut Græcorum seu paganorum libri ab his, qui sparsa in eis impietatis errorumque venena cavere noverint, ea cautione legantur, ut falsa et noxia respuentes, vera tantum, salutaria et divina seligant.

CAPUT XXIV.

De variis paganorum moribus, ac singularibus et præclaris quorumdam facinoribus.

ARTICULUS I.

De purpura, dolosisque vestibus, et unctionibus, de cererum expositione, de quorumdam gula, et libidine, de cultu angelis et dæmonibus a magis tributo, atque de illorum a vino, animantis, et rebus Venereis abstinentia, quamvis cum matribus et

[15] lib. VI, p. 659. [16] p. 660. [17] p. 657 et seqq. [18] p. 656. [19] p. 654. [20] ibid. I, p. 269. [21] ibid. [22] ibid. [23] ibid., p. 293. [24] vid. Erasm., Adag. chiliad. II centur. 8, adag. 34, p. 534. [25] Strom. lib. V, pag. 646. [26] ibid., p. 617. [27] l. III, p. 615.

Digitized by Google

sororibus coirent, communesque eis essent uxores; de athletarum, atque in primis Astyli Crotoniatis, Crissonis Himeræi, atque etiam Amœbei citharœdi a rebus Venereis abstinentia, de legibus contra adulteros latis, de alia lege in gratiam mulierum prægnantium capite damnatarum, de Romanorum testamentis per libras et asses, ac de Lacedæmoniorum scytalis.

Postquam ea, quæ Clemens noster de Græcorum et paganorum artibus, disciplinis et scientiis tradidit a nobis pro more nostro examinata sunt, nunc ad alia accedendum est, quæ ille de ipsorum moribus et præclaris quorumdam facinoribus notatu digna cum judicaverit, et ab omnibus facile intelligi non possint, a nobis adhuc debent enucleari et explicari. Verumtamen ea omittemus quæ jam explanare tentavimus, quale istud est, quod Clemens narrat [28] purpureas ac dolosas vestes, et unctiones a veteribus Lacedæmoniis proscriptas ac rejectas, atque recens natos infantes, crudelissima prorsus inhumanitate a paganis suis parentibus fuisse expositos.

Plura quoque de paganorum cupedia, gula et liguritione in superiori dissertatione adnotavimus [29], quibus ea addenda sunt, a Clemente nostro in his **309** *Stromatum* libris de quibusdam memorata hominibus gulosis : « Qui, inquit [30], in aliquorum animantium ventres ante partum calces impingunt, ut contemperata lacte carne vescantur. » Quam autem hæc vera sint, disces ex Plutarcho, qui de corruptis ac depravatis quorumdam suæ ætatis hominum moribus scriptum nobis hoc reliquit [31] : « Alii verubus ignitis porcos jugulant, ut ferri tinctura sanguis exstinctus atque diffusus carnem molliat, delicatamque reddat. Alii uberibus suum fetarum, instante jam partu, insiliunt, eaque calcant; ut sanguinem, et lac, et tabum fetus simul interfecti inter matris dolores eximentes (proh piacularis Jupiter) maxime inflammatam animalis partem vorent. »

Ab istorum moribus quam alieni essent magi, inde colliges, quod de illis Clemens memoriæ prodidit [32] : « Certe magis curæ est, qui angelos colunt et dæmones, simul a vino, et animatis, et rebus Venereis abstinere. » Antea vero de iisdem in sua *ad gentes Admonitione* dixerat [33] : « Magi se jam suæ impietatis gloriantur ministros habere dæmones; ut qui eos in suorum famulorum numerum ascripserint, et necessitate adactos servos fecerint suis carminibus; » quia scilicet suis incantationibus eos sibi adesse et servire compellebant. De his autem impiis carminibus et incantationibus plura apud Eusebium [34] narrat Porphyrius.

At de illa Chaldæorum sive magorum cum impia superstitione, tum etiam abstinentia, multa ex variis auctoribus decerpta Laertius [35], ac primum ex Sotione narrat, « illos divinationem prædictionemque exercere, sibi deos apparere asserentes..... His autem vestis candida, lectus humus, esca olus, caseus panisque cibarius est. » Deinde vero ex Aristotele, Hermippo, Eudoxo et Theopompo adnotat [36], « duo juxta illos esse principia, bonum dæmonem et malum; alterum ex his Jovem, et Oromasdem, alterum Plutonem, et Arimanium dici. » Videsis variorum in hunc Laertii locum observationes. Præterea Eubulus, uti Hieronymus testatur [37] : « Qui historiam Mitræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera magorum, quorum primos, qui sint doctissimi et eloquentissimi, excepta farina et olere, nihil amplius in cibo sumere. »

Quæ vero ibidem Hieronymus fusius disserit, in eorum confirmationem adduci possunt, quæ noster Clemens adhuc generatim tantum dixerat [38] : « Quin etiam ii, qui colunt idola, a cibis et Venere abstinent. » Vide etiam Porphyrium lib. *De non necand. animal.*, pag. 399.

Quamvis autem tanta esset magorum abstinentia, ac nonnulli eos a rebus Venereis se abstinuisse tam asseveranter tradiderint : « Xanthus tamen (ipsissimet Clementis nostri verba sunt [39]), in iis quæ inscribuntur *Magica :* Coeunt autem, inquit, magi cum matribus, et fas esse aiunt coire cum sorore, et communes esse uxores, non vi, et clam, sed utrisque consentientibus, cum velit alter ducere uxorem alterius. » Brevius jam citatus a Laertio Sotion ait [40] : « Magos æquum duxisse matri ac filiæ misceri. » Sed id apud Eusebium fusius a Bardesane exponitur : « Apud Persas (inter quos magi degebant) lex, inquit [41], erat, qua non filias tantum, aut sorores, sed ipsas quoque matres secum matrimonio jungere licebat. Nec in ea regione tantum, eove duntaxat in climate incestas illas Persæ nuptias contrahebant; sed etiam quotquot eorum e Perside alio commigrarunt, quos Magusæos vocant, iisdem flagitiis obstricti manent, posterisque suis hæreditario quasi jure leges et consuetudines easdem relinquunt. » Hujus flagitiosissimæ ac plane detestabilis consuetudinis mentionem Sextus Empiricus, Quintus Curtius, Ovidius, aliique complures fecerunt, quorum verba ad id, de quo nemo dubitare potest, fusius probandum, hic integra transcribere, inutilis prorsus esset operæ et laboris. Lege, si velis, in laudatum a nobis Laertii locum Menagii animadversiones.

Verum, inquiet aliquis, nobis edissere quomodo sibi ipsi stet Clemens, qui magos et a rebus Venereis abstinuisse, et turpissimo matrum et sororum coitu contaminatos prædicat? Nunquid ille de diversis magis, tam loco quam moribus longissime dissitis, locutus est? At animum, quæso, advertas præterquam quod a Clementis nostri more non est alienum, ut aliquando, non quod ipse sentit, sed aliorum eadem de re varias referat opiniones, ab ipso haud dubitanter ibi affirmari magos a rebus Venereis, quæ nimirum illis prohibitæ et illicitæ erant, se continuisse; cum matribus vero et sororibus matrimonio fuisse copulatos quidem, sed quod lege apud eos lata permissum fuerat, atque idcirco minime flagitium et incestum esse credebant. Ubi vero post susceptam Christi fidem illud malum esse cognovissent, tunc, teste Eusebio, nuntium ei continuo remiserunt : « Itaque nec Persæ, ait Eusebius [42], qui semel Christi disciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt..... nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur. »

A magis autem si transeamus ad athletas, de eorum quoque abstinentia hæc Clemens noster litteris consignavit [43] : « Aiunt athletas non paucos abstinere a Venere, propter exercitationem corporis continentes, quemadmodum Crotoniatem Astylum, et Crisonem Himeræum. » Quæ quidem luculenter et egregie his confirmantur Platonis verbis [44] : « Ignoramusne ea, quæ de Iceo Tarentino perhibentur, qui ut in ludis Olympicis cæterisque idoneum se redderet, eam animi contentionem artemque adhibuit, et in tantam temperantiam se conformavit, ut neque mulierem, neque puerum attigerit unquam, quandiu quidem in hujusmodi exercitationibus est versatus. Idem quoque de Crissone, et Astylo, e

[28] Dissert. super., cap. 12, art. 2. Strom. lib. II, pag. 400. [29] super. dissert., cap. 12, art. 7. [30] Strom. l. II, pag. 401. [31] l. II De esu carnium, pag. 996. [32] Strom. l. III, p. 446. [33] Admonit. ad gentes, p. 39. [34] l. V Præp. evang., c. 8, 9 et 10. [35] in procem. in Vitas et dogm. philosoph., § 7. [36] ibid., § 8. [37] l. II adversus Jovinian., p. 62. [38] p. 446. [39] lib. III, p. 451. [40] loc. cit. [41] lib. VI Præp. evang., cap. 10, pag. 275 et 279. [42] l. I Præp. evang., c. 4, p. 11. [43] Strom. l. III, p. 447. [44] tom. II, l. VIII De legib., p. 839 et seq.

Digitized by Google

Diopompo, et cæteris compluribus memoratur. . . . Vera hæc dicis, quæ his athletis accidisse prisci memoriæ prodiderunt. Quid igitur? Illi ut luctando, et currendo, cæterisque hujusmodi corporeis facultatibus vincerent alios, ab ea re, quæ a vulgo beata prædicatur, ultro abstinere voluerunt. » Alibi vero scribit [45] : « Crissonem Himeræum florentis et robustæ ætatis cursorem fuisse. » Mentionem quoque illius fecerunt Diodorus Siculus [46], Pausanias [47], Eusebius [48], et alii ita omnibus obvii, ut Hervetum mirari subeat, qui de illo apud alios, præter Clementem nostrum, se alicujus verbi quod legerit, meminisse palam negavit.

De Astylo autem idem Pausanias hæc memorat [49] : « Astylus Crotoniata Olympiacas deinceps tres de cursu repetito palmas tulit. Et hujus quidem, quod Hieronis Dinomenis studio ductus, Syracusanum se renuntiandum curasset, in posterioribus duabus victoriis infamiæ causa domum Crotoniatæ ad publici carceris usum destinarunt, et statuam in Lacedæmoniæ Junonis templo dedicatam everterunt. »

Pergit Clemens [50] : « Quinetiam Amœbeus citharœdus **310** cum recenter uxorem duxisset, a sponsa abstinuit : et Cyrenæus Aristoteles amantem Laidem solus despexit. Cum meretrici itaque jurasset se eam esse in patriam abducturum, si ei adversus decertantes adversarios in aliquibus opem tulisset, postquam id perfecit, lepide a se scriptum jusjurandum exsequens, ejus quam simillimam Cyrenæ statuit imaginem. » Eadem de illo narrat Ælianus [51] : « Amœbæus, inquit, citharœdus, maxima continentia præditus fuisse dicitur, cumque venustissimam uxorem haberet, non cum ea coivisse. » Quod quidem adeo singulare et memoria existimavit esse dignum, ut illud suæ *De animalibus historiæ* inserendum adhuc putaverit [52]. Ibi vero addidit hunc Amœbæum omni tempore, quo in certaminibus versaretur, ab ea formosissima uxore se abstinuisse.

Itaque major est de Aristotele Cyrenæo difficultas. Nos etenim Hervetus admonet eumdem Ælianum in laudata *Varia historia* meminisse quidem illius Aristotelis Cyrenæi [53], sed de amata ab illo Laide nihil in ea reperiri. Verum si ad ea, quæ paulo ante in illa scripta sunt, oculos Hervetus convertisset, ibi certe vidisset, quæ Aristoteli Cyrenæo Clemens tribuit, his prope eadem Eubatæ itidem Cyrenæo ita ascribi : « Lais cum Eubatam Cyrenensem aspexisset, ardentissimo in eum amore cœpit flagrare, et de contrahendis inter se mutuo nuptiis sermonem ei detulit..... Sponsio vero his conditionibus facta est, ut post ludos certamenque rata deberet esse. Cum igitur abiret e certamine, ne conventis non stetisse videretur erga feminam, pictam Laidis imaginem deportavit secum Cyrenem, » etc.

Verum alterutrum, aut ex eorum amanuensibus librariis aliquem, nomen hujusce Laidis amasii describendo, errasse haud omnino dubium videtur. Quis autem revera erraverit, non facile dixeris. Ælianus tamen cum nullum testem, Clemens vero sententiæ suæ auctorem Istrum producat, is certe magis, quam ille vera scripsisse non immerito prorsus dici potest. At quia quidam a Laertio [54] Aristoteles Cyrenaicus, qui *Poetica* scripsit, alius autem a Stobæo [55] ejusdem nominis ejusdemque patriæ memoratur; utrum ex his duobus, vel ex aliis pluribus, quos Ionsius recenset, unus ille athleta fuerit, aut reipsa Eubata cognominatus sit, a peritioribus criticis lubenter audiemus.

Intolerabilem plane sectatorum Prodici impudentiam, qua obscœnissima quæque flagitia perpetrandi licentiam se habere dementissima temeritate prædicabant, ubi Clemens variis rationum momentis refellit, ibi contra eos hoc pugnat argumento [56] : « Quinetiam quæ faciunt, non faciunt ut reges, sed ut mastigiæ; clanculum enim committunt adulteria, timentes ne deprehendantur, et vitantes ne condemnentur, et metuentes ne supplicio afficiantur. » Quibus sane verbis ille apertissime significat decreta fuisse contra adulteros humanis legibus supplicia, quæ hi hæretici, adulteria clanculum committentes, declinare conabantur.

Quæret itaque aliquis quænam sint illæ leges, contra adulteros latæ, quodve pœnæ suppliciique genus ab eis constitutum, ac de qua tandem lege Clemens noster sit intelligendus. Ut his quæstionibus fiat satis, observandum est multas ea de re leges a variis scriptoribus memorari, nimirum Romiliam a Romulo, uti aiunt, et Juliam a Cæsare Augusto, et alias a Diocletiano, ac post Clementis nostri ætatem a Constantino et Maximino latas. At eumdem Clementem nostrum de lege Julia fuisse locutum, inde haud prorsus inepte colligitur, quod ea lex cæteris omnibus magis illustris et celebrata, magisque in usu, atque ab aliis deinceps sæpius confirmata, aut moderatius temperata, et explicata, aut supplicii etiam atrocitate gravior facta fuerit.

Verum enimvero quod ad pœnam ab illis irrogatam spectat, fertur adulteros lege Romilia et Julia capite fuisse damnatos. Postea vero Constans imperator, Constantini Magni filius, lege ad Catullinum anno 339 data, longe gravius in eos supplicium his verbis indixit [57] : « Sacrilegos nuptiarum tanquam parricidas insuere culleo vivos, vel exurere judicantem oportet. » Sed cum hæc ipsa lex Clemente nostro recentior sit, ille de lege Julia, uti diximus, et supplicio ab ea sancito procul dubio intelligi debet.

Quid ergo, arguet aliquis, nonne Augustinus disertissime negat ullam capitis pœnam antiquis Romanorum legibus, ac proinde Romilia et Julia contra adulteros statutam fuisse, ubi totidem ille verbis scripsit [58] : « Romani antiqui in stupro detectas Vestæ sacerdotes vivas defodiebant; adulteras autem feminas, quamvis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant. » Sed ille de lege Romilia, cujus edictum non omnino certum est, vel de quibusdam aliis antiquorum, ut ipse ait, Romanorum ante Augusti ætatem, ac proinde ante Juliam constitutis legibus verba fecisse vero prorsus simile est. Ab Arnobio siquidem ante ejusdem Augustini tempora illud litteris mandatum legimus [59] : « Ad libidinem homines proni, atque ad voluptatum blanditias naturæ infirmitate proclives; adulteria tamen legibus vindicant, et capitalibus afficiunt eos pœnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse. » Videsis Ulpianum lib. II ad legem Jul. et lib. IV *De adulter.*; Papianum lib. I *De adulter.*; Paulum Manutium lib. *De legib. Rom.*, cap. 19, et Godefridum in citatam a nobis Constantis legem tom. IV *Cod. Theodos.*, pag. 296.

Aliam Romanorum legem in prægnantium mulierum gratiam his Clemens verbis alibi memorat [60] : « Romani, si qua mulier prægnans fuerit damnata capitis, non prius permittunt ut supplicium subeat, quam pepererit. » Plutarcho autem si credimus, hæc lex ab Ægyptiis primum lata est, quam ab illis quidam Græci postea acceperunt : « Legem, inquit [61], Ægyptiam nonne videntur recte

[45] tom. I, in Protagor., pag. 335. [46] l. XII Bibl., p. 85. [47] l. V, p. 172. [48] in Chron. [49] l. VI, pag. 190. [50] ibid., p. 447. [51] l. III Variar. hist., § 24. [52] l. VI De animal., c. 1. [53] lib. X Var. hist., § 8. [54] l. V in Vita Arist., § 35. [55] serm. 62, p. 393. [56] Strom. l. III, p. 438. [57] titul. Quorum appellat., leg. 4. [58] l. III De civit., cap. 5, pag. 62. [59] l. IV advers. gent., post medium. [60] Strom. l. II, p. 400. [61] tom. II, De his qui sero a num. puniuntur, pag. 552.

Digitized by Google

quidam Græcorum descripsisse, quæ jubet gravidam si mortis fuerit damnata, asservari donec pariat? » De Græcis vero hæc Ælianus memoriæ commendavit [63] : « Judices Areopagitæ, cum venefícam mulierem deprehendissent, et eam morti tradere vellent, non prius ipsam interemerunt, quam partu liberaretur. Postquam vero peperit, comprehenderunt ipsam, et solventes a damnatione innocentem infantem, eam, quæ commeruerat supplicium, solam morte mulctarunt. » De Romana porro lege loquebatur haud dubie Quintilianus, cum dixit [64] : « Supplicia prægnantium lex differri in diem partus jubet. » Adi, si velis, jurisperitos in leg. *De prægnantibus* ff. *De pœnis*, etc. Cujacium, Jul. Paul. *Recept. sentent.* lib. I, titul. 12, De judicibus omn., § *Prægnantes*.

Ne autem a Romanis longius recedamus, notanda sunt hæc Clementis nostri de illorum testamentis verba, quæ Hervetus minime vidit nec quomodo **311** præcedentibus cohæreant, nec cur ab illo allata fuerint. Hæc vero hic leguntur [65] : « Et quæ a Romanis fiunt in testamentis, locum obtinuerunt, nempe libræ illæ et asses propter justitiam, et mancipationes et aurium contrectationes; illa quidem, ut juste fiant; hæc autem ad honoris divisionem; tertium vero, ut qui incidisset, cum ei onus imponeretur, stans audiret, et teneret locum intercessoris. » Ut hæc autem, quæ tam obscura Herveto esse non debebant, ab omnibus intelligantur, animadvertendum est id, quod Clemens de Romanorum testamentis tradit, ab Aulo Gellio paulo enodatius explicari, planeque confirmari : « Tria enim, inquiebat [66], genera testamentorum fuisse accepimus, unum quod calatis comitiis in populi concione fieret; alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur; tertium per familiæ emancipationem, cui æs et libra adhibentur. » Et adhuc clarius Justinianus lib. II *Institut.* [66] : « Tertium genus testamentorum, quod fiebat per æs et libram, scilicet quod per emancipationem, id est imaginariam quamdam venditionem agebatur, quinque testibus, et libripende, civibus Romanis puberibus præsentibus, et eo, qui familiæ emptor dicebatur. » Nullus autem dubitandi locus est, quin de hoc tertio, ut ait Brissonius [67], testamentorum genere Clemens noster loquatur, ac χαρπισμῶν nomine emancipationes, quæ in his testamentis intercedebant, reipsa designaverit.

Neque vero ad id probandum aliis opus est, quam Theophili verbis, quibus edisserit quomodo id testamenti genus fieri soleret. Fiebat, inquit [68], per emancipationem, « quæ imaginaria venditio erat. Quinque siquidem aderant testes, et libripens, cives Romani, hique puberes. Atque his præsentibus, is qui successor defuncti erat futurus, patrimonium moriturí emebat, verba quædam dicens solemnia, et imaginarii pretii nomine, nummum rerum domino dabat, appellabaturque is, qui emebat, familiæ emptor. Deinde ordinabat moriens quid post mortem suam fieri vellet. Dicebat enim familiæ emptori, sive hæredi : Huic volo dari fundum, illi domum, alii centum solidos. »

Ex iis porro ita explicatis quivis facile intelliget cur Clemens, qui sacris profana miscere solet, hoc Romani testamenti exemplum adduxerit, et quomodo isthæc cum præcedentibus et subsequentibus illius verbis optime cohæreant. Ibi quippe de symbolica et ænigmatica loquendi ac philosophandi ratione, in sacris nostris Scripturis adhibita, sermonem facit. A paganis vero eam quoque usurpatam fuisse hoc ille ostendit testamentorum exemplo, ubi asses, sive æs et libra mera erant symbola, figuræ et ænigmata. Si quid autem in ejusdem Clementis sermone sit obscuritatis, illud totum ex iis, quæ dicta sunt, atque Theophili verbis tollitur ac dispellitur.

A Romanis ad Lacedæmonios si deflectere parumper velimus, de eo, quo eorum leges inscribi solerent, modo hæc non omnibus plane facilia, a Clemente nostro tradita audiemus [69] : « Sciant Græci ephororum Lacedæmoniorum scytalas fuisse lege in lignis inscriptas. » Quibus autem hæc Clementis nostri verba obscura videbuntur, clarum eorum explicationem apud Suidam invenire poterunt. Ubi enim quid sit scytale edisserit, hæc ille habet : « Scytale epistola Laconica; scytale autem erat lignum politum et oblongum. Duæ vero scytalæ fuerunt apud Lacedæmonios, et alteram quidem ipsi Lacedæmoniorum ephori, id est præcipui magistratus, quales apud Romanos tribuni plebis, retinebant, alteram vero tradebant duci, quem ad bellum emittebant. Et quoties aliquid ei mandare volebant, afferebant album lorum, quo scytalem involvebant, et in eo loco scribebant quæ volebant. Et lorum revolventes, ac scytale removentes, id tabellario tradebant asportandum..... Dicitur igitur scytale et ipsa epistola, et ipsum lignum, in quo scripta est epistola. » Nec minus accurate et eleganter Aulus Gellius [70] scytalen descripsit, atque etiam Ausonius his carminibus [71] :

Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei, tereti circumdata ligno,
Perpetuo inscribens versu, qui deinde solutus,
Non respondentes sparso dedit ordine formas,
Donec consimilis ligni formetur in orbem.

Plura si velis, adi Athenæum lib. X *Deipnosoph.*, pag. 451; Tzetzem *Var. hist.*, chiliad. 9, § 258, pag. 409, tom. II *Poet. Græc.*, et alios.

ARTICULUS II.

De præclaris et singularibus quorumdam cum populorum, tum hominum factis, Cleomedis, Athamantis, Æschyli, Philoxenæ, Bocchoridis, Empiorum, Macedonum, Laconum, Zenonis, Eleæ, Theodoti, Pauli, Posthumi, Anaxarchi, Gymnosophistarum, ac de Platonis effato : Justum esse torqueatur esse beatum.

Singularia quædam auctor noster ethnicorum hominum facta, seu vera, seu ficta, sed quæ memoratu digna censebat, breviter aliquando et obscure proposuit; haud dubie quia ea omnibus suo tempore nota et pervulgata esse arbitrabatur. Talia profecto sunt hæc, quæ alicubi protulit, peccata involuntarii exempla : « Aut qui se ipsum, inquit ille [72], ignoravit, ut Cleomenes, et Athamas, qui erant correpti furore; aut rem quam facit, ut Æschylus qui in scena effatus mysteria, in Areopago dicta causa fuit absolutus, cum ostendisset se non esse mysteriis initiatum. » At de hoc Æschylo jam disputavimus.

Cujusdam vero Cleomenis meminit Suidas, et de illo hæc narrat [73] : « Cum esset Atheniensium dux præter alia mala, insaniam etiam simulabat; quia sciebat se civibus esse odiosum. Quamobrem etiam baculum gestans, obambulabat, quo propulsabat eos qui ipsum invadebant. » De eodem Cleomene rursus disputat ad verbum Κλεομένης, et Erasmus *Adag.*, chil. III, centur. 3, adag. 61, pag. 666. Verumtamen haud temere quidam suspicabitur in Græco Clementis nostri textu pro Κλεομένης,

[63] l. v Variar., § 18. [64] Declamat. [65] Strom. l. v, pag. 574. [66] l. v Noct. Atticar., cap. 7. [67] Instit. l. II De testamentis in princip. [68] l. VII De formul. init. [69] in paraph. Instit. l. II, tit. 10. [70] Strom. l. II, p. 367. [71] l. VII Noct. Atticar., cap. 9. [72] ep. 23 ad Paulinum. [73] Strom. l. II, pag. 387. [74] Ad verb. ἄνευ ξύλου.

Digitized by Google

legendum Κλεομήδης. Nam huic magis quam alteri ea conveniunt, quæ de illo Clemens memorat. Apud Pausaniam siquidem legimus [76] : « Cleomedem Astypalæensem memoriæ proditum in pugilatu Iccum Epidaurium interemisse : eo crimine erepta palma damnatum ab ædilibus, animi ægritudine mentis impotem factum; inde Astypalæam reversum, cum in ludum litterarium introisset, in quo pueri erant ferme LX, columnam, qua tectum fulciebatur, convellisse. Quare oppressis ruina pueris, cum cives ipsum cum lapidibus insectarentur, confugisse in templum Minervæ, moxque se in arcam, quæ in templo erat, conclusisse. Ejus arcæ operculum Astypalæenses cum diu conati, tollere non potuissent, postremo arcam effregisse, Cleomedem neque vivum, neque mortuum intus visum, **312** missis ad oraculum de rei miraculo consultoribus, his versibus responsum redditum :

Ultimus heroum Cleomedes Astypalensis,
Quem jam immortalem superum dignamini honore.

Et Cleomedi insequentibus deinceps temporibus Astypalæenses tanquam heroi honores habuere. » Si hæc tibi satis non faciant, consule Plutarchum in Vita Romuli, tom. II, pag. 35, et jam laudatum Suidam ad verbum Κλεομήδης.

Athamantis porro facinus, seu fabula ab eodem Pausania hunc narratur in modum [78] : « Ino secum Melicerte, natu minore filio, de saxo, quod Moluridem petram appellant, in mare præcipitem dedisse, cum natu majorem Learchum pater occidisset; ac Athamantem quidem, in uxorem et liberos furore impulsum, sunt qui dicant ita sævisse; alii vero ira vehementer incensum, quod uxoris nefario facinore immissam rescisset Orchomeniis famem, ac simul ab illa de medio sublatum Phrixum putaret; atque omnino accidisse omnia non divinitus, sed novercæ dolo, interpretaretur. Illam igitur tunc aiunt arrepta fuga se cum filio in mare de Moluride petra abjecisse. » Fabulam Ovidius libro IV *Metamorph.*, fab. 9, fusius prosequitur, qui lib. VI *Fastorum* hæc strictius vers. 489 et 490 cecinit :

His agitur furiis Athamas sub imagine falsa,
Tuque cadis patria, parve Learche, manu.

Pudicam mactandæ Polyxenæ honestatem, a poetis commendatam, sic Clemens noster memorat : « A tragicis, inquit [76], scriptum est Polyxenam, etsi interficeretur, moriendo tamen magnam adhibuisse diligentiam, ut honeste caderet. » Pausanias vero scribit [77] : « Mactatam fuisse ad Achillis tumulum, et poetæ decantarunt, et fabulæ testantur. » Alibi vero observat hoc tanquam immane, uti ait, facinus ab Homero de industria prætermissum. Ovidius autem et illud, seu potius hanc fabulam integram, et quod a Clemente nostro adnotatur, ita cecinit [78] :

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas
Cum caderet, castique decus servare pudoris.

Eodem quoque modo Clemens [79] leviter perstrinxit Prodici fabulam, qua virtus et vitium muliebri habitu obvium Herculi venisse ferebantur. Sed alibi notavimus [80] eam a Justino martyre memorari, quam Xenophon ex ejusdem Prodici de Hercule libro nobis totam exhibuit [81].

At Clemens fusius refert celebre Bocchoridis, Ægypti, sicut ex Diodoro Siculo [82] et aliis discimus, regis de adolescente, qui dormiens cum puella concubuisse sibi visus fuerat, judicium. Rem autem tota accipies a Plutarcho [83], qui puellam illam meretricem et Ægyptiam, et Thonidem cognominatam fuisse testificatur.

Plurima vero nobis Clemens proponit exempla ethnicorum tam populorum, quam hominum, qui varia tormenta constanter perpessi, magnum plane, ac mirum patientiæ documentum aliis præbuerunt. « Non solum Æsopii, inquit [84], et Macedones, et Lacones, dum torquentur, fortiter tolerant, ut ait Eratosthenes iniis, quæ scribit *De bonis et malis*. Sed Zeno quoque Eleates dum cogeretur arcanum aliquod enuntiare, restitit tormentis, nihil confitens, qui etiam postremo linguam erodens, eam exspuit in tyrannum, quem alii quidem Nearchum alii Demylum appellant. » Quis de hac Æsopiorum patientia aliquid memoriæ prodiderit, se non meminisse Hervetus declarat. Sed in Clementis textu [85] pro Æsopii, legerat Asopii, quos putat, haud dubie post Strabonem, Bœotiæ fuisse incolas. Verum in edito Græco Clementis textu, et in Claromontano codice scriptum est, Αἰσώπιοι, Æsopii, de quibus idem Strabo : « Quantum conjectura, inquit [86], licet consequi, Mysiam possis medio loco ponere inter Bithyniam et Æsopi, τοῦ Αἰσώπου, ostia, quæ ad Olympum fere totum pertineat. » Cum hi itaque Phrygiæ populi et Mysiæ contermini essent, vide an de illis locutus sit Clemens noster, propterea quod impune a quibuslibet læderentur. Unde ortum illud adagium, *Mysonum præda*, de quo legesis Erasmum *Adagior.* chil. II, centur. 1, adag. 92, pag. 315. Ad eos certe, vel etiam ad Phryges, de quibus hoc, ut adnotat idem Erasmus [87], ferebatur proverbium, *Phryx plagis emendatur*, Clemens potius collineasse videtur, quam ut quidam ejus scholiastes suspicatur ad imitatores Æsopi, qui diris cruciatibus tortus, patroni sui adulterium prodere noluit. Neque enim ullus dubitandi locus est Clementem non de hominis, sed de gentis cujusdam patientia facere sermonem.

Negat Hervetus se de publica Macedonum patientia aliquid legisse, sed nobilis duntaxat exemplum pueri, qui Alexandro sacrificante, patientissime tulit brachium suum, delapso e thuribulo carbone, aduri. At inde profecto cum Valerio Maximo, quem ille citat, colligere poterat quanta esset hujusce gentis patientia et fortitudo. Nam ibi Valerius addidit [88] : « Si huic miraculo Darius inseruisset oculos, scisset ejus stirpis milites vinci non posse, cujus infirmam ætatem tanto robore præditam animadvertisset. »

Recte quidem Lacedæmoniorum patientiam his Hervetus observat celebrari Horatii versibus [89] :

Nec me tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis.

Sed cur Lacedæmon patiens ab Horatio vocetur, hanc quidam nec inepte reddunt causam, quæ Plutarchi verbis sic enarratur [90] : « Lacedæmone pueri per integram diem flagellis cæsi, sæpenumero ad mortem usque læti alacresque tolerant, atque inter se de victoria certant, in eo posita, quod quis diutius magisque perferat verbera, victoremque summa consequitur gloria. Certamen illud flagellatio dicitur, et quotannis habetur. » Idem repetit in Vita Lycurgi, pag. 51. Videsis Lucian. dialog. *De gymnas.*, pag. 805; Cicer. *Tusculan.* II et V, pag. 142 et 189; Tertul. lib. *Ad martyr.*, cap. 4; Stobæum, Senecam, et alios plures. Sed ante citata a nobis Plutarchi verba, ille multa alia narrat, quibus Spartani

[76] l. VI, pag. 186. [78] l. I in fine p. 43. [76] Strom. l. II p. 423. [77] l. X, p. 342, et l. I, pag. 20. [78] l. XIII Metamorph., fab. 2. [79] lib. V, p. 561. [80] Appar. l. II, dissert. 2, c. 3, § 1. [81] l. II Memor., p. 737. [82] lib. IV, p. 520. l. II Bibl., p. 41. [83] in Vita Demetr. tom. I, p. 901. [84] Strom. l. IV, pag. 496. [85] l. V, p. 564. [86] l. IX Geogr., p. 408. [87] Adag., chil. I, cent. 8; adag. 36, pag. 250. [88] l. III, c. 3. [89] l. I, od. 7. [90] De Lacedæmon. instit., p. 239.

Digitized by Google

pueros ad quælibet dura patienter ferenda assuefaciebant.

Non minus crebro veterum auctorum sermone frequentatur Zenonis Eleatis facinus. Verum in primis legendi sunt Philo Judæus [91], Eusebius [92], et Diogenes Laertius [93] in illius Vita, ubi iste observat tyrannum, a quo Zeno cruciatus est, Nearchum, aut ab aliis Diomedontem appellatum. Valerius vero Maximus [94] eum simpliciter Nearchum, quemadmodum Plutarchus Demylum nuncupat [95]. Quæ quidem ipsa sunt nomina, quibus hic tyrannus, ut Clemens noster animadvertit, ab aliis vocatus est. Sed legendæ sunt Menagii in citatum Laertii locum adnotationes. Theodoretus vero [96] ubi idem Zenonis factum ex ipsomet, uti videtur, Clemente nostro [97] describit, ibi Eratosthenem **313** testem citat, cujus testimonium Clemens non ad hujus, sed ad eorum, quæ de Æsopiis et aliis dixerat, confirmationem adhibet. Quamobrem Theodoretus aut memoria lapsus est, aut Clementis nostri textum aliter, quam nunc habetur, in suis vel aliorum libris legerat.

Pergit autem Clemens : « Similiter facit etiam Theodotus Pythagoreus, et Paulus Lacydis familiaris, ut dicit Timotheus Pergamenus in libro *De magnitudine animi philosophorum*, et Achaicus in *Moralibus*. » Sed nescit Hervetus utrum sit ullus qui hujus Pauli unquam meminerit. Illius tamen memoriam, seu potius diligentiam fugere non debebat laudatus a nobis Theodoretus [98], qui eadem ac Clemens noster, aut potius ex Clemente nostro de utroque Theodoto et Paulo litteris mandavit. Quis autem facile sibi persuaderi non sinat hunc Theodotum non esse alium ab eo quem Valerius Maximus Theodorum nuncupat? Hujus enim similem plane, ac Theodoti fortitudinem et patientiam, atque dirissima etiam tormenta ab illo eamdem, atque ab hoc Theodoto, ob causam constantissime tolerata his Valerius Maximus narrat verbis [99] : « In Theodoro quoque viro gravissimo Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigavit. Rupit enim verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminas exstinxit, priusquam effecerit ut tyrannicidii conscios indicaret. Quinetiam satellitem, in quo totius damnationis summa quasi quodam cardine versabatur, falsa criminatione inquinando, fidum lateri ejus custodem eripuit; beneficioque patientiæ non solum quæ occulta fuerant, texit, sed etiam tormenta sua ultus est. » Videsis Livium [1], qui totam hanc historiam fuse descripsit; ac Theodorum omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceratum, et eum satellitem, cujus nomen Valerius tacuit, Thrasonem vocatum fuisse testificatur.

Deinde vero [2] : « Quinetiam Posthumus Romanus, captus a Peucetione, non modo nihil ex iis, quæ erant occulta, aperuit, sed cum etiam manum in ignem tanquam in æs immisisset, constitit vultu firmo et plane immutabili. » Corruptum esse hunc Clementis textum haud immerito suspicatur Hervetus, atque ita emendandum : *C. Mucius Romanus a Porsenna*, etc. Emendatio autem ista satis probatur variis, qui celebre illud Mucii factum frequentissime memorant, cum Græcis tum Latinis auctoribus, Dionysio Halic. lib. v *Antiq. Rom.*, pag. 296 et seq., a quo ille C. Mucius Codrus appellatur; item Plutarcho tom. I in Vita Publicolæ, pagin. 106, et tom. II in *Parallel.*, pag. 305; Livio lib. II *Histor.*; Valerio Maximo lib. III, cap. 3; atque ut alios quamplurimos omittamus, Martiale poeta, qui in illud triplici lusit epigrammate, lib. I, epigram. 22, lib. VIII, epigram. 30, et lib. X, epigram. 25.

A Neque porro minus frequens est apud sacros profanosque auctores mentio Anaxarchi, qui cum pistillis ferreis, ut ait Clemens noster, tunderetur exclamavit [3] : « Tunde Anaxarchi capsam, Anaxarchum enim non tundis. » Quosdam autem hujus facinoris testes a nobis si citari volueris, tibi illico proferemus Plutarchum tom. II, lib. IX, *De virtute moral.*, pag. 449; Philonem lib. *Quod omn. prob. sit lib.*, pag. 881; Valerium Maximum l. III, cap. 3; atque etiam Ciceronem lib. III *Tuscul.*, pag. 252; Tertullianum *Apologet.* cap. 50, nec non et Laertium lib. IX in ejusdem Anaxarchi Vita, § 59, ubi ille, non secus ac deinceps alii plurimi, Cyprium tyrannum, a quo Anaxarchus condemnatus est, Nicocreontem cognominatum fuisse perhibet. Corrigendus itaque est Origenis textus [4], ubi Aristocreon vocatur. Vide adhuc, si lubet, Menagii in allatum Laertii locum observationes.

Gymnosophistas merito condemnat Clemens [5], B qui se in ignem, haud dubie ut vivi comburerentur, temere conjiciebant. Hujus temeritatis et audaciæ, seu potius sævitiæ et inhumanitatis testis omni exceptione major nobis esse debet Philo Judæus [6]. Nam, uti ille scribit, hæc crudelitas suo adhuc tempore ab iis exercebatur : « Indorum, inquit, Gymnosophistas, ἄχρι τοῦ νῦν, et hodie sub initium senectutis vel morbi longi et incurabilis, priusquam invalescat, accenso rogo, seipsos exurere; quamvis possent ad tempus fortasse diuturnum resistere. Imo et mulierculas eorum defunctis maritis in rogos eorum cum gaudio se mittere, atque ita vivas concremari cum adamatis cadaveribus. »

Ex eodem Philone discimus cujus sint ea verba, quæ Clemens Indorum philosophis, seu Gymnosophistis sic tribuit [7] : « Indorum philosophi dicunt Alexandro : σώματα μὲν μετάξεις ἐκ τόπου εἰς τόπον· ψυχὰς δὲ ἡμετέρας οὐκ ἀναγκάσεις ποιεῖν ἃ μὴ βουλόμεθα. Πῦρ ἀνθρώποις μέγιστον κολαστήριον· τούτου ἡμεῖς καταφρονοῦμεν. Traduces quidem corpora de loco in locum : animas autem nostras non coges facere quæ nolumus. Ignis est hominibus magnus cruciatus, eum contemnimus. » Testatum siquidem nobis ipse Philo fecit hæc desumpta fuisse ex Calani, Gymnosophistarum patientissimi, ad Alexandrum Magnum epistola, sed quæ paulo aliter huncque in modum retulit [8] : Σώματα γὰρ μετοίσεις ἐκ τόπου εἰς τόπον· ψυχὰς δὲ οὐ δύνασαι ποιεῖν ἃ μὴ βούλονται... πῦρ μεγίστης τοῖς ζῶσι σώμασι πόνους καὶ φθορὰν ἐργάζεται· τούτου ὑπεράνω ἡμεῖς γινόμεθα, ζῶντες καιόμενα. « Corpora de loco ad locum transferes, animis invitis nullam vim inferes... Ignis corporibus vivis maximos dolores excitat, non sine pernicie; hanc tamen nos despicimus, dum vivi comburimur. » At de hisce Gymnosophistis, quos Laertius [9] dicit *mortis esse contemptores*, videsis Strabonem lib. XV *Geogr.*, pag. 717 et seq., et quæ a nobis superius capite 17, articulo 1, dicta sunt.

D Porro autem hoc Clemens exemplo ostendit Christianum, qui pro Christo variis et crudelissimis tormentis cruciatur et interficitur, esse beatum ac felicem. Quod confirmat his Platonis verbis [10] : « Etiamsi torqueatur justus, etiamsi effodiatur oculis, eum futurum esse beatum. » Et hæc quidem ab illo scripta sunt lib. II *De republ.*, tom. II, pag. 361, et a Theodoreto descripta serm. 8, *De Grat. affect. curat.*, tomo IV, pag. 602. At ipse ibidem, pag. 600 et 601, alia ejusdem Platonis et Heraclidi verba exhibet, quibus, uti Clemens noster observat, homines qui in bello pro patria ceciderant a diis honorari, hic vero aurei generis esse dicerat.

[91] lib. Quod omn. prob., pag. 881. [92] l. x Præp. evang., c. 14, p. 504. [93] l. IX in Vita Zenonis, § 25 et 26. [94] lib. III, c. 3. [95] lib. De Stoicor. repug., p. 1051. [96] serm. 4, de martyr., tom. IV, p. 504. [97] Strom. l. IV, p. 496; [98] loc. cit. [99] l. III, c. 3. [1] init. l. XIV Histor. [2] p. 496. [3] ibid. [4] l. VII Contr. Cels., p. 517 et editt. in-4 p. 368. [5] Strom. lib. IV, pag. 481. [6] lib. de Abrah., p. 375. [7] Strom. l. IV, p. 494. [8] lib. Quod omn. prob. sit lib., p. 879. [9] in procem. de philosoph., § 6. [10] p. 481.

Digitized by Google

314 ARTICULUS III.

De bellica quarumdam mulierum fortitudine, de Amazonibus, Sauromatidis, et Sacidibus, de singulari Iberiarum puerperio, de præclaris quarumdam factis, Lysidicæ, Philoteræ, Leænæ Atticæ, Telesillæ, Danai filiarum, ubi de eo qui fecit Danaidem, de Atlante, Anticlea, Alcesti, Macæria, Hyacinthidibus, de poetriis Telesilla, Myia, Corinna, Sappho, Cleobulina, ubi de more pedes hospitum lavandi, de pictricibus Irene et Anaxandra.

Mulieribus non secus ac viris bellicam fortitudinem non defuisse pluribus Clemens noster et illustribus probat exemplis. Atque ut memoratas ab eo Amazones, quas ea virtute instructissimas fuisse nemo nescit, missas faciamus, de aliis hæc ille litteris mandavit [11]: « Audio mulieres quoque Sauromatidas non minus belligerari quam viros, et alias Sacides, quæ a tergo sagittant, simulantes fugere, æque atque viri. » Herodotus autem postquam longum de Amazonibus sermonem fecisset, transit ad Sauromatidas, et hæc de illis scribit [12]: « Prisca consuetudine vivendi feminæ Sauromatum utuntur. Nam ad venationem una cum viris, ac sine viris, equis insidentes, et ad prælium proficiscuntur, eamdemque, quam viri, stolam gerunt..... Nulla virgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit; ideoque nonnullæ decedunt jam vetulæ, antequam nubant, quod legi satisfacere nequeant. » Nec minus perspicue de illis Plato: « Nostris, inquit [13], temporibus non me latet innumera esse circa Pontum mulierum millia, quas Sauromatidas vocant, quibus non equorum modo, verum etiam arcuum aliorumque armorum æqualis curà et exercitatio cum viris sit, publico imperio demandata, et ab illis æqualiter exerceatur. » Hippocrates vero asserit ab iisdem feminis, priusquam nuptui tradantur, non aliquem duntaxat hostium, ut ait Herodotus, sed tres debuisse occidi. « In Europa, inquit [14], gens Scythica, quæ Mæotem paludem incolit, et a reliquis plurimum differt, Sauromatæ appellantur. Eorum feminæ equitant, arcu utuntur, et ex equo jaculantur, et cum hostibus bellum gerunt, quoad virgines exsistunt; neque ante virginitatem deponunt, quam tres hostes interfecerint; neque cum viris prius congrediuntur, quam sacra more patrio peregerint. Quod si qua virum sibi delegerit, equitatu soluta est, nisi communis expeditionis necessitas ingruat. »

Sacides porro erant Sacarum, de quibus Herodotus [15], Strabo [16], et alii disserunt, feminæ, quarum bellica virtus a Diodoro Siculo his celebratur verbis [17]: « Sacarum regnum administrabat Zarina mulier, rerum bellicarum studiosa, et omnes Sacarum feminas audacia et ad res gerendas industria longe superans. Gens enim hæc mulieres habet in primis fortes, et sociam viris operam in bellorum discrimine navantes. » Non mirum itaque quod de bellicosis illis mulieribus et viris Ælianus memoriæ prodidit [18]: « Sacarum si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: et si illa superior sit, captivum abducit, atque imperium in eum tenet: sin inferior, regitur ab ipso. »

His feminis Clemens continenter alias ita subjungit [19]: « Scio etiam feminas Iberiæ propinquas, et factis et laboribus virilibus utentes, etiamsi uterum gestent, et jam parturiant, nihil de iis quæ sunt agenda remittere, sed sæpe in ipsa laborum contentione mulier, quæ peperit, infantem sublatum domum portat. » Eadem de Illyricianis mulieribus Varro narrat: « In Illyrico, inquit [20], prægnantem sæpe, cum venerit tempus, non longe ab opere discedere, ibique enixum puerum referre; quem non peperisse, sed invenisse putes. » Si quis tamen has mulieres ab Iberis remotiores esse causetur, alias ipsis propiores exhibebimus, nimirum Celtiberas; quæ, ut ait Strabo [21], « agros colunt, et cum pepererint, suo loco viros decumbere jubent, iisque ministrant, interque operandum ipsæ sæpenumero pueros lavant, et involvunt, ad alveum alicujus amnis acclinantes. » Tum vero ex Possidonio refert cujusdam Liguris exemplum feminæ, quæ cum viris ad fossionem quamdam conducta, ac partus correpta doloribus, ne mercedem amitteret, non longe ab operis loco digressa est, atque ibi fetu edito, ad opus confestim rediit. Et id quidem Diodorus Siculus [22], nullo auctore citato, litteris quoque mandavit. Sed quamvis ille dixerit Liguribus morem fuisse, ut feminas in laborum communionem asciscerent; quia tamen hoc mulieris factum tanquam singulare et extraordinarium ab illo, quemadmodum a Strabone profertur, vides sane nostrum Clementem de superioribus potius feminis, vel Illyricianis, aut Celtiberis, esse locutum.

Jam vero ad præclara quarumdam mulierum, quas auctor noster sigillatim et nominibus suis appellat, facta veniamus: « Dion philosophus, ait Clemens [23], refert quamdam mulierem Lysidicam propter insignem pudorem, sē lavasse cum ipsa tunica: Philoteram autem cum esset ingressura τὸν πύελον balnei solium, paulatim contraxisse tunicam, quantum quæ nuda erant, tegebantur ab aqua: deinde rursus paulatim ascendentem induisse. » At cum Dionis opera perierint, declarat Hervetus penes solum Clementem nostrum esse utriusque facti fidem. Quidni et penes Theodoretum [24], qui eadem narrat, quique ab Herveto, si ejus libros legisset, prætermitti non debuit?

Celebrior est fama Leænæ Atticæ, quæ, ut scribit Clemens [25], « cum esset conscia insidiarum, quæ ab Armodio et Aristogitone parabantur in Hipparchum, nihil omnino est elocuta, etsi valde cruciaretur. » Etenim præter Athenæum libro III *Deipnosoph.*, p. 596, hoc fusius explicant Pausanias libro II, *Attic.*, p. 20; Plutarchus libro *De garrulit.*, tomo II, pag. 505; Plinius libro XXXIV *Histor. natur.*, capite 8, pag. 122, et Meursius libro *Pisistratus*, capite 13.

Quod etiam ab auctore nostro subnectitur [26] Argolicas, Telesilla poetria duce, fugasse Spartanos, id enucleatius uberiusque edisseritur ab auctoribus jam citatis, Pausania lib. II, pag. 63, et Plutarcho libro *De Virtut. mulier.*, pag. 247, atque etiam a Suida ad verbum Τελεσίλλα.

Longe autem magis notum omnibus esse debet, memoratum deinde a Clemente nostro [27] Danai filiarum facinus, quod præter innumeros propemodum poetas et scriptores his duobus versibus Naso cecinit [28]:

Molirique suis lethum patruelibus ausæ,
Assidue repetunt, quas perdant, Belides, undas.

De hac fabula legesis Natal. Comit. lib. IX, cap. 17.

315 A Clemente autem laudatur is, qui fecit *Danaidem*, Δαναΐδα ποιητικώς. Verum perpendas velim utrum ille sit, quem Strabo citat [29] ἐν Ἱκέτισιν, ἢ Δαναΐσι, in *Supplicibus*, seu *Danaidibus*, sive is

[11] Strom. lib. IV, pag. 498. [12] Herod. lib. IV, § 116 et 117. [13] De legib. tom. II, p. 804. [14] De aer. loc. et aq., longe ante finem. [15] l. VII, § 65. [16] lib. II, Geogr., pag. 511. [17] l. II Biblioth., p. 85 [18] lib. XII Variar. hist., § 37. [19] Strom. l. IV, p. 498. [20] l. II, De re rust., c. 10. [21] lib. III Geogr § 165. [22] lib. IV Bibl., p. 158. [23] Strom. l. IV, p. 522. [24] tom. IV, serm. 12, p. 674. [25] p. 522. [26] p. 523. [27] p. 522. [28] Metam. lib. IV, fab. 16. [29] lib. V, pag. 221.

Digitized by Google

fuerit Æschylus, ut in textu Strabonis scriptum est, sive potius Euripides, ut in illius scholiis animadvertitur.

Interim in Clementis nostri vestigiis insistentes, consideremus quid de aliis mulieribus dixerit [30]: « Canunt, inquit, reliqui poetæ velocitatem Atalantes in venatione, et egregiam Anticleæ amicitiam, et Alcestidis in maritum amorem, et Maceriæ, et Hyacinthidum magnum et excelsum animum. » Integram Atalantes fabulam ab Ovidio [31] decantatam Hieronymus breviter his perstrinxit verbis [32]: « Referunt fabulæ Atalantem Calydoniam virginem semper in venatibus, semper in silvis, non tumentes uteros feminarum fastidiaque conceptuum, sed expeditam et castam amasse virtutem. » Adi Natal. Comit. lib. VII *Mytholog.*, cap. 8.

Suum Anticlea, Ulyssis mater, in illum amorem his apud Homerum expressit de sua morte versibus [33]:

...Μὲ σός τε πόθος σά τε μήδεα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ,
Σή τ' ἀγαροφροσύνη μειλιδέα θυμὸν ἀπηύρα.

Me tui desiderium tuæque curæ, inclyte Ulysses,
Tuaque benignitas dulci animo privarunt.

Alcestis autem, ut maritum suum Admetum, Thessaliæ regem, proximæ jamjamque imminenti morti eriperet, vitam suam pro illo posuit. Unde Juvenalis de ea, et supra memoratis Belidibus, seu Danai filiabus, hæc cecinit [34]:

.... Spectant subeuntem fata mariti
Alcestim, et similis si permutatio detur
Morte viri cupiant animam servare catellæ,
Occurrent tibi Belides.

Egit ea de re tragœdiam Euripides, quam Alcestidinem nuncupavit.

Macæria vero, cujus Clemens postea meminit, Herculis et Dejaniræ filia, cum sibi ipsi, teste Pausania [35], mortem conscivisset, Athenienses victoriæ compotes fecisse perhibetur.

Denique de Hyacinthidibus variæ sunt scriptorum opiniones. Quidam enim aiunt [36] quatuor eas fuisse, Antheidem, Ægleidem, Putheidem et Lytæam, quæ ab Atheniensibus ad tumulum Genesti cyclopis pro salute publica mactatæ sunt. Alii eas esse Erichthei filias tradunt, de quibus Cicero: « Mortem inquit [37], quam etiam virgines Athenis, regis opinor Erichthei filiæ pro patria contempsisse dicuntur, ego vir consularis tantis rebus gestis timerem. » Quapropter alibi [38] neminem esse ait, qui eas maxime non laudet. Hyginus tamen [39] contra aliorum sententiam eas non plures, sed unam tantummodo fuisse existimat. Legesis Demosthenis orationem [40] quæ *funebris* inscribitur, ubi Græcus orator non eam tantum, sed omnes, qui pro patria occubuere, maximis effert ornatque laudibus.

Quasdam quoque, pluribus aliis prætermissis, poetrias Clemens memorat [41], quæ operibus suis summam honoris et famæ celebritatem sibi pepererunt. Mentionem itaque facit Telesillæ, de qua nos paulo ante; ac Myiæ, de qua etiam nos ubi de philosophis egimus.

Tertiam duabus illis annumerat Corinnam, quæ ab aliis Thespia, ab aliis vero Corinthia dicitur; vel, ut ait Suidas, Thebana, aut Tanagrea, discipula Myrtidis, cognomento Musca Lyrica. Fertur autem edidisse epigrammata, et libros 5 lyricasque leges scripsisse, et quinquies vicisse Pindarum. Pausanias vero hæc de illa litteris mandavit [42]: « Corinnæ quidem, quæ sola apud Tanagræos cantica fecit, in celebri urbis loco est monimentum: in gymnasio ipso picta est, tænia redimita: victoriæ illud insigne, quod Thebis Pindarum vicerit. Vicisse eam arbitror linguæ causa: neque enim Dorica, uti Pindarus cecinit, sed ea, quam essent Æolenses facile percepturi. Quod autem fuerit ea sui temporis feminarum formosissima, non est difficile ex ipsius imagine conjicere. » Putant nonnulli eam Ovidio fuisse dilectissimam, propterea quod Martialis cecinit [43]:

Norat Nasonem sola Corinna suum.

Sed alii censent falso Corinnæ nomine amicam Nasonis hoc carmine notari.

Probabilius porro videtur eam, sicut et Sapphonem, cujus Clemens ibidem meminit, his decantari Statii versibus [44]:

Saltusque ingressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho,
. . . . . .
Sophronaque implicitum, tenuisque arcana Corinne.

Duas autem aiunt fuisse Sapphus, unam Mitylenæam, et Lesbiam ex Ereso alteram, de quibus plura Suidas ad verbum Σαπφώ; et Athenæus lib. XIII *Deipnos.*, pag. 596 et seq., lib. XIV, pag. 635, ac libro XV, pagina 687, atque in priorem Athenæi locum Casaubonus, ac Plutarchus libro VII, *Symposiac.*, quæst. 8, pag. 711. Denique ut Eusebium in *Chronico*, et alios prætereamus, observabimus Horatium de ea sic cecinisse libro I, epist. 19, vers. 25:

Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho.

Libro quoque secundo *Carm.*, ode 13:

Æoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus.

Neque omitti etiam debet illud, quod Platonis esse dicitur, in eam haud plane inelegans distichon [45]:

Ἔννέα τὰς Μούσας φασίν τινες ὡς ὀλιγώρως,
Ἦνιδε καὶ Σαπφὼ Λεσβόθεν ἡ δεκάτη.

Esse novem quidam musas dixere, sed errant:
Ecce tibi Sappho Lesbia, quæ decima est.

Poeticam artem coluit etiam Cleobulina, Cleobuli, uti Clemens noster perhibet [46], sapientis, et Lindiorum monarchæ filia, quam « non pudebat lavare pedes paternorum hospitum. » Nam Laertius in Cleobuli Vita narrat [47] « natam illi filiam Cleobulinam, hexametrorum ænigmatum vatem, cujus et Cratinus meminit in ejusdem nominis poemate, plurali inscribens numero. » Magnis eam Plutarchus sic exornat laudibus: « Sapientem, inquit [48], et famosam non nosti Eumetidem? Sic enim eam pater, vulgo de patris nomine Cleobulinam appellant..... eam ob ænigmatum peritiam, ac sapientiam laudas. Nam et in Ægyptum quædam ab ea propositæ quæstiones **316** pervenerunt..... His illa tanquam taxillis, ubi ita res fert, utitur, et concertat cum compellantibus. Sed et animi altitudo inest mirabilis et ingenium civile, atque humanum, ac facit ut pater civibus humanius populariterque imperet. » Librum illius *De ænigmatibus* citat Athenæus [49]: et Hieronymus ad illius imitationem nuptas cohortatur et excitat [50]. Videsis Suidam ad verbum Κλεόβουλος, et Menagium in *Histor. mulier. philosoph.*, § 4, appendic.; Laert. ubi de more pedes hospitum lavandi disputat.

Quod porro subjunxit Clemens [51]: « Quæ apud Homerum, Nausicaa ad labra iverat, » desumptum est ex illius *Odyss.* VI, pag. 79 et seq.

[30] p. 522. [31] l. X Metam., fab. 11. [32] l. I adv. Jovin. [33] l. XI, p. 154. [34] Satyr. VI, v. 651 et seqq. [35] l. I, p. 31. [36] l. III Bibliot. [37] orat. 32, pro Sextio p. 469. [38] l. V De fin. pag. 109, lib. II Tuscul., pag. 135 et lib. III De nat. deor., p. 247. [39] fab. 238. [40] orat. 22, p. 152 et 156. [41] Strom. lib. IV, p. 528. [42] l. II, p. 298. [43] l. V epigram. 10. [44] l. V Silvar., 3, 155 [45] Anthol. l. I, tit. 67. [46] p. 523. [47] l. I De Vit. et dogm. philos., § 89. [48] in Conviv. sept. sapient., p. 148. [49] l. X Deipnosoph., p. 448. [50] in fin. l. I adv. Jov. [51] p. 523. c. 1.

Digitized by Google

Denique ne pictrices ille omnino prætermitteret, A duas tantum, sed aliis haud dubie illustriores, nobis ob oculos ponit [52] : « Irenem Cratini filiam, et Anaxandram Nealcis, ut dicit Didymus in *Symposiacis*. » Simili quoque modo Plinius : « Irene, inquit[53], Cratini filia et discipula, puellam quæ est Eleusine » pinxit, quemadmodum, Pausania teste [54], « Phillen, Eleum, qui pueros in lucta vicit, Cratinus Spartanus finxit. »

Testatur adhuc Plinius [55] Nealcem pictorem fuisse solertem et ingeniosum, a quo picta est Venus. Plutarchus vero : « Pictorem, ait [56], Nealcem perhibent, Arati amicum, lacrymabundum pro tabula deprecatum.... Quod cum permisisset Aratus, expunxit Nealces Aristratum, ejus loco palmam subjecit, nihil aliud ausus fuit adjicere. » Quid ergo mirum si filia Nealcis, qui pictor solers et ingeniosus a Plinio dicitur, et ipsa pictrix quoque insignis fuerit?

Si quis plura de egregiis mulierum factis et fortitudine scire voluerit, is adeat Plutarchum qui integrum de earumdem mulierum virtute librum composuit, et Hieronymum in fine libri primi *adversus Jovinianum*.

CAPUT XXV.

De variis scriptoribus, in his Stromatum libris a Clemente laudatis.

ARTICULUS I.

De historicis et aliis qui soluta oratione aliquid scripserunt.

Tanta, tamque varia et multiplici, quam hactenus exposuimus, doctrina et eruditione libros *Stromatum* replere Clemens noster non potuit, quin innumera variorum ac cujuslibet generis auctorum scriptorumque testimonia adhiberet, proferret et congereret. Verum quia plures ex iis nemini quantumlibet mediocriter litterato ignoti esse possunt, jamque de pluribus, ac potissimum de philosophis, data superius occasione, satis disseruimus, de iis tantum disputatio a nobis instituenda est, qui tametsi minus ætatis nostræ hominibus noti, tantæ tamen auctoritatis Clementi nostro visi sunt, qua vel opiniones suas tueretur, vel aliorum errores refelleret ac destrueret. Ne autem in hisce observationibus confusio aliqua suboriatur, eos servato nominum alphabetico, ut aiunt, ordine appellabimus; ita tamen ut ab historicis, et iis qui soluta oratione scripserunt, dicendi sumamus initium, ac deinde ad poetas veniamus.

A

Achaicus itaque citatur a Laertio [57] et Theodoreto, quemadmodum a nostro Clemente [58] : Ἀχαϊκὸς ἐν Ἠθικοῖς· « Achaicus in *Moralibus*. »

Acusilaus ab auctore nostro non semel laudatur [59], appellaturque historiographus. At eo procul dubio est, de quo Suidas ad verbum Ἀκουσίλαος sic loquitur : « Acusilaus Cabæ filius, Argivus, ex Cercade urbe, prope Aulidem, antiquissimus historicus. Descripsit autem genealogias ex tabulis æneis, quas rumor erat ipsius patrem invenisse, dum quemdam suæ domus locum foderet. » Sed jam de illo plura a nobis dicta sunt [60].

Ægias et Dercylus, Αἰγίας καὶ Δέρκυλος, a Clemente nostro appellantur [61] : ab Eusebio autem [62], qui illius verba transcripsit, Ἄγις καὶ Κέρκυλος, « Agis et Cercylus ; » sed melius haud dubie ab Athenæo [63] « Agias et Dercylus, » Ἀγίας καὶ Δέρκυλος, nuncupantur.

Æsopus, inquit Clemens [64], « dicebat maxime clamare sues; quia, quando trahuntur, intelligunt se ad nihil esse utiles quam ad sacrificium. » At Ælianus ubi de tyrannis ex ejusdem Æsopi scriptis disserit, rem aliter narrat, aitque [65] : « Phrygium olet hic sermo; est enim Phrygis Æsopi : Suem si quis comprehendat, vociferari, idque non temere. Etenim cum neque lanam portet, neque quidquam B aliud ejus generis, statim conjectura mortem augurari, scientem seipsam usui esse utentibus. »

Quæ autem fuerit illa Æsopi fabula, neuter nobis indicavit. Legitur quidem inter editas ejus fabulas sexagesima octava, qua canis inducitur sui per Venerem juranti respondere : « Significat ab ipsa vehementer amari, quæ impuras tuas carnes degustantem, nullo pacto in sacellum admittit. » Sed aliam Clemens noster, sicut et Ælianus, designare procul dubio videtur. De suilla porro carne sup. capite 18, art. 1, disputavimus.

Alexandri cognomento Polyhistoris opus *De Judæis* Clemens citavit [66], in quo descriptæ erant Salomonis ad Vafrem regem Ægypti, et ad regem Phœniciæ Tyriorum, atque etiam utriusque hujusce regis ad Salomonem epistolæ. At eas Eusebius non ex Alexandro Polyhistore, sed ex Eupolemo nobis exhibet [67]. Superius autem longum ille fragmentum, ex ipsomet citato ejusdem Alexandri *De Judæis* C opere depromptum, totidem verbis descripserat. Ibi autem Polyhistor Alexander his ornatur laudibus [68] : « Vir summi ingenii, multæque eruditionis, idemque Græcis hominibus, qui non leviter ac perfunctorie doctrinæ fructum degustarunt, longe notissimus. »

Citat adhuc Clemens [69] alia illius opera, Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, *De Pythagoricis symbolis*, et *De rebus Indicis*, ἐν τοῖς Ἰνδικοῖς. Putat Vossius [70] primum illud Alexandri commentarium a Laertio in Pythagoræ Vita appellari Πυθαγορικὰ ὑπομνήματα. Sed animum satis advertisse non videtur ibi hoc opus non Alexandro, sed potius ipsimet Pythagoræ attribui. Nam hæc sunt Laertii verba [71] : « Refert Alexander in *Successionibus philosophorum*, καὶ ταῦτα εὑρηκέναι ἐν τοῖς Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασι, et ista se in Pythagoricis commentariis invenisse. » Et adhuc postea [72] : « Hæc Alexander tradit ἐν τοῖς Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν εὑρηκέναι, in Pythagoricis commentariis invenisse. » D Porro autem frequens est illius apud varios scriptores memoria, atque idcirco hæc de illo adnotasse sufficiat. Videsis, si lubet, Menagii in ejusdem Laertii librum I, § 116 et lib. VIII, § 36, observationes.

Anaxarchi verba quædam ex libro illius **317** *De regno*, hunc Clemens refert in modum [73] : Ἀναξάρχος εὐδαιμονικῶς ἐν τῷ Περὶ βασιλείας γράφει. Existimavit autem Hervetus verbum εὐδαιμονικῶς esse Anaxarchi cognomen, atque Latine hæc ita reddit : « Anaxarchus Eudæmonicus scribit, » etc.

[52] ibid. [53] lib. XXXV Histor. natur., c. 11, p. 938. [54] l. VI, p. 186. [55] loc. cit., p. 235. [56] tom. I in Vita Arat., p. 1052. [57] l. VI in Vita Menippi, § 99. [58] Strom. l. VI, p. 496. [59] Strom. l. I, p. 321; l. VI, p. 629. [60] supr. cap. 22, art. 4. [61] Strom. l. I, p. 321. [62] lib. X Præp. evang., c. 17, p. 498. [63] Deipnosoph., pag. 86. [64] Strom. lib. VII, pag. 718. [65] Var. hist. l. X, § 5. [66] Strom. lib. I, p. 332. [67] l. IX Præp. evang. c. 30 et seq. [68] ibid. c. 17 et 18. [69] Strom. l. I, p. 304 ; l. III, p. 451. [70] l. I de hist. Græc. [71] l. VIII De Vitis et dogm. philos., § 24. [72] ibid. § 11. [73] Strom. l. I, p. 287.

Digitized by Google

Nec forsitan plane immerito. Testatum etenim Laertius [74] facit illum ob animi constantiam et victum facilem ab aliis cognominatum fuisse εὐδαιμονικόν, « fortunatum, seu felicem. » Verumtamen nomen istud in manuscripto nostro codice, ac deinde in editis eo, quo scripsimus, modo, hoc est, tanquam adverbium exhibetur. Quamobrem in ultimis horumce Clementis *Stromatum* editionibus, posthabita rejectaque Herveti interpretatione, sic Latinum factum fuit : « Recte profecto ac divine Anaxarchus scribit, » etc. Fatendum tamen est conjecturam Herveti non tantum Laertii, sed aliorum etiam, a Menagio citatorum, Sexti Empirici, Æliani et Plutarchi auctoritate fundatam, majoris procul dubio debere esse ponderis, quam unius vel alterius librarii, qui manu non admodum vetusta hoc nomen describendo, facile ω pro ο haud insolita hisce amanuensibus librariis oscitantia ac festinatione scribere potuit. At si hæc posterior lectio vera sit, ex ea longe certius, quam ex priore colligitur, hunc Anaxarchum esse, cujus Vita ab eodem Laertio divulgata est, et de quo superius disseruimus. Quod quidem Clearchi Solensis, ab Athenæo laudati [75], testimonio rursus confirmari potest. Ab illo etenim Anaxarchus in eorum annumeratur grege philosophorum, qui Eudæmonici, uti Laertius etiam narrat [76], appellati sunt.

Andocydes orator semel et iterum a Clemente nostro [77], atque etiam a Dionysio Halicarnassæo [78] laudatur. Vitam vero ejus scripsit Plutarchus tom. II, pag. 834. Aldus autem Græcas illius orationes publici juris fecit, adnotatque Gesnerus in Italia etiamnum exstare Græcum illius *De mysteriis* librum. Videsis Photii *Bibliothecam*, cod. 261, pag. 1458.

Androcydem Pythagoricum testem Clemens profert [79], alicubi de Ephesiis, de quibus nos supra [80], litteris disserentem, alibi vero [81] docentem « vinum et carnis ingurgitationes corpus quidem efficere robustum, animum vero debiliorem. » Plinius autem de illo hæc memoriæ prodidit [82] : « Androcydes sapientia clarus, ad Alexandrum Magnum scripsit, intemperantiam ejus cohibens : « Vinum poturus rex, memento te bibere sanguinem terræ; cicuta hominum vinum est, cicutæ vinum. » Ab illo adhuc citatur libr. XVII, cap. 24, pag. 413. Neque alius esse quidem videtur, quam is qui a Theophrasto lib. IV *Histor. plantar.*, cap. 20, p. 102, et Athenæo libro VI *Deipnosoph.*, p. 258, medicus appellatur. Jamblicus porro in *Vita Pythagoræ* citat ejus librum Περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, ubi ea videntur scripta fuisse, quæ de Ephesiis litteris ex illo Clemens noster retulit.

Andronis de septem Græciæ sapientibus testimonium in medium Clemens [83], sicut et Laertius de Pherecyde produxit. Ibi autem eum Laertius [84] Ephesium nuncupat; unde ab aliis eodem nomine vocatis distinguitur. Lege, si velis, Menagii in libr. I Laertii, § 30, animadversiones.

Antilochus, Ἀντίλοχος, uti apud eumdem auctorem nostrum legimus [85], « qui scripsit de omnibus viris doctis a Pythagoræ ætate usque ad mortem Epicuri, quæ fuit decimo Octobris, complectitur omnes trecentos duodecim annos. » Suspicantur quidam, nec forsitan jure prorsus immerito, corruptum esse hunc locum. Primum enim ibi pro Ἀντίλοχος, et apud Dionysium Halicarnassæum [86] pro Ἀντίλογος, quem ille historicorum gregi annumerat, legendum putant Ἀντίοχος. Et vero in prioribus operum Theodoreti editionibus [87] cum olim legeretur : « Antilochus in nono *Historiæ* libro, » in posterioribus emendarunt, posueruntque Ἀντίοχος. At si recta sit hæc emendatio, nunquid aliquis temere hunc esse dixerit, de quo jam in superiori dissertatione capite 14, art. 1, a nobis disputatum est?

Antipater ab eodem auctore nostro [88] dicitur Stoicus, et Cleantis γνώριμος, *familiaris*, ac socius; vel sicut Lipsio placuit, *discipulus*, tresque scripsisse libros *De virtute*, ubi Platonis de summo bono sententiam, ac Stoicorum documenta placitaque sectatus est. Sed plures hujusce sectæ homines nomen illud sortiti sunt, ex quibus unus, ut loquitur Cicero [89], Tyrius « Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, » quique, teste Plutarcho [90], Catonis Uticensis doctor familiarisque fuit. Alter patria Tarsensis, quem Strabo [91], Plutarchus [92] et Athenæus [93] Stoicum quoque fuisse testificantur. Hic autem citat illius *De superstitione*, necnon *De ira* librum. Alius præterea memoratur Antipater, Diogenis Babylonii discipulus, et alii quidam eodem nomine vocati. Sed utrum de uno ex illis, quos nominavimus, aut alio aliquo Clemens intelligendus sit, dicu sane est difficile. Nos autem iis lubenter assentiemur, qui illum de Antipatro, cujus Laertius [94] sæpius in Vita Zenonis meminit, sermonem fecisse, probaverint. Porro autem Antipatri illius de ultimo fine, seu summo bono, opinionem superius examinavimus.

Apionis grammatici, genere Ægyptii, atque Hebræis infensi, quartum *Historiarum Ægypti* librum citat Clemens noster [95], aitque ab eo scriptum fuisse adversus Judæos librum. At de illo a nobis jam actum est supr. libro II, dissertatione 5, cap. 1, § 8 et 9.

Apollodori nomen multis inditum esse ex Clemente quidem nostro [96] tam aperte omnibus patet, quam arduum est quinam illi fuerint, exploratum compertumque habere. Ac primo quidem simpliciter ab eo laudatur [97] Apollodorus chronographus χρονογράφος, a quo haud dubie ibi consecrationis Bacchi tempus, et alibi Xenophontis atque Homeri ætatem designatam esse perhibet.

Apollodorus quoque patria Corcyræus, et alius Cumanus, qui critici nomen susceptit, et grammaticus ab eodem Clemente appellatus est [98]. At hunc esse, quem ille Apollodorum simpliciter et chronographum nuncupat, inde colligi potest, quod a Laertio his laudetur verbis [99] : Ἀπολλόδωρος ὁ γραμματικὸς ἐν τοῖς *Χρονικοῖς*, « Apollodorus grammaticus in *Chronicis*. » Alibi vero sæpe sæpius solo Apollodori nomine illum compellat : « Apollodorus in tertio *Chronicorum*, » Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ *Χρονικῶν*. Verumtamen plures eruditi scriptores hunc non Cumanum, sed Atheniensem fuisse existimant. Et re quidem ipsa Diodorus Siculus hæc de se ipso scriptis tradidit [100] : « A bello Trojano Apollodorum Atheniensem secuti, octoginta annos ad reditum Heraclidarum statuimus. » Sed is Apollodorus ipse procul dubio esse videtur qui a Clemente chronographus cognominatur. Videsis Casaubon. in lib. VII Athenæi, cap. 6, et in A. Gellii lib. XVII, cap. 4, adnotationes. De illo autem Apollodoro jam supra aliquid diximus. Plurimi porro alii scriptores eodem nomine appellati **318** sunt, de quibus legi in primis possunt Scipio Tettus, qui de

[74] lib. IX in Vita Anax., § 60. [75] l. XII Deipn., p. 548. [76] in procem., § 17. [77] Strom. l. VI, p. 625 et 626. [78] tom. II in Lysia, init. p. 82, et de Thuc. idiom., p. 161. [79] Strom. lib. V, p. 568. [80] supr. c. 14, art. 4. [81] l. VII, p. 728. [82] lib. XIV Natur. hist., c. 5, pag. 129. [83] Strom. l. II, p. 332. [84] l. I in Vita Pherecyd., § 119. [85] Strom. l. I, p. 309. [86] l. De verbor. struct., tom. II, p. 5. [87] tom. IV, serm. 8, De martyr., p. 597. [88] Strom. l. II, p. 416, l. V, p. 595. [89] in fine l. II De offic. [90] in Vita Caton. [91] l. XIV Geogr., p. 674. [92] De Stoic. repug., tom. II, p. 105. [93] l. VIII Deipn., p. 346 et l. XV, p. 643. [94] lib. VII De Vita et dogm. philos. [95] Strom. l. I, p. 320. [96] ibid., p. 322. [97] ibid. p. 301 et 327. [98] Strom. l. IV, p. 570, l. I, p. 309. [99] l. VIII in Vita Emped., § 58, et l. IV init. Vitæ Arcesil. § 28. [100] l. I Bibl., p. 4.

Digitized by Google

Apollodoris commentariorum edidit; necnon Jonsius lib. II *De script. histor. philos.*; Vossius libro III *De histor. Græc.*, pag. 327; Gesnerus, Suidas, etc.

ARCESILAI quoddam [1], uti prius observavimus [2], in varias paganorum superstitiones dicterium Clemens protulit. Nonne autem is merito dici potest, qui mediam, uti etiam a nobis animadversum est, invenit Academiam, et cujus vita a Laertio descripta est [3]. Multa vero illius effata collegit Stobæus serm. 41, pag. 248, serm. 70, pag. 472 et seq., ac serm. 93, pag. 515.

ARECHEMACHI testimonium sumpsit auctor noster [4] ex tertio *Euboicorum*, quem etiam ab Athenæo citatum invenies [5]. A Strabone autem [6] vocatur, Ἀρχέμαχος ὁ Εὐβοεύς, « Archemachus Euboensis. »

ARISTARCHI, quemadmodum aliorum plurium, de Pythagoræ patria opinionem, atque etiam quid de Homeri ætate ἐν τοῖς Ἀρχιλοχείοις ὑπομνήμασι, « in commentariis Archilochiis, » tradiderit, nobis Clemens patefecit [7]. Autumant autem quidam hunc esse, qui a Suida [8] dicitur filius Aristarchi, patria Samothrax, adoptione Alexandrinus, Aristophanis grammatici discipulus, filiusque Ptolemæi, Philometoris magister, atque Olympiade CLVI vixisse, et in Cypro mortem obiisse, postquam ultra octingentos libros edidisset. Unde colligi potest eum fuisse, qui ab Athenæo [9] vocatur ὁ γραμματικός, et ὁ γραμματικώτατος, « summus grammaticus, » et de quo aliquid a nobis super. libro II, dissert. 2, art. 7, observatum.

ARISTEAS Argivus de Sarapidis, uti ait Clemens noster [10], nomine et cultu litteris aliquid mandavit, quod ab Eusebio [11] descriptum est. Athenæus vero Aristeæ *De citharœdis* librum citat [12]: sed cujas ille fuerit, penitus tacet. Utrum itaque is fuerit Argivus, et idem a Clemente nostro laudatus, aliorum esto judicium.

ARISTIPPI primus *Arcadicorum* liber ab eodem Clemente [13] et Eusebio ibidem citatus est. At is scriptor non alius certe ab eo nobis videtur, quem « e quatuor Aristippis secundum Laertius recenset [14], et *Arcadiæ historiam* scripsisse testificatur. Videsis in hunc Laertii locum notas et observationes.

ARISTO, teste Clemente nostro [15], dicebat voluptatem, dolorem, metum et cupiditatem, esse tetrachordon, sive quatuor chordas, quæ sine magno labore et laboriosa exercitatione vinci non possunt. Cujus autem Aristonis sit hæc sententia, quandoquidem plures eo nomine vocatos diximus [16], a Menagio si scisciteris [17], tibi respondebit hunc ex philosophis a Laertio memoratis nullum esse, sed vatem ab iis distinctum sibi videri.

ARISTOCRITUM in eorum scriptorum numero Vossius posuit [18], cujus ætas est incerta, observatque illius a Plinio [19], sicut et ab Apollonii scholiaste fieri mentionem. Sed Clementem nostrum [20], qui primum illius contra Heracleodorum librum citavit, neque ille, neque alii prætermittere debebant.

ARISTOTELIS opus *De republica Phocensium* alicubi laudat Clemens [21], atque etiam postea alium *De Locrorum republica*, ab eodem procul dubio Aristotele compositum. Nemo est autem qui nesciat plures fuisse eo nomine nuncupatos. Etenim præter celeberrimum illum philosophorum coryphæum Stagiritem, alius ab eodem auctore nostro [22] Aristoteles Cyrenæus, et alii præterea sex a Laertio [23] memorantur. At cum ab illo scholæ Peripateticæ institutore tot libros de variorum populorum, Naxiorum, Ægenitarum, Deliorum, Thessalorum, Massiliensium, Colophoniorum et aliorum republica scriptos fuisse Athenæus asseveret [24], nonne vero simile est illum quasdam quoque de Phocensium ac Locrorum republica, a Clemente nostro laudatas, composuisse commentationes? Et vero narrat ipsemet Athenæus [25], Aristotelem a quibusdam, teste Timæo, idcirco redargui, quod in explicandis Locrorum institutis erraverit. Quem in locum videndæ sunt Casauboni animadversiones.

ARISTOXENUS vero a Clemente [26] et *Vitam Pythagoræ*, et *De musica* scripsisse perhibetur. At iste procul dubio est, cujus Laertius [27] citat commentaria *Περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ*, *De Pythagora ejusque familiaribus*. Ab eo etiam alibi [28], et a Gellio [29] dicitur fuisse musicus, vir veterum litterarum diligentissimus. Aristotelis philosophi auditor, et de Pythagora edidisse librum. Plura adhuc de illo narrat Suidas: Athenæus autem, et jam a nobis laudatus Laertius varios ejus tractatus citavere, atque Eusebius in *Chronico*, Hieronymus in præfatione libri *De scriptor. ecclesiast.*, multique alii illius meminerunt. Error autem est in assignata seu descripta ejus ætate apud Cyrillum Alexandrinum [30], qui alibi vitam Socratis ab Aristoxeno scriptis traditam fuisse testificatur. Lege, si velis, Menagii in lib. I Laertii, § 107 et 108, adnotationes.

ARTAPANI opus de Judæis citatum est a Clemente nostro [31], quemadmodum ab Eupolemo apud Eusebium [32], atque, ut alibi diximus, in chronico Alexandrino.

BEROSI *Chaldaicam historiam* non solus Clemens noster laudasse legitur [33], sed etiam Tatianus, ut lib. sup. diss. 5, c. 2, § 8, a nobis observatum est, necnon et Josephus libro I *contra Apionem*, pagina 1043 et seq., ubi plura de illo memoriæ prodidit. Illius quoque Athenæus [34] et alii mentionem fecerunt. Denique typis editi sunt quinque *Antiquitatum* libri, quos falso ejus nomine inscriptos fuisse eruditi omnes palam profitentur.

CHAMELEON quemdam *De diis*, ut ait auctor noster [35], et alium *Περὶ μέθης*, *De ebrietate*, seu temulentia librum, qui etiam ab Athenæo [36] semel et iterum laudatur, divulgaverat. Alia autem plura ejus opera citat idem Athenæus, eumque, sicut Clemens noster, non modo Heracleotem, sed et Ponticum appellat. Nobiscum porro animadvertas velim Tatiani fragmentum ab Eusebio [37] exhiberi, ubi inter eos, qui de Homeri ætate et poesi scripserunt, memorantur Μεγακλείδης τε καὶ Χαμελέων οἱ Περιπατητικοί, « Megaclides et Chameleon Peripatetici. » Nam ibi haud immerito quidam putant Græcum Tatiani [38] textum melius repræsentari, quam in orationis illius editione, ubi sic legitur: Μεγακλείδης τε ὁ Χαμαλαίσων οἱ Περιπατητικοί, « Megaclides Chamalæensis Peripatetici. » Legesis Menagii adnotationes in lib. V Laert. § 92, in Vita Heraclidi, ubi testimonium solius Chameleontis nomine, sicut et lib. III in Vita Platonis, § 46, adhibetur.

[1] Strom. l. VII, p. 712. [2] sup. c. 14, art. 4, et c. 17, art. 5. [3] lib. IV, § 28 et seqq. [4] Strom. lib. I, p. 327. [5] l. IV Deipnosoph., p. 224. [6] l. X Geogr., p. 465. [7] Strom. l. I, p. 300 et p. 326. [8] ad verb. Ἀρίσταρχος. [9] Deipn. l. I, p. 39, et lib. VI, p. 671. [10] Strom. lib. I, p. 322. [11] l. X Præpar. evang., c. 12, p. 499. [12] l. XIV, p. 623. [13] lib. II Strom., p. 322. [14] l. II in Vita Aristip., § 83. [15] lib. II Strom., p. 407. [16] sup. c. 8, art. 2. [17] in Vita Ariston., § 164. [18] l. III De hist. Græc., p. 334. [19] lib. V Hist. nat., c. 31, p. 619. [20] Strom. l. V, p. 561. [21] Strom. l. I, p. 334. [22] l. III, p. 447. [23] l. V, in Vita Aristot., § 35. [24] l. VII, p. 296; l. XI, p. 499; l. XIII, p. 576; l. XIV, p. 618, etc. [25] l. VI, p. 264. [26] Strom. l. I, p. 300, et l. VI, p. 638. [27] l. I, in Vita Pher., § 148. [28] in Vita Heracl., § 92, l. VIII in Vita Pyth., § 14. [29] l. IV Noct. Attic., c. 11. [30] lib. II contr. Julian., p. 12, et l. VI, p. 187. [31] l. I Strom., p. 344. [32] l. IX Præpar. Evan., c. 27, p. 431. [33] lib. I Strom. p. 329. [34] l. XIV Deipnosoph., p. 639. [35] l. I Strom., p. 300 et 351. [36] l. X Deipnosoph., p. 427; l. XI, p. 461; l. IX, p. 390. [37] l. X Præpar. evang., c. 11, p. 492. [38] Orat. ad Græc., p. 166.

Digitized by Google

Clearchus Peripateticus, teste Clemente nostro[59], **319** dixit se quemdam novisse Judæum, cum quo Aristoteles versatus fuerat. Quod quidem his Josephi verbis confirmari potest[60]: « Clearchus, Aristotelis discipulus, et Peripateticorum nulli secundus, in primo libro *De somno* dicit Aristotelem doctorem suum de quodam viro Judæo ita referre, et ipsi Aristoteli eumdem sermonem ascribit. » Ibi autem ille, sicut Eusebius lib. IX *Præpar. evang.*, cap. 5, pag. 409, longum hujusce scriptoris fragmentum, ex citato illius libro delibatum, transcripserunt. A Laertio autem in proœmio *De vitis et dogmatibus philosophorum*, § 9, a Suida atque ab Athenæo, qui plures ejus libros citavit, Solensis dicitur. Denique laudatur a Gellio lib. IV *Noct. Att.*, cap. 11; Plutarcho *De facie lunæ*, tom. II, pag. 920, Theodoreto, tom. IV, serm. 5, pag. 545, et aliis pluribus.

Clitarchi de Alexandri Magni ætate opinionem refert Clemens noster[61], haud dubie ex descripta ab illo ejusdem Alexandri historia, quæ non semel ab Athenæo[62] et Quinto Curtio[63] citata legitur. Diodorus autem Siculus[64] scribit illum cum Alexandro in Asiam trajecisse, ejusque scripta ibidem laudat, quemadmodum Strabo *Geograph.* lib. II, pagina 491 et 505, ac lib. XV, pag. 718; Ælianus libro XVII *De animal.*, cap. 22, 23 et 24; Plinius lib. II *Hist. natur*, cap. 5, pag. 324, lib. VI, cap. 13, pag. 668, et alibi. Nec tamen prætermittendum est hunc Clitarchum ab illo lib. X, cap. 49, p. 441, celebratum auctorem appellari; quamvis Quintilianus dixerit[65]: « Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur. »

Cratetis quoque grammatici de Homeri ætate sententia ab auctore nostro declaratur[66]. Testatum autem Suetonius facit[67] illum patria Malleotem, et æqualem Aristarcho, in Urbem induxisse grammaticæ studium. Strabo vero « Malleotes, inquit[68], fuit Crates grammaticus, cujus discipulum fuisse aiunt Panætium. » Memoriæ præterea ille prodidit plures Homeri poesim ad scientiæ accommodatas quæstiones traduxisse, « ut fecit Crates Malleotes. » Alibi vero eum erroris redarguit, et Aristarchi opinionem amplectitur. A Varrone etiam scriptum legimus[69]: « Crates grammaticus, qui fretus Chrysippo, homine acutissimo, qui reliquit sex libros Περὶ τῆς ἀνωμαλίας, his libris contra analogiam atque Aristarchum est nixus. » Mentionem quoque illius Plinius libro IV *Hist. natur.*, cap. 12, pag. 450, aliique fecerunt. Denique Laertius libro quarto vitam Cratetis, § 23 et seqq., publicavit.

Ctesiæ de Assyriis regibus historiam Clemens citavit[70], de qua Diodorus Siculus hunc loquitur in modum[71]: « Ctesias Cnidius, Herodoto recentior, sub expeditionem Cyri adversus Artaxerxem fratrem vixit. Captus enim tunc, et ob artis medicæ scientiam a rege in gratiam receptus, sexdecim annos cum honore apud illum exegit. Hic e regiis membranis (in quibus res antiquas Persæ jussu legis cujusdam ordine descriptas habebant) studiose indagavit singula, inque historicum ordinem redacta ad Græcos transtulit. » Strabonis vero de illo hæc sunt verba[72]: « Cnidius fuit Ctesias, qui *Assyriaca* (male quidam *Syriaca*) scripsit, et *Persica*. » Eorum analysim nobis exhibuit Photius, quam his ille orditur verbis[73]: « Lecta Cnesiæ Cnidii *Persica*, in libros distributa tres supra viginti. Attamen prioribus sex libris, Assyriorum res, et quæcunque Persicum imperium antecesserunt, complexus, non nisi a septimo deinceps res Persicas narrare pergit. » Hæc fusius prosequi cum supervacaneum sit, observabimus hujusce auctoris fidem quamvis non parum Strabo et Photius infirmaverint; eam tamen Diodoro Siculo certam adeo visam fuisse; ut illius narrationes sequi, vestigiisque insistere non dubitaverit. Postremo ea, quæ ex illo Clemens noster de Assyriorum regno retulit, Petavius comprobat et confirmat.

D

Demetrius quidem a Clemente nostro[74] scripsisse perhibetur « in libro *De regibus Judææ* tribum Judam, et Benjamim et Levi non fuisse abductam in captivitatem a Sennacherib, sed esse ab hac captivitate usque ad ultimam, quam Nabuchodonosor fecit ex Hierosolymis, annos 128, menses 6. Ex quo autem decem tribus abductæ fuerunt captivæ et Samaria, usque ad Ptolemæum quartum, anni 573, 9 menses, a quo etiam ex Jerosolymis anni 338, menses 3; » sed addit aliam plane fuisse Philonis opinionem. At certe quia pluribus Demetrii nomen fuit, quis ille sit Demetrius indicare non potuit Vossius[75], nec de eo, qui usque ad Ptolemæum quartum tempora numerat, aliud deflavit, nisi ipsum Demetrium Phalereum, qui sub Philadelpho obiit, dici non posse. Verum silere non debebat, quod a nobis in superiori dissertatione observatum est[76], factam fuisse illius mentionem ab Hieronymo[77], ubi ait a Clemente nostro citatos, « de Judæis Aristobulum, et quemdam Demetrium, et Eupolemum scriptores adversus gentes, qui in similitudinem Josephi Ἀρχαιογονίας Moysis et Judaicæ gentis asseverant. » Nobis porro si conjecturis indulgere liceat, haud prorsus improbabile videtur hunc esse, cujus longa duo fragmenta Eusebius retulit[78]. Etenim post secundum, aliud exhibet, desumptum ex Eupolemo, qui continenter post Demetrium ab eodem Clemente laudatur. Sed quisnam ille dicendus, et utrum idem, atque alibi[79], uti vidimus, citatus ab auctore nostro, *Argolicorum* scriptor fuerit, adhuc hæret aqua. Laertius siquidem memorabiles Demetrios viginti memorat[80]: verum quia de plurimorum scriptis penitus siluit, utrum ille, de quo agimus, ex iis unus dici queat, nemo certe affirmare audebit. Perpende tamen an verisimilius tibi non videatur hunc ex illis esse ultimum, qui ab ipso Laertio dicitur: « Erythræus, varius scriptor, qui historicos et oratoricos conscripsit libros. » Legesis Menagii in citatum Laertii locum notas et observationes, ubi, præter Demetrios ab eodem Laertio memoratos, de pluribus adhuc aliis sermonem facit et disputat.

Didymi in medium Clemens noster[81] adducit de quorumdam antiquissimorum philosophorum effatis atque adagiis opinionem, narratque quid ille in suo *De philosophia Pythagorica* libro de Theano Pythagorica, de pictricibus in symposiacis, atque etiam de dictione symbolica tradiderit[82]. In hoc autem ultimo loco tacet quidem Clemens, ubi id scripserit Didymus, sed illum ibi grammaticum appellat. Quamvis autem pluribus hoc nomen cognomenque inditum fuerit, isthæc tamen nulli magis convenire videntur, quam Didymo Alexandrino, quem propter maximam, ut ait Suidas, in scribendis libris assiduitatem, Chalcenterum, id est, æneis intestinis prædituni cognominarunt. Libros **320** enim plus quam 3500, teste eodem Suida, confecerat. Athenæus vero, qui eum sæpius citasse legitur, hæc de illo alicubi scripsit[83]: « Didymus grammaticus vocatus, βιβλιολάθας (id est, librorum

[59] l. I Strom., p. 304. [60] l. I cont. Apion., pag. 1047. [61] l. I, p. 337. [62] l. IV Deipnosoph., p. 148; l. XII, p. 530; et l. XIV, p. 586. [63] l. IX. [64] l. II, p. 68. [65] l. X, c. 1. [66] Strom., l. I, p. 327. [67] l. De illustr. gram., c. 2. [68] l. XIV, p. 676; l. VIII, p. 157; l. I, p. 31. [69] l. VIII De ling. Latin. [70] l. I, p. 320. [71] l. II Bibl., p. 84. [72] l. XIV Geogr., p. 656. [73] Bibl. cod. 72. [74] Strom. lib. I, pag. 337. [75] l. III De histor. Græc., pag. 352. [76] dissert. sup., cap. 14, art. 2. [77] De script. eccles., de Clem. § 48. [78] l. IX Præp. evang., c. 21 et 29. [79] dissert. super., c. 14, art. 1. [80] l. V in Vita Demet., § 85. [81] Strom. l. I, pag. 300 et 309. [82] l. IV, p. 525, et lib. V, 569. [83] l. IV Deipnosoph., pag. 139.

Digitized by Google

suorum immemor), a Demetrio Troezenio ob librorum multitudinem, quos edidit; sunt enim ter mille quingenti; » vel, ut ait Seneca [64], quater mille. Quamobrem inter plurimos « scriptores multorum in litteris, uti ait Ammianus Marcellinus [65], studiorum Chalcenterus eminuit Didymus, multiplicis scientiæ scriptis memorabilis, qui in illis sex libris, ubi nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, syllographos imitatus scriptores maledicos, judicio doctarum aurium incusatur, ut immania frementem leonem putredulis vocibus canus catulus longius circumlatrans. » Denique, ut plura omittamus, Laertius symposiaca ab eo composita fuisse testificatur[66]. Videsis Valesii in Ammiani, et Menagii atque Casauboni in Laertii citatos a nobis libros animadversiones, ac Vossium, lib. I *De histor. Græc.*, cap. ult., atque alios.

Dieuchidæ testimonium profert Clemens [67] ex quarto illius *Megaricorum* libro, quemadmodum ex quinto Laertius [68]. Simplicius autem ab Athenæo sic laudatur [69] : « Dieuchidas, ἐν τοῖς *Μεγαρικοῖς*, in *Megaricis*. » Quod autem alibi ab auctore nostro orationis principium ex Hellanici *Deucalionia* traduxisse accusatur [70], de hoc supra a nobis actum est [71].

Dion philosophus quid de Lysidica retulisse, tam a Clemente [72] quam a Theodoreto dicatur, jam animadvertimus [73]. Examines autem velim, an celeberrimus ille Dion Alexandrinus philosophus sit, ex quo manavit illud adagium, « Ne gry quidem, » de quo Erasmus, *Adag.*, chil. I, centur. 8, adag. 39, pag. 250. Alius porro ab illo videtur, quem Clemens postea Dionem Thytem, seu Sacrificum, appellavit [74].

Dionysii de tempore, quo Thalus condita est, opinionem Clemens protulit [75]. Tametsi vero hoc solum nomine eum citaverit; nobis tamen facile persuadebitur illum esse Argivum, de quo in superiori dissert. cap. 14, art. 1.

Dionysium præterea Halicarnassæum citat Clemens [76], ἐν τοῖς *Χρόνοις*. At Vossius [77] præter Dionysium itidem Halicarnassæum *Antiquitatum Romanarum* auctorem, qui Augusto imperante floruit, alium fuisse existimat, cujus, ut ipse ait, mentionem Polybius, lib. XIV, his verbis fecit : « Nati sunt ibi viri illustres Herodotus historiæ scriptor, qui deinde Thurius est appellatus, quod socium se deducendæ in Thurios coloniæ præbuisset; tum Heraclitus poeta, Callimachi socius, et nostra ætate Dionysius historiæ conditor. » Sed hæc ipsamet, totidemque Strabonis in libro *Geographiæ* decimo quarto [78] verba sunt, quibus Dionysium *Romanarum antiquitatum* conditorem compellasse omnes facile concedunt. De illo igitur Clementem quoque nostrum intelligendum esse, qui negaverit, alium ille nobis ostendat Dionysium Halicarnassæum, *Chronicorum* a Clemente citatorum auctorem.

Dionysius denique a superioribus plane distinctus, a Clemente vocatur [79], ὁ Θρᾷξ, ὁ γραμματικός, « Thrax grammaticus, » de quo ita Suidas [80] : « Dionysius Alexandrinus; Thrax vero a patre Tero, Terus nomine vocatus, Aristarchi discipulus, grammaticus. Qui Romæ docuit Pompeii Magni tempore, et Tyrannioni priori varios libros enarravit. Plurima autem grammatica et commentaria composuit. » Strabo autem sic eum Apollonio conjungit [81] : « Dionysius Thrax, et Apollonius *Argonauticorum* conditor, Alexandrini fuerunt, sed nominati sunt Rhodii. » Videsis Vossium libro primo *De historicis Græc.*, cap. 23.

Dorotheum citat Clemens [82], ἐν τῷ πρώτῳ *Παν-δέκτῃ*, « in libro primo *Pandectarum*, » quas aiunt libros esse, seu volumina, quæ nihil non complectebantur. In sua vero auctor noster *Ad gentes admonitione*, et post eum Eusebius [83] quartum Dorothei *Rerum Italicarum* librum, quemadmodum Plutarchus, laudavisse leguntur. At paulo post idem Plutarchus [84] simili plane modo ejusdem Dorothei testimonium his tantum verbis adhibuit : « Scribit hoc Dorotheus primo *Transformationum* libro. » Stobæus autem [85] quædam refert ex Dorothei, haud dubie ejusdem, primo *Rerum Siculorum* libro delibata. Testatum quoque nobis Photius [86] fecit a se pervolutatum Dorothæi *Lexicon*, seu, ut ille loquitur, περὶ τῶν ξένως εἰρημένων λέξεων κατὰ στοιχεῖον, « de exterorum more usurpatis vocibus alphabeti ordine, quod, inquit, utilissimum esse studiosis omnibus apparet. » Porro autem utrum hoc commentarium idem ac pandectæ dici debeat, tibi forsitan haud prorsus improbabile non fiet. Non enim ab hac opinione deterrebit te varia inscriptio; quandoquidem hujusce *Lexici* alium titulum nobis Athenæus sic exhibet [87] : « Dorotheus Ascalonites, ἐν τῷ ὀγδόῳ πρὸς τοῖς ἑκατὸν τῆς λέξεως συναγωγῆς, libro centesimo octavo collectionis vocabulorum. » Cæterum ex iis discere est hunc Dorotheum patria Ascalonitem fuisse, cujus alius liber ab eodem Athenæo, lib. XIV, pag. 662, citatur. Alibi tamen ab eo nuncupatur tantum [88] : « Dorotheus libro VI *Historiarum Alexandri*. » Quamobrem certo statui non potest, an iste Ascalonites fuerit, vel Sidonius, qui ab ipso quoque alibi laudatus est.

Ephori auctoritate et testimonio de Orthagora vate, de tempore quo Alexander in Asiam trajecit, et de Zeleuco, Clemens noster utitur [89]. Cumæus haud dubie ille fuit, quem Diodorus Siculus his verbis celebrat [90] : « Ephorus ille Cumæus, Isocratis discipulus, cum historiam de rebus passim gestis instituerit, prioribus omissis, ab Heraclidarum reditu exordium scribendi fecit. » Postea vero [91] : « Ephorus res passim gestas describens, non verborum eloquentia duntaxat, sed accurata quoque ordinis observatione, probi officio historici fungitur. Unumquemque enim librum in certum rerum genus tribuit. » Eadem quoque de illo fuit Strabonis Polybiique, ab eo citati, sententia, idemque judicium : « Ephorus enim, inquit Strabo [92], aliis est melior, et ipse Polybius eum laudans, dicensque de rebus Græcis Eudoxum bene, Ephorum optime scripsisse de origine urbium, cognationibus, migrationibus, ducibus atque auctoribus. » At quamvis tantis laudibus hi scriptores Ephorum extollant, varios tamen illius notant lapsus et errores. A Seneca vero [93] et Suida adhuc gravius vituperatur. Denique haud semel Athenæus, atque etiam Josephus, Photius, et alii, mentionem ejus fecerunt [94].

Eratosthenis Cyrenæo non solum critici nomen a quibusdam, ut vidimus, attributum fuisse Clemens memorat : sed refert etiam quid ille tradiderit de Homeri ætate, de tempore a capta Troja ad Alexandri obitum elapso, et quo idem Alexander

[64] epist. 89. [65] l. XXII, c. 16. [66] lib. V in Vita Demet., § 76. [67] Strom. l. I, p. 328. [68] l. I in Vita Solon., § 57 [69] lib. VI, p. 262. [70] Strom. l. VI, pag. 629. [71] sup. cap. 22, art. 4. [72] lib. IV, p. 522. [73] sup. cap. 24, art. 3. [74] lib. V, p. 569. [75] lib. I p. 333. [76] Strom. lib. I, pag. 320. [77] l. IV De hist. Græc., c. p. 471. [78] l. XIV Geogr. p. 656. [79] Strom. l. V, p. 568. [80] ad verb. Διονύσιος. [81] l. XIV Geogr., p. 655. [82] Strom. l. I, p. 334, cap. 27. [83] l. IV Præp. evang., c. 16, p. 157. [84] Paral., tom. I, p. 310 et 311. [85] serm. 47, p. 350. [86] Bibl. cod. CLVI, p. 323. [87] l. I Deipnosoph., pag. 329. [88] lib. VII, p. 278; lib. XI, p. 497. [89] Strom. l. I, p. 334 et 337. [90] init. lib. IV Bibl., p. 146. [91] lib. V, p. 199. [92] l. X Geogr., p. 465. [93] l. VII Natur. quæst. [94] lib. IV Deipnosoph., p. 154; lib. X, p. 500, et Joseph. l. I cont. Apion., p. 1034 et 1039; Phot. Bibl. cod. CCLX, pag. 1454.

Digitized by Google

venit in Asiam, ac denique quid in libro *De bonis et malis*, ac de Æsopiorum, Macedonum et Laconum in tormentis constantia scripserit[95]. Plura de **321** illius ætate, vita et scriptis narrat Suidas[96]. Sæpius autem citatur ab Athenæo, Plutarcho et Strabone, qui sicut plura laudi, ita etiam non pauciora huic scriptori vitio et errori vertisse legitur. Demum præter Stobæum [97] et alios qui illius meminere, legendus est de eo Vossius, lib. II *De histor. Græc.*, cap. 17, pag. 108 et seq., et Harduinus in auctorum a Plinio citatorum indice.

EUPOLEMUM libri *De Judæa regibus* auctorem aperte Clemens [98], nec semel, proclamat. Quo quidem de scriptore illud est Josephi judicium [99]: « Phalereus sane Demetrius, et senior Philon et Eupolemus non multum veritate frustrati sunt, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον. Quibus dari veniam dignum est; non enim inerat eis, ut possent nostras litteras omni scrupulositate sequi. » Plura illius fragmenta ab Eusebio, lib. IX *Præpar. evangel.*, cap. 17, pag. 418, cap. 30, pag. 447 et seq., et cap. 39, pag. 434, repræsentantur. Illius quoque Hieronymus lib. *De script. sacr.*, § 48, ubi de Clemente nostro disputat, atque etiam *Alexandrinum chronicon* meminere.

EUTHYMENIS *Chronica* quis præter eumdem Clementem nostrum laudaverit [1], neminem Vossius aliique testem produxerunt.

H

HECATÆUS, uti adhuc Clemens narrat [2], historias *De Abrahamo et Ægyptiis* composuerat. Is vero esse videtur, de quo Josephus hæc scribit in verba [3]: « Hecatæus Abderita, vir philosophus, simul et circa actiones industrius, cum Alexandro rege nutritus, et cum Ptolemæo Lagi commoratus, non obiter, sed integrum de ipsis Judæis conscripsit librum, ex quo volo breviter quædam eorum, quæ ab eo dicta sunt, percurrere. » Postquam vero multa ex hoc Hecatæi libro retulisset, ibidem addidit: « Sed Hecatæi testimonia jam quiescant. Facile namque est volentibus ipsum librum legere, et hæc apertius invenire. » In primo autem *Antiquitatum* suarum libro nobis adhuc testis est ab Hecatæo, haud dubie eodem Abderita, editum fuisse *De Abrahamo* librum: « Hecatæus vero, inquit [4], non meminit tantum obiter Abrahami, sed libro in hoc conscripto res ejus posteritati tradidit. » Quemadmodum autem nulli jure merito incertum esse debet hunc eumdem esse librum qui a Clemente citatur, ita sane in dubium vocari potest, utrum is liber idem, aut certe pars aliqua fuerit superioris, ut idem Josephus ait, *De Judæis* libri. Utroque enim in loco ille vocem, βιβλίον, adhibet. Eodem quoque nomine eum appellat Origenes: « Exstat, inquit [5], Hecatæi historici *De Judæis* liber, βιβλίον, in quo adeo probat hujus gentis sapientiam; ut Herennius Philo in suis *De Judæis* commentariis primum dubitet, an hujus historici id scriptum sit; deinde addat, siquidem ejus est, videri eum corruptum Judæorum persuasionibus, probasseque illorum placita. » Decerptum ex hoc eodem *De Judæorum historia* libro segmentum nobis ab Eusebio exhibetur, a quo Hecatæus dicitur [6], « Abderita, vir non modo philosophus, sed etiam rebus gerendis aptissimus. » At certe si ab hac Judæorum historia diversus non fuit, laudatus a Clemente illius *De Abrahamo* liber, pluribus forsitan ab eo distincta videbitur citata quoque ab ipsomet auctore nostro ejus *De Ægyptiis* historia. Nonne enim de ea tantummodo Diodorus Siculus loquitur, ubi hæc habet [7]? « Græcorum multi Ptolemæi Lagi ætate Thebas profecti, historias Ægyptiacas contexuerunt, inter quos etiam Hecatæus est. » Eum porro alibi notat et excusat [8] quod ad fabulosas assertiones declinaverit. » Denique ille adhuc postea refert, quid Hecatæus, haud dubie jam ab ipso citatus, de Hyperboreis memoriæ mandaverit. Atqui hunc esse, quem prius diximus, Abderitem his probari potest Æliani verbis [9]: « Hyperboreorum gentem, et Apollinis apud eos honores non modo poetæ, sed alii etiam scriptores celebrant, et inter alios Hecatæus, non Milesius, sed Abderita. » Cum autem ille philosophus a Josepho et Eusebio dicatur, is etiam procul dubio est cujus testimonio Plutarchus utitur [10], et quem Laertius in Pyrrhonis discipulorum numerum aggregat [11]. Quamvis autem Jonsius hunc alium ab Abderita historico fuisse suspicetur, ipse nihilominus plures *De Ægyptiorum philosophia* libros ab eo compositos esse alibi perhibet. Quidam quoque opinantur hunc non fuisse Abderitem, sed alium, quem Dionysius Halicarnasseus Milesium vocat [12]. De utroque videsis Suidam ad verbum Ἑκαταῖος, atque de his jam aliquid supra cap. 18, art. 2, et cap. 22, art. 4, perstrinximus. Denique Athenæus ex secundo Hecatæi *Totius orbis descriptionis* libro nonnulla refert, quæ ille de Ægyptiis dixerat [13]. Sed quis ille, utrum Milesius vel Abderita fuerit, silentio prætermisit.

HERACLEODORUM ab Aristocrito confutatum fuisse nos quidem Clemens noster monitos esse voluit [14]: sed quis ille Heracleodorus, ac utrum aliquid scriptum reliquerit, tacitus præterivit. Vide ergo an aliquem, qui mentionem illius præter Clementem nostrum fecerit, nobis indicare queas.

HERMIPPUS Berythius, quemadmodum ex eodem auctore nostro discimus [15], Chironem centaurum sapientem appellabat, ac *De septenario* quemdam conscripsit librum. Paucis autem verbis Suidas illum sic nativis depinxit suis coloribus [16]: « Hermippus Berythius ex pago mediterraneo, discipulus Philonis Biblii, a quo commendatus est Herennio Severo sub Adriano imperatore, quamvis ex servili genere ortus esset, valde eloquens, et multa scripsit. » De eo quoque Tertullianum hæc memoriæ consignasse legimus [17]: « Cætera cum suis, et originibus, et retibus, et relationibus cum omni deinceps historia somniorum Hermippus Berythensis quinione voluminum satiatissime exhibebit. »

HIPPOBOTUS, qui Pythagoram, teste nostro Clemente [18], Samium esse dixerat, sæpius a Laertio laudatur [19], ac præcipue in Thaletis Vita, ubi ab eo narratur, quid ille in *Descriptione philosophorum* de celeberrimis Græciæ sapientibus tradiderit. In Vita autem Aristippi nos ad ejusdem Hippoboti *De sectis* mittit librum. At in Vita Pythagoræ, Empedoclis, et aliorum, solo suo nomine ab eo appellatur. Notes porro haud ægre persuadebitur in uno ex his duobus Hippoboti libris, si tamen duo, nec unus et idem fuerint, Pythagoram, ut Clemens testatur, dictum fuisse patria Samium.

HYPERIDIS furta quædam a Clemente nostro retecta vidimus [20]. At ille procul dubio ipse est, cujus

[95] Strom. lib. I, pag. 309, p. 327, 336, 337; lib. IV, p. 496. [96] ad verb. Ἐρατοσθένης. [97] serm. 115, pag. 592. [98] Strom. l. I, pag. 338 et 343. [99] lib. II contr. Apion., pag. 1051. [1] Strom. l. I, pag. 327. [2] Strom. l. V, pag. 603. [3] l. I contr. Apion., pag. 1048. [4] lib. I Antiq. Judaic., c. 8. [5] L. I cont. Cels., p. 13. [6] lib. IX Præp. evang., c. 4, p. 408. [7] l. I Bibliot., p. 30. [8] ibid., p. 23. [9] lib. II De animal., cap. 1. [10] l. I De Isid. et Osirid., tom. II, pag. 353. [11] lib. IX in Vita Pyrrh., § 69, in procem. § 10. [12] De Thucyd. histor., pag. 138. [13] l. X Deipnosoph., pag. 447. [14] Strom. l. V, pag. 561. [15] Strom. l. I, pag. 306; l. VI, p. 686. [16] ad verb. Ἑρμιππος. [17] lib. De anima, c. 46. [18] Strom. l. I, pag. 300. [19] in procem. § 19, l. I, § 42, l. II in Vita Aristippi; § 88, l. VIII in Vita Pythag., § 3, et in Vita Empedocl., § 51, 69, 72, l. IX in Vita Heracl. [20] Strom. l. VI, p. 625.

Digitized by Google

vitam fusius Plutarchus [21] et Photius [22], breviusque Suidas [23] descripserunt. Orationes autem illius ab Athenæo et Stobæo sæpius citatas reperies. Tullius denique lib. II *De orat.*, pag. 118, Hyperidem et Demosthenem perfectos homines dicendo et perpolitos vocat. Vide adhuc illius lib. III, pag. 188, et *Brut.*, pag. 216 et 247.

I.

322 Ion Chius ἐν Τριγράμμοις a Clemente citatus [24], quis fuerit, quidve litteris mandaverit, his Suidas docet verbis [25] : « Ion Chius tragicus, et lyricus, et philosophus, filius Orthomænis cognomento Xuthi. Tragœdias autem docere cœpit Olympiade LXXII. Fabulas tradunt fuisse 12, alii 30, alii 40. Hic scripsit *De meteoris*, et compositas orationes, quem Aristophanes comicus per jocum vocat ἀοῖον, id est, matutinum, sive orientalem. » Plura ex illo Athenæus præcipue lib. II *Deipnosoph.*, et Pausanias lib. V, pag. 162, et lib. VII, pag. 209, atque ut Strabonem lib. XIII *Geograph.*, pag. 645, aliosque prætereamus, Laertius illius de Pherecyde epigramma retulit, et in Pythagoræ Vita illum citat ἐν τοῖς *Τριαγμοῖς* [26]. Ibi autem observat Menagius in antiquis Laertii editionibus male scriptum fuisse, ἐν τοῖς *Τριαγίνοις*, atque pessime in Clementis nostri editis, ἐν τοῖς *Τριγράμμοις*. Videsis ejusdem Menagii observationes et alterius scriptoris scholia in eomœdiam Aristophanis *Εἰρήνη* inscriptam, p. 686.

Ister, Ἴστρος, si Clementi credimus [27], librum *De colonia Ægyptiorum, et de proprietate certaminum* divulgavit. Prior autem commentatio a Stephano ad verbum Ἀρχάς et Ἀπία, atque alibi citata reperitur. Cum autem plures eo nomine nuncupati fuerint, hunc esse multi arbitrantur, cujus varia opera Athenæus memorat *Deipnosoph.* libro VI, pag. 272; lib. XI, pag. 478; lib. XIII, pag. 557, et lib. XIV, pag. 650, et de quo Suidas hæc posteris prodidit [28] : « Ister, Menandri Istri filius, Cyrenæus, aut Macedo, historicus, Callimachi servus et discipulus. Hermippus vero Paphium ipsum fuisse dicit in secundo libro *De servis*, qui propter eruditionem clari fuerunt. Scripsit autem multa, et oratione soluta et poetica. » Lege Casaubonum in cit. Athen. lib. VI, cap. 5, et lib. IX, cap. 9; Vossium, lib. IV *De histor. Græc.*, cap. 12, et Menagii in lib. II Laertii de Xenophontis Vita, § 59, adnotationes.

J.

Joabæ, seu Jubæ, quem Clemens *de Assyriis* scripsisse asseverat [29], mentio superiori in libro dissert. 5, cap. 2, § 8, a nobis facta est. Videsis Harduinum in auctorum a Plinio citatorum indice. Cur vero ille Clementem nostrum, sicuti Tatianum, qui non de alio Juba quam auctor noster loqui videtur, non appellaverit, nobis certe non satis compertum est. Si quis tamen Joabam et Jubam diversos scriptores fuisse recte nobis ostenderit, huic plane non refragabimur.

L.

Lætum a Clemente [30], ἐν τοῖς *Φοινικικοῖς* appellatum, jam in superiori libro monuimus [31], nosque non temere forsitan suspicari hunc ipsum esse, qui a Tatiano Choetus vocatur.

Leo *De aiis Ægyptiis*, uti ex Clemente nostro [32] comperimus, tractatum ediderat. Ab Hygino autem in *Poetico astron.* quoddam Leonis, qui *Res Ægyptias* conscripsit, fragmentum nobis exhibetur. Sed quis ille dici debeat, quandoquidem pluribus hoc nomen datum fuit, non magis Hyginus quam Clemens indicavit. Vide autem an is non sit, quem Arnobius Leonem, vel, ut in alia editione, Leontem vocat [33], multaque de diis litteris consignasse testificatur.

M.

Megasthenes, inquit Clemens [34], vixit sub Seleuco Nicatore, pluresque *De rebus Indicis* scripsit libros. Et certe secundum citavit Athenæus [35], ac quartum non semel Josephus [36], qui insuper segmentum libri tertii transcripsit. Tametsi vero Strabo lib. II *Geogr.*, pag. 70, dixerit : « Præcipue fides Daimacho est et Megastheni deroganda; » sæpius tamen illius testimonio utitur, in eod. lib. p. 68 et seq., ac lib. XV, pag. 711, 886, 887; atque etiam Plinius lib. VI *Histor. natur.*, cap. 17, p. 682, et lib. VII, pag. 11 et 12, lib. VIII, pag. 153; Ælianus, lib. VIII *De animal.*, cap. 7, lib. XVI, cap. 41, lib. XVII, cap. 39, et alii.

N.

Neanthes, cujus opinionem de Pythagoræ patria et de nomine Bedi Clemens exponit [37], Cyzicenus orator et Philisci Milesii discipulus fuisse perhibetur [38]. Testatum autem Laertius facit [39] illum de Pythagoricis scripsisse; unde forsitan id Clemens, sicut Theodoretus hauserat [40], quod ab illo de Pythagoræ patria traditum esse admonet. Vossius tamen opinatur [41] illud desumptum fuisse ex illius *De viris illustribus* libro, cujus meminit Stephanus : sed nullam affert opinionis suæ probationem. Varia porro hujus Neanthis scripta ab Athenæo et alias nominatim citata occurrunt. Demum ille a Laertio, l. I, in Vita Periandri, § 99; lib. III, in Vita Platonis, § 25, solo suo nomine laudatur. Sed adi Menagii in citatum a nobis priorem Laertii locum observationes.

P.

Phanias, quem Clemens de tempore quo Alexander in Asiam venit scripsisse narrat [42], is procul dubio est de quo hæc apud Suidam legimus [43] : « Phanias, aut Phænias, Eresius, philosophus Peripateticus, Aristotelis discipulus. Fuit autem Olympiade CXI, et postea sub Alexandro Macedone. » A Plutarcho [44] autem vocatur Lesbius, quia Eressus Lesbi insulæ urbs erat. Variæ ejus commentationes a Laertio, lib. II, in Vita Aristippi, § 65; lib. VI, in Vita Antisthenis, § 8; et lib. VII, in Vita Zenonis, § 41; ab Athenæo, lib. II *Deipnos.*, p. 51, 54, 53, 61, 64, 70; lib. VI, pag. 232; lib. VIII, pag. 333; lib. XIV, p. 639, et aliis, citantur. Videsis adhuc, si vacat et lubet, Menagium in Laertii lib. V, § 50, et lib. VII, § 41.

Philini furtum jam cum Clemente nostro animadvertimus [45]. Quoniam vero ille ex quadam Demosthenis oratione aliquid compilasse dicitur, inde haud prorsus immerito colligitur eum fuisse, qui ab Athenæo orator Philinus appellatur [46]. Casaubonum autem in hunc Athenæi locum adire poteris.

Philistus Thucydidis, sicut ille Demosthenis, compilator et plagiarius esse accusatur. Historicus itaque iste procul dubio, sicut Philinus orator fuit. De illo etenim Plutarchus in Vita Dionis scribit [47] : « Philistum exterminavit Sicilia, qui ad hospites certos perfugit Adriam, ubi, ut mihi vi-

[21] in Vitis cod. orat., tom. II, p. 848 et seqq. [22] Bibl. cod. 266. [23] ad verb. Ὑπερείδης. [24] ibid., p. 333. [25] ad verb. Ἴων. [26] l. I, in Vita Pherecyd., § 120, et l. VIII in Pyth., § 8. [27] Strom. l. II, p. 322; l. III, p. 447. [28] ad verb. Ἴστρος. [29] Strom. l. I, p. 329. [30] Strom. l. I, p. 326. [31] lib. sup. dissert. 5, c. 2, § 8. [32] Strom. l. I, p. 322. [33] l. IV, Adv. gent. long. ant. fin. [34] Strom. l. I, p. 305. [35] l. IV Deipnosoph., pag. 153. [36] l. X Antiq. Jud., cap. 1, p. 350, et l. I Contra Apion., p. 1045. [37] Strom. l. I, p. 300; l. V, p. 569. [38] ad verb. Νεάνθης. [39] l. VII, in Vita Empedoc., § 72. [40] tom. IV, serm. 1, p. 468. [41] l. I De hist. Græc., c. 15. [42] Strom. l. I, p. 337. [43] ad verb. Φανίας. [44] tom. I, in Vita Sol., p. 85, et Themistocl., p. 115. [45] Strom. l. VI, p. 626. [46] l. X Deipnosoph., p. 425. [47] tom. I, p. 962.

Digitized by Google

detur, cum abundaret otio, Historiam suam magna ex parte composuit. » Qualis autem fuerit illius historia a Dionysio Siculo accipe [48] : « Inter scriptores Philistus primam, inquit, rerum Sicularum partem cum hoc anno captoque Agrigento concludit, septem voluminibus plus quam 800 annorum tempora complexus. Alterum vero historiæ suæ contextum a fine prioris exorditur, et per libros quatuor deducit. » Multa vero ac varia ejus opera Suidas recenset [49], aitque illum fuisse Neocratitam, vel Syracusium, filium Archonidæ, et Eveni elegiaci poetæ discipulum, primumque arte oratoria composuisse historiam. Quod vero Clemens dixit quædam ex Demosthene cum delibasse, his Ciceronis **323** ad Quintum fratrem verbis haud inepte confirmari potest [50] : « Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, pene pusillus Thucydides. » Et adhuc clarius alibi : « Syracusius, inquit [51], Philistus, qui cum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda, maximeque Thucydidem, ut mihi videtur, imitatus. » Hujus porro Pausanias lib. I, p. 13 et 29, et lib. V, pag. 171; Dionysius Halicarnasseus in *Judic. de vet. script. cens.*, pag. 70, et epist. ad Pompei., pag. 16; Eusebius in *Chron.*, ad an. 805, aliique plures meminere.

Philo, inquit Clemens [52], « scripsit ipse quoque reges Judæorum aliter quam Demetrius. » Prius vero [53] : « Philosophiam (a Judæis scripto traditam) cœpisse ante Græcam multis verbis ostendit Philo Pythagoreus. » Quarto autem in libro testimonium illius hæc adduxit in verba : « Dicit Philo Pythagoreus, Moysis res gestas describens, sive etiam doctus ab aliquibus, quæ tunc erant, divinis eloquiis, ut qui doctrinæ siti semper teneretur. » Alibi vero [54] ubi nominum Agar et Saræ explicationem ex ejus scriptis mutuatur, illum simpliciter Philonem appellat. Eodem quoque modo postea [55], « ut dicit Philo in *Vita Moysis*. » Denique ubi de Diodori filiabus : « Fuerunt, ait ille, omnes dialecticæ, ut ait Philo dialecticus in *Menexeno*. » Non unum et eumdem, sed plures, Philonis nomine nuncupatos, his Clementis nostri verbis advocari, nemo certe inficias jure merito iverit. Itaque quidam suspicantur commentationem *De Judæorum regibus* esse Judæi Byblii, qui Nervæ, Trajani et Adriani temporibus floruit. Alii vero negant, contenduntque eam ab alio antiquiore fuisse profectam, nimirum ab illo, quem Josephus, quemadmodum Clemens noster, ut supra vidimus, cum Demetrio et Eupolemo conjunxit.

Philo autem, quem Clemens Pythagoreum vocat, alius sane nobis non videtur quam Philo Judæus Alexandrinus, cujus opera typis edita in omnium versantur manibus. Quod quidem duplici ratione probari potest. Primo enim Clemens tradit ab eo descriptas fuisse Moysis res gestas, quo certe nomine quis non videat designari *Moysis Vitam*, quæ ab illo, ut ait Hieronymus, composita, tribusque libris comprehensa, publicam in lucem cum cæteris illius libris prodiit? Deinde vero hæc nominis Sarræ explicatio, nimirum principatus, quam Clemens ex Philone attulit [56], non solum in illius libris invenitur, sed etiam ipsi peculiaris est, et ab aliis alia melior, scilicet domina, vel odoratus, et domina odoris redditur. Ex quibus haud plane incerto conficitur Philonis Pythagorei nomine hunc Philonem Judæum revera designari. Cur ergo, inquies, hic Philo Pythagoreus dicitur, cum de illo feratur celebre illud, ut alibi vidimus, effatum : Ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει? Sed quid vetat quominus ille varia Pythagoræ, ac præsertim de numeris dogmata sectatus, Platonem quoque imitatus fuerit? Plura de hoc Philone Josephus, lib. XVIII *Antiquit. Judaic.*, cap. 10; Eusebius lib. II *Histor. eccles.*, cap. 5 et 18; Hieronym., *De scriptor. eccles.*, § 21; Photius, *Bibioth.*, cod. 105 et 104; Suidas, et alii complures.

Philonem denique dialecticum Carneadis fuisse præceptorem, ex Hieronymo sup. cap. 18, art. 4, animadvertimus.

Polybus, Πόλυβος, medicus, *De octomestribus* librum publici juris fecerat, ex quo Clemens noster testimonium alicubi protulit [57]. Illustris ille fuit medicus, Hippocratis quondam discipulus et successor, cujus Græca quædam opuscula cum præceptoris sui lucubrationibus divulgata, atque ab Albano Torino Latine reddita, Basileæ anno 1544, apud Joan. Opor. Latino charactere edita fuerunt.

Pythocles Samius multorum *De rebus Italicis* librorum auctor fuit. Quartus etenim a Clemente [58], et tertius a Plutarcho [59], necnon et tertius *De rebus rusticis* liber citatur. Denique tertium illius Περὶ ὁμοιοτήτων librum ab eodem Clemente nostro laudatum invenies [60].

S.

Seleucus mathematicus, ut a Clemente nostro notatum est [61], dixit lunam septies mutare figuram. Vide autem, quæso, an ille sit de quo hæc sunt Strabonis verba [62] : « Mathematici quoque nonnullos eorum commemorant, ut Cidennam, et Naburianum, et Sudinum : et Seleucus ex Seleucia Chaldæus est, atque alii complures viri illustres. » Quibusdam porro grammaticis idem impositum fuisse nomen disces a Suida [63], atque ex variorum in Laertii lib. IX, in Vita Heraclidi, § 12, notis et observationibus.

Sotades, alicubi a Clemente laudatus [64], is sane fuit qui a Suida Atheniensis philosophus et librum *De mysteriis* scripsisse dicitur [65].

T.

Theopompum et Timæum fabulas composuisse et alios maledictis vexasse non immerito sane Clemens asserit [66]. De utroque enim hæc Josephus memoriæ prodidit [67] : « Quidam gentium et gloriosissimarum civitatum fœdare nobilitatem et conversationi detrahere tentaverunt. Theopompus quidem Atheniensium, Lacedæmoniorum vero Polycrates. Is autem, qui *Trypoliticum* conscripsit (non enim Theopompus hoc fecit, sicuti quidam putant), etiam Thebæorum momordit urbem. Multa vero etiam Timæus in historiis de prædictis et aliis blasphemavit. »

De Theopompo autem Lucianus : « Alioquin, inquit [68], in eamdem cum Theopompo culpam incurres, qui invidiose nimis accusat plurimos, et eam rem in studium et exercitationem quamdam vertit, ut accusare magis quam historia tradere res gestas videatur. » Legesis Dionysium Halicarnass. init. lib. *Antiq. Roman.* et epistol. ad Cn. Pompeium, pag. 152; Athenæum, *Deipnosoph.* passim; Strabon. lib. VII, pag. 317, et alibi; Photium, *Bibl.* cod. 176; Suidam et alios.

De Timæo eadem atque Clementis nostri fuit sententia Strabonis [69], qui scribit Timæum Tauromenitam « hominem invidum fuisse et calumniatorem, ac cui propterea nomen Epitimii, Ἐπιτίμιον, id est reprehensoris, factum sit. » Prius vero Diodo-

[48] l. XIII Bibl., p. 387. [49] ad verb. Φίλιστος. [50] lib. II, epist. 12 ad Quint., p. 418. [51] l. II De orat., p. 148. [52] Strom. l. I, p. 337. [53] ibid., p. 305. [54] lib. I, p. 284 et 343. [55] l. IV, p. 523. [56] l. De congr. erudit. grat. init., p. 424. [57] Strom. l. VI, pag. 683. [58] Strom. l. I, p. 334. [59] Parallel. tom. II, p. 309 et 316. [60] Admon. ad gent., p. 27. [61] Strom. l. VI, p. 685. [62] l. XVI Geogr., p. 739. [63] ad verb. Σέλευκος. [64] Strom. l. I, p. 300. [65] ad verb. Σωτάδης. [66] Strom. l. I, p. 269. [67] l. I Cont. Apion., p. 1051. [68] in fin. lib. Quomodo histor. scrib. sit, p. 371. [69] l. XIV Geogr., p. 640.

Digitized by Google

rus Siculus simillia hunc in modum dixerat [70] : « Timæus sane, et in temporum notatione exquisitam adhibuit diligentiam, et ut varia rerum cognitione abundet, sollicite laborat. At propter intempestivas et verbosas reprehensiones, jure etiam ipse reprehenditur. Quare ob nimiam taxandi libertatem Epitimæus, Ἐπιτίμαιος, id est Taxator, a quibusdam nominatus fuit. » Postea vero [71] : « Studiosum mihi dicere libuit, quod Timæus cum magna acerbitate scriptores ætatem suam antecedentes reprehendat, nullumque historicis veniæ locum relinquat; ipse tamen, ubi diligentissimum veritatis studium profitetur, nugari et hallucinari deprehendatur. » Visne et 324 alium adhuc testem? En præsto est Polybius, qui similiter de Timæo hæc scriptis tradidit [72] : « Jure merito nos quoque in præsentia fecisse videamur, si plerisque eorum, quæ a Timæo in Democharem sunt dicta, fidem abrogaverimus : illi contra jure merito neque veniam concedat quisquam, neque fidem ullam habeat, postquam adeo manifeste, præ insito ipsius animo maledicendi studio, modum omnem in conviciando excessit. Mihi vero ne illa quidem maledicta placent, quæ Timæus in Agathoclem contulit; etsi fuit ille sane scelestissimus et omnium maxime impius, » etc. Videsis adhuc illius fragmenta pag. 1009 et alibi. Polybio autem Timæum corripienti subscribit Athenæus, et a quo Epitimæus vocatus fuerit sic indicat [73] : « Timæus Tauromenites oblitus sui, quod in eo reprehendit Polybius Megalopolitanus lib. XIII *Historiarum*, negat consuetum fuisse Græcis ut servos haberent : in ea re tradenda profecto Epitimæus, Ἐπιτίμαιος; sic enim Callimachus Ister eum nominat in suis *Contradictionibus*. » Suidas denique, qui plura de illo memoriæ tradidit, ab Atheniensibus nomen illud ei tributum fuisse tradit, atque insuper cognominatum Graosyllectriam : « Quod, inquit, quælibet scriptis mandaret. »

Quamvis autem uterque Theopompus et Timæus sua propter maledicta ac convicia, male apud plurimos audierint; id tamen non obstitit quominus Clemens aliquando, et sæpe sæpius Athenæus, atque etiam Laertius, et alii, eorum auctoritatem et testimonium adhibeant. Legesis Photium de Theopompo cod. 176 *Biblioth.*, et de Timæo cod. 245, ac de utroque Vossium disserentem lib. I *De histor. Græc.*, cap. 7 et 12.

THRASYLLI quoddam *Chronographiæ* fragmentum nobis Clemens reliquit [74]. Hunc autem esse opinantur, qui a Tacito et Suetonio mathematicus Chaldæus, sive astronomiæ peritissimus [75], et a Plutarcho [76] ac Stobæo [77] *Ægyptiaca* scripsisse perhibetur. Mentionem quoque illius adhuc fecit idem Plutarchus, ubi de Strimone, pag. 1155; Dio, lib. LV et LVIII; Themistius, orat. 12; Laertius, lib. III, in Vita Platonis § 11, 56 et 61; lib. IX, in Vita Democriti, § 41. Legesis Menagii observationes, atque alios.

THRASYMACHUS, cujus pro Larissæis oratio a Clemente citatur [78], fuit « Chalcedonius, inquit Suidas [79], sophista in Bithynia, qui primus periodon et colon demonstravit, et nunc usitatam rhetoricæ rationem instituit : discipulus Platonis philosophi, et Isocratis rhetoris. Scripsit suasorias orationes, artem rhetoricam, ludicra, argumenta rhetorica. » Cicero quoque illius haud semel, nimirum lib. III *De orat.*, pag. 200, et *Brut.*, pag. 206, meminit. In *Oratore* autem pag. 275 : « Princeps, inquit, inveniendi in oratione numerosfuit Thrasymachus,cujus omnia nimis etiam exstant scripta numerose. » Denique apud Athenæum, lib. X *Deipnosoph.*, pag. 454, epitaphium, illius monumento inscriptum, hoc fuisse tradit Neoptolemus Parius :

Nomen Θῆτα, ρῶ, ἄλφα, σᾶν, ῦμ, ἄλφα, χῖ, οὖ, σᾶν,
Patria Chalcedon, sapientia studium.

TIMÆI Locri, atque adeo a superiore jam a nobis memorato penitus diversi, librum *De natura* Clemens haud immerito citavit [80]. Nam, ut tradit Suidas [81] : « Timæus Locrus, philosophus Pythagoreus, scripsit mathematica, de natura, de Pythagoræ vita. » Hunc præterea esse aiunt, quem Plato in dialogo, nomine illius inscripto, loquentem inducit. Videsis Jonsium, *De scriptoribus historiæ philosophicæ*, et Vossium lib. I, *De histor. Græc.*, cap. 12, pag. 81, et lib. IV, cap. 8, pag. 458.

TIMOTHEI Pergameni liber *De philosophorum fortitudine* æque a Plutarcho atque ab auctore nostro laudatus occurrit [82].

X.

XANTHI Lydii, alicubi a Clemente laudati [83.84], *Magica* alibi citata legimus. A Dionysio autem Halicarnasseo elogium illud reportavit [85] : « Xanthus Lydius, antiquitatum peritus, si quis alius, patriæ vero historiæ auctor. » Alio rursus in libro illum scriptoribus annumerat qui ante Peloponnesiacum bellum floruere. Quædam porro ex ejus *Chronologia* Laertius [86], quemadmodum Clemens noster, delibavit. Citatur autem a Strabone lib. XII *Geogr.*, pag. 572; Plinio, lib. XXV *Natur. histor.*, cap. 2, pag. 376; Athenæo, lib. II *Deipnosoph.*, pag. 515, ubi de quibusdam historiis ipsi ascriptis dubitat. Plura de eo Suidas ad verbum Ξάνθος, et alii.

ARTICULUS II.

De poetis a Clemente laudatis.

Ad poetas, non secus atque alios scriptores, passim a Clemente nostro citatos jam veniendum, et de illis eodem modo eademque methodo ac de cæteris disputandum est.

A.

ABDERITANI itaque solo nomine nonnulla Clemens [87], sed non semel, carmina retulit. Et primo quidem his verbis : Ὁ Ἀβδηρίτης ἐκεῖνός φησιν· Abderitanus ille ait :

Στρεπτὴ γὰρ καὶ γλῶσσα βροτῶν, etc.
Lingua volubilis est hominum, » etc.

Putabat autem Hervetus hæc carmina esse Democriti Abderitani, sed in Clementinorum operum scholiis observatum est ea apud Homerum, non quidem *Iliad.* V, sicut in illis indicatur, sed *Iliad.* XX, pag. 363 edit. Basil. 1583, non una tamen et altera sine variante lectione reperiri. At in dubium haud immerito vocari potest utrum Clemens Abderitani nomine Homerum, aut alium vatem illo antiquiorem, qui citatos versus prius ediderat, compellare voluerit. Non defuerunt etenim qui Homerum ab alio *Iliadem* suam accepisse accusaverint [88]. Deinde vero hujusce generis sunt hæc carmina, ut facile potuerint in variorum poetarum, sibi invicem incognitorum, mentem venire. De patria autem Homeri cum maxima sit scriptorum dissensio, nonnulli forsitan eum Abderitem credidere, atque idcirco eo nomine a Clemente vocatum. Verum hæc ipsa Homericæ patriæ tanta obscuritas et ignoratio satis aperte probat Homerum vix unquam a Clemente nostro potuisse solo Abderitani nomine citari. Quis igitur sit ille Abderitanus ab aliis libenter audiemus.

ÆSCHYLUS haud semel a Clemente nostro cita-

[70] l. V Bibliothec., p. 198 et 199. [71] l. XII Hist., p. 659. [72] l. XII Histor., p. 659. [73] l. VI Deipnosoph., pag. 272. [74] Strom. l. I, pag. 335. [75] Annal. lib. VI; In Tiber. et Calig. [76] De flu. ubi de Nilo p. 1159. [77] serm. 98, De morbis, pag. 541. [78] Strom. l. VI, pag. 624. [79] ad verb. Θρασύμαχος [80] Strom. l. VI, pag. 604. [81] ad verb. Τίμαιος. [82] Strom. l. IV, pag. 496. [83.84] Strom. l. I, p. 333; l. III, pag. 431. [85] l. I Antiq. Rom., pag. 22, et de Thucyd. hist., tom. II, p. 138. [86] proœm., § 2. [87] Strom. l. I, pag. 279. [88] apud Photium cod. 100 Biblioth., pag. 486.

Digitized by Google

tur [89], sed multo magis ab Athenæo in *Deipnosoph.* libris, Stobæo in *Sermonibus*, Julio Polluce, et aliis. De illo hæc Eusebius in *Chronico*, Olymp. LXXI et LXXV, scriptis tradidit : « Æschylus tragœdiarum scriptor agnoscitur. » Quæ quidem in verba legendæ Scaligeri animadversiones, et aliorum in A. Gellii lib. XIII *Noct. Attic.*, cap. 18, et lib. XVII, cap. 21, nec non et Suidas, etc. Poetæ autem hujus tragœdiæ
325 typis sæpius excusæ sunt, et illius vita iis aliquando præfixa fuit. Præterea vero observandum est Æschyli carminibus, a Clemente citatis, quibus gloriam laboris filiam esse cecinit, similia ex eodem a Stobæo serm. 29, pag. 199, exhiberi [90]. Ad alterius quoque carminis de linguæ clavi, ab eodem auctore nostro transcripti [91], explanationem plura Junius *Adag.*, centur. 4, adag. 39, tibi abunde suppeditabit.

AGATHONIS duos versus Clemens retulit [92], sed longe plures a Stobæo serm. 3, 38, 50, 52 et 67, citantur. Quosdam quoque Athenæus lib. X *Deipnosoph.*, pag. 454, et lib. XII, pag. 528, transcripsit. De hoc autem poeta videsis Ælianum lib. XIV, *Var. histor.*, cap. 14. Suidam ad verbum Ἀγάθων, Vossium *De poetis Græc.*, pag. 39 et 50.

AMPHIONIS et ARIONIS a quibus Clemens suam *ad Græcos Admonitionem* orditur, nemini incognitum est nomen. A tot autem auctoribus et poetis celebratum fuit, ut de illis plura a nobis observari nihil necesse videatur. Huc accedit, quod multa de illis in hujusce Clementis nostri lucubrationis scholiis jam fuerunt adnotata. Illud itaque tantum animadvertemus, Amphionem, cui Zethus adjungitur, a Clemente alicubi [93] dici musicæ inventorem, et vixisse circa Cadmi ætatem; alibi vero [94], « duabus generationibus præcessisse Iliaca. » Eusebius autem in *Chronico*, ad annum 632 : « Expulso Cadmo Amphion et Zethus regnaverunt. » Tum deinde ad annum 689 : « Amphion Thebis regnavit, quem ferunt cantu citharæ saxa movisse. Fuerunt autem duro corde, et, ut ita dixerim, saxei quidam auditores. » Videsis in priorem hujus *Chronici* locum Scaligeri animadversiones. Petavius vero utriusque regnandi tempus ad annum mundi 2567 consignat, quod alii serius contigisse opinantur. Lege, si lubet, variorum chronographias. Porro autem quosdam Amphionis versus ex illius *Antiopa*, Ἀντιόπη, Clemens protulit [95]. Sed utrum hæc carmina celeberrimo illi Amphioni jure, vel injuria ascripta fuerint, in dubium haud immerito vocari potest. Plures enim hoc nomine appellatos quis nesciat? Et vero Athenæus ex lib. II Amphionis Thespiensis de Musæo epigramma citasse legitur. Arionis autem nomen et fabula, qua ille a delphino, cantus illius dulcedine allecto, ad littus transportatus fingitur, omnibus nota sunt, nec nostris indigent animadversionibus.

ANTIPHONIS comici nonnulla carmina non in his tantummodo *Stromatum*, sed in *Pædagogi* etiam libris Clemens noster transcripsit [96]. Cum autem comici nomine eum appellet, ille procul dubio dicendus est, qui, teste Suida, vixit Olymp. XCIII, scripsitque comœdias 365, vel, secundum alios, 280. Ex iis porro plurimas ab Athenæo in suis *Deipnosoph.* libris, et nonnullas a Polluce in *Onomastico*, atque a Stobæo in *Sermonibus* laudatas invenies. Plures etiam alii illius mentionem fecerunt.

APOLLONII Rhodii *Argonautica*, a Clemente laudata [97], apud Aldum Venetiis an. 1521, et tom. I, *Poetarum Græcorum*, atque alibi publici juris facta sunt. De illo consulendus Suidas ad verbum Ἀπολλώνιος; Vossius, lib. I *De histor. Græc.*, cap. 16, et *De poet. Græc.*, pag. 66; Gesnerus, et alii.

ARCHILOCHUM quod turpiter scripserit, acriter Clemens increpat, observatque illum a Phœnia dici vetustiorem Terpandro, et iambi inventorem [98]. Superius autem de hac iambi inventione disputavimus [99]. Ad primum itaque, seu Archilochi petulantiam, quod attinet, de ea sic scripsit Valerius Maximus [1] : « Lacedæmonii libros Archilochi e civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui; ne plus moribus noceret quam ingeniis prodesset. Itaque maximum poetam, aut certe summo proximum, quia domum sibi invisam obscœnis maledictis laceraverat carminum, exsilio mulctarunt. » Ille autem his verbis « domum sibi invisam, » demum denotat Lycambis, qui filiam suam Neobulen quam Archilocho desponderat, cum alteri nupsisset, Archilochus ira percitus Lycamben ita contumeliis vexavit, ut earum plane impatiens laqueo vitam finierit. Quapropter Horatius de illo sic epod. 6 cecinit :

Qualis Lycambæ spretus infido gener.

Rursum vero alibi *De arte poetica*, v. 79 :

Archilochum proprio rabies armavit iambo.

Videsis Ovidium [2], Suidam ad verbum Ἀρχίλοχος et Erasm. *Adag.*, chiliad. III, centur. 10, adag. 90 : *Archilochum teris.*

De illius vero ætate variæ sunt opiniones. Nam Herodotus [3], et postea Proclus, apud Photium [4] perhibent eum Gygis ætati fuisse supparem : sed inermo prorsus, uti putat Scaliger [5], argumento Herodotus imitatur. Tatianus autem : « Claruit Archilochus, inquit [6], circa Olympiadem vicesimam tertiam tempore Gygis Lydi, annis a bello Trojano quingentis. » Cui subscripsit Cyrillus Alexandrinus his verbis [7] : « Vicesima tertia Olympiade Archilochum perhibent, rem Judæorum administrante Manasse. » Verumtamen in Eusebii *Chronico* id ad Olympiadem XXIX et annum 1355 rejicitur. Sed Vossius hæc omnia conciliari posse existimat [8]. Eum, si lubet, facile consulere poteris.

ARCTINUM vicit Lesches Lesbius, si citato a Clemente nostro Phœnia credideris [9]. Quis vero ille Arctinus, et quo tempore exstiterit, a Suida accipe : « Arctinus, inquit [10], Telei filius a Nauteo orundi, Milesius poeta, Homeri discipulus, ut ait Artemon Clazomenius in libro *De Homero*. Vixit autem Olympiade nona, quadringentis annis post bellum Trojanum. » Eusebius autem in *Chronico*, Olympiade I, ad an. 1249 : « Arctinus Milesius versificator prope omni metro et opere clarus habetur. » Et duobus posthac annis : « Arctinus Milesius versificator florentissimus habetur. » Denique Olymp. III : « Arctinus, qui *Æthiopidam* composuit et *Ilii Persin*, agnoscitur. » Sed hunc in ultimum locum videsis Scaligeri, quemadmodum Vossii *De poet. Græc.*, pag. 10, animadversiones. Nec omittendus Cyrillus Alexandrinus, cujus hæc sunt de eodem Arctino verba [11] : « Prima Olympiade Milesius Arctinus epicus poeta dicitur fuisse. »

ARISTONIS duos de voluptate, dolore, metu et cupiditate versus auctor noster transcripsit [12]. Multos Laertius recenset [13] eo nomine vocatos, quorum quartus est tragicus poeta. Ab eo autem potius quam ab alio decantatos illos fuisse versus haud ægre forsitan multi fatebuntur.

[89] Strom. l. IV, pag. 492. [90] ibid., p. 494. [91] l. V, p. 558. [92] Strom. l. V, pag. 614. [93] Strom. l. I, p. 323. [94] ibid. p. 332. [95] Strom. l. V, p. 602. [96] Strom. lib. IV, p. 483, et lib. III Pædag., c. 2, p. 218. [97] lib. I Strom., pag. 322. [98] lib. I Strom., p. 269, 308, 335. [99] sup. cap. 21, art. 4. [1] l. VI, c. 3, § antepenult. [2] in Ibin, v. 52. [3] l. I, § 12. [4] Bibl. cod. 239, frag. 983. [5] in Chron. Euseb. ad an. 908. [6] orat. Cont. Græc., p. 166. [7] lib. I Cont. Julian., p. 12. [8] De hist. Græc., p. 14. [9] Strom. l. I, p. 333. [10] ad verb. Ἀρκτῖνος. [11] loco cit. [12] lib. II Strom., pag. 407. [13] lib. VII in Vita Zenon., § 164.

Digitized by Google

Aristophanes sæpe ab auctore nostro laudatur [14]. Sed quia nulli incognitus esse potest, atque illius comœdiæ non semel typis excusæ sunt, illud tantum animadvertemus quosdam ejus versus ab eodem **326** Clemente nostro ex illius comœdia Ὄρνιθες inscripta, sine metri forma exhiberi, ad quam ex Operum ejusdem poetæ editione, Aureliæ Allobrogum publicata anno 1607, sic reducuntur.

Ἄγε δὴ φύσιν ἄνδρες ἀμαυρόβιοι, φύλλων γε-
[νεᾷ προσόμοιοι.
Ὀλιγοδρανέες, πλάσματα πηλοῦ, σκιοειδέα
[φῦλ' ἀμενηνά,
Ἀπτῆνες ἐφημέριοι ...

Age jam natura viri obscuri vita, foliorum genera-
[tione adsimiles.
Pauca facientes, formationes luti, umbrosæ tribus
[impotentes,
Involucres diurni.

In Clementis autem editis pro πλάσματα πηλοῦ scriptum est, πλάσματα κηροῦ, *cereæ figmenta;* sed prior lectio tibi haud dubie melior videbitur.

B

Bacchylides *carminum scriptor cognoscitur*, inquit Eusebius in *Chronico*, Olympiade LXXXVII, jamque illius mentionem Olymp. LXXVIII et LXXXII fecerat. Narrat autem Clemens eum in *Pœanibus* cecinisse [15] : « Neque obscurorum versuum fores facile est invenire. » Quæ quidem etsi Hervetus alibi non repererit, Græcis tamen totidem verbis a Theodoreto tom. IV, serm. 2, *De fide*, pag. 477, repræsentantur. Nulla insuper metri habita ratione, alios Clemens ejusdem Bacchylidis, quem lyricum vocat, versus transcripsit [16]. At eos simili plane modo in ejus fragmentis divulgatos tom. II *Poet. Græc.*, part. II, pag. 121, iterum reperies. Verum haruince editionum præfectis incompertum procul dubio fuit Eusebium libro XIII *Præparat. evang.*, cap. 13, pag. 679, illis genuinam suam carminum formam reddidisse.

C

Callimachi iambi atque Αἴτια, *causæ*, et hymni ab auctore nostro haud semel citata occurrunt [17]. At de Αἰτίοις superius disputavimus. Quamobrem illud tantum notabimus ex ejus epigrammatibus a Clemente nostro prolatum [18] : ἕτερος δὲ ἐξ ἑτέρου σοφός, « alius ex alio sapiens. » Nescivit enim Hervetus illud a Cyrillo Alexandrino lib. I *contr. Julian.*, pag. 7, sic exhiberi : « Atque in præsentia dicendum puto verum esse illud a nonnullis per parodiam jactatum : σοφὸς ἄλλος ἀπ' ἄλλου, alius ab alio sapiens. » Poetica porro quædam Callimachi opera ab Henrico Stephano anno 1577 et ab aliis, atque etiam tom. I *Poet. Græc.*, typis Græcis et Latinis edita fuerunt. De eo nos jam alibi.

Callinus, inquit Clemens [19], « non multo antiquior Archilocho. Magnetum enim, qui perierant, meminit Archilochus : hic vero ut quorum essent res secundæ, meminit. » Et id certe mirum in modum his confirmatur, illustraturque Strabonis verbis [20] : « Callinus quidem ita meminit Magnetum, ut qui rebus adhuc secundis uterentur, et in bello contra Ephesios rem feliciter gererent. Archilochus videtur jam cognitam habuisse eorum calamitatem, celerius plorare jubens Magnetum mala. Unde etiam colligi potest fuisse illum Callino posteriorem. » Verumtamen econtrario Athenæus : « Perierunt, inquit [21], ab Ephesiis in servitutem redacti et Magnesii, ad Meandrum siti, plus justo deliciis marcidi, ut scribunt Archilochus et Callinus in elegiis. » Nam hic Callinum Magnetum ex-

A cidio recentiorem, ille vero, sicut et Strabo, antiquiorem significaverunt. Sed cum a Clementis nostri parte stet Strabo, his duobus potius quam uni Athenæo fidem habendam esse fortasse fateberis. Si quis vero Callinum ante, et post Magnetum excidium aliquid scripsisse probaverit, ei minime refragabimur.

Cleanthis Stoici philosophi *Poetica* a Clemente nostro alicubi citatur [22]. Alibi vero [23] ejus de Deo carmina hunc referuntur in modum : « Cleanthes Stoicus in quodam poemate *De Deo.* » Laertius vero illius Vitam descripsit [24] : sed Menagius in suis ad eam observationibus opinatur hoc ultimum esse opus, quod ibidem ab eodem Laertio ita inscriptum esse perhibetur.

Cratetis Thebani quædam carmina Clemens in medium adduxit [25], quæ Hervetus corruptionis arguit, quæque alii in suis ad hunc Clementis nostri locum scholiis et adnotationibus emendare conati B sunt. Sed hi quoque monere nos debebant de illis, quæ Clemens ibidem subtexuit, id a Theodoreto scriptis fuisse traditum [26] : « Crates Thebanus multis etiam laudibus virtutem exornavit; ejus siquidem hæc est sententia :

Ἡδονῇ ἀνδραποδώδει ἀδούλωτοι, καὶ ἄκαμ-
[πτοι,
Ἀθάνατον βασιλείαν ἐλευθερίαν τ' ἀγαπῶ-
[σιν.

A servili voluptatis imperio liberi, et inflexi,
Immortale regnum, libertatemque amant.

Hic dicere solebat : Τῆς εἰς τὰ ἀφροδίσια ὁρμῆς κατάπαυμα λιμὸν εἶναι· εἰ δὲ μή, βρόχον. « Venerei appetitus remedium esse famem : sin minus, laqueum. » Quæ quidem ideo transcripsimus, ut cum Græco componantur Clementis nostri textu, et menda corrigantur. Duos porro hos versus in Cratetis Vita Laertius aliter reddidit, eosque rumore C tantum publico eidem Crateti attributos esse testificatur [27] :

Ἔρωτα παύει λιμός, εἰ δὲ μὴ χρόνος·
Ἐὰν δὲ τούτοις μὴ ξύνῃ χρῆσθαι, βρόχος.

Amorem sedat fames, sin minus tempus :
Eis vero si uti non vales, laqueus.

Stobæus vero [28], qui horum versuum auctorem tacet, primum eodem ac Laertius, secundum alio penitus modo retulit.

Ad Cratetem porro quandoquidem delapsa est nostra oratio, adnotare juvat epitaphium Sardanapali tribus a Clemente nostro [29] paulo antea comprehensum fuisse versibus, ac duobus primis alios similes Crateti hunc in modum a Laertio ascribi [30] : « Sunt autem et ejus hi versus :

Ταῦτ' ἔχω, ὅσσ' ἔμαθον, καὶ ἐφρόντισα καὶ με-
[τὰ μουσῶν
Σεμν' ἐδάην· τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια τῦφος
[ἔμαρψε.

Tantum habeo, quantum didici, quantumque la-
[bore
Percepi et studio; rapuit sed cætera fastus. »

D

De epigrammate autem in Sardanapalum præter varia in Clementem nostrum scholia, consule Menagii in citatum a nobis Laertium adnotationes.

Cratinus haud semel a Clemente laudatur [31]. Ac primo in Archilochiis ab eo, et sæpius ab Athenæo lib. III *Deipnos.*, pag. 86 et 92, lib. IX, pag. 375 et 410. Secundo autem in *Pœtine*, Πυτίνῃ, et ab Athenæo Πυτίνῃ, *Pytine*, lib. III, pag. 94, lib. X, p. 426. Plura **327** tandem alia ejus opera citat Athenæus,

[14] Strom. lib. IV, pag. 492. [15] Strom. l. V, p. 580. [16] ibid., p. 601. [17] Strom. l. V, p. 570, 571; Admon. ad gent., p. 24. [18] Strom. lib. V, pag. 580. [19] Strom. l. I, p. 333. [20] l. XIV Geogr., p. 647. [21] l. XII Deipn., p. 525. [22] Strom. l. V, p. 554. [23] ibid., p. 602; Admonit. ad gentes, p. 47. [24] l. VII in Vita Cleanth., § 175. [25] Strom. l. II, p. 413. [26] tom. IV, serm. 12, p. 670 et seq. [27] l. VI in Vita Cratetis, p. 356, § 86. [28] serm. 61, p. 393. [29] Strom. l. II, p. 411. [30] loc. cit. [31] Strom. l. I, p. 280, et l. VI, p. 626.

Digitized by Google

pauciora Clemens noster, et Stobæus. Porro autem Eusebius illum Olympiade LXXXI floruisse testatur. Videsis Suidam ad verb. Κρατῖνος.

Cratini alterius junioris versum quemdam Clemens noster retulit [32], plures vero ex variis ejus comœdiis Athenæus *Deipnosoph.* lib. IV, pag. 177, lib. VI, pag. 241, lib. XI, pag. 460, lib. XIV, pag. 661 et 669.

Cyclicos poetas vetustissimos Clemens appellat [33], de quibus Proclus apud Photium in *Bibliot.* cod. 229, et longe uberius Casaubonus in suis ad Athenæi lib. VII *Deipn.*, cap. 3, animadversionibus, ubi cur illi ita cognominati fuerint erudite explicat.

D

Diogenes, inquit Clemens [34], ἐμφαντικῶς ἔν τινι τραγωδίᾳ γράφει, « perspicue in quadam tragœdia scribit. » Ille autem procul dubio ipse est, et qui ab Athenæo *tragicus Diogenes* vocatur, et de quo Suidas hæc scripto tradidit [35] : « Diogenes vel Œnomaus Atheniensis, tragicus fuit illo tempore quo triginta tyranni sublati sunt. Ejus fabulæ sunt *Achilles, Helena, Hercules, Thyestes, Medea, Œdipus, Semele.* » Scimus quidem easdem tragœdias, priore excepta, pro qua scribitur *Chrysippus* a quibusdam Diogeni Cynico, uti ex Laertio discimus [36], fuisse ascriptas. Sed ibidem nos idem Laertius commonefacit id a Sosicrate et Satyro negatum, atque ab eodem Satyro illas Philisco Æginensi, Diogenis discipulo attribui. Verum Clementis nostri opinionem, Athenæi et Suidæ auctoritate firmatam, nonnulli forsitan alteri anteponendam esse censebunt.

Dionysii, qui dictus est Iambus, carmen ab auctore nostro transcriptum legimus [37]. Eodem quoque nomine compellatur ab Athenæo libro IV *Deipnosoph.*, pag. 284 : « Dionysius cognomine Iambus in opere *De dialectis.* »

Diphili comici quosdam Clemens versus exhibet [38], cujus quamplurimæ comœdiæ ab Athenæo in suis *Deipnosoph.* libris, et a Stobæo in *Sermonibus*, atque a Polluce in *Onomastico* passim citantur. Hunc Strabo patria Sinopensem fuisse perhibet [39], et mentionem ejus Terentius [40] aliique fecerunt, nosque supra lib. II, dissert. 2, cap. 5, § 3.

E

Empedoclem tam in poetarum quam philosophorum grege Clemens annumerat [41]. Quamobrem alicubi carmina ejus ab illo hunc citantur in modum : « Ait *philosophica* Empedoclis *Poetica.* » Sæpius autem in his *Stromatum* libris quosdam illius protulit versus, uti lib. V, p. 554, tres retulit, ex quibus duo priores a Theodoreto tom. IV, serm. 1, p. 476, descripti fuere, ubi etiam alios ex eo Agrigentini tantum nomine ab eodem auctore nostro transcriptos invenies. De hoc porro philosopho et poeta, præter alia plura, quæ de eo sæpius in hac, et præsertim super. dissert. cap. 14, art. 2, disputavimus, consule Laertium lib. VIII *De vitis et dogm. philosoph.*, § 51 et sequentibus, et variorum in eum observationes; Vossium lib. IV *De histor. Græc.*, cap. 2, pag. 437, et *De poet. Græc.*, cap. 4, pag. 26, et cap. 6, pag. 33 ; atque Henricum Stephanum, qui fragmenta illius in *Poesi philosophica* collegit.

Epicharmus poeta, inquit Clemens [42], vixisse dicitur Xenophanis Colophonii tempore, quo Hieron dominatum in Sicilia obtinuit. Suidas vero [43] : « Fuit sex annis ante bellum Persicum, Syracusis docens, Athenis vero Evetes, et Euxenides, et Mylus se ostentabant. » Præterea eum auctor noster Pythagoreum appellat [44] : quod quidem egregie a Laertio asseritur et confirmatur [45]. Deinde autem quo jure illum Clemens alibi comicum vocaverit, patet ex variis illius comœdiis, passim ab Athenæo citatis. Denique Clemens hanc præter alias ait fuisse ejus sententiam [46] : « Ne crede, sunt hi mentis nervi. » Nonne autem hæc ipsa est, quam Cicero his verbis exprimit [47] : « Ἐπιχαρμεῖον illud teneto : nervos atque artus esse sapientiæ, non temere credere! » In una autem ad Atticum epistola paulo fusius eam Græcis verbis hunc in modum retulit [48] : « Ita novis amicitiis implicati sumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus, Νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Sobrius sis, et memineris non facile credere : hi sunt nervi sapientiæ. » Alibi vero illum acutum nec insulsum hominem nuncupat, aliamque illius sic profert sententiam [49] : « Tu mihi videris Epicharmi acuti, nec insulsi hominis, ut Siculi sententiam sequi : Mori nolo; sed me esse mortuum nihil æstimo. » Multa ex ejus comœdiis præter laudatum a nobis Athenæum Pollux in *Onomastico*, aliique descripserunt. Videsis de illo Vossium libro II *De poet.*, pag. 33, et variorum in citati a nobis Laertii locum adnotationes.

Epigenem de Orphei poesi librum scripsisse a Clemente discimus [50]. Sed Epigenis nomen datum est duobus, quorum alter astrologus et historicus, de quo Plinius *Histor. natur.* libro VII, cap. 1, pag. 77, et cap. 15, pag. 94, ac lib. XIII, cap. 3, pag. 788, verba fecit. Alter vero poeta, cujus varia carmina ab Athenæo citantur. Legesis Suidam ad verbum Ἐπιγένης, et Vossium libro tertio *De histor. Græc.*, capite tertio, pag. 363.

Eubuli quædam carmina in medium Clemens protulit [51], atque ex iis posteriora ab Herveto prapostere emendata fuisse in editis ad hunc *Stromatum* scholiis observatur. A Clemente autem citatur ejus comœdia *Semele;* sed hæc *Bacchus* vocatur ab Athenæo [52], qui alias quamplures, nimirum 51, ejusdem Eubuli comœdias, sicut Pollux in *Onomastico* pauciores laudavit. Quis autem ille fuerit, a Suida discere poteris : « Eubulus enim, inquit ipse [53], Cettius Atheniensis, Euphorionis filius, comicus, edidit fabulas 24. Fuit autem Olympiade CI, medius inter mediam et antiquam comœdiam. » Non omnes itaque ejus comœdias ille viderat, cum Athenæus 51, uti diximus, recenseat.

Eumelus, ait Clemens [54], « dicitur pervenisse usque ad Archiam, qui condidit Syracusas. » Eusebius autem in *Chronico*, Olympiade III : « Eumelus poeta, qui *Bugonium* et *Europiam* composuit, agnoscitur. » Postea Olympiade X : « Eumelus Corinthius versificator agnoscitur. » Ex primo autem Eusebii loco haud immerito forsitan colligere aliquis se posse putabit eumdem Eumelum, tacito nomine, ab auctore nostro his citari verbis [55] : « Quin etiam qui fecit *Europiam*, τὴν Εὐρωπίαν ποιήσας, significat eam, quæ est in Delphis, Apollinis imaginem esse columnam per hæc :

Ὄφρα θεῷ δεκάτην ἀκροθίνιά τε κρεμάσαιμι,
Σταθμῶν ἐκ ζαθέων καὶ κιόνος ὑψηλοῖο.

Ut decimamque deo primos fructusque dicemus,
Sedibus ex sacrosanctis celsaque columna. »

[32] Strom. l. v, p. 569. [33] Strom. l. i, p. 333. [34] Strom. II, p. 412. [35] l. XIV Deipn., p. 636. [36] l. VI, in Vita Diog., § 80. [37] Strom. l. v, p. 569. [38] Strom. l. v, p. 611; l. VI, p. 623, et l. VII, p. 715. [39] l. XII Geogr., p. 546. [40] prolog. in Adelph. [41] Strom. l. VI, p. 607. [42] Strom. l. I, p. 301. [43] ad verb. Ἐπίχαρμος. [44] Strom. l. v, p. 597. [45] l. VIII, § 79. [46] Strom. l. v, p. 605. [47] De petit. consul., tom. IV, p. 444. [48] lib. I, epist. 16, ad Attic., p. 211. [49] Tuscul. l. I, p. 117. [50] Strom. l. I, p. 333. [51] Strom. l. VII, p. 716. [52] l. XI Deip., p. 460. [53] ad. verb. Εὔβουλος. [54] Strom. l. I, p. 333. [55] ibid. p. 345.

Digitized by Google

328 Pausanias tamen hoc carmen paulo aliter vocat [56], *Εὐρώπην ποιήσας*. Sed Scaliger in priorem Eusebii locum suspicatur idem plane opus utroque nomine designari. Testatum autem idem Pausanias facit [57] Eumelum fuisse Amphilyti filium, e genere Bacchiadarum, qui Corinthiacam historiam carminibus scripsisse a nonnullis, etsi non sine magna dubitandi ratione, ferebatur. Quid vero, quod ille alio in libro : « Canticum, inquit [58], quo Deum salutarent (prosodium appellant) fecit Eumelus ; et hæc certe carmina sola sunt quæ Eumelum fecisse pro certo habetur. » Ex hoc procul dubio cantico ea desumpta fuerant, quæ ille postea libro IV, p. 143, lib. V, p. 167, protulit. Incertum itaque est an illius sit carmen, a Clemente lib. VI, pag. 622, transcriptum. De hoc poeta plura Vossius *De poet Græc.*, pag. 11, 12, 13, atque lib. IV *De hist. Græc.*, cap. 1, pag. 429 et seq.

Euphorion Chalcidensis laudatur ab auctore nostro libro IV *Strom.*, pag. 488, lib. V, p. 561 et 571. Sed his in locis, ex quibus Euphorionis operibus ea quæ refert excerpserit, et ille, et Stobæus serm. 76, pag. 453, et serm. 123, pag. 616, atque Pollux *Onom.*, lib. IV, cap. 13, pag. 195, penitus tacent. Primo autem in libro, pag. 327, ab eodem Clemente nostro citatur ἐν τῷ *Περὶ Ἀλιάδων*, et lib. V, pag. 569, ἐν ταῖς πρὸς θεωρίδαν ἀντιγραφαῖς, et a Stobæo serm. 57, pag. 377 in *Philoctete*. At de illo diximus super. dissert., cap. 14, art. 2.

Euripidis sæpius a Clemente nostro [59] laudati opera, haud semel typis edita, omnibus notiora sunt quam ut longum de illis orationis filum trahamus. Quamobrem observare tantum juvat eum ab eodem auctore nostro appellari « scenicum philosophum. » Quo quidem nomine illum quoque compellat Origenes [60] : « Scenicus, inquit, philosophus, auditor quondam Anaxagoræ physiologi. » At ibi ille hujusce appellationis causam tacite suggerit. Nam celebrem illum poetam Anaxagoræ discipulum revera fuisse Laertius [61] et Cicero [62] testificantur. Quocirca de illo scripsit Eusebius [63] : « Euripides cum ad poeticam se contulisset, scenicus a nonnullis philosophus nuncupatus est. » Quædam Clemens [64] ejus carmina tragici Euripidis nomine citat ex *Phœnissis*, quæ quidem in hac tragœdia, cum aliis ab eo compositis, divulgata act. II, pag. 99, atque a Theodoreto quoque transcripta sunt [65]. Tum paulo post Clemens noster [66] rursus solo tragœdiæ nomine alios illius versus profert. Sed priores Stobæus serm. 40, pag. 258, Euripidi in *Alexandra* nominatim attribuit. Posteriores vero Theodoretus exhibet tom. IV, serm. 1, pag. 478, et in *Bacchis* act. II, pag. 466, habentur. Alibi Clemens *Medeam* citat, tacito adhuc Euripidis nomine. At citati ab illo versus in hac tragœdia act. V, pag. 158, non sine aliqua diversa lectione occurrunt. Alios Euripidis a Clemente citatos versus [67], sed minime indicata illius tragœdia, docet Stobæus [68] in illius *Œdipo*, sed cum diversis lectionibus inveniri. De cæteris hujus poetæ carminibus, ab auctore nostro descriptis, jam sæpius diximus.

H

Heracliti quædam carmina ab eodem auctore nostro transcripta videmus [69], quibus lux aliqua inde afferri potest, quod ex illo similiter retulit Theodoretus [70]. Sed quia ab utroque Heraclitus simpliciter appellatur, in dubium haud immerito vocari potest, utrum ea decantata fuerint ab Heraclito Ephesio, cujus Vitam Laertius lib. IX descripsit, aut ab aliquo alio ex iis, quos ille eodem nomine nuncupatos fuisse ibidem testatur. Nam quamvis Heraclitus ille Ephesius a Suida [71] dicatur πολλὰ ποιητικῶς scripsisse ; quidam tamen opinantur his verbis dictionem illius, et scribendi modum, poetico similem, potius quam carmina ab illo edita designari. Huc accedit, quod Laertius duos alios illi cognomines et poetas fuisse perhibeat, quibus citati a Clemente versus potiori forsitan jure ascribi possunt. Si cui tamen simplex Heracliti appellatio celebri philosopho Ephesio magis convenire videatur, in sua ille, si eam probaverit, maneat sententia.

Hesiodus, sicut et Homerus, inquit Clemens [72], recentiores fuerunt Iliacis temporibus, sed septem Græciæ sapientibus antiquiores. Postea vero nos ille monitos facit [73] Euthymenem et Archemachum existimasse iisdem utrumque vixisse temporibus, 200 circiter annos post Trojam captam ; ita ut uterque Elisæo propheta fuerit recentior. Cyrillus autem Alexandrinus : « Centesimo, inquit [74], sexagesimo et quinto anno post Ilii eversionem Homerum et Hesiodum vixisse tradunt, imperante Lacedæmoniis Labote, Assyriis Lasthene, Latinis Alba Sylvio, Corinthiis Agelao. » Suidas autem observat [75] quibusdam placuisse Hesiodum Homero fuisse vetustiorem, aliis autem æqualem, aliis denique juniorem. At Eusebius in *Chronico* ad annum 996 : « Quidam, inquit, Homerum et Hesiodum his temporibus, quibus scilicet Salomon apud Judæos regnabat, fuisse scribunt. » Deinde vero ad annum 1210 : « Hesiodus insignis habetur, ut vult Porphyrius. » Denique ad annum 1255 et Olympiade III : « Hesiodus secundum quosdam clarus habetur. » Vides sane, quam variæ fuerint de Hesiodi ætate opiniones ; de Homeri porro tempore infra. Interim vero videsis quid de utroque Vossius adnotavit [76]. At a nobis insuper animadverti debet duos Homeri de Margite versus a Clemente repræsentari [77], de quibus quædam in scholiis adnotata sunt. Sed te præterea non pigeat adire Suidam ad verbum *Μαργείτης*, et Erasmi *Adag.*, chil. II, centur. 3, pag. 411. De aliis porro cum Homeri tum Hesiodi carminibus ab eodem auctore nostro citatis, satis a nobis superius, ubi occasio sese dedit, disputatum est.

Hipponactem ob carminum lasciviam atque petulantiam Archilocho Clemens conjungit, notatque alibi sicut iambum ab isto, ita ab illo iambum claudum excogitatum fuisse [78]. Diximus [79] de hoc iambo carmine, quod ab Hipponacte illo inventum dicitur. At de illius petulantia, et unde orta sit, hæc Plinii verba certiorem te facient : « Hipponacti, inquit [80], notabilis fœditas vultus erat. Quamobrem imaginem ejus lascivia jocorum ii proposuere ridentium circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse : quod falsum est. » Suidas vero : « Hipponax, inquit [81], Pytheæ patris, et Protidis matris filius, Ephesius, iamborum scriptor : habitavit autem Clazomenis, a tyrannis Athenagora et Coma pulsus. Scripsit enim in Bupalum, et Athenienses statuarios, quod suas imagines in contumeliam fecissent. » Quoniam autem in Bupalum, ut ait Suidas, scripserat, inde Horatius epod. 6 cecinit :

Aut acer hostis Bupalo.

Varia hanc in rem epigrammata attulit Harduinus **329** in citatum a nobis Plinii locum. Plures

[56] Strom. l. I, p. 286. [57] l. II, init., p. 39. [58] l. IV, p. 114. [59] Strom. l. V, p. 581. [60] l. IV Cont. Celsum. [61] l. II, in Vita Anaxag., § 10. [62] Tuscul. l. III, p. 153. [63] l. X Præp. evang., c. 14, p. 504. [64] Strom. l. I, p. 289. [65] Serm. 1, p. 479. [66] Strom., l. II, p. 388, et l. IV, p. 539. [67] Strom. l. IV, p. 499. [68] Serm. 67, p. 424. [69] lib. IV Strom., pag. 494. [70] tom. IV, serm. 8, p. 600. [71] ad verb. Ἡράκλειτος. [72] Strom. l. I, p. 325. [73] ibid., p. 327. [74] l. I Contr. Julian., p. 11. [75] ad verb. Ἡσίοδος. [76] l. II De hist. Græc., c. 2. [77] Strom., l. I, p. 281. [78] Strom. l. II, p. 269 et p. 308. [79] Sup. cap. 21, art. 4. [80] l. XXXVI Nat. hist., c. 4, p. 271. [81] ad verb. Ἱππώναξ.

Digitized by Google

autem illius iambos exhibet Athenæus lib. VII et VIII *Deipnosophist.* Mentionem demum illius fecerunt Tatianus *Orat. ad Græcos*, pag. 166; Eusebius in *Chron.* ad ann. 1329; Cyrillus Alexandrinus lib. I, in *Julian.*, pag. 12, et alii.

I

ILIADIS PARVÆ auctor a Clemente his solum verbis appellatur [83], ὁ τὴν *μικρὰν Ἰλιάδα* πεποιηκώς, « qui *parvam* fecit *Iliadem*. » Quis autem ille sit, si scire vis, audi, si placet, Eusebium in *Chronico* ad annum 136, Olympiade XXX, de eo sic loquentem : « Clarus habetur Lesches Lesbius, qui *parvam* fecit *Iliadem*. » Qua quidem de Leschis ætate auctor noster hæc postea scripsisse legitur [84] : « Phanias ponens Leschen Lesbium ante Terpandrum, refert Terpandrum esse Archilocho recentiorem, Leschen autem concertasse cum Arctino, et vicisse. » Sed hæc videtur peculiaris fuisse Phaniæ opinio, cui Eusebius in iis quæ de Arctino, uti jam notavimus, narrat, sicut plane adversatur, ita cum illo satis de iis consentit, quæ ad Terpandri ætatem pertinent. Nam ad annum 1370, Olympiade XXXIII, « Terpander insignis » ab illo dicitur. Porro autem Scaliger in suis ad ejusdem Eusebii *Chronicon*, an. 1254, observationibus animadvertit *Ilii Persin* Leschi a Pausania tribui. Ad annum vero 1360, ille adhuc observat *parvam Iliadem* ab *Ilii Persi* penitus ab Aristotele distingui, ac proinde nullam sibi succurrere rationem, qua hunc Peripateticorum coryphæum cum Eusebio et Nemeorum scholiaste conciliare possit. Et re quidem vera Eusebius Arctino *Ilii Persin*, tanquam germano auctori adjudicat. Pausanias vero [85] : « Lescheus, Αἴσχεως, inquit, carminibus prodidit suis, Ilio capto, elapsam Æthram in Græcorum castra venisse. » Quid vero quod Athenæus *Iliopersidem*, *Ἰλιοπερσίδα*, Acati Argivi opus esse testatur [86]. Sed quis nesciat de ejusdem lucubrationis auctore varias non semel fuisse variorum scriptorum sententias et opiniones. Nobis itaque probasse sufficiat ad Clementis nostri judicium suffragatione sua Eusebium accessisse.

IOPHON, κωμικός, *comicus*, a Clemente in *auledis satyris* laudatur [86]. Sed quis ille sit, dictu non ita forsitan promptum omnibus erit et expeditum. Duos enim hoc nomine nuncupatos legimus. Unus autem a Pausania his verbis memoratur [87] : « Iophon Cnosius, qui vatum oracula heroicis versibus exhibuit. » Alter vero de quo Suidas hæc litteris mandavit [88] : « Iophon Atheniensis, tragicus, germanus Sophoclis tragici, filius ex Nicostrata.... fabulas autem, δράματα, Iophon docuit 50, quarum est *Achilles*, *Telephus*, *Actæon*, *Ilios Persis*, *Dexamenus*, *Bacchæ*, *Penthæus*, et alia quædam patris Sophoclis. » Sed alius ab utroque videtur Iophon, aut uti in manuscripto nostro codice scribitur Ἰωφῶν κωμικός, nisi in hac secunda voce, quemadmodum in prima lapsus sit amanuensium, atque ibi legendum, sicut apud Pausaniam Κώσιος. Verum quis id affirmare audeat ?

L

LINUM sicut et Orpheum ante septem primos Græciæ sapientes, sed utrumque, atque etiam Musæum 27 post Phemonoen annis exstitisse, eumdemque Linum fuisse Herculis præceptorem Clemens perhibet [89]. De assignata autem trium illorum antiquissimorum poetarum ætate legesis Eusebium libro X *Præpar. evangelic.*, cap. 4, pag. 469, et sæpius in *Chronico* ; Augustinum, lib. XVIII *De civit.*, cap. 14 et 37, etc.; Theodoretum tom IV, serm. 2, pag. 494, et alios. Lini vero mentionem fecerunt Pausanias libro II, pag. 61 ; lib. VIII, pag. 251, et lib. IX, pag. 303 et 304; Diogenes Laertius in proœm., § 4; Virgilius eclog. 4, vers. 52; Plutarchus tom. II, lib. *De musica*, pag. 1132; Cyrillus Alexandrinus libro I *contra Julianum*, pag. 11, atque ut alios quamplurimos omittamus, Eusebius in *Chron.* ad annum 752. Suidas porro non secus ac Clemens noster, asserit illum fuisse Herculis magistrum. Et id quidem a Theocrito idyll. 24, versu 103, decantatum legitur. Qua quidem de re jam aliquid attigimus supra libro II, dissert. 5, cap. 3, § 9.

LYCOPHRONIS *Alexandra* iis Clemens commentationibus annumerat [90], quæ obscure omnino scriptæ fuerant. Huic Suidas plane suffragatur, ac de eodem Lycophrone ait : « Scripsit et illam, quæ vocatur *Alexandra*, obscurum illud poema. » At illud jam a præterito sæculo ex typographorum officina prodiit. Alia vero illius opera ab Athenæo, et carmina a Laertio libro II, in Vita Menedemi, § 140, et a Stobæo serm. 118, pag. 601, atque aliis citata invenies. *Poetarum* denique *Græcorum*, tom. II, pag. 138, Græce et Latine divulgata est ejusdem Lycophronis *Alexandra*, seu *Cassandra;* ita enim ibi inscribitur.

M

MENANDER novæ comœdiæ princeps fuit, atque idcirco fere semper Clemens [91], ubi ejus carmina refert, nomen comici addidit. « De eo, inquit Suidas, multus est apud omnes rumor, et comœdias 108 scripsit. » Ex iis porro multa Athenæus, Stobæus, Julius Pollux, et alii decerpserunt : sed pauca tantum eorum fragmenta typis edita fuere. Videsis Eusebium in *Chron.* ad annum 1696 et 1229, et in hæc loca Scaligeri adnotationes, Suidam, Vossium *De poet. Græc.*, pag. 58, et Harduinum in auctorum a Plinio citatorum syllabo, atque alios. De illo jam quædam perstrinximus libro II *Apparat.*, dissertat. 2, cap. 5, § 3, et dissertat. super. cap. II, art. 4.

MOSCHIONIS duos versus Clemens transcripsit [92], sed longe plures Stobæus sermone 13, pag. 145; sermon. 44, pag. 307; serm. 93, pag. 561; sermone 113, pag. 585; sermone 122, pag. 615; sermone 124, pag. 620.

MUSÆUM Lino, uti diximus, atque etiam Orpheo, Clemens adjunxit [93], et hujus quoque discipulum fuisse tradit. Ei patrocinatur Eusebius, qui in *Chronico* hæc ad annum 747 litteris mandavit : « Orpheus Thrax clarus habetur, cujus discipulus fuit Musæus, Eumolpi filius. » Verumtamen Diodorus Siculus testatum facit eum Orphei fuisse filium [94]. Narrat enim Herculem, post confectum decimum laborem, Athenas se contulisse ; « ut mysteriis Eleusiniæ matris initiaretur, quorum Musæus, inquit, Orphei filius antistes erat..... » Suidas tamen de illo hæc scriptis prodidit : « Musæus Eleusinius..... Orphei discipulus, ac potius antiquior, versus heroici scriptor. » Sed Laertius de Musæo et Lino sic loquitur [95] : « Musæo Athenæ, Thebæ Lino inclytæ sunt. Horum alterum, Eumolpi filium, asserunt primum deorum generationem sphæramque carmine scripsisse, et ex uno omnia facta esse dixisse, atque in idem resolvi. Hunc Phaleris obiisse diem, inscriptumque ipsius tumulo fuisse hoc epigramma :

330 *Eumolpi exanimem Musæum terra Phaleri*
Claudit hoc tumulo, pignora chara patris.

« Porro Musæi pater, Eumolpidis apud Athenienses cognomen dedit. » Quem in locum legesis Casauboni et Menagii observationes. At Meursius hunc, quamvis Laertius ei Linum adjungat, ab Eleusinio alium esse censet. Postea Clemens [96] nos admonet responsa, χρησμοὺς, quæ Musæi nomine

[83] Strom. l. I, pag. 321. [84] ibid., p. 333. [85] l. X, pag. 342. [86] l. XIII, pag. 610. [86] Strom. l. I, pag. 280. [87] l. I, p. 33. [88] ad v. Ἰοφῶν. [89] Strom. l. I, p. 299 et 323. [90] Strom. l. V, p. 571. [91] Strom. lib. II, pag. 421, 422; l. V, p. 550. [92] Strom. lib. VI, p. 623. [93] l. I, p. 299, 321, 335. [94] l. IV Bibl., p. 162. [95] proœm., § 4. [96] Strom. l. I, pag. 332.

Digitized by Google

circumferebantur, ab aliis Onomacrito adjudicari. Quo de argumento, et de variis Musæi nomine appellatis, plura Meursius lib. II *Lection. Attic.*, cap. 19, et tom. V *Antiquit. Græcar.*, pag. 1823 et seq.

O

Onomacrito non solum carmina Orphei, ut Suidas quoque testatur [97], sed etiam responsa, Musæi nomine inscripta, quidam, inquit Clemens [98], ascripserunt. At de Musæo jam paulo ante, et de Orpheo supra libro II hujusce *Apparat.*, dissert. 5, cap. 2, § 9, diximus. A nobis quoque in hac dissertat. cap. 20, art. 3, observatum est Onomacritum in paganorum vatum choro annumerari. Denique Clemens ejusdem Onomacriti ætatem circa Olympiadem L consignat. Aliqui tamen eam ad Olympiadem LXXVI, alii rectius, uti Vossius existimat [99], ad LXVI referunt.

Orpheus a Clemente nostro [1] *theologus*, haud dubie quia, uti alibi dixerat, theologiam exposuit, vocatur, atque hæc in verba Onomacrito conjungitur : « Onomacritus circa L Olympiadem invenitur, et Orpheus, Musæi discipulus, qui una cum Hercule navigavit. » Prius tamen dixerat : « Tempore Acrisii... et Persei, et Bacchi res gestæ, et Orpheus, et Musæus. » Postea vero : « Quod si quis dicat Phemonoen primam Acrisio responsa cecinisse, sciat quod viginti et septem annis post Phemonoen fuit Orpheus, et Musæus, et Linus. » Sed si tempore Acrisii, Persei, et Bacchi Orpheus exstitit, certe longe ante L Olympiadem ille, atque etiam Musæus et Linus vitam egerunt. Nam Eusebius in *Chronico*, ad annum 628 et 629, hoc scriptum reliquit : « Dionysius, qui Latine Liber pater, ex Semele nascitur. Ea quæ de Perseo dicuntur, tunc gesta fuerunt. » Et ad annum 672 : « Argis quartus decimus Acrisius anno 31. » Ad annum quoque 705 : « Perseus, Acrisio non sponte interfecto, migravit ab Argis, atque regnavit. » De Phemonoe autem ad annum 650 hæc memorat : « Apud Pythium vates prima Phemonoe, hexametris versibus futura cecinisse narratur. » Denique de Orpheo ad annum 747 : « Orpheus Thrax clarus habetur, cujus discipulus fuit Musæus, filius Eumolpi. » At ea omnia pluribus ante primam Olympiadem annis contigisse ex eodem Eusebii *Chronico* evidentissime colligitur. Et certe ille ipse Eusebius alio in libro scripsisse legitur [2] : « Græci Orpheum, et Linum inde, tum Musæum circa Trojana tempora, vel paulo ante floruisse volunt. » Atqui ille rursus in *Chronico* ad annum 1240 : « A captivitate, inquit, Trojæ usque ad primam Olympiadem anni 406. » Suidas vero docet Orpheum fuisse undecim ætatibus ante Trojanum bellum. Quid ergo? Numquid amanuenses librarii primum Clementis locum Græce scribendo, vel Latinus interpres eum Latine reddendo erraverunt? Sed Græcus textus in manuscripto nostro codice, sicut in editis, ita legitur [3] : Ὀνομάκριτος.... κατὰ τὴν τῶν Πεισιστρατιδῶν ἀρχὴν, περὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα εὑρίσκεται. Ὀρφεύς τε ὁ συμπλεύσας Ἡρακλεῖ, Μουσαίου μαθητής. At horum verborum hic sensus esse videtur : « Onomacritus.... tempore principatus Pisistratidarum circa L Olympiadem invenitur. Orpheus autem, qui una cum Hercule navigavit, fuit, aut potius supplendum, εὑρίσκεται, invenitur, Musæi discipulus. » Hæc autem si ita intelligantur, secum pulchre stabit auctor noster, et in iis omnibus, quæ ille dixit, nulla plane erit discrepantia, sed magna prorsus consensio. Cum Hercules enim navigaret, tum Orpheus etiam ab Eusebio floruisse notatur. Quod quidem confirmari adhuc potest ex his ejusdem Eusebii in *Chronici* proœmio verbis : « Porro Liber, et reliqui, quos mox inferemus, post centesimum annum Cecropis fuerunt. Linus scilicet, Zethus, et Amphion, Musæus, et Orpheus, Minos, Perseus... Hercules cum quo Apollo servivit Admeto. » Neque mireris Orpheum a Clemente, quemadmodum a Tatiano, dici Musæi discipulum, contra autem ab Eusebio illius præceptorem. Nam ex Suida vidimus diversas ea de re fuisse scriptorum opiniones. Par quoque fuit illorum dissensio de ejusdem Orphei poematibus, quæ Clemens observat [4] Onomacrito, et alia quædam singularia aliis ascribi. Testimonium autem ille profert Epigenis, qui dixerat « esse Cecropis Pythagorei descensum ad inferos, et sacram orationem ; peplum autem et physica Brontini. » De hoc autem Cecrope videsis Vossium lib. IV *De histor. Græc.*, pag. 509. Laertius autem narrat [5] Brontinum Crotoniatem a quibusdam dici Theanus patrem, ab aliis vero maritum. Et postea in Vita Alcmæonis, § 83, Brontini adhuc meminit. An autem unus et idem fuerit, isque revera a Clemente memoratus, ab aliis libenter audiemus. Sed de Orpheo jam sæpius in hoc et superiore libro.

P

Parmenidis plura Clemens [6] exhibet carmina, quæ a Theodoreto quoque repræsentata sunt tom. IV, serm. 1, pag. 476, et serm. 4, pag. 528. Priori autem loco ab ipso vocatur : « Parmenides Eleates, qui socius fuit Xenophanis Colophonii ; » ac proinde ille est, cujus Vitam Laertius libro IX *De philosophorum vitis et dogmatibus*, § 21 et seq., describit, ac ibi philosophiam carmine ab eo expressam fuisse perhibet. Hujus autem philosophi et poetæ mentionem haud semel fecimus.

Pherecrates ἐν Αὐτομόλοις, in *Transfugis*, semel ab auctore nostro [7], et Polluce lib. VII, cap. 32, pag. 361, sed longe sæpius ab Athenæo libro III *Deipnosoph.*, pag. 90 et 119, libro IX, pag. 385 et 396, pluribusque aliis in comœdiis citatur. Et recte quidem. Teste enim Suida : « Pherecrates Atheniensis comicus, qui cum Alexandro militavit, fabulas edidit 17, » sed 18 potius dicere debuisset. Totidem quippe ab Athenæo citatas legimus. Videsis Vossium *De poetis Græcis*, pag. 38 et 39.

Philemonem comicum haud semel auctor noster compellat [8], ac nominatim in comœdia quæ Ὑποβολιμαῖος inscripta erat. Sed utrum junioris aut senioris comici hæc fuerit, ille penitus silet. De utroque præter Vossium *De poet. Græc.*, pag. 58, videsis Suidam, Athenæum, Stobæum et Pollucem, qui varias Philemonis comœdias laudaverunt. Quibus omnibus adjicere liceat quosdam illius a Clemente nostro de Zenonis doctrina repræsentari versus, sed solo comici nomine citatos. At hi versus Philemonis comici nomine, sed ordine inverso, nec sine varia lectione exhibet Laertius [9], observatque **331** eos a quibusdam Posidippo attribui. Lege, si velis, hunc in Laertii loc. Casauboni Menagiique observationes. De Philemone porro lib. II *Appar.*, dissert. 2, cap. 5, § 3, aliquid adnotavimus.

Phocylides, cujus testimonium de angelis Clemens protulit [10], ab Eusebio Olymp. LX cum Simonide lyrico et Xenophane physico floruisse dicitur. Nec longe ab eo discessit Suidas, qui de Phocylide hæc memorat : « Phocylides Milesius philosophus, æqualis Theognidis : uterque vero fuit 647 annis bello Trojano posterior, Olympiade LIX nati. Scripsit versus heroicos et elegiacos, admonitiones, sive sententias, quas capita inscribunt ; sunt autem ex Sibyllinis carminibus subrepta. » Plura autem ex illo Stobæus retulit. Adisis Scaligeri in Eusebii *Chronicon*, pag. 95 et seq., animadversiones.

[97] ad ver. Ὀρφεύς. [98] Strom. l. I, p. 332. [99] De poet. Græc., p. 29. [1] Admon. ad gent., p. 43. Strom. l. V, p. 585, et l. I, p. 332, ibid., pag. 321. [2] lib. X Præp. evang., c. 4, p. 469. [3] l. I, p. 332. [4] l. I, p. 332 et 333. [5] l. VIII in Vita Pythag., § 42. [6] Strom. l. I, p. 255, et l. VI, p. 603. [7] Strom. l. VII, pag. 716. [8] Strom. lib. VI, p. 627 et 628. [9] Laert. l. VII, § 27. [10] Strom. l. V, p. 609.

Digitized by Google

PHORONIDIS poeta, seu potius auctor, ὁ τῆς *Φορωνίδος* ποιητής· aut, ut postea scriptum est, ὁ τὴν *Φορωνίδα* ποιήσας, « qui fecit *Phoronidem*, » a Clemente laudatur[11]. A Phoroneo autem Argivorum rege quidam putant nomen huic poemati datum, eosque castigant, qui Phoronidem illius auctorem fuisse opinabantur. Nos vero non fugit Hellanicum ab Athenæo[12] ἐν δευτέρῳ τῆς *Φορωνίδος*, « libro secundo *Phoronidis* » citari.

PINDARI nomen et carmina nulli incognita esse possunt. Quapropter de iis, quæ ab auctore nostro transcripta sunt, hæc tantum adnotabimus. Primus eius locus, libro I *Strom.*, pag. 294, citatus, apud Theodoretum tom. IV, serm. 2, pag. 482, legitur. Secundus eodem libro II *Strom.*, pag. 319, apud Athenæum occurrit libro IV *Deipnosoph.*, cap. 11, pag. 912, in quem legendæ Casauboni observationes. Tertius libro IV, pag. 541, ubi simpliciter poeta lyricus appellatur, rursus apud Theodoretum serm. 8, pag. 599. Quartus libro V, pag. 597, ubi eodem modo compellatur, apud eumdem Theodoretum serm. 6, pag. 564, et apud Eusebium libro XIII *Præparat. evangel.*, cap. 13, pag. 674. Ibi vero descripta Pindari carmina ad metri formam redacta sunt, quemadmodum ea, quæ retulit auctor noster pag. seq., ubi illum Pythagoreum appellat. Simili quoque modo idem Eusebius alia Pindari carmina, a Clemente delibata, in metri formam ibidem pag. 688 reddidit. Denique alios ejusdem lyrici poetæ versus, ab eodem auctore nostro descriptos, in editis illius fragmentis invenies.

PLATO comicus aliquando a Clemente simpliciter laudatur[13]; alicubi autem nominatim ἐν Ἑορταῖς. At hanc comœdiam Laertius libro VIII *Deipnosoph.* pag. 308, et libro IX, pag. 367, atque Stobæus lib. VII, cap. 27, pag. 354, et cap. 23, pag. 370, et libro X, cap. 7, pag. 464, necnon et plures alias alibi citaverunt. Nec mirum sane. Nam Suidas testatur ab illo viginti octo fuisse compositas. Eusebius demum in *Chronico*, Olympiad. LXXX, ad annum 1061 : « Cratinus, inquit, et Plato comœdiarum scriptores clari habentur. »

S

SERAPION, Græce Σαραπίων, ἐν τοῖς ἔπεσι, « in versibus » a Clemente compellatur[14]. Expendas autem velim, utrum ille sit Serapion Atheniensis, poeta et medicus, Plutarchi amicus, de quo Vossius lib. *De poet. Græc.*, pag. 73.

SIMMIÆ Rhodii carmen citat auctor noster[15]. At videsis quæ de illo Suidas ad verbum Σιμμίας, et Vossius libro *De poet. Græc.*, pag. 59 et 60, litteris commendavere.

SIMONIDES, inquit Clemens[16], fertur fuisse tempore Archilochi; Callinus autem non multo antiquior. Magnetum enim, qui perierant, meminit Archilochus. » Utrumque autem Simonidem et Archilochum cum Aristoxeno Eusebius in *Chron.*, Olymp. XXIX, ad annum 1354, sic conjunxit : « Archilochus, et Simonides, et Aristoxenus, insignes habentur. » De Simonide autem Olymp. LV ad annum 1458 : « Simonides clarus habetur. » Denique Olymp. LXXIII, ad ann. 1531 : « Pindarus et Simonides, lyrici poetæ, insignes habentur. » Ex assignatis porro ab eo tam longe dissitis temporibus facile colligitur, illum aut varias ibi notare scriptorum de Simonide opiniones : aut potius de diversis poetis, eodem illo nomine vocatis, fecisse sermonem. Et vero plures fuit appellatos Suidas Vossiusque recensent. At Clementem de eo cui Eusebius primum locum dedit, esse intelligendum inde liquet, quod uterque eum cum Archilocho copulavit. Quæ autem Simonidis carmina Clemens exhibet, ea in ejus fragmentis tom. III *Poet. Græc.* pag. 122 et seq., invenies.

SOLONIS Atheniensis, haud dubie celeberrimi legislatoris, quosdam versus retulit Clemens lib. II *Strom.*, pag. 280; libro V, pag. 587 et 601; lib. VI, pag. 620, 621 et 685. At præter Laertium et Plutarchum, qui illius Vitam scripsere, legesis Meursium libro *De vita, legibus*, etc., *Solonis*.

SOPHOCLES sæpe sæpius a Clemente, non secus atque ab Athenæo, Julio Pollucе et Stobæo laudatur. Plures vero ejus tragœdiæ ex typographorum officina præterito sæculo, atque etiam tom. II *Poet. Græcor.*, anno 1624, in vulgus prodierunt. Nihil ergo mirum, si hic poeta a Clemente lib. V, pag. 606, solo tragœdiæ nomine appelletur.

T

THEOGNIDIS Megarensis testimonium crebro Clemens adhibet : crebrius vero Stobæus, sed minus frequenter Athenæus. Anno autem 1470, Olymp. LVIII, eum floruisse Eusebius testatur[17], cui suam Suidas, qui plura de illo narrat, tulit suffragium. Legesis Scaligeri in citatum Eusebii locum observationes. Illius γνῶμαι, seu sententiæ, Græcis Latinisque typis haud semel, ac tandem tom. I *Poet. Græc.*, pag. 604 et seq., excusæ sunt.

THESPIS a Clemente[18] et ab aliis, tragœdiæ, uti vidimus[19], inventor dicitur. Quædam vero ejus verba refert, et Pollux[20] ejus citat *Pentheum*, aliasque comœdias Suidas memorat.

THRASONIDEM « comicum (Clementis nostri verba sunt) alia scena : *Puellula*, inquit, *vilis me sibi servum fecit.* » Testatum autem Laertius facit libro VII in *Vita Zenonis*, § 130, « Thrasonidem, et quidem cum haberet in potestate amatam, abstinuisse ab ea, eo quod illi odio esset. » Hæc eadem verba Suidas ad verbum Ἔρως repræsentavit. At quamvis hujus factum dictis illius omnino contrarium videatur, id tamen penitus non prohibet, quominus unius ejusdemque Thrasonidis esse potuerint. An autem revera fuerint, ab aliis lubenter accipiemus.

TIMOCLIS comici verba protulit Clemens[21] : sed ex qua illius comœdia tacitus omnino prætermisit. Unde igitur ea desumpta sint, quis poterit divinare? Ex Suida enim discimus duos hujusce nominis fuisse **332** comicos. Sed Casaubonus[22] et restituto a se Athenæi loco colligit unum ex his duobus fuisse comicum, et tragicum alterum. Constat autem solum comicum ab auctore nostro compellari.

TIMONIS Phliasii plures quoque versus in medium Clemens noster adduxit[23], quorum ultimi ab Eusebio quoque exhibentur, et ex illius *Sillis* decuntur esse desumpti. De hoc autem poeta multa in scholiis ad hunc Clementis locum observata sunt. At ex iisdem præterea Timonis *Sillis* carmen alio in libro ille prius retulerat[24], quod quidem, et ea quæ subsequuntur, Laertius libro II, § 19, in *Vita Socratis* repræsentavit. Vide, si vacat et lubet, in hunc Laertii locum, atque in ejusdem Timonis Vitam, ab eo divulgatam, Menagii aliorumque animadversiones.

[11] Strom. l. I, p. 321 et 348. [12] l. IX Deipnosoph., p. 410. [13] Strom. l. VI, p. 628; l. VII, p. 718. [14] Strom. l. I, p. 304. [15] Strom. l. V, p. 569. [16] Strom. l. I, p. 333. [17] in Chron. [18] Strom. l. V, p. 570. [19] Sup. cap. 21, art. 5. [20] l. VII, c. 12, p. 336. [21] Strom. l. IV, p. 476. [22] in l. IX Athen., c. 18. [23] Strom. l. V, p. 550. [24] Strom. l. I, p. 301.

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA

De aliis Clementis Alexandrini operibus, sive veris, sive falsis, editis et ineditis, ac de iis quæ ille scripturum se esse promiserat, et de variis chronologiis ab illo repræsentatis.

CAPUT PRIMUM.

De libro qui octavus Stromatum inscribitur.

333 ARTICULUS I.

Analysis hujus libri.

Auctor hujus libri manifestum omnibus facit [25] antiquissimos philosophos, quemadmodum Christianos, veram philosophiam profitentes, ab omni contentione et dubitatione, sive a litigiosi ac dubii semperque ancipitis animi vitio fuisse prorsus alienos. Contra vero juniores, uti ille ait [26], philosophi vana laudis cupiditate inducti, ad inutiles nugas tam alios fallendo quam digladiando feruntur. At Christiani, rejecta omni contentione, veritatem ex sacris Scripturis, interrogando et respondendo, propter honestum finem quærentes, non eam tantummodo, sed et scientiam consequuntur.

Tum deinde auctor noster paucis explicat, qua ratione et methodo ad veram ejus, quod quæritur, demonstrationem pervenire possimus. Primo itaque scire, inquit ille, debemus quid nomen et oratio, seu de re quærenda propositio significent. Secundo quærendum an illud revera exsistat, quod sermone seu propositione enuntiatur. Tertio [27] investigandum qualis sit ejus natura, et utrum datum superet ordinem. Si autem nulla sit de his controversia, sed unanimis omnium consensus, illud constitui debet doctrinæ principium. Quod quidem ille proposito solis exemplo planius demonstrare conatur.

Duplicem vero dicit esse sicut fidem, cognitionem, ac præscientiam, ita et demonstrationem. Una siquidem tantum est ex spe et opinione; altera vero ex scientia profluit, atque idcirco stabilis est, firma ac proprie dicta demonstratio. Cum autem indicatio et syllogismus hoc inter se differant [28], quod indicatio unum tantummodo denotet, syllogismus vero ex duabus præmissis propositionibus tertiam inferat, hinc sane fit, ut si hæ certæ et veræ fuerint, tunc sit demonstratio : secus vero ratiocinatio duntaxat erit.

Quia tamen philosophi profitentur esse quædam principia, quæ non possunt demonstrari, inde auctor noster concludit omnem demonstrationem ad fidem, quæ demonstrari nequit, reapse reduci. Sed post hæc alia sunt, ait ille, principia demonstrationum, quæ ex sensu et intelligentia evidenter apparent. Quocirca si quæ oratio ex iis, quæ sunt credibilia, possit ea, quæ nondum sunt probabilia, recte probare, hanc οὐσίαν ἀποδείξεως, « essentiam demonstrationis » dicimus. Quando vero ex iis [29], quæ demonstrata sunt, ad ea quæ per se sunt credibilia atque intelligentia et sensu plane evidentia recurrimus, tunc id resolutio vocatur.

Ex quibus auctor rursus colligit ei, qui aliquid demonstrare vult, maximam de propositionum veritate esse debere curam, minime vero de nominibus. Veras autem debet semper assumere propositiones, et consequentem ex iis conclusionem elicere. Cæterum ante id, quod quæritur, est aliquid prius, quod sine ulla creditur demonstratione, et inde ad aliorum inquisitionem procedendum est.

Atque ut ab omnibus clarius intelligatur quomodo observandæ sint hæ omnes demonstrationum regulæ, eas auctor noster ad hanc propositionem : « Utrum fetus, qui in utero gestatur, sit animal, » demonstrandam singulatim adhibet [30]. Et id quidem ille postquam fuse prosecutus est [31], inde concludit demonstrationem esse orationem, quæ unum probat ex aliis, quorum principium illud ponitur, quod sensu et intelligentia evidens est. Ex his quoque prima demonstratio fit, atque aliæ deinceps, quæ prima demonstratio amplius dici non possunt.

Postquam autem [32] ille dixit non plura unius generis, sed diversorum tantummodo generum esse principia, tunc Pyrrhoniorum refellit opinionem, qua ab eis statuta erat ἐποχή, id est assensionis retentio, seu ille error, quo nihil prorsus certum, sed omnia esse dubia et incerta somniaverant. Fatetur nihilominus nonnunquam assensionem merito retineri, aut propter mentis imbecillitatem, aut obscuritatem ipsiusmet rei, aut paris æqualisque roboris argumenta. Atque ibi in Græco-Latinis Clementinorum Operum editionibus prima hujus libri pars desinit.

In parte II auctor exponit [33] quid ante definitiones, divisiones, demonstrationes fieri debeat, quid ad illas conferat inductio, quomodo ex divisione fiat definitio, ac per inductionem ex singularibus universale colligatur. Dehinc ille patefacit quid inductio, divisio, demonstratio et definitio efficiant. Quoniam autem scientia est, cum rei causa cognoscitur, idcirco quadruplicem ostendit esse causam, nimirum materiam, efficientem, formam, et finem.

Assumpto subinde [34] hominis exemplo, planum ille facit definitionem ex rei ipsius genere, et ultima illius differentia constitui. Divisionem vero [35] esse triplicem, generis in species, totius in partes, ac tandem rei ipsiusmet in sua accidentia; sed primam tantum esse proprie dictam divisionem. Quamvis autem variæ sint species, aut pluribus communes, aut **334** quibusdam magis propriæ; unaquæque tamen rei constituit characterem et naturam, aut, ut aiunt, essentiam. Quamobrem qui alicujus rei habet scientiam, illius habit et definitionem : vice vero versa, qui definitionem rei cujusdam ignorat, nunquam illius scientiam habebit. At in definitionibus singularis cujuslibet

[25] Strom. l. VIII, p. 768. [26] p. 769. [27] p. 770. [28] p. 771. [29] p. 772. [30] p. 773 et seq. [31] p. 775. [32] p. 776 et seq. [33] p. 778. [34] p. 779. [35] p. 780.

Digitized by Google

rei proprietas, quemadmodum in homine ridendi potestas, locum signi potius obtinet, quam illius naturam demonstrat. Perspicue vero auctor noster ostendit [36] varias esse definitiones, alias quidem generales, ex decem prædicamentis desumptas, alias vero minores, alias denique minimas.

Ibi autem iterum monet præcipuas, cur assensio retineatur, causas esse mentis humanæ inconstantiam et mutabilitatem, ac rerum diversitatem et discrepantiam; atque inde in rebus humanis judicia, et curas, ac varias etiam philosophorum opiniones oriri.

Rursus etiam in voce tria esse ait, nomina, cogitata, ac res nominibus significatas. Cum autem infinita sint nomina, atque idcirco scientia dari nulla posset, grammatici illa prorsus omnia ad viginti quatuor elementa reduxerunt [37].

Ex iis autem, quæ nominibus et verbis exprimuntur, aliqua cum connexione dicuntur, et perfectam efficiunt orationem. Alia vero sine connexione proferuntur, quemadmodum decem prædicamenta, quæ sub materiam cadunt, et ex quibus unum tantummodo ad aliud dicitur ac refertur. Ea porro quæ materia carent, mente tantummodo, et per primam illius applicationem comprehendi possunt. Quæcunque vero sub prædicamentis collocantur, ea sunt vel synonyma, vel heteronyma, vel polyonyma, vel denominativa, vel homonyma: quæ quidem auctor noster sigillatim definit et explicat [38].

Inde ad explanationem venit causarum, quarum, uti ille loquitur, aliæ dictæ sunt procatarcticæ, aliæ vero synecticæ, adjuvantes, et sine quibus non. Singulis autem ex ordine explicatis, solas synecticas, seu efficientes, proprie dictas causas esse concludit.

Tum vero ipse expendit [39] utrum causæ sint corporeæ, ut quidam volunt, vel, ut aliis placet, incorporeæ. Postea probat ejusdem effectus esse aliquando plures causas, aut remotas, aut proximas, et has esse vere et proprie causas, quemadmodum id quod aliquid prohibet, illius dicitur causa, minime vero id quod non prohibet. Quatuor autem, ut ille repetit [40], sunt causæ, efficiens, materia, forma et finis. Illud etiam, pergit ipse, sine quo res non fit, est illius quidem causa, non tamen proprie dicta, sed adjuvans. Causa vero synectica, seu efficiens, ad operandum tunc tempore non indiget, quando illud in quod agit, et aptum invenerit, et dispositum. Ita etiam causæ quædam procatarcticæ egent tempore, quo aliæ opus non habent.

Planum subinde auctor noster facit [41] idem non posse sui ipsius esse causam, nec causas sui ipsius esse causas, sed plures, imo et contrarios esse posse unius ejusdemque causæ effectus. Interea ille aperit [42] quam variæ et multiplices sint causæ obscuræ; ac rursus de procatarcticis, synecticis, concausis, adjuvantibus, secundum naturam, et, ut aiunt, accidentalibus et occasionalibus disputat. Denique discrimine, quod inter concausam et causam adjuvantem intercedit, patefacto, finem libro suo imponit.

ARTICULUS II.

Hunc tractatum non esse octavum Clementis Alexandrini Stromatum librum, nec eum esse integrum, ac plane incorruptum.

Observatum a nobis fuit Clementem in fine septimi *Stromatum* libri spopondisse, fore ut alium scriberet, qui octavus procul dubio *Stromatum* liber dici debuit. Utrum vero ille fidem suam liberaverit, et hunc revera composuerit librum, ac tandem utrum hic, cujus analysim exhibuimus, vel alius A sit octavus *Stromatum* liber, a nobis more nostro examinandum est.

Ac primo quidem Clementem promissis satisfecisse, octavumque *Stromatum* librum edidisse, haud plane incerto tam Eusebii, quam Hieronymi, Photii et aliorum testimonio probari posse multis procul dubio videbitur. Nam hæc sunt de illo ipsissima Eusebii verba [43]: « Quod ad Clementem attinet, exstant ejus octo Στρωματέων libri. » At doctus ille vir tanta confidentia hos octo libros suo tempore exstare non asseveraret, nisi octavum, quemadmodum septem alios priores *Stromatum* libros suismet oculis vidisset pervolutasseique. Eusebio hunc in modum subscripsit Hieronymus [44]: « Feruntur ejus (Clementis) insignia volumina . . . . . e quibus illa sunt, Στρωματεῖς libri octo. » Denique, ut alios omittamus, Photius apertissime tradidit se « in perveteri exemplari » reperisse totidem *Stromatum* Clementinorum libros.

B Quod autem octavus horumce *Stromatum* liber is sit, de quo disputamus, inde profecto probari posse quidam existimabant, quia ille, teste eodem Photio [45], in quibusdam, ut ait, codicibus: « Stromateus octavus, ut et reliqui septem libri, inscribitur, et incipit: Sed neque philosophi antiquissimi, quæque sequuntur. » Atqui in Clementinorum Operum editionibus idem plane est hujusce libri titulus, idemque initium. Ex quibus haud absurde colligi posse videtur jam a longo tempore, et ante Photii ætatem persuasum plures habuisse hunc revera fuisse octavum eorumdem Clementis *Stromatum* librum, ac pro genuino illius fetu revera habendum.

Verum quamvis idem, atque in editis, hujus libri et titulus et initium a Photio repræsentetur; non ideo tamen certum esse debet ea, quæ Photius post prima ipsius verba in codice suo legerat, eadem omnino fuisse, atque illa, quæ in vulgatis Clementis nostri Operibus nunc leguntur. Etenim ipsemet Photius iis, quæ a nobis citata sunt, verbis C hæc continuo subjunxit: « *Stromatum* autem liber hic alicubi non sana tradit, non tamen ut *Hypotyposes*. Nam multa etiam, quæ ibi dicta fuerunt, oppugnat. » Quibus ille verbis significat quædam in eo libro, sicut in Clementis *Hypotyposibus* occurrisse, quæ sanæ orthodoxæque fidei nostræ dogmatibus repugnabant: alia vero, quibus nonnulli errores, in *Hypotyposibus* dispersi impugnabantur. At in eo, de quo agitur, libro nihil quod ad Christianam religionem, aut pro illius doctrina, aut contra eam faciat, plane penitusque legimus. Et vero ex sola, quam dedimus, illius analysi manifestum omnibus fiet, nihil prorsus, nisi quod ad logicam et dialecticam spectat, in illo tractari. Nihil itaque liber a Photio pervolutatus, cum eo, qui Græcis Latinisque typis editus est, aliud sibi commune habuisse videtur, **335** nisi procœmium, D seu præfationem, quæ ea tantummodo complectitur, quibus auctor de demonstrationis ratione ac methodo disputare incipit.

Quoquo autem modo res se habuerit, nobis sane certum omnino perspicuumque esse apparet hanc, de qua agimus, commentationem nec esse, nec dici unquam posse octavum Clementis nostri *Stromatum* librum. Neque enim ab hac solum *Stromatum* inscriptione et titulo, sed ab ipso etiam, quo Clemens noster *Stromata* sua scripsit, modo, atque ab illius scopo et fine penitus abhorret. Constat siquidem, ut a nobis supra demonstratum est [46], nomen *Stromatum* aliis septem libris ideo ab illo fuisse præfixum, ut eos variis dogmatibus hic et illic inspersis, nulloque certo ordine digestis, compositos esse significaret. Deinde vero ille, uti etiam dixi-

[36] Strom. l. VIII, p. 781. [37] p. 782. [38] p. 783. [39] p. 784. [40] p. 785. [41] p. 786. [42] p. 787, etc. [43] l. VI Hist., p. 13, p. 214. [44] De script. eccles., § 48. [45] Bibl. cod. 140, pag. 287. [46] dissert. super., c. 2, art. 2.

Digitized by Google

mus [47], ne in iisdem libris sacra nostræ religionis mysteria Christianis exponendo, paganis patefaceret, eorum explanationem cum ethnicorum dogmatum explicatione permiscuit, sermonesque suos intersecavit, ac data opera, a proposito sæpe sæpius digressus est. Denique non alius Clementis, sicuti adhuc vidimus [48], in scribendis *Stromatum* libris finis et scopus fuit, quam ut Christianis veram et orthodoxam demonstraret religionis nostræ doctrinam, ac summam, ad quam contendere semper debent, illius perfectionem. Atqui nihil plane ex iis omnibus in hoc pseudo-octavo *Stromatum* libro reperitur : sed logicæ tantum, seu dialecticæ, ut diximus, est tractatus, qui non magis ad Christianos quam paganos et alios quoslibet homines spectat et pertinet.

Visne et ex iis, quæ in hoc libro tractantur, illius falsitatem tibi adhuc evidentissime probari? Nobis sane id promptum et facile est. Hujus quippe libri auctor hanc quæstionem [49] : « Annon sit animal fetus, qui gestatur in utero ; » omnes versat in partes [50] ; ut manifestum inde lectori faciat quomodo propositæ a se demonstrationum regulæ ab omnibus observari debeant. At certe Clemens Alexandrinus non eo cæcitatis, aut inconstantiæ processisse credendus est, ut tanta arte et studio eam quæstionem, præ aliis innumeris, in octavo *Stromatum* suorum libro pro exemplo afferret, quam in quinto eorumdem *Stromatum* libro in quæstionum, de quibus, sicuti nos alibi diximus [51], a Christiano homine non movendarum exemplum proponit.

Tractatus porro iste integer non videtur. Quamvis enim in Photii codicibus idem fuerit illius, atque in jam editis Clementis Operibus, initium, censent tamen aliqua ex eo fuisse excisa, quæ ab auctore prætermitti non debuerant. Et certe in Græco-Latinis ejus editionibus duas hic liber dividitur in partes, ac secundæ parti hic titulus præfixus est : « Quæstionum principia et fines circa hæc, et in his sunt. » Cur autem similis titulus priori parti non fuerit inscriptus, nulla sane vera certaque ratio proferri potest. Quod si respondeas et demonstres hanc epigraphen ex alicujus manu Græca exarati codicis margine in textum fuisse intrusam, non repugnabimus quidem : sed non inde hujusce commentationis integritas ulli unquam probabitur. In Claromontano siquidem codice tota hæc secunda pars, uti supra adnotavimus, omnino deest, nullumque illius in ea exstat vestigium. Nobis itaque facile persuadebitur hunc tractatum, in veteribus manuscriptis codicibus ab amanuensibus librariis, uti fieri solet, post septem *Stromatum* Clementis nostri libros fuisse ullo plane absque titulo transcriptum, ac postea illi ab aliis indoctis hominibus adjectam octavi *Stromatum* libri inscriptionem. Fatendum tamen est valde antiquum esse hunc errorem, et Photii forsitan tempore, id est, decimo Ecclesiæ sæculo vetustiorem. At illud profecto non inde minus, imo vero eo majus, quo antiquius, erratum et mendum dici debet.

Quamobrem Photius asseverare non ausus est hanc scriptionem esse reipsa octavum *Stromatum* librum. Nos enim ille tantummodo admonuit hunc librum in quibusdam manuscriptis sic inscriptum inveniri : in aliis vero ejusdem libri titulum esse : « Quis dives salvetur, » ejusque initium ab iis duci verbis : « Qui laudatorias, » etc. An autem potiori jure hic liber octavus *Stromatum* dicatur, jam investigandum est.

CAPUT II.

De libro, Quis dives salutem consequi possit.

ARTICULUS I.

Analysis hujus libri

Ab ipso hujus libri exordio [52] eos auctor pravos non solum adulatores, sed impios etiam, et insidiosos esse convincit, qui cum pestifero avaritiæ ac superbiæ divitum morbo mederi deberent, illum blandis fallacibusque obsequiis ac laudibus fovent, alunt, nutriunt et exasperant. Ad procurandam vero divitum salutem, doctrina, inquit, opus est quæ fortem, optimum, justique tenacem animum postulat.

Difficilior porro, uti ille pergit [53], divitum, quam egenorum salus ideo videbatur quia nonnulli auditis Christi verbis : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum, » de futura locupletum salute plane desperabant. Alii vero hæc Christi verba recte intelligentes, ea omnia negligebant, quæ ad illam comparandam necessaria sunt. Quæ quidem auctor iis a se dicta esse declarat, quibus virtus Christi et veritatis radius illuxit. Quapropter [54] qui sincero fratrum amore tenetur, is Christi verba divitibus, neque petulantius insurgendo, neque blandius adulando, sic debet explicare ; ut eos a cœlestis regni hæreditate repulsos non fuisse demonstret. Deinde vero probandum ipsi incumbit nullum iis, si Christi mandatis morem gesserint, esse timendi locum, ac bonis operibus promissam vitæ æternæ coronam ab illis, sicut ab athletis labore et exercitatione palmam certaminis esse reportandam. Post hæc [55] Christum orat, ut eum sibi suggerat inspiretque sermonem, quo illud fratribus suis possit penitus persuadere.

His ita præfatis, ille ex Marci Evangelio omnia Christi ad divitem suosque apostolos, quæ quosdam conturbaverant, verba nobis exhibet, observatque in aliis evangelistarum libris eadem, paucis tantum, quorum idem sensus est, immutatis, repræsentari [56].

Tum deinde ad ea explicanda aggressus, primo animadvertit Christi sermones non *carnaliter*, σαρκικῶς, accipiendos esse, sed spiritum, in eis latentem, solerter sagaciterque investigandum, atque ad ipsam Salvatoris mentem, atque ad id, quod in sententia arcanum occultumque est, attendendum.

Secundo [57] ille animadvertit propositam a divite quæstionem fuisse Christo dignam, et maxime convenientem. **336** Quoniam vero dives Christum vocaverat *bonum*, inde ipsemet Christus, ut ait auctor noster, sumpta occasione, animum hujus divitis ad Deum bonum, primumque, ac solum vitæ æternæ præbitorem prudentissime convertit. Nam hæc cognitio documentorum omnium, ad vitam spectantium, est principium. Et vero Deus primo agnosci debet [58], deinde magnitudo Salvatoris, per quem facta gratia et veritas, quemadmodum per Moysem lex quidem data est, sed quæ sola ad salutem non sufficiebat. Quamobrem dives, qui hanc a prima ætate impleverat, illam tamen a Christo jure merito poscit et flagitat.

Christus vero [59] illum quod legi semper fuerit

[47] Dissert. super. c. 2, art. 2. [48] ibid. [49] Strom. l. VIII, p. 776. [50] super. dissert., c. 23, art. 6. [51] ibid. [52] § 1. [53] § 2. [54] § 3. [55] § 4. [56] § 5. [57] § 6. [58] § 8. [59] § 9.

Digitized by Google

obsecutus, non redarguit, sed colit ac diligit. Verumtamen eum adhuc imperfectum esse pronuntiat; utpote qui æternæ vitæ curis fuisset otiosus, atque ad legis Mosaicæ plenitudinem et perfectionem, nimirum Christi fidem, nondum pervenisset. Quapropter Christus ei respondit : « Si vis perfectus esse, » id est, si tu qui, sicut auctor noster loquitur [60], voluntatis arbitrio præditus es sincero, totoque corde velis esse perfectus, hanc assequeris perfectionem. Sed quia id toto animo non volebat, auditis sequentibus Christi verbis : « Vade, vende quæ habes, » tristis abiit.

At ibi [61] auctor noster ostendit ea non litterali sensu et obvio intelligi debere, ita ut his significetur divites teneri omnibus bonis suis, opibus, ac patrimonio, quemadmodum Anaxagoras, Democritus et Crates, vel se abdicare, vel ea aut suis, aut primo occupanti relinquere; sed tantum præcipi, ut efrenis divitiarum cupiditas et avaritiæ labes radicitus avellatur [62]; atque egenis, pauperibus et indigentibus opem ferendo, bene opibus, divitiis cæterisque bonis suis locupletes homines utantur.

Palam etenim ille facit [63] divitias non ex seipsis, sed ex earum usu aut malas esse, aut bonas. Atque inde colligit id quod Christus dixit illas esse vendendas, de affectibus perturbationibusque animi esse intelligendum. Nam relictis, aut projectis opibus, potest quis, etsi egenus, vitiis et affectibus esse dives. Non utiles itaque [64], sed noxias divitias, non secus atque animi vitia, ægritudines et affectus, quibus male copiis et opibus utimur, plane penitusque tollenda et rejiciénda esse rursus ille contendit.

His porro anima omnino vacua et nuda Christum, qui cor purum habenti via est, sequi debet. Impura autem est illius anima, qui pravis desideriis est dives. Veris siquidem bonisque divitiis is tantum abundat, qui eas esse Dei dona, nec tam sui, quam fratrum egentium causas se possidere agnoscit. Quamobrem vir iis minime mancipatus, jacturam illarum æquo fert animo, atque idcirco spiritu vere est pauper. Contra vero [65] qui easdem opes fert animo, et quotidie augere cogitat, ille mundi irretitus est laqueis. Ex quibus duplicem auctor noster conclusionem elicit : ac primo quidem divitias ex earum usu aut bonas esse, aut malas. Deinde vero [66] hæc Christi verba : « Divites in regnum Dei difficile introibunt, » non litterali sed subtiliori sensu esse accipienda. Non enim in earum possessione, uti corporis exemplo palam ille facit, salus nostra posita est.

Qui virtutibus igitur fretus, uti ille pergit [67], fortuna sua non absque fide et sanctitate utitur, is mundo corde est, et in regnum Dei ingredietur. Quando vero diviti Christus dixit : « Vende quæ habes, » non eo sensu id ei præcepit, ut venditorum prædiorum pretium recipiat; sed ut bonos sanctosque animi affectus, qui spirituales divitiæ sunt, acquirat et consequatur.

Verum dives iste [68], qui Christum interrogaverat, hujusce responsionis sensum non percipiens, tristis abiit, atque ille, non secus ac ejusdem Christi discipuli, in ejus familiam nuper asciti, futuram divitum salutem desperavere. Christus autem [69] iis respondit hominem non sua, sed divina virtute, cum vitiorum affectuumque vacuitatem sincere desiderabit, posse reipsa æternam hanc salutem obtinere.

Quo quidem Petrus audito [70], dixit se omnia, id est animi vitia et ægritudines, ut Christum sequeretur, penitus reliquisse. A Christo autem responsum accepit eum, qui patrem reliquerit, hoc est, qui patrem magis quam Christum non timet, nec illi in eis, quæ saluti officiunt, obtemperat, centuplum recepturum. Quod certe eodem plane modo de matre, fratre, sorore, et aliis parentibus, atque etiam de divitiis intelligendum est [74].

Quia vero Christus addidit, « cum persecutionibus, » duplicem auctor noster distinguit persecutionem ; et unam quidem extrinsecus, nimirum ex hominibus, aut diabolica suggestione advenientem. Altera autem, eaque gravissima, interior est, et ex impiis depravatæ animæ desideriis, pravisque affectibus oritur. Cum hac itaque secunda persecutione qui fratres, deliciasque carnales, carnaliaque aliqua pignora habuerit, ea omnia debet relinquere, atque animæ suæ consolatorem ac patronum, qui æternam vitam illi daturus est, eligere Salvatorem.

In ultimis tandem Christi verbis : « Erunt novissimi primi, » etc. [72], quamvis haud parum reconditi sensus subsit ; quia tamen ad suum de divitibus argumentum ea nihil faciebant, illorum explicatione auctor noster sibi supersedendum esse duxit. Suo etenim officio satis se fecisse declarat, cum probaverit divitibus nullo plane modo ad regnum cœleste a Christo aditum intercludi, modo illius mandatis morem gerendo, divitiis suis bene utantur. Secus vero, facilius erit camelum, de quo ille alio in libro disputaverat, per foramen acus, quam illos in regnum intrare cœlorum.

Omnibus Christi verbis ita singulatim explicatis, ostendit auctor noster [73] divitias a Christo non improbari, aut ut projiciantur juberi : sed nos ab eo informari quomodo iis utendum, et vita æterna comparanda sit. Quod quidem ut firmius asseral, ac quænam adipiscendæ salutis spes divitibus ab eodem Christo data, aut ablata fuerit, demonstret, ibi continenter ille probat hoc ipsiusmet Christi mandato : « Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima et virtute, » nullum plane esse majus.

Nam cum secundo mandato jubet proximum sicut seipsum diligi, inde auctor noster colligit [75] eum velle, ut Deus ab homine supra seipsum amétur. Proximi autem nomine quemlibet hominem proposita a Christo Samaritani parabola ostendit esse intelligendum, ac eumdem Christum qui peccatorum nostrorum sanavit vulnera, pium dici illum Samaritanum. Christus itaque, pergit ille [76], qui tantam ad nos sanandos operam impendit, debet æque ac Deus diligi. Ab eo autem diligitur, qui ejus voluntati et præceptis paret atque obtemperat.

Tum deinde [76] honorandi colendique sunt fideles ejusdem Christi discipuli, in quos quidquid fit, hoc ille sibi ipsi factum ascribit. Eos quippe appellat **337** filios, pueros, infantes, amicos et parvulos, quorum minor in regno cœlorum Joanne est major [77]. Ex mammona igitur iniquitatis si aliquid eis erogatur, merces dantis nunquam peribit. At id non modo exigentibus et importune postulantibus, vult Christus tribui, sed eos in primis quæri, apud quos beneficium sine murmure, tristitia et personarum distinctione non semel et iterum, sed perseveranter collocetur [78].

Neque enim repellendus, aut inique ferendus deformis, pannosus et debilis ; quandoquidem interior opulentia et pulchritudo in testaceo vase includitur.

Quapropter auctor noster divitem hortatur [79], ut facultatibus et opibus suis exercitum instruat, cogatque satellites, nimirum senes, pupillos, viduas et pauperes, qui precibus, gemitibus ac lacrymis imperatorem Deum flectant, atque admonitionibus, correptionibus et consiliis ipsum adje-

[60] § 10. [61] § 11. [62] § 12 et 13. [63] § 14. [64] § 15 et 16. [65] § 17. [66] § 18. [67] § 19. [68] § 20. [69] § 21. [70] § 22 et 23. [71] § 25. [72] § 26. [73] § 27. [74] § 28. [75] § 29. [76] § 30. [77] § 31. [78] § 32 et 33. [79] § 34 et 35.

Digitized by Google

vent, ac cum Christo, qui jam in illo ipso habitat, colloquantur. Ex iis siquidem [80] aliqui eo magis sunt illustres, quo magis ex mundi procellis sese subduxère, ac pietatem suam et sanctitatem abscondere conantur. Hi porro Dei hæredes, illiusque vera proles et imago in hunc mundum, alios exercendi ergo, atque excolendæ virtutis aut doctrinæ gratia missi sunt.

Post hæc auctor noster [81] hanc ut egenis opem ferant opulenti, reddit adhuc rationem : quia Deus charitas est, et Christus non solum infirmitates hominum suscepit, sed pro nobis mortuus est, quo animam a nobis quoque pro aliis ponendam esse doceret. Atqui si pro aliis mortem obire debemus, quanto magis divites omnia bona sua, copias et divitias ad sublevandam pauperum inopiam impendere tenentur. Quod quidem ille ipsismet Joannis et Pauli de charitate verbis luculenter confirmat [82].

Ex quibus, inquit [83], intelligitur quis dives locum in cœlis habeat, aut non habeat. Quemadmodum enim in peccatis mortuus, inde excluditur : ita Deus Pater ibi illum lubentissime suscipit, qui ad eum toto corde convertitur. Hinc manifestum auctor facit [84] quæ vera sit pœnitentia, et quale sit in cœlis de peccatore, pœnitentiam agente, gaudium angelis ac Deo, qui solus potest peccata dimittere. Ad eam porro agendam pœnitentiam maxima ille probat opus esse diligentia. Nam quamvis inoliti pravi affectus confestim, simulque præcidi forsitan non possint, Dei tamen virtute fratrumque precibus et auxilio, ac vera pœnitentia, assiduaque meditatione expugnari poterunt. Sed ad id consequendum necesse est ut pius sanctusque rector ac gubernator audiatur [85], qui salutari cum severitate tum lenitate peccatorem aut excitet et exacuat, aut deliniat et alliciat; qui cum eo fundat lacrymas, ac pro eo Deum precando noctes ducat insomnes; quem denique peccator timeat, quocum doleat, atque pœnas deprecantem antevertat.

Ut autem id facilius auctor noster persuadere queat [86], integram describit historiam, qua Joannes evangelista cujusdam urbis, haud procul Epheso dissitæ, episcopo juvenem eleganti corporis forma bonaque indole præditum commendasse narratur. Hunc episcopus in tectis et ædibus suis receptum educatumque, sacro paulo post abluit baptismatis fonte. Sed remissa paulatim illius cura, juvenis immatura libertate potitus, flagitiosis et sceleratis hominibus se adjunxit, ac latronum dux factus, cæteros flagitiis superabat. Aliquanto vero postea Joannes redux, depositum juvenem ab episcopo repoposcit. Sed ab eo omnium, quæ contigerant, certior factus, protinus, nullaque interposita mora perrexit ad juvenem, quem salutarem adduxit ad pœnitentiam, ac postea Ecclesiæ restituit.

Ex hac porro narratione idem auctor noster concludit ab eo, qui peccatorum pœnitentiam non agit, nec Deum idcirco, nec divitias, sed seipsum esse incusandum. Contra vero, qui sinceram peccatorum egerit pœnitentiam, ac salutis suæ curam vere habet, huic Pater cœlestis perfectam absolutionem æternamque vitam tribuet ac donabit.

ARTICULUS II.

Quomodo hic liber et quorum opera ad nos pervenerit, ac de variis illius editionibus, variorumque in eum observationibus et notis.

Tractatus iste diu sane in bibliothecarum ruderibus et obscuritatis latebris delituit. Non octoginta etenim ante annos Matthæus Cariophylus, A postea Iconensis archiepiscopus, inter Græcos Vaticanæ bibliothecæ codices illum ad variarum Origenis homiliarum calcem repertum, Latine reddidit. Ex hoc autem codice, hacque interpretatione, ac præfixo ultimæ Origenis homiliæ titulo Michael Ghislerius eumdem hunc librum post suos in Jeremiam commentarios typis Græcis et Latinis anno 1623 Lugduni imprimi divulgarique curavit. Sed quia textus Græcus valde imperfectus, ac pluribus in locis mancus et mutilus erat, nec alius codex, quo ille emendaretur, inveniri potuit, idcirco in hac quoque editione variæ sunt lacunæ et hiatus.

Post hæc vero cum Ghislerius comperisset hoc opusculum non ab Origene, sed a Clemente nostro Alexandrino fuisse revera profectum, in sua ad eosdem Jeremiæ commentarios præfatione correxit errorem, palamque professus est illud eidem Clementi Alexandrino recte ab Eusebio, Hieronymo et Photio adjudicari.

B In hujusce porro libri editione pluris idem Ghislerius, sed breves, et ad marginem tantum adjecit notationes, quibus vel ea quæ in auctoris textu animadversione digna judicabat, paucis edisserit, vel quosdam, uti illi videbatur, arguit illius errores, vel tandem alia quædam indicat, quæ voluit cavere ab omnibus legi.

Longo dehinc elapso temporis intervallo Combefisius celebris ex Sancti Dominici ordine scriptor, in suo *Græcorum Patrum Auctario* Parisiis anno 1672 aliam hujus libri, cui Clementis nostri Alexandrini inscripsit nomen, Græco Latinoque charactere editionem publicavit. In ea autem Græcum auctoris textum nova donavit Latinitate, ac conjecturis suis quosdam ejus hiatus explere conatus est. Multos tamen, qui sine manuscriptorum codicum auxilio vix ab ullo unquam poterunt restitui, penitus intactos reliquit.

C Plurimas autem et prolixas in hujusce libri, a se editi, fine adjecit notas et observationes, quibus multa emendare connititur Græci textus verba, quæ male Græco in codice scripta erant, vel quæ Cariophylus adverso contrarioque sensu accepisse ipsi videbatur. Aggreditur insuper suis adnotationibus obscuriorem auctoris dictionem aliquando explicare et enucleare. Pluribus demum in locis probare conatur immerito prorsus hujus libri parenti inustam **338** a Cariophylo vel Ghislerio quorumdam pravorum, ac præsertim Origenis errorum labem et maculam. Verum si doctis quibusdam viris credas, illum uno præsertim in loco ab ejusdem Origenis de animarum, ut aiunt, præexsistentia errore non prorsus vindicavit et liberavit. Sed de his postea.

D Præterea vero hic liber Clementis Alexandrini nomine Oxonii, e theatro Sheldoniano typis Græcis et Latinis anno 1683 excusus est. Sed totus ille liber talis inde prodiit, qualis a Combefisio editus antea fuerat. Huic autem editioni præfectus omnes ab iliis in huncce tractatum prius divulgatas observationes penitus ejecit, nec aliud quidquam addidit quam breve procœmium, quo hunc librum Clementi Alexandrino tam Eusebii Cæsariensis, quam Hieronymi Photiique testimonio et auctoritate asserere nititur. Ad hæc vero ille observat ultimam periodum : Ὦ διὰ τοῦ παιδός, etc., a librario, qui eumdem tractatum pro homilia Origeniana venditare volebat, fuisse omnino præpostere adjectam. Quid vero, si in hoc libro, ex quadam aut pluribus homiliis, seu concionibus composito eam auctor retinendam censuerit? At de his infra.

Nos denique ille monitos fecit se quam paucissimis vocibus interpositis, quædam explevisse lacunas, quibus, uti jam diximus, vetus exemplar aliæ-

[80] § 36. [81] § 37. [82] § 38. [83] § 39. [84] § 40. [85] § 41. [86] § 42.

Digitized by Google

que editiones habant. Ne tamen loca a se interpolata genuinis commiscerentur, ea uncis includi voluit. Utrum vero hæc mutila et hiantia loca, quæ conjecturis tantum suis supplere conatus est, recte emendaverit, in dubium haud plane immerito quis vocaverit. Nam Ittigius, de quo mox dicendum, fatetur « adhuc passim Clementis textum medicas manus desiderare. »

Postrema tandem hujus libri editio, eodem Clementis inscripta nomine, publicam in lucem Lipsiæ ab illo Thoma Ittigio, anno 1700, emissa est. In illius autem præfatione plura de variis cum aliorum Clementis nostri Operum, tum in primis de hujus operis editionibus scite animadvertit. Ibi vero ille nos admonet Joannem Fell Oxoniensem episcopum superioris editionis, quam κατὰ πόδας secutus est, fuisse auctorem. Adnotat præterea a nonnullis, uti Cotelerio, tentatam quorumdam hujus libelli locorum emendationem; sed non paucos adhuc superesse mutilos et hiantes. Denique omnes Combefisii ad hoc opusculum notas se addidisse significat, non ideo quidem, quod ubivis probandæ sint, sed quia nonnulla notatu haud indigna complectantur, ac levi negotio deprehendi possit, ubi Combefisius partium potius quam veritatis studium sectatus fuerit.

Postremo quæ auctor noster in fine hujus libri de insigni quodam latrone, a Joanne evangelista ad meliorem frugem sinceramque peccatorum pœnitentiam adducto, narrat, hæc ab Eusebio[87] in sua *Ecclesiastica historia* totidem pene verbis transcripta sunt. Quapropter Valesius in hanc narrationem, quemadmodum in totam Eusebii *Historiam*, a se editam, varias congessit observationes, quibus Græci textus ex variis codicibus manuscriptis a semetipso emendati, reddit rationem. Aliis porro notis quædam loca illustrat, ac potissimum ostendere adnititur his verbis, τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου, non confirmationis, sed baptismatis significari sacramentum.

ARTICULUS III.

Quis hujus libri auctor, quisve illius titulus, utrum ex homilia quadam, seu quibusdam concionibus ad populum habitis, sit compositus, quam ob rationem editus, an octavus Stromatum Clementis Alexandrini liber dici possit, et quo scriptus fuerit tempore.

Ex iis, quæ in superiori articulo a nobis dicta sunt, omnibus sane patet hanc commentationem duobus clarissimis scriptoribus fuisse attributam. Ab aliis enim Origeni, ab aliis autem Clementi nostro Alexandrino adjudicatur. Nec desunt utriusque opinionis fautoribus argumenta, quibus unusquisque suam sententiam conatur propugnare et tueri.

Et certe qui hunc tractatum ab Origene profectum esse existimant, his nituntur rationum firmamentis. Primum siquidem in manuscripto codice Vaticano nomen præfert Origenis. Deinde vero stylus illius comptus, mitis, æquabiliter fluens, et clarus ad hunc magis pertinere videtur, quam ad Clementem, cujus oratio plerisque suis in operibus sublimior est et obscurior. Tertio Cariophylus, sive potius Ghislerius persuasum habuere varios, quos illi notant, hoc in opere deprehendi Origenis errores. Ex his autem ille in primis error notatur, quo Origenes aliique hæretici humanam animam ante corpus exstitisse garriebant. Denique ejusdem operis auctor alicubi ad suam principiorum et theologiæ expositionem nos mittit. Atqui ea videtur esse, quæ de hocce argumento ab Origene scripta dicitur.

Contra vero alii putant Clementem nostrum Alexandrinum hujus lucubrationis verum genuinumque parentem esse; idque invictissima Eusebii, Hieronymi[88] Photiique[89] auctoritate posse confici et demonstrari. Apertissime etenim Eusebius[90] et Photius declarant ab eodem Clemente editum fuisse librum, hoc Græco titulo inscriptum : Τίς ὁ σῳζόμενος πλούσιος· *Quis dives salvetur*, vel, *Quis dives salutem consequi possit.* Quod quidem semel et iterum ab Eusebio assertum legimus. Hieronymus denique eamdem epigraphen Latine reddidit : *Quisnam dives sit, qui salvetur.* At ille ipse titulus huic operi non solum præfixus est, sed præfigi etiam debuit. Non aliud quippe, quam hoc argumentum, tota illa in commentatione tractatur. Deinde vero Photius hæc ait fuisse prima illius verba : Οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους· quæ quidem eodem plane modo in illius cum Ghislerii, tum Combefisii aliorumque exhibentur editionibus. Denique Eusebius integram illam adolescentis latronis, a Joanne evangelista ad sinceram flagitiorum scelerumque suorum pœnitentiam conversi, historiam ex hoc libro se transcripsisse asseverat. At hæc ipsa quoque est, quæ in omnium ejusdem libri editionum calce totidem verbis, si librariorum menda excipias, reperitur. Nullus autem est, uti putamus, æquus rerum æstimator, qui non videat his posterioribus argumentis hunc librum longe potiori jure Clementi Alexandrino, quam prioribus Origeni attribui et vindicari.

Nobis enimvero neque Cariophylus, neque Ghislerius edixerunt cujus notæ, quave manu, an antiqua, vel recentiore scriptus sit ille Vaticanus codex, ubi illud opus post Origenis homilias transcriptum invenerunt.

Huc accedit, quod etiamsi nomen Origenis ibi **339** prænotatum legatur; non inde tamen hunc librum ab eo compositum fuisse iis adeo facile persuadebitur, qui nescire non possunt quam frequentes sint librariorum amanuensium in describendis librorum titulis lapsus, quantaque in eis fabricandis ac fingendis audacia ac temeritas.

Ad hujus vero scriptoris stylum et dictionem quod spectat, Eusebius certe et Photius, optimi procul dubio Clementinæ Origenianæque orationis judices, nihil penitus in hoc libro animadverterunt, quod ab ipsa Clementis nostri Alexandrini scribendi ratione ullo plane modo discrepans et alienum dici possit, vel ei omnino non congruat ac conveniat.

Si quis tamen hanc lucubrationem ab aliis ejusdem Clementis operibus stylo diversam esse ostenderit, is meminisse debet variam pro loci, temporis, personarum et argumentorum varietate fuisse eorumdem auctorum dictionem diversumque scribendi modum.

Errores porro si qui in hoc libro retegantur, atque illa etiam, ad quam nos illius auctor mittit, *principiorum* et *theologiæ* expositio, non magis eum ab Origene, quam a Clemente nostro editum esse arguunt. In ea quippe ipsa *principiorum* et *theologiæ* expositione se auctor dicit enucleasse quid camelus, de quo Christus locutus est, significet. Sed hanc explicationem in Origenis *Periarchon* libris frustra quæsieris. Verum et de hac ipsa expositione, et de inustis auctori nostro errorum maculis paulo post disputabimus.

Quamobrem nisi validiora majorisque ponderis argumenta proferantur, ad eorum lubenter accedemus sententiam, qui hoc opus Clementi Alexandrino vindicarunt. Quem vero titulum illi Clemens, sive ejus auctor inscripserit, jam ex Eusebio, Hieronymo Photioque vidimus. At illud non in homiliarum sed librorum ipsius numero ponendum esse

[87] l. III Hist., cap. 23, pag. 91. [88] De script. eccles. [89] cod. 111, p. 287. [90] l. III Hist., cap. 23, p. 91, et l. VI, c. 13, p. 214.

Digitized by Google

evidentissimo trium horum doctissimorum hominum testimonio plane convincitur. Nam ii magno sane consensu hanc ipsam lucubrationem librum appellant, et inter alios Clementis nostri libros recensent.

Utrum vero is liber ex pluribus, aut una quadam homilia, a Clemente nostro ad populum Alexandrinum habita, ac postmodum non sine amplificatione in libri formam redacta, compositus sit, sicuti definire non audemus, ita haud temere dicere possumus vix ullam in eo amplius exstare concionis speciem, neque alios, nisi libri omnibus suis numeris expleti characteres. Quidam tamen in illo nonnullas concionis notas animadvertisse sibi visi sunt, quibus si suffragium nostrum ferendum esse recte probaveris, haud plane refragabimur [91].

Qua autem ratione ad eum scribendum mentem suam auctor appulerit, hunc in modum declarat [92]: « Nihil sic juvat, ac ipsa rursus audire verba, quæ in Evangeliis exposita, nec justo satis examine, atque errore auditoribus præ infantia mentis accepta hactenus vos conturbarunt. » At his ille verbis planum omnibus facit quosdam suo exstitisse tempore, quos Christi ad divitem verba conturbaverant. Nam ea vero rectoque sensu non accipientes, omnem prorsus de divitum salute spem perdidisse videbantur. Ad eam itaque commotionem, perturbationemque sedandam, ac falsam, qua imbuti erant, opinionem ex eorum animis penitus evellendam, ad hanc lucubrationem scribendam animum se appulisse haud obscure significat.

Dictu igitur longe difficilius est quem Clemens varias inter suas lucubrationes huic libro locum dederit. In quibusdam siquidem codicibus octavus *Stromatum* ejus liber, teste Photio [93], inscriptus fuit. Sed falsum omnino esse hunc titulum inde primum evidentissime demonstratur, quod hic liber ab ipso *Stromatum* nomine, et ab ipsa, qua *Stromatum* libri scripti sunt, ratione penitus discrepet. Hæc quippe *Stromatum* commentaria, uti ex ipsomet Clemente superius adnotavimus [94], « varia sunt, et ut ipsum nomen indicat, varie contexta, ab alio ad aliud continens transeuntia, et per verborum quidem seriem, ac contextum, aliud significantia, aliud vero indicantia. » Quocirca rursus alibi de illis ita loquitur : « Iis quæ, prout occasio sese obtulit, mihi venerunt in mentem, et neque ordine, neque dictione sunt expurgata, sed de industria dispersa sunt, permistim nobis instar prati variata est *Stromatum* descriptio. »

Deinde vero ibidem ostendimus sacræ nostræ doctrinæ nostrorumque sacratiorum mysteriorum explanationem his in libris cum ethnicorum placitorum et dogmatum expositione passim ubique permisceri, ac Clementem et a proposito sæpe sæpius digredi, et frequentissime ab uno ad aliud argumentum transire, atque a posteriore ad prius reverti.

Atqui econtrario in hoc, quo de agimus, libro magna est orationis connexio et cohærentia, vix ulla a proposito digressio, nullaque prorsus profani atque ethnici dogmatis admistio. Quis igitur in animum sibi inducat Clementem Alexandrinum, nemine prius admonito, eam lucubrationem pro octavo, quem promiserat, *Stromatum* libro dedisse, quæ a septem aliis non minus quam cœlum a terra distat, planeque dissidet?

Nescii quidem non sumus hæc ipsiusmet Clementis esse in septimi *Stromatum* libri fine verba [95]: « Atque adeo post hunc septimum librum de iis, quæ sequuntur, aliud sumamus exordium. » At certe quantumvis dixerit diversum ab aliis fore octavi sui *Stromatum* libri exordium, cui tamen credibile fiet Clementem, nemine ullibi prius, uti observavimus, unquam commonefacto, argumentum in eo octavo libro pertractavisse, ab aliorum præcedentium librorum materia, scribendique ratione omnino differens, ac penitus dissimile? Quinimo omnes facile concedent, cum sub septimi libri finem Clemens scripserit : « Aggrediamur quod summus polliciti, » eum in subsequenti, si tamen illum aliquando composuerit, libro de his disputasse, de quibus se disputaturum esse ibidem promiserat. At fidem suam ibi obligaverat fore ut aliquando philosophorum ethnicorum, atque nostrorum hæreticorum, ac nominatim Prodici et Marcionitarum impugnaret errores, atque etiam de veræ Ecclesiæ notis et characteribus, aliisque de rebus ageret, de quibus nihil plane, ac ne minimum quidem vestigium in eo, de quo agimus, libro reperitur. Singularis itaque hic liber est, a septem *Stromatum* libris omnino diversus, nec eorum octavus ullo unquam jure dici potuit.

Quo autem tempore a Clemente Alexandrino, si revera ejus auctor fuerit, publici factus sit juris, dictu non omnino promptum et expeditum est. Nullam etenim illius ætatis aliam in eo deprehendimus notam, nisi ubi auctor ad suam « principiorum et theologiæ 340 expositionem, τὴν ἀρχῶν καὶ θεολογίας ἐξήγησιν, nos mittit. » At si eo nomine tractatus ille, quem in tertio *Stromatum* libro semel et iterum *De principiis* adversus Marcionistas conscripturum se esse ipse spoponderat [96], intelligendus sit, certe neque ante perfectos et absolutos septem *Stromatum* libros, neque ante octavum, modo tamen eum composuisse probetur, huic commentationi manum admovere potuit. Vidimus enimvero omnes *Stromatum* libros sic sibi invicem esse conjunctos ac cohærentes, ut nullum aliud opus eis fuerit interpositum.

ARTICULUS III.

Novæ hunc in librum notæ et observationes, ubi de alio libro, qui octavus Stromatum inscribitur.

Diximus hujus libri auctorem variorum, ac præsertim Origenis errorum a quibusdam reum agi, palamque insimulari. Utrum autem ille jure vel injuria accusetur, a nobis sedulo examinandum est. Primum itaque ubi hic ipse auctor noster scribit divitem, qui mandatis Christi morem gesserit, bonis operibus cœlesti dignum esse patria, tunc continenter adjicit [97] : « In quam corona donatus, angelorumque præconio, revertitur. » At hæc posteriora verba in Ghislerianæ editionis margine hac gravi inuruntur censura : « Origenis innuitur damnata opinio de præexsistentia animarum in cœlis. » Sed immerito plane et perperam, uti scite Combefisius animadvertit, id dicitur. Nam post apostolos [98] plerique omnes Ecclesiæ Patres docent nos in hac vita esse peregrinos et hospites, ac cœlestem inquirere patriam, ad quam, si justi fuerimus, post mortem revertemur. Ad eam siquidem prima nostra origine jus habemus : sed illud sicut peccato cum originali, tum aliis gravioribus postea perpetratis amittimus, ita pœnitentia et pietate, ac divina gratia recuperamus. Quapropter cum in gratia, ut aiunt, sanctificante mortem obimus, ad cœlestem patriam redire haud prorsus inepte dicimur.

Non potiori ratione eumdem Origenis errorem sapere arguuntur hæc adhuc de divite auctoris nostri verba [99] : « A culpa remotius est, si statim a Deo præbente animam, ἀπὸ τοῦ θεοῦ τὴν ψυχὴν νέμοντος, in domum ejusmodi hominum (divitum) genusque copiosum εἰσωχίσθη, inductus est, » vel, ut vertit Cariophylus, immissus est. Cum ibi etenim anima dicatur a Deo præberi, hoc certe loquendi modo aperte significatur eam a Deo creari ; ac post suam creationem in domum divitiis et opibus locupletatam induci, et, si velis, immitti. At frustra sane, ac plane perperam hoc ultimo verbo signifi-

[91] p. 165 et 174. [92] § 4. [93] loc. cit. [94] dissert. super. 2, c. 2, art. 3, p. 890. [95] l. VII, p. 767. [96] Strom. l. III, p. 431 et 434. [97] § 3. [98] Paul. ad Heb. XI, 13, et I Petr. II, 11. [99] § 26.

Digitized by Google

cari volunt animam prius exstitisse, atque ob peccata prius admissa in corpus tanquam in carcerem detrudi. Nihil quippe ab auctoris nostri mente magis alienum fingi potest ; quandoquidem ille ibi perspicue declarat animam eo ipso temporis puncto a Deo creari, quo in corpus immittitur et infunditur.

Eodem plane sensu ab eodem auctore nostro postea dictum legimus [1] : « Hoc semen (scilicet pauperum) . . . . . velut in exsilium quoddam, ac peregrinationem magno patris propensiore consilio, congruaque eis ratione, ac sorte huc mittitur. » Enimvero cum ibi dixerit, ὥσπερ ἐπί τινα ξενιτείαν, « tanquam in peregrinationem, » et hospitium, haud obscure colligitur illum ad Petri et Pauli verba, a nobis paulo ante citata, allusisse, quibus nos in hoc mundo hospites et peregrinos esse illi pronuntiarunt. At si in eo revera simus peregrini, atque etiam exsules, quid prohibet quominus in illum mitti dicamur ?

At hujus, inquiunt, Origeniani erroris venenum palam ac manifeste his propinatur verbis [2] : Σχῆμα τοῦτ' ἔστιν ἔξωθεν ὑμῖν περιβεβλημένον, τῆς εἰς κόσμον παρόδου πρόσφασις· ἵνα εἰς τὸ κοινὸν τοῦτο παιδευτήριον εἰσελθεῖν δυνηθῶμεν. « Habitus hic nobis exterius adhibitus est, nostri in hunc mundum ingressus occasio ; ut in communem hanc scholam ingredi possimus. » Verum Combefisius declarat se non videre cur ibi auctor noster his tam paucis verbis, nec ita sane claris et apertis in hujusce Origeniani de animarum transmigratione, seu potius earum, uti loquuntur, præexsistentia erroris scopulum impegisse credatur. Ait enim Combefisius ibi ab auctore nostro tantum asseri animam in corpus, veluti in scholam et palæstram, ubi sese exerceat, venire, corpusque ad eam, quasi habitus, quod in illa divinum est, obtegentis habere rationem. Ad id autem nihil necesse est ut anima prius exstiterit : sed sufficit eam a Deo cum originalis peccati contrahendi debito tunc creari, cum in corpus ex Adami radice generatum infunditur.

Sed hæc Combefisii explanatio, qua proposita difficultas solvi non videtur, aliis omnino non arrisit. Nec plane quidem immerito. Nemini siquidem ille facile unquam persuadebit auctorem nostrum ibi potius de peccato originali, quam de anima longo, ante corpus tempore creata, fuisse locutum. Nobis itaque facilius probabitur illum neque ad hoc, neque ad illud spectasse, ac de iis ne quidem cogitasse. Ibi etenim ille perspicue docet pauperes, ob corporis deformitatem aut infirmitatem, a divitibus non esse contemnendos aut pessumdandos. Hominis quippe corpus est tantum habitus, vel forma, sive figura extrinseca, sed intus in illo Deus Pater, et Filius, qui pro nobis mortuus est, inhabitant. Græca autem verba, superius objecta, sic Latine ad litteram reddi possunt : « Figura hæc nobis (ibi enim ἡμῖν, et non ὑμῖν, legendum est) extrinsecus circumdata est, nostri in mundum transitus causa ; ut in commune hoc doctrinæ diversorium ingredi possimus, » id est corpus nostrum formatum et figuratum, causa est cur anima nostra, a Deo creata, in illud infundatur, atque ita in hunc mundum, quod commune doctrinæ diversorium est, ingredi possimus. Ex quibus colligitur eumdem esse horum auctoris nostri verborum atque superiorum sensum, eamdemque plane veram et orthodoxam significationem. Inficias tamen plane non ibimus in his verbis : « Anima transit in corpus, » vel « anima hoc transitu in mundum ingreditur, » et aliis similibus si ab homine, Origeniana, vel alia prava hæreticorum de anima, ante suum exsistente corpus, opinione imbuto proferrentur, posse aliquid habere insidiosi et suspecti : sed recto catholicoque sensu ab aliis orthodoxis viris hæc dici posse, nemo uti putamus, jure merito poterit diffiteri. Et vero, non aliam certe ob causam Cariophylus et Ghislerius his aliisque auctoris nostri in verbis absurdas Origenis opiniones deprehendere sibi visi sunt, quam quia in animum sibi falso induxerant Origenem esse hujus libri parentem et auctorem.

Alterius Origeniani erroris auctor noster accusatur, ubi de angelis hæc scribit [3] : « Hic est, qui angelos, et principatus, et potestates, ut nobis ministerio fungantur, sub magna mercede subjecit. Nam et ipsi liberabuntur a mundi vanitate in revelatione **341** gloriæ filiorum Dei. » Ubi ille dubio procul ad ea Apostoli ad Romanos scribentis alludit verba [4] : « Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. »

Fatentur tamen theologi eum erroris, ab Ecclesia sanctisque Patribus condemnati, revera esse reum, qui dixerit angelos, suæ salutis hactenus incertos, nostram ideo exspectare liberationem, ut et ipsi pro officiis in nos bene aut male collatis, æterna felicitate, aut cruciatibus sempiternis afficiantur. Quidam vero hunc errorem in libris *Periarchon* simpliciter, alii, lib. I hujus operis, cap. 7 et 8, ab Origene assertum fuisse observarunt. Verum illud longe clarius ab eo traditur libro VIII, cap. 7, in Pauli ad Romanos Epistolam, atque homil. 13 in Lucam, ubi hæc leguntur : « Et quo modo homo si commissam sibi dispensationem bene gerit, laudatur a Domino, si male, culpa et vitio subjacet, sic et angelus. Scriptum est enim in Apocalypsi Joannis [5] : *Sed habes ibi nomina pauca* . . . . et accusantur angeli, quibus creditæ sunt Ecclesiæ. Porro frequenter evenit, ut nobis laborantibus, illi suum officium non expleant, et in culpis sint. » Nec minus clare loco a nobis prius laudato : « Spes namque est ab iis rebus corporeis et corruptibilibus aliquando cessandum. Hanc enim habet exspectationem creatura ista « rationabilis : » ut revelatio fiat filiorum Dei, propter quos angeli mittuntur in ministerium, ut et ipsi cum his, quibus ministrarunt, hæreditatem capiant salutis ; ut terrestrium, et cœlestium fiat unus grex, et unus pastor, et sit Deus omnia in omnibus. » Huic autem Origenis non tam de salvandis, uti quidam aiunt, dæmonibus, quam de dubia adhuc et incerta angelorum, humanæ custodiæ præpositorum, salute opinioni nostrum auctorum suffragari arbitrati sunt.

Sed Combefisius existimat citata illius verba hoc benigniori et orthodoxo sensu posse explicari : angelos, qui æterna et immutabili, sive, ut aiunt scholastici, essentiali potiuntur beatitudine, propter nos, prout bene aut male agimus, metaphorico quodam modo dici aut gaudere et lætari, aut contristari et flere. Nobis vero de hac a scholasticis theologicis excogitata beatitudinis in accidentalem et essentialem distinctione eo minus cogitasse videtur auctor noster, quo magis ex ejus verbis nihil unde ea distinctio colligi possit, plane discernimus.

Posset itaque potior illius excusandi ratio peti ex Augustino, qui de hac quæstione et de citatis Apostoli verbis hunc scribit in modum [6] : « Deinde liberandam creaturam dixit a servitute interitus, quo illos cecidisse, qui in cœlis agunt vitam beatissimam, non possumus credere. Tamen nihil temere confirmandum est, sed pia diligentia etiam atque etiam verba divina tractanda sunt ; ne forte quæ congemiscit, et dolet, et vanitati subjecta est, possit aliquo modo intelligi, ut de summis angelis, quandiu infirmitati nostræ opitulantur, non impie possit existimari. Sed sive illa, quam exsecuti sumus, sive alia aliqua hujus capituli expositio proferatur, id tantum curandum est, ne violet, aut vulneret catholicam fidem. Scio enim vanos hæreticos de hoc capitulo multa impia et inepta jactasse. » Docet itaque Augustinus vanos quosdam

[1] § 36. [2] § 33. [3] § 29. [4] Rom. VIII, 21. [5] Apoc. III, 4. [6] tom. VI, De divers. quæst. 83, quæst. 67, § 7, p. 51.

Digitized by Google

fuisse hæreticos, qui citata, uti diximus, Pauli verba, de angelis præpostere explicantes, multa falsa, absurda et impia effutierant. At quamvis hæc eadem Apostoli verba de angelis videantur non posse accipi, pro solita nihilominus sua singulari moderatione ac modestia doctor ille eximius fatetur eos non esse temere condemnandos, qui illa modo aliquo, nec impio, nec absurdo fuerint interpretati. Porro autem auctor noster obiter tantum ad eadem, sicut vidimus, Apostoli verba collineando, ea brevissime de angelis explicuit. Verum ibi penitus silet quo sensu intelligenda esse putaverit, aut quomodo angeli a mundi vanitate liberabuntur. Quo igitur jure dici potest ea pravo ac hæretico sensu ab auctore nostro fuisse accepta? Satius est Augustini modestiam imitari, nec eum condemnare, qui quo sensu Apostoli verba intellexerit, certo sciri non potest.

Pelagianismum autem olere Ghislerio, vel etiam Cariophylo videntur hæc auctoris nostri verba [7]: « Homo ipse a se suaque virtute operam ponens, studensque, ac laborans, ut compressis affectibus, tranquilli animi fiat, καὶ διαπονούμενος ἀπάθειαν, nihil inde præstat; sin autem ejus palam rei desiderio vehementius inardescat, diligentiamque omnem adhibeat, adjuncta illi divina virtute, τῇ προσθήκῃ τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, evadit votorum compos. Deus namque volentibus animis aspirat. » At tantum abest, ut hæc Pelagianismum redolere Combefisius existimaverit; quin potius magna ipsi videantur gratiæ commendatio nostrique ad eam libera voluntate conatus explicatio. Nam ibi, inquit, humana voluntas sine gratia excitante ita inutilis declaratur, ut non sine novo Dei auxilio fiat virtutis compos, et ἀπάθειαν adipiscatur.

Sed ingenue fatendum est duplicem esse posse auctoris nostri verborum explicationem et sensum. Et primo quidem significare possunt hominem, nimirum divitem, de quo auctor noster disputat, tunc ἀπάθειαν, perturbationum, sive pravi divitiarum desiderii vacuitatem et immunitatem consequi, cum totis connititur viribus, omnemque, ut illius expers et liber sit, diligentiam adhibet, atque divina gratia ei accedit, et additur. Verbum etenim προσθήκη idem sonat atque augmentum, incrementum et accessio. Quo quidem sensu significaretur divinam gratiam humanis conatibus prævenire, et istis postea adjici. At hic sensus, etsi non ipsummet Pelagianismum, saltem semi-Pelagianismum sapit et redolet.

Secundus vero sensus esse potest hominem ad hanc ἀπάθειαν, seu pravi divitiarum affectus vacuitatem pervenire, quando illi adjuncta est, seu conceditur divina gratia, aut gratiæ prævenientis adjutorium: atque hac divina ope adjutus, omnem operam impendit ut illam ἀπάθειαν obtineat. Hic autem sensus plane sanus est et orthodoxus. Atqui hanc esse auctoris nostri mentem inde confici posse videtur, quod ille ibidem probandum susceperit, hoc non ab hominibus, sed a solo Deo posse fieri. Quando itaque ibi addidit [8], βουλομέναις μὲν γὰρ ὁ Θεὸς ταῖς ψυχαῖς συνεπιπνεῖ· « Deus enim volentibus animis aspirat, » sive potius, « simul aspirat et afflat, » nonne his verbis ille declarat Deum volentibus divitum animis simul aspirare, gratia scilicet præveniente ac concomitante, qua possint illud obtinere, quod sine ea nunquam consequi possent? Quamobrem prius ipse dixerat: « In homine, tanquam libero, libera erat voluntatis electio; in Deo autem dare, tanquam Domino et arbitro. Dat autem volentibus, et summo studio annitentibus et orantibus; ut sic illorum propria exsistat salus. Neque enim Deus cogit **342** (vis enim inimica est Deo), sed quærentibus tribuit, et petentibus præbet, et pulsantibus aperit. » Quibus sane verbis ille docet homini divina gratia, tametsi eum agentem et præveniat et comitetur, nullam plane vim afferri: sed ea effici, ut libere agat, ac libera voluntate æternam salutem adipiscatur.

Nodum porro in scirpo ii certe quærunt, qui volunt auctorem nostrum errori Novatianorum his prælusisse verbis [9]: « Si quis... forte per ignorantiam, aut vitæ casus involuntarios, post signaculum, σφραγῖδα, et liberationem a peccatis, in peccata, seu debita prolapsus fuerit, ita ut illis prorsus obrutus sit, is a Deo penitus rejectus est, ac reprobus exsistit. Quisquis enim ex toto corde ad Deum convertitur, portæ ei apertæ sunt, suscipitque libentissimo animo Pater filium vere pœnitentem. » Quod enim, amabo te, vel minimum Novatianæ hæreseos vestigium ibi deprehendi potest? Quid ad remittendorum peccatorum negatam ministris Ecclesiæ potestatem, quod hujus hæresis caput erat, ibi aut spectat aut accedit? Nihil plane. Non enim aliud auctor noster iis verbis sibi voluit, nisi eum, qui in peccatis perseverat, tandiu a Deo rejici et reprobari, quandiu iis obrutus fuerit. At ubi ad Deum ex toto corde convertitur, et eum peccatorum vere pœnitebit, tum a Patre æterno, qui salutis portas illi aperiet, illico suscipietur. In Græco autem auctoris nostri textu nihil cum Cariophylo immutandum est, quandoquidem nihil prorsus nisi verum et catholicum complectitur.

Quid vero, quod huic nostræ explicationi non parum roboris et firmamenti inde adjicitur, quod ab auctore nostro diserte traditum postea legimus latronem ac sicarium, vera pœnitentia, quasi altero quodam baptismate, a Joanne evangelista Ecclesiæ restitutum fuisse? Quamobrem ille ibidem addidit in illo ostendi [10] « magnum sinceræ pœnitentiæ, et iteratæ regenerationis grande documentum, ac conspicuæ resurrectionis tropæum. » Quibus sane verbis Novatianus error radicitus amputatur. Vera siquidem et sincera peccatorum, post baptisma admissorum, pœnitentia quasi alter quidam baptismus esse dicitur, propter quam Joannes latronem Ecclesiæ κατέστησε, seu ἀπεκατέστησε, « restituit. » Quod quidem Græcum verbum, ut id obiter observemus, male prorsus, sicut ab aliis animadversum est, Rufinus Latino, « præfecit, » reddiderat. Nam Joannes facinorosissimum furem, quantumvis pœnitentem, non illico contra statam et solemnem coapostolorum suorum disciplinam « præfecit » Ecclesiæ, sed « restituit. »

Nullus igitur [11] nobis amplius insusurret hujusce libri auctorem esse Clementem Alexandrinum, qui Hermam, Novatianismi haud plane immerito postulatum, κατὰ πόδα subsecutus est. Utrumque etenim in hoc errore minime allisum, ita, nisi mens nostra nos fallat, perspicue ostendimus, ut nullus, et ne doctus quidem ille vir, qui hæc nobis objecit, tantillum quid contra allatas a nobis rationes in medium potuerit adducere.

Denique auctor noster eo adhuc corripitur, quod relicto ac rejecto litterali propositorum a se Christi verborum sensu, non alium quam spiritualem admittere videatur. In eo quippe persequendo paulo nimium ideo fuisse putant, quia de bonorum, prædiorum et divitiarum abdicatione sic disputat, quasi Christus discipulos suos ad eam adhortatus non fuerit. Sed præterquam quod nullus est, qui nesciat veteres Ecclesiæ Patres magis allegorico et spirituali, quam litterali Scripturæ sensu inhærere, ipsemet auctor noster aperte fatetur ab iisdem Christi discipulis hamos et retia, aliaque bona sua, ut illum sequerentur, penitus derelicta. Deinde vero ille spirituali Scripturæ sensui idcirco potissimum insistit, quia multos, uti animadvertimus, litteralis verborum Christi sensus ad æternæ suæ salutis desperationem redegerat. Quamobrem ut illos a desperatione ad spem revocaret, probandum sibi esse credidit, non tam opes et divitias, quam

[7] § 21. [8] § 10. [9] § 39. [10] § 42. [11] Istig. præfat. in hunc libr.

Digitized by Google

pravum earum usum a Christo proscribi et condemnari. Quamvis igitur alicubi longius, quam par est, contra litteralem Scripturæ sensum progressus fuerit, ipsi certe eam, quam attulimus, ob causam aliqua saltem venia danda est.

Ab impactis porro auctori nostro erroribus ut gradum ad alia faciamus, observare juvat ab illo narrari Joannem e Patmo insula Ephesum rediisse [12], ὅπου μὲν ἐπισκόπους καταστήσων, ὅπου δὲ ὅλας Ἐκκλησίας ἁρμόσων, ὅπου δὲ κλήρῳ ἕνα γέ τινα κληρώσων τῶν ἀπὸ τοῦ Πνεύματος σημαινομένων· « partim quidem ut episcopos constitueret, partim vero ut Ecclesias integras disponeret et formaret, partim etiam ut unumquemque a Spiritu sancto designatum in clerum seponeret, ac cooptaret. » Quo quidem ex loco, quem Valesius ex tribus optimæ notæ manuscriptis codicibus emendavit, aperte colligitur auctorem nostrum ibi de vera sacrorum Ecclesiæ ministrorum ordinatione fecisse sermonem. Et id sane eo accuratius a nobis animadverti debuit, quod prava prorsus interpretatione hunc locum Latine quidam reddiderant. Verum hic lapsus iis facile condonandus est, qui cum in corruptos codices inciderint, depravata textus Græci verba nullo malo dolo, sed bona fide interpretari conati sunt.

Post hæc autem scribit auctor noster adolescentem quemdam, qui postea latronum dux factus est, a Joanne evangelista episcopo commendatum fuisse, qui eum in domum suscepit, ac deinceps baptismi sacramento initiavit. Tum continuo auctor noster narrationem suam sic prosequitur : « Deinceps sacerdos de pristina cura atque custodia paulatim remisit, quippe cum perfectissimo custode apposito, Christi videlicet signaculo, juvenem communisset. » Græca autem hæc sunt verba : Ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. Quid autem ea significent, non minima certe est inter celebres quosdam hujus ætatis scriptores discordia et contentio. Quidam enim iis confirmationis, alii baptismatis sacramentum significari existimant. Hi autem opinionem inde confirmant et stabiliunt, tum quia hoc verbo σφραγῖδα, plerique antiquissimi Ecclesiæ Patres baptismum appellaverint, tum etiam quia auctor noster paulo ante, uti vidimus, de eodem baptismate locutus est. Sed ab iis in sententiæ suæ confirmationem adjici potuit idem verbum ab ipsomet auctore nostro, ut jam vidimus, fuisse paulo superius usurpatum. « Si quis post signaculum, inquit, μετὰ τὴν σφραγῖδα, liberationem a peccatis, » etc. Cum autem illud alteri verbo λύτρωσις adjungatur, eo certe potius baptismi quam confirmationis sacramentum ibi designari videtur. Quamvis ergo nomen σφραγῖδα, de quo non semel a nobis postea dicendum erit, pro utroque sacramento significando ab Ecclesiæ Patribus adhibeatur; probabilius tamen videtur illud ab auctore nostro ad baptismum significandum **343** loco prius citato usurpari.

Cariophylus autem, sive Ghislerius, et Combefisius observarunt monasticum ordinem his auctoris nostri verbis eximie commendari [13] : « Non desunt, qui et jam inter electos majore electis præstantia fulgeant, eoque magis illustres sint, quo velut ad portum ex mundi procella seipsos subducant, resque suas in tutum recipiant; qui sancti videri nolint, ac si quis nuncupaverit, erubescant; qui imo ipso pectore ineffabilia mysteria abscondant, suamque nobilitatem humanis oculis objici contemnant. Hos nimirum Scriptura lumen mundi, et sal terræ vocat [14]. » Sed nulla alia ratione his verbis ordinis monastici commendationem factam esse probant, quam quia ille Ecclesiæ nunquam defuit. At certe quamvis id verum esset, non inde tamen nostrum auctorem ibi de ordine monastico loqui, vel etiam ad eum collineare confici posse putamus. Ullo etenim sine discrimine de omnibus plane disputat pauperibus, ac nominatim de senibus, pupillis et viduis, qui aliis cum hominibus vitam agentes, cæteris omnibus pietate et sanctimonia antecellebant : quique pia vivendi ratione sese ex mundi subducebant procellis, atque omnia pietatis officia, sanctasque actiones suas aliis sedulo occultabant, ac despicatui habebant ea humanis oculis objici. At hæc omnia absque monasticæ vitæ professione fieri potuisse, et a plurimis facta sæpius fuisse, nullus, uti opinamur, jure unquam merito inficiabitur.

Anaxagoræ porro, Democriti, et Cratetis exemplo manifestum auctor noster facit ante Christi ad nos adventum fuisse quosdam voluntarios pauperes, qui abdicarunt divitias, easque inopibus et egenis liberaliter largiti sunt. Verumtamen id de tribus illis philosophis non uno plane eodemque modo ab antiquis scriptoribus narratur. Laertius siquidem de Anaxagora hæc memoriæ mandavit [15] : « Universum patrimonium suis, τοῖς οἰκείοις, consanguineis (sive familiaribus) concessit. » Contra vero Plato [16] : « Cum amplas, inquit, a parentibus fortunas accepisset, ita stolide et insipienter philosophatus est, ut eas incuria plane profligarit. » De eodem autem Anaxagora et Democrito hæc scriptis prodidit Cicero [17] : « Quid ergo aut Homero ad delectationem animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse arbitramur? Aut ni ita se res haberet, Anaxagoras, aut hic ipse Democritus agros et patrimonia sua reliquissent, huic discendi quærendique divinæ delectationi toto se animo dedissent? Quibus itaque illi agros et patrimonium reliquerint, tacet orator; tacet etiam Valerius Maximus [18], et apud Photium [19] Himerius sophista, et alii.

Verum idem Cicero id paulo enodatius de Democrito his explicat verbis [20] : « Patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quærens aliud, nisi beatam vitam? » Quamobrem Philo de utroque cum Anaxogora tum Democrito : « Anaxagoram, inquit [21], et Democritum celebrant Græci, quod præ amore philosophiæ prædia sua pecori compascua reliquerint. » Eadem prorsus Plutarchus [22], ac Suidas [23] de Anaxagora, atque de Democrito Origenes [24], et Lactantius [25] litteris consignasse legimus.

De Cratete autem hæc Plutarchi, cui Hieronymus quoque assentitur, ipsissima sunt verba [26] : « Thebanus Crates cum nemo ab ipso exigeret, cum nemini quidquam deberet, ipsam rei familiaris dispensationem, curasque, et occupationes aversatus, rem XIX talentum deseruit, sumptisque pallio et pera, ad philosophiam et paupertatem confugit. » Suidas vero aliter : « Thebanus, ait [27], Crates fortunas in mare demersit, nec pecudibus, nec hominibus utiles relinquens. » Unde colligi potest hunc ipsum esse, de quo Lactantius, tacito nomine, eum loquitur in modum [28] : « Quid ille, qui patrimonium, in nummos redactum, effudit in mare? Ego dubito utrumne sanus an demens fuerit. « Abite, inquit, in « profundum, malæ cupiditates. Ego vos mergam, « ne ipse mergar a vobis. » Antisthenes porro apud Laertium [29] magis ad auctoris nostri mentem apposite dixit illum « patrimonio vendito, erat quippe vir nobilis, cum congregasset circiter ducenta talenta, civibus ea divisisse. » Suum ei suffragium hæc in verba tulit Origenes [30] : « Vulgatum est apud Græcos ex ipsorum commentariis... Cratetem, quo liberius philosopharetur, largitum populo Thebano

[12] § 42. [13] § 26. [14] Matth. v, 13, 14. [15] lib. II, § 6. [16] Hipp. circ. init. tom. III, p. 233. [17] l. v Tuscul. circa fin., p. 285. [18] l. VIII, c. 7, § 6. [19] Bibl. cod. CCXLIII, p. 1037. [20] lib. v De fin., p. 115. [21] l. De vita contemp. [22] De vitand. ære alien., tom. II, p. 831. [23] ad verb. Ἀναξαγόρας. [24] l. II contr. Celsum circa med. [25] l. III, c. 23. [26] loc. cit. [27] loc. cit. [28] loc. cit. [29] l. VI, § 87. [30] loc. cit.

Digitized by Google

pecuniam, quam ex suis bonis confecerat. » Utrum autem Cratetis cives, seu populus Thebanus, aut Anaxagoræ οἰκεῖοι, quibus uterque bona sua reliquisse dicitur, egeni revera et pauperes fuerint, neque laudati a nobis scriptores, neque Laertius edixerunt. Ab illorum porro opinione minus auctor noster recessisset, si in ejus textu, uti in antiqua editione, πτωχοῖς, ἢ πατρίσιν, sive potius πατρίδι, *patriæ*, scriptum legeremus. Sed quamvis vera esset hæc lectio, multi tamen, uti ex dictis patet, adhuc superessent, qui huic sententiæ plane penitusque refragati sunt.

Plura autem hujus libri, solo Clementis nomine citato, in editis sancti Joannis Damasceni *Parallelis* fragmenta invenies. Multa etiam ex ejusdem Clementis *Stromatum*, sed præcipue *Pædagogi*, ut id obiter dicamus, libris eodem plane modo excerpta tibi occurrent. Sed ad ipsos cum Joannis Damasceni, tum Clementis divulgatos libros, ubi ea magno sine labore reperire poteris, te mittendum esse satius duximus.

Porro autem non infirmis, uti opinamur, argumentis probavimus neque hunc, neque superiorem librum a nemine jure unquam merito octavum *Stromatum* librum dici potuisse. In hujus vero opinionis confirmationem adduci potest Acacii, Cæsareæ in Palæstina episcopi, quædam Clementis nostri Alexandrini verba, ex octavo quoque *Stromatum*, quemadmodum ab eo citatur, libro desumpta, citantis testimonium. Illud autem legimus in Græco codice Regiæ bibliothecæ num. 2431 notato, quo Græca in primam Genesis partem catena exhibetur. Atque ibi in ejusdem Genesis cap. III, 21, Acacius ea refert quæ Clemens noster in tertio *Stromatum* libro, pagina 466, de Cassiano his dixerat verbis : « Pelliceas autem tunicas existimat Cassianus esse corpora, de quibus postea et eum, et qui idem cum eo sentiunt, aberrasse ostendemus, cum de ortu hominis, iis consequenter quæ prius dicenda sunt, aggrediemur expositionem. » Tum continuo pergit Acacius : Καὶ ἐν τῷ ὀγδόῳ δὲ *Στρωματεῖ* ἀθετεῖ τὴν περὶ τοῦ προεῖναι τὰς ψυχὰς δόξαν, λέγων αὐταῖς λέξεσιν· Ὁ Θεὸς ἡμᾶς ἐποίησεν οὐ προόντας. Ἔχρῃν γὰρ καὶ εἰδέναι ἡμᾶς τὸ ποῦ ἦμεν, καὶ πρωῆμεν καὶ πῶς, καὶ διὰ τί δεῦρο ἤκοιμεν. Εἰ δὲ οὐ προῆμεν, τῆς γενέσεως ἡμῶν μόνος αἴτιος ὁ Θεὸς, ὃς οὐκ ὄντας ἐποίησεν, οὕτως καὶ γενομένους σώζει. Ὁ δὲ τοὺς δερματίνους χιτῶνας τὰ αἰσθητὰ εἶναι λέγων σώματα, πάντως που καὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς αἰσθητὸν εἶναι ὁμολογήσει. Μετὰ τοὺς χιτῶνας γὰρ εἴρηται· *Μήποτε λάβῃ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, καὶ φάγῃ, καὶ ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα.* « Et in libro octavo *Stromatum* rejicit **344** eorum opinionem, qui animas ante corpora exstitisse prædicabant, his inquiens verbis : Deus nos cum prius non essemus, fecit. Oportebat enim et illud nosse ubi et eramus, et prius eramus, ac quomodo, et quam ob causam huc inde venimus. Si vero antea non eramus, Deus solus nostri auctor est ortus ; utpote qui nondum exsistentes fecerit, et sic factos conservet. Qui vero tunicas pelliceas corpora sensu dicit esse prædita, is omnino confitebitur lignum vitæ sensu quoque esse præditum. Post has quippe tunicas dictum est[31] : *Ne forte sumat de ligno vitæ, et comedat, et vivat in æternum.* »

Duo itaque, uti vides, Acacius transcripsit *Stromatum* Clementis Alexandrini fragmenta, quorum prius ex tertio, posterius ex octavo eorum libro desumptum fuisse dicitur. Atqui ex utroque illo fragmento haud absurde colligi potest promissum ab eodem Clemente octavum *Stromatum* librum, ab eo revera fuisse editum, ubi illos Cassiani et aliorum hæreticorum, sicuti lib. IV, pag. 510, pollicitus fuerat, errores confutavit. Verumtamen quia jam a longo tempore periit citatus Acacii et octavus Clementis liber, idcirco utrum in illa Patrum catena, et ejusdem Acacii operibus eo octavi *Stromatum* libri titulo reipsa inscriptus fuerit, vel in describendo hoc titulo aliquis erraverit, ita certo definire non audemus. Et vero Clemens alios, uti capite sequenti articulo tertio dicetur, de anima promisit libros, ubi prolata ab Acacio verba pariter scribi potuerunt. Si quis tamen probare possit Clementem, mutato deinceps consilio, de iis in octavo *Stromatum* libro disputasse, quæ in libris de anima tractare decreverat, ac proinde illum recte ab Acacio citari, huic plane non repugnabimus.

Præterea penes doctum ac religiosum ordinis Sancti Dominici virum P. Michaelem Lequien, nobis jampridem amicitia conjunctum, quidam sunt *Parallelorum* sancti Joannis Damasceni Græci codices, ab editis diversi, ubi hæc cap. 18 leguntur : Ἐκ τοῦ ἡ' *Στρωμάτων*· Ἀγάπη ἑκουσίων ἄρχει, ἀκόντων δὲ φόβος, οὗτος φαῦλος. Ὁ δὲ εἰς ἀγαθὸν παιδαγωγῶν ἡμᾶς εἰς Χριστὸν ἄγει, καὶ ἔστι σωτήριος. « Ex libro octavo *Stromatum* : Charitas volentibus, nolentibus vero imperat timor, et hic malus est. Alter timor in bonum ducens, ad Christum nos conducit, et est salutaris. »

Alibi vero, cap. 12 : Τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ η' *Στρωμάτων*· Φοβηθῶμεν οὐχὶ νόσον τὴν ἔξωθεν, ἀλλὰ ἁμαρτήματα, δι' ἃ νόσος, καὶ νόσον ψυχῆς, οὐχὶ σώματος. « Timeamus non externum morbum, sed peccata, propter quæ morbus. Timeamus, inquam, morbum animæ, non corporis. »

Deinde vero : Τοῦ αὐτοῦ· Νόμος ἔστω κατὰ τῶν σεμνὰ καὶ θεῖα, σεμνῶς καὶ θεοπρεπῶς ὁρᾶν ἀξιόντων, κόλασιν ἐπιφέρειν ἀορασίας. « Lege sancitum sit, ut qui reverenda, et divina reverenter, et divine conspicere noluerint, suæ ad conspiciendum negligentiæ dent pœnas. » Ibi autem procul dubio omissa est negatio οὐ ante σεμνῶς.

At primum fragmentum totidem verbis invenitur in secunda parte § 26 opusculi, quod post omnes *Stromatum* libros, in Græco-Latinis Clementinorum operum editionibus Græco tantum charactere divulgatum, ac deinde Combefisio in suo *Græcorum Patrum Auctario* Latine versum est. Ibi autem Græca illa verba Combefisius pag. 201 sic Latine reddidit : « Charitas iis imperat, qui spontanei sunt ; illis vero qui inviti pareant, malus hic timor; qui autem ad bonum rudimento est, ad Christum ducit, et salutaris exsistit. » Ex hoc itaque opusculo si hæc verba a Joanne Damasceno reapse excerpta fuerint, quid aliud inde confici potest, nisi eum, ut infra cap. 3, art. 2, demonstrabitur, falso codicum suorum titulo deceptum, existimavisse illud octavum fuisse *Stromatum* Clementis nostri Alexandrini librum? Alia porro fragmenta ex eodem opusculo, quod imperfectum ac mutilatum esse ostendemus, desumi quoque potuerunt. Idem fortasse dicendum de alio fragmento, quod in iisdem codicibus *Parallelorum* Joannis Damasceni litt. λ, cap. 1, corruptum occurrit, atque ex octavo etiam *Stromatum* Clementis libro notatur esse delibatum. Verum quia in hoc fragmento plures sunt amanuensium librariorum errores, inde forsitan aliquis haud absurde suspicabitur illos in auctoris aut libri, ex quo illud desumptum fuit, describendo nomine similiter erravisse. Sed hæc ut ab erudito Patre M. Lequien, in nova, quam molitur, omnium sancti Joannis Damasceni Operum editione clarius explicentur, avide exspectamus.

[31] Genes. III, 22.

Digitized by Google

CAPUT III.

De opusculo quod in Græce et Latine editorum Clementis Alexandrini Operum fine Græcis tantum typis (1) excusum est.

ARTICULUS I.

Analysis hujusce Græci opusculi.

In Græco-Latinis Clementis nostri Alexandrini operibus post octo, de quibus hactenus disputavimus, *Stromatum* libros adjectum est opusculum, Græcis duntaxat editum typis, et in duas partes divisum [32]. Prima autem hoc titulo inscribitur : Ἐκ τοῦ Θεοδότου, καὶ τῆς Ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας, κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαί. « Epitome doctrinæ tam a Theodoto, quam in Oriente, circa Valentini tempora traditæ. »

In hac vero prima hujus opusculi parte varia Veteris Novique Testamenti loca ullo absque ordine, ullaque sine cohærentia et connexione accumulantur, nec rectis sanisque plerumque interpretationibus explicantur. Quid enim, amabo te, a recto veroque sacræ Scripturæ sensu magis alienum et abhorrens, quam quod auctor hujusce commentationis ab ipso illius initio tradidit? Post allata siquidem hæc Christi verba [33] : Πατὴρ, παρατίθεμαί σοι (in sacro autem Lucæ textu, παραθήσομαι) εἰς χεῖρας τὸ πνεῦμά μου· « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, » confestim ille addit Salvatorem Patri suo commendasse sapientiam, tum ut eam acciperet, tum etiam ne ii, a quibus ea spoliari aliquando poterat, illam retinerent. Quod quidem quam absurdum falsumque sit, nemo est qui non videat. Plura alia auctor ille non minus inepta, ridicula et absurda passim spargit et disseminat. Aperte siquidem docet quædam esse σώματα νοερά [34], corpora spiritualia, ac dæmones, angelos, atque animas naturæ esse corporeæ [35], ipsosmet angelos sacro tinctos fuisse et ablutos baptismate [36]. Cætera vero errata, somnia, et deliramenta, in hanc scriptionem passim congesta, singillatim recensere, tam superfluum est, quam illa omnia repræsentare, quæ auctor de Basilidis, aliorumque hæreticorum, ac præsertim Valentinianorum erroribus, de quibus jam satis disseruimus, ita 345 memorat, ut de illis confutandis sæpissime non curaverit.

Ad hæc vero, Combefisius monitos nos fecit [37] se diu multumque ancipitem hæsisse, utrum hoc opus Græce tantum, uti diximus, editum, Latinum faceret. Quamobrem petito a viris doctis, ac nonnullis Ecclesiæ præsulibus consilio, satius esse judicavit tot absurda deliramenta Græce doctis Græca relinquere, quam ea Latino sermone ante omnium ponere oculos. Nam hæc Latine versa paucissimis utilitatis et emolumenti aliquid, plurimis vero damni et detrimenti multum afferre poterant. Quis igitur omnia, quæ in hac scriptione occurrunt, eodem modo ac alia, quæ in veterum Ecclesiæ Patrum lucubrationibus habentur, a nobis accurate ac solito more singulis quibusque exponi jure merito postulabit, quæ tot viri doctrina et ecclesiastica dignitate præstantes iis solis, qui Græcam callent linguam, deserenda esse censuerunt? Ad aliam igitur hujusce commentationis partem, quam Combefisius Latino idiomate omnibus exhibendam esse putavit, jam veniamus.

Secundæ itaque hujus opusculi partis [38], quæ « Ex scripturis prophetarum electa, » Ἐκ τῶν προφητικῶν ἐκλογαί, inscribitur, ab iis verbis exordium sumitur, quæ Daniel a tribus pueris in camino ignis ardentis ad benedicendum Deum prolata fuisse auctor testatur [39]. Ille autem ab eodem Daniele hæc verba [40] : « Benedictus es, qui intueris abyssos, » eodem sensu, quo isthæc ab Enocho : « Et vidi omnes materias, » dicta esse docet. Continenter vero [41] primis Geneseos verbis [42] : « In principio creavit Deus cœlum et terram, » cœlestia et terrestria significari, ac Filium Dei esse ἀρχήν, principium, quodam Oseæ prophetæ testimonio ostendere conatur. Ibi porro [43] citatis aliis ejusdem prophetæ et sequentibus Geneseos verbis [44] : « Spiritus ferebatur super abyssum, » multa de baptismate disputat.

Dehinc nulla facta transitione, ille scribit timori bonitatem a Deo commisceri, cum fideles malis quibusdam vexari permittit. Quamobrem senes, ut ipse ait [45], nisi mali aliquid, quo peccata sua expiarentur, quotidie perferrent, vehementer dolebant. Peccata enimvero magis quam morbus, cujus causa sunt, timeri debent. Et certe cœlestia speramus bona, ac paternam etiam hæreditatem, cujus jam pignus accepimus. Ad ea autem viam Dominus monstravit, ubi jubet, ut rejectis terrenarum rerum curis primum quæratur Dei regnum, atque ipsomet Deo animus noster impleatur. Pater autem [46], Filius et Spiritus sanctus tres sunt, quibus testibus atque adjutoribus mandata perfecte observari necesse est.

Tum auctor ibi exponit [47] quid jejunium mystice significet, et qui sint illius effectus. Orationem vero majoris virtutis esse ostendit, quam fidem; tametsi is qui credit, remissionem peccatorum consequatur. Deus vero [48], cujus nutu omnia fiunt, prophetas et apostolos in hominum mittit salutem [49], atque per homines nos genuit, et erudiit, præstatque beneficia. Ad hæc vero [50], ille nos, antequam essemus, creavit, suaque deinceps, si digni fuerimus, gratia salvat. Porro autem ille unus est Deus, qui tempestates, tempora, fructus et elementa mutat, ac singulis principium et finem definit.

Qui vero [51] ex fide et timore ad scientiam, γνῶσιν, pervenit, jam non servus, sed filius est, qui metu liberatus, et provectus ad charitatem, a vetitis abstinet, ac mandatis obtemperat. Christus autem sanguine suo pretioso redimit, atque in libertatem vindicat filios, cohæredes et amicos, quibus in cœlis est Pater [52]. Charitas enimvero illis imperat, sicut iis, qui inviti ei parent, malus est timor. Nullus porro Deum diligit pro dignitate, quam auctor summam et infinitam esse demonstrat [53].

Quamvis autem anima, pergit ille [54], ex seipsa moveatur, id illi tamen ex gratia oritur Dei, qui illius vult esse proprium, quod bonum illi tribuit. Itaque Deus animæ diligendi partes dedit, ut eam et sui admoneat officii, et illa libere voleus, et eligens capiat, ac teneat.

At Christus olim per prophetas [55], ac humano corpore assumpto, per seipsum nobis locutus est,

[32] col. 2. [33] col. 1. [34] col. 5. [35] col. 6. [36] col. 9. [37] Auctar. Græc. Patr., part. I, p. 197 et seq. [38] § 1. [39] § 2. [40] Dan. III, 55. [41] § 3 et 4. [42] Gen. I, 1. [43] § 5, 6, 7, 8. [44] Gen. I, 2. [45] § 9, 10, 11, 12. [46] § 13. [47] § 14. [48] § 15. [49] § 16. [50] § 17 et 18. [51] § 19. [52] § 20. [53] § 21. [54] § 22. [55] § 23.

(1) Græce et Latine prodiit in editione Potteri.

Digitized by Google

ægrotosque curavit [56]: nunc vero per apostolos et doctores id præstat. Homo etenim factus est, ut paternæ voluntati obsequeretur, hominumque saluti consuleret. Et vero ille peccata nostra abolendo, terreni veterisque delevit hominis imaginem, ac cœlestis et novi impressit.

Palam subinde [57] auctor noster facit quomodo intelligenda sint hæc Joannis Baptistæ verba [58]: « Post me venit, qui vos baptizet in spiritu et igni. Cujus ventilabrum... paleas autem comburet igni; » ac quo etiam sensu Deus a Moyse ignis consumens dictus sit. Atque ibi ille observat ab Heracleone et aliis quibusdam baptismate ablutorum aures fuisse igne obsignatas. Aliorum vero refellit opinionem, qui his Christi verbis [59]: « Ignem veni mittere in terram, » putabant significari virtutem, quæ sanctos quidem expurget, terrenos vero mergat atque exterminet.

Rationes porro ille profert [59*] cur seniores sacram, quam prædicabant, doctrinam scriptis non tradiderint, nec de ea libros composuerint. Gnosticos vero qui domesticis magis, quam extraneis invidebant, ille corripit [60], ostenditque scientiam, et sacrorum dogmatum cognitionem omnibus utilem esse, simulque necessariam. At præterea præfectis, inquit [60*], et præpositis longa opus est experientia, eruditione, qua omnia habeant explorata, ac discipulos ab hæreticorum erroribus avertant, doceantque quomodo illos impugnare et debellare possint. Vitæ porro integritas, sicuti ille ait [61], et morum innocentia extra invidiæ, odii et calumniæ aleam posita est.

Beata vero illius est senectus, qui vivendo æterna vita dignus efficitur, nullique nisi pravo homini molestus, cum eo, quod est præstantissimum, deinceps versatur.

Post hæc ille narrat [62] Pythagoram existimasse eum, qui rebus nomina imponeret, sapientum esse antiquissimum. Quapropter qui sacram Scripturam scrutatur, ex illius verbis et nominibus debet latentem sensum elicere; agnita autem veritate, ad Dei nititur pervenire similitudinem. At quisquis mundus et purus est, doctrinam divinamque virtutem assequetur.

Scientiæ mysteria, prosequitur auctor noster [63], vulgo deridentur; paucos vero primum quidem agent in stuporem, sed postea assuefacti, depulsis ignorantiæ tenebris, lumen veritatis læti aspicient. Ibi autem ille explicat [64] quonam modo investiganda sit veritas. At gnostica, inquit [65], virtus, ἡ ἀρετὴἡ γνωστική, hominem contemplatione simul et actione reddit excultum, qui temperantia et justitia exercitatus, et in carne angelici muneris functionem meditatus, in corpore animum sacrificat.

Tum continuo ille docet [66] quid Tatiano, qui hæc Geneseos verba : « Fiat lux, » optantis esse somniaverat, **346** sit respondendum. Addit vero [67] hunc hæresiarcham dixisse mulieres, propter crines et mundum, a virtute his rebus præfecta puniri. Varia porro ibi ostendit [68] esse Dei judicia. Monitos subinde nos facit in quadam scriptura, haud dubie apocrypha, asseri projectos et abortivos infantes angelo præsidi ac tutori educandos erudiendosque tradi; atque illic verba quædam, ex Apocalypsi Petri desumpta, in medium adducit.

Quosdam postea psalmi decimi septimi versus, nimirum 26, 45 et 51, breviter interpretatur [69]. Continenter vero ait malorum tolerantiam propter ipsius fructum esse bonam. Porro autem qui continens est, tum illico his affectibus non est immunis. Ubi vero [70] accesserit habitus, non jam est continens; quippe qui ut in uno habitu et Spiritu sancto esset, nactus sit. Cæterum [71] affectus suggestione et nutu spiritus vocantur. At ratio non præcipit quidem ut a creatura abscedamus [72], sed ut ea bene et sine affectuum pravitate utamur.

Dehinc ille refert [73] quid Petrus in Apocalypsi de abortivis, quorum melior sors est, infantibus, atque de futura eorum salute constituerit. Nobis quoque explicat [74] quid sibi ille velit, cum in eodem libro scripsit ex lacte, a mulierum uberibus defluente, ac concreto, minusculas, sed carnivoras bestias procreari. Planum denique facit [75] quid senex quidam docuerit de modo, quo anima hominis ab angelo, humanæ generationi præfecto, infunditur, ac quo fit, ut fetus in matris suæ utero sit animal.

Tum confestim auctor expositionem psalmi decimi octavi aggreditur [76], ostenditque [77-78], qui sint cœli, qui enarrant gloriam Dei, quid sit firmamentum quo manuum ejus opus annuntiatur, qui dies diei eructet verbum, ac quæ nox nocti scientiam indicet. At ibi duo adjicit [79]. Et primo quidem diabolum, qui Dominum venturum esse noverat, ac dæmones, qui Salomonem, antequam peccaret, Dominum esse arbitrabantur, non prius agnovisse Christi divinitatem, quam a mortuis resurrexisset. Deinde ille nos admonet ab Enocho litteris mandatum fuisse homines ab angelis transgressoribus non solum astronomiam et divinationem, sed alias etiam artes didicisse.

Pergit ipse [80], et quartum ejusdem psalmi versum explanando, observat stellas esse corpora spiritualia, quibus ita cum perfectis angelis communis est rerum administratio, ut tamen non causa earum, sed sint tantum signa.

In hoc autem [81-82] subsequenti versu : « In sole posuit tabernaculum suum, » vult esse hyperbaton, ita ut post sequentes versus debeant transponi. Ibi vero ait Hermogenem opinatum esse Salvatorem in sole suum posuisse corpus. Subinde autem interposito Pantæni testimonio, aliam sed obscuram, nec omnino sanam affert eorumdem verborum interpretationem. Ei vero tertiam ipse, sed secunda non magis veram et catholicam subjungit [83].

Post hæc alios ejusdem psalmi versus, scilicet octavum, decimum, duodecimum et decimum quartum, prætermissis tribus intermediis, breviter edisserit. Cætera vero, quæ ille prosecutus fuerat, in editis omnino desunt, nec aliunde potuerunt restitui et resarciri.

ARTICULUS II.

De hujus epitomes horumque excerptorum auctore.

Ex hujusce operis analysi, et utriusque illius partis titulo constat, et extra controversiam positum esse debet illud variis sententiis, nullo prorsus ordine digestis, nec sibi invicem connexis et cohærentibus, fuisse compactum. Unde autem, et ex cujus auctoris lucubrationibus ea omnia hujusce epitomes scriptor decerpserit, inter eruditos nostræ ætatis homines disceptatur. Quidam enim putant Theodotum, cujus nomen primæ hujus scriptionis parti prælixum legitur, fuisse ex Clementis nostri Alexandrini præceptoribus unum, quem ille *Stromatum* initio ex Palæstina oriundum fuisse testatur [84], ac ipsummet Clementem ex illius doctrina hoc composuisse opus, quod idcirco Ἀνατολικὴν διδασκαλίαν vocavit. Sed levissima sane est, ac minimi momenti horum auctorum conjectura. Nullo siquidem argumento, nullaque ratione eam hactenus probavere, neque probare unquam poterunt.

Nos quidem non fugit Theodotum non semel in

[56] § 24. [57] § 25 et 26. [58] Matth. III, 11, 12; Luc. III, 16, 17. [59] Luc. XII, 49. [59*] § 27. [60] § 28 et 29. [60*] § 30. [61] § 31. [62] § 32, 33, 34. [63] § 35. [64] § 36. [65] § 37. [66] § 38 et 39. [67] § 40. [68] § 41. [69] § 42, etc. [70] § 45. [71] § 46. [72] § 47 et 48. [73] § 49. [74] § 50. [75] § 51. [76] § 52. [77-78] § 53. [79] § 54. [80] § 55 et 56. [81-82] § 57. [83] § 58. [84] Strom. l. I, p. 274.

Digitized by Google

illa prima hujus operis parte citari, sed inde haud plane incerto conficitur eum non fuisse Clementis Alexandrini præceptorem [85]. Nam ibi primo arguitur in illorum errorem impegisse hæreticorum, qui Deum Patrem passum garriebant [86]. Deinde ille adhuc ab auctore nostro fautor patronusque dicitur fictitii ac ridiculi Æonum Pleromatis, quod supra libro secundo, dissertat. 2, cap. 4, § 1, a Valentino ejusque asseclis perperam excogitatum, ac præpostere venditatum vidimus. Atqui Clemens Alexandrinus [87] eo ipso, qui laudatur *Stromatum* libro asseveranter, uti ostendimus [88], affirmat sacra et orthodoxa religionis nostræ documenta ab omnibus, quorum ille mentionem facit, præceptoribus suis asseri ac propugnari. Non potuit igitur is Theodotus tot errorum fautor et assertor, unus ex eis esse quos Clemens magistros suos appellavit.

Aliis itaque hæc epitome vel ex editis a Clemente nostro *Hypotyposeon* libris excerpta videtur, vel plura saltem exhibere et complecti eorumdem librorum fragmenta. Nam illorum auctor, uti inquit Photius [89], « Et si recte in quibusdam sentire visus est, in aliis rursus impie omnino fabuloseque disserit. » Et ne id a se gratis dictum quis causaretur, plures in iisdem libris disseminatos errores postquam retulit, alios longe plurimos ac pene infinitos se prætermisisse significat. Ex his igitur libris eos omnes, qui in hac epitome occurrunt, decerptos fuisse existimant.

Huc accedit quod hujus epitomes auctor, ubi in secunda illius parte traditam a Pantæno quorumdam psalmi decimi octavi versuum expositionem exhibet, ibi ab eo his compellatur verbis [90] : ὁ Πανταῖνος ἡμῶν, « Pantænus noster. » At Clemens, teste Eusebio [91], in suis *Hypotyposeon* libris : « Pantænum magistrum suum (Græce διδασκάλου τοῦ Πανταίνου) nominatim appellat, quæcunque ille a majoribus accepisset, et traditiones, quas posteris reliquisset, exponens. » Quis ergo sibi facile persuaderi non patiatur, illam Pantæni allatam in hac epitome, quam notamus interpretationem, ex iisdem *Hypotyposeon* libris fuisse delibatam ? Denique Joannes Damascenus quoddam Clementis Alexandrini nomine testimonium retulit, quod hisce in electis revera invenitur [92].

Verum alii, his argumentis minime victi, suum huic opinioni ideo negabunt suffragium, quia ex variis **347** erroribus, quos ex *Hypotyposeon* libris idem Photius repræsentat, nullus fere in hac epitome reperitur. Contra vero plures, uti diximus, in ea hæreticorum ac præsertim Valentinianorum errores, deliriationes, atque commenta occurrunt, quæ Photius in *Hypotyposeon* libris a se reperta esse non dicit, sed quæ in genuinis Clementis nostri operibus, ut in superiori dissertatione a nobis observatum est, confutantur, ac funditus destruuntur.

Deinde ab horum excerptorum auctore Pantænus non suus magister vocatur, sed Πανταῖνος ἡμῶν, « Pantænus noster, » id est vel ejusdem cum eo doctrinæ defensor, vel ex eodem populo, eademque gente prognatus.

Postremo locus a Joanne Damasceno citatus, nihil aliud probat, nisi in eo, quo usus est, horum electorum manuscripto codice nomen Clementis inscribi : sed veram esse hanc inscriptionem nulla unquam ratione iis demonstrari poterit, qui infinitis propemodum exemplis didicerunt eam librariorum amanuensium sæpius fuisse pravam consuetudinem, ac prorsus intolerabilem impudentiam, qua ut descriptis a se operibus majorem conciliarent auctoritatem, falsum antiquissimi vel doctissimi scriptoris nomen illorum fronti præfigere non dubitaverunt.

Nobis itaque persuasum facilius quilibet faciet hujus opusculi utramque, quam unius ejusdemque scriptoris esse concedunt, partem neque ex Clementis Alexandrini *Hypotyposibus*, neque ex aliis illius libris fuisse compilatam. Nulla enim ratione vel ex hujus operis inscriptione, vel ex illius textu desumpta id confici potest. Quinimo ibi [93] absurda prorsus et ridicula cujusdam senis proponuntur argumenta, quibus probare volebat « animal esse, quod in matris utero gestatur. » At supra a nobis observatum [94] hanc quæstionem in earum a Clemente nostro exemplum proponi, quæ a Christianis nunquam movendæ sunt.

Eorum itaque opinioni haud ægre subscribemus qui hanc commentationem a scriptore aliquo, hæreticorum, atque quorumdam inprimis Valentinianorum potius, quam Catholicorum partibus mancipato, profectam esse probaverint. Et certe si præfixus huic opusculo titulus verus, uti plane videtur, sincerusque sit, in illius auctore quærendo tanta contentione non erat laborandum. Ex eo siquidem jure haud immerito colligi potest totum illud idem opusculum ex Theodoti et Orientalium haud dubie hæreticorum doctrina fuisse delibatum. Quis autem ille Theodotus fuerit, dictu profecto difficile est. Quidam tamen opinantur eum fuisse Byzantinum origine, et arte coriarium, qui Christum, ut alibi dicemus, quem coram tyrannis negaverat, Deum esse postea inficiatus est. Aliis vero is Theodotus videtur, quem Eusebius [95] primum pseudoprophetarum Montani et Priscillæ quasi procuratorem, et eodem vesano spiritu afflatum perhibet. Verum si Theodotus in hujus epitomes titulo idem atque in illius textu appellatus est, ille certe alius ab illis, et Valentinianæ hæreseos sectator non minori forsitan jure dici potest. Ut ut sit, hæc sane scripta tanti non sunt momenti, nec eorum auctor tantæ est auctoritatis, ut in illius inquirendo nomine majorem operam consumamus.

ARTICULUS III.

Novæ in secundam hujus opusculi partem adnotationes.

Quandoquidem secunda hujus opusculi pars digna Combefisio, aliisque visa est, quæ Latina fieret, idcirco quid in ea præcipue adnotari debeat, paucis demonstrandum est. Primum itaque observabimus præfixum ei titulum : « Ex Scripturis prophetarum electa, » non ab ejus auctore, sed ab aliquo potius male feriato exscriptore profectum videri. Ex ipsa siquidem vel sola illius a nobis exhibita analysi nemini obscurum esse poterit, alia longe plurima, quam prophetarum ex Scripturis electa in eo pertractari. Multa siquidem ibi notavimus ex apocryphis quibusdam libris delibata ; pluraque ab ejus auctore prolata, quæ vel sacris prophetarum oraculis adversantur, vel ex eorum libris desumpta non fuerunt. Quod quidem ex mox dicendis clarius adhuc patebit.

Deinde vero animadvertendum est [96] bis in hac scriptione citari Enochi librum, et secundo loco hæc ex illo proferri : « Jam vero etiam Enoch ait transgressores angelos docuisse homines astronomiam, et divinationem, ac reliquas artes. » Vidimus autem [97] a Clemente nostro genuinis suis in operibus, nimirum in quinto *Stromatum* libro expresse traditum prævaricatores angelos non quidem hominibus, sed nominatim mulieribus, plura annuntiasse arcana, et quæcunque in eorum cognitionem venerant. Solerter igitur expendas velim utrum id Cle-

[85] p. 794, col. 1. [86] ibid., col. 2. [87] Strom. l. i, pag. 274. [88] sup. dissert. 2, c. 1, art. 9, p. 642. [89] Bibl., cod. cix. [90] § 57. [91] l. vi Hist. c. 13, p. 214. [92] sup., p. 1506. [93] § 51. [94] sup. cap. 1, art. 3, p. 1591. [95] l. v Hist., c. 16, p. 181. [96] § 2 et 54. [97] Dissert. sup. 2, c. 8, art. 2, p. 992 et 993.

Digitized by Google

mens ex eodem apocrypho Enochi libro hauserit.

Petro quoque supposita tum *Apocalypsis*, tum *Prædicatio* tribus in locis citata legitur [98], atque in priore asseritur non solum futura abortivorum infantum, in angelorum disciplinam traditorum, salus et felicitas, sed ridicula etiam opinio de carnivoris quibusdam minusculis bestiis, ex lacte ab uberibus matrum defluente procreatis. In secundo Salvator et lex dicitur et Verbum. Jam autem a nobis adnotatum est [99] eumdem plane ac ultimum hujus apocryphi libri locum a Clemente Alexandrino citari. Ibi quoque nonnulla de falsa Petri *Apocalypsi* animadvertimus.

Nota quadam marginali Combefisius observat ab horum excerptorum auctore singularem Pantæno, quem præceptorem suum appellat [1], ac plane falsam ascribi opinionem, ab Hermogenis errore de corpore Christi in sole posito non valde diversam. Sed ibi nihil aliud ex Pantæno defloratum videtur, nisi in sacris Scripturis sæpius præsens pro futuro, et futurum pro præsente usurpari. Qua quidem regula ab eo constituta, auctor noster hæc verba [2] : « In sole posuit tabernaculum suum, » singulari prorsus atque falsa explanatione interpretatur. De Hermogenis porro erroribus supra lib. II, dissert. 2, cap. 8, art. 1, disputavimus.

Alia vero Tatiani opinio ab auctore nostro rejicitur [3], qua illa hæc Geneseos verba : « Fiat lux, » optantis esse perperam contendebat. At inde illud confirmari potest, quod adhuc supra lib. II, cap. 6, art. 2, a nobis notatum fuit, hunc Tatianum, non secus atque Marcionem, falso docuisse duos esse deos. Verum si auctor noster hunc Tatiani errorem confutavit, nihil certe contra aliam, quam illi continenter attribuit [4], opinionem « propter crines, καὶ τὸν κόσμον, et mundum, » haud dubie muliebrem, feminas **348** a virtute his rebus præfecta puniri.

Non semel porro mentionem fecimus Heracleonis, qui, uti auctor noster refert [5], eorum aures igne obsignabat, qui baptismate initiabantur. Videsis supra lib. II, dissert. 2, cap. 4, art. 3, § 3, et hujus libri dissert. 2, cap. 13, art. 2.

Citatis paulo post [6] Christi verbis [7] : « Ignem veni mittere in terram, » hæc auctor noster adjecit : « Nempe virtutem, quæ sanctos quidem emundet; terrenos vero, ut quidam aiunt, interitu mergat et deleat, » Græce δύναμιν ὑλικῶν ἀφανιστικήν, virtutem terrenos, sive potius materiales exterminantem. At Combefisius ad marginem adnotavit hunc esse Gnosticorum de abolendo corpore errorem. Sed id certe aliqua saltem ratione probandum erat, aut quinam essent illi Gnostici, designandum. Nonne enim his verbis alii potius designantur hæretici, sive Valentiniani, sive Montanistæ, aut alii qui seipsos spirituales, Catholicos autem ψυχικούς, animales, atque etiam carnales, et materiales esse jactitabant? Neque etiam repugnabimus iis, qui ab auctore nostro Valentinianos notari demonstraverint. Ab iis siquidem non solum tria, ut vidimus [8], hominum genera constituebantur, unum scilicet spirituale, secundum animale, et materiale tertium; verum etiam quasdam animas natura sua dicebant esse malas, nec suscipiendi seminis capaces.

Quosdam porro Gnosticos, a superius memoratis haud dubie diversos, etiamsi paulo post auctor noster nominatim corripiat [9], ipse nihilominus antea dixerat [10] : « Qui credidit, remissionem peccatorum a Domino consecutus est : ὁ δὲ ἐν γνώσει γενόμενος, ἅτε μηκέτι ἁμαρτάνων, παρ' ἑαυτοῦ τὴν ἄφεσιν τῶν λοιπῶν κομίζεται. « Qui autem adeptus est scientiam, seu gnosim, ut qui non peccet (*vel* quasi amplius non peccans), a seipso reliquorum remissionem obtinet. » Cujus explicandi gratia Combefisius in margine addidit : « Quasi merendo, qua gratia justificatus est. » Sed nihil in illo auctoris nostri textu videmus, quod ad hanc explicationem nos conducat. Quapropter verisimilius fortasse videbitur illum ibi ad errorem allisisse quorumdam pseudo-Gnosticorum, qui vitam spiritualem profitentes, ad eum statum, in quo amplius peccare non possent, se aliquando pervenisse venditabant.

Plures alias, vel ex variis apocryphis, uti vidimus, libris, vel nullo citato auctore scriptor noster falsas opiniones, ac præcipue de stellis et angelis simpliciter proponit [11], quas ille nec refutare, nec quid in eis cavendum sit, retegere, aut saltem indicare curat. Nonnulla tamen sana, recta et orthodoxa in hac epitome occurrunt. Nam ut alia, quæ ex illius analysi satis intelliguntur, missa faciamus, illud profecto verum et orthodoxum est, atque ab antiquis Patribus sæpius traditum et assertum, quod ille his edixit verbis [12] : « Salvator noster baptizatus est, cum ipse non egeret; ut bis qui regenerarentur aquas omnes sanctificaret. » Verum sicut boni scriptoris est recta et sana scribere, ita illius quoque officii et muneris esse debet, si quæ falsa et absurde proponere cogatur, quod in eis noxium est, aut confutare, aut saltem ne incauti quidam decipiantur, nota aliqua inurere. Porro autem qua necessitate ad tot absurda et ridicula opinionum commenta vel ex se ipso, vel ex alterius scriptoris lucubrationibus tradenda auctor noster compulsus fuerit, nobis prorsus incompertum esse fatebimur.

Denique observabimus hunc tractatum perfectum non esse, pluresque adhuc in eo esse hiatus, et loca detruncata, ac mutilata, ac tandem in illius fine multa desiderari, quæ vel temporis injuria periere, vel ex manuscriptis codicibus abstracta avulsaque fuerunt.

CAPUT IV.

De quibusdam in aliquot Epistolas canonicas adumbrationibus, Clementi Alexandrino attributis.

ARTICULUS I.

Analysis harum adumbrationum.

Hæ adumbrationes scriptæ sunt in primam Petri apostoli, et Judæ, ac primam et secundam Joannis Epistolam. Verum illæ non perpetua et continuata in integras illas Epistolas commentaria, sed breves duntaxat in quosdam earum versus, vel aliquam duntaxat eorumdem versuum partem enarrationes, ac sæpe sæpius notulas tantummodo et animadversiones exhibent.

A prima autem Petri Epistola, sed a tertio tantum primi ejus capitis versu auctor orditur. Inde

[98] § 41, 49, 50. [99] dissert. super. 2, c. 4, p. 931. [1] § 37. [2] Psal. xviii, 6. [3] § 38. [4] § 39. [5] § 25. [6] § 26. [7] Luc. xii, 49. [8] lib. sup. dissert. 2, c. 4, art. 2. [9] § 26 et 27. [10] § 15. [11] § 53, 56, 58. [12] § 7.

Digitized by Google

transit ad quintum, ac deinde nonum, decimum, duodecimum, decimum nonum, vicesimum tertium, et vicesimum quintum, omnibus aliis prætermissis, edisserit. Ex capite autem secundo non alios versus ille explicat, quam nonum, et vicesimum tertium; quemadmodum ex capite tertio quasdam tantum versus decimi quinti, decimi octavi, vicesimi, vicesimi primi et secundi partes interpretatur. Similiter in subsequentis capitis quarti versum decimum, decimum tertium, decimum quartum et decimum septimum quædam animadvertit. Sed ex capite quinto nihil aliud, præter aliquam versus decimi et decimi quarti partem attigit.

Datæ vero a Juda Epistolæ expositionem inde ille inchoat, quod Judas ipsius initio se non fratrem Domini, sed servum appellaverit. Quo enarrato, confestim venit ad versum quintum, et alios subsequentes, usque ad versum decimum quartum, in quos breves tantum, ac quandoque in minimas eorum partes observationes exhibet. Hinc transilit ad versum decimum nonum, ac postea versum vicesimum, vicesimum primum, vicesimum secundum, et vicesimum tertium, omissis quibusdam verbis, transcripsit, nihilque in eos, nisi in nonnulla vicesimi tertii verba adnotat. Deinde vero paulo fusius vicesimum quartum explanat : ac manifestum tandem facit cur Christus, morti proximus, principi sacerdotum interroganti, se revera Filium Dei esse responderit.

Simili plane modo prima Joannis Epistola ab auctore nostro exponitur. Primum etenim ille patefacit quam pulchre hujus Epistolæ exordium cum Evangelii secundum Joannem principio congruat et conveniat. Tum vero ille enarrat ejusdem capitis versum secundum, quintum, secundam septimi partem, ac tandem decimum. Ex capite autem secundo secundam primi versus partem, et post hæc versum tertium, quintum, septimum, octavum, nonum, decimum, ac hoc duodecimi verbum, *filioli*, edisserit. Postea vero decimum tertium explicat, sicut decimum sextum, decimum septimum, decimum nonum, vicesimum secundum, vicesimum tertium, ac secundam vicesimi noni partem. Capitis vero tertii **349** alteram versus primi partem, ac subinde versum secundum, octavum, nonum, decimum, decimum quintum, decimum sextum, ac postremo vicesimum interpretatur. Nam sequentis quidem versus verba refert, sed nihil in ea observat. Duos porro nec plures capitis quarti versus, nempe secundum et decimum octavum exponit. Gradum inde facit ad quorumdam capitis quinti versuum explanationem, nimirum secundæ sexti septimique versus partis; ac post hæc ad versus decimi quarti, atque alterius quoque tantum versus decimi noni et vicesimi partis expositionem.

Postremo auctor noster secundæ ejusdem Joannis Epistolæ, quam ad virgines, non secus, atque ad Babyloniam, cui nomen Electæ erat, scriptam opinatur, argumentum nobis breviter proponit. Ex tota autem illa Epistola solus, cæteris omnibus penitus omissis, decimus versus ab eo explicatur.

ARTICULUS II.

De harum adumbrationum editionibus, auctore, ac titulo.

Adumbrationes illæ, sive potius brevissimæ notæ et animadversiones typis editæ fuerunt non solum in Parisiensi, et nostra Lugdunensi *Patrum Bibliotheca*, sed Oxonii etiam anno 1683, ac Lipsiæ anno 1700, post tractatum, *Quis dives salutem consequi possit*, de quo superius diximus, publici factæ sunt juris.

Qui autem editionibus illis præfecti fuere, ii Clementis Alexandrini nomen huic opusculo inscripserunt. Veram porro esse eam inscriptionem, atque a Clemente Alexandrino scriptas esse has adumbrationes probare conantur Cassiodori auctoritate, hisque illius verbis [13] : « In Epistolis canonicis Clemens, Alexandrinus presbyter, qui et *Stromateus* vocatur, id est, in Epistola sancti Petri prima, sancti Joannis prima et secunda, et Jacobi quædam Attico sermone declaravit. Ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus est : quæ nos ita transferri fecimus in Latinum, ut exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina ejus securior potuisset hauriri. » Adumbrationes enimvero, de quibus disputamus, has ipsasmet esse, quas Cassiodorus commemorat, inde colligunt; quia ille aperte testificatur in illis, quæ a Clemente Alexandrino profectæ sunt, non integras horumce apostolorum Epistolas fuisse expositas, sed ex iis quædam tantum Attico sermone explicata, ex quibus nonnulla incaute dicta ipse consulto resecavit. At ex istarum, de quibus agimus, adumbrationum exhibita a nobis analysi patet quamplurima quatuor apostolicarum harumce Epistolarum loca sine ulla aut nota aut explicatione in iisdem penitus omissa fuisse adumbrationibus.

Oxoniensis vero episcopus existimat eas esse Ὑποτυπώσεων Clementinarum partem, ac Cassiodorum, qui Clementem *Stromateum* vocat, verbum Græcum, ὑποτυπώσεις, Latine *adumbrationes* reddidisse. In hujus autem conjecturæ confirmationem proferri forsitan possunt hæc Eusebii de eodem Clemente verba [14] : « In libris Ὑποτυπώσεων, omnium ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti Scripturarum compendiosam instituit enarrationem, ne illis quidem prætermissis scripturis, de quibus inter multos ambigitur : Judæ Epistolam, et Barnabæ, ac reliquas catholicas Epistolas intelligo. » Quid enim, inquies, istæ adumbrationes aliud continent, nisi compendiosam, uti diximus, enarrationem illarum Petri, Joannis et Judæ Epistolarum, quas Eusebius a Clemente sic expositas esse testificatur? Quid vero, quod id auctoritate stabiliri adhuc potest Photii, qui, etsi paulo obscurius, in eumdem tamen sensum scripsit [15] : « *Hypotyposeis* quidem disceptationem continent locorum aliquot Veteris Noviquæ Testamenti, quæ etiam summatim explicat et interpretatur? »

Sed hæ conjecturæ multis parum verosimiles, ac levissimæ procul dubio videbuntur. Plurima enim ante sæcula cum libri *Hypotyposeon* deperditi fuerint, quonam, quæso, modo probare ullus unquam poterit illas, de quibus disputamus, adumbrationes ex istis *Hypotyposeon* libris fuisse collectas?

Deinde vero Cassiodorus, qui has adumbrationes Græce scriptas viderat, jusseratque Latinam verti in linguam, de iis tanquam singulari quodam Clementis opere, ab *Hypotyposeon* libris distincto loquitur.

Non minus præterea incertum est utrum Cassiodorus loco a nobis citato, de hisce Epistolarum Petri, Judæ et Joannis adumbrationibus sermonem fecerit. Primo siquidem ille Epistolæ a Jacobo, non autem a Juda datæ meminit. Neque dixeris solita librariorum amanuensium incuria in Cassiodori textu pro Judæ, nomen Jacobi fuisse substitutum. Nulla etenim codicum seu editorum seu manuscriptorum auctoritate, nullaque alia ratione id probari potest.

Secundo Cassiodorus nos admonet se ex iis, quos præ manibus habuit, Clementis Alexandrini in illas trium apostolorum Epistolas commentariis quædam sustulisse, haud dubie errorum offendicula, ut sana rectaque ejus doctrina posset securius hauriri. Atqui in his, de quibus quæstio est, adumbrationibus, nonnulli adhuc supersunt errores, quos

[13] lib. De institut. divin. litter., c. 8, p. 543. [14] lib. VI Hist. eccles., c. 14, p. 215. [15] Bibl. cod. CIX, p. 286.

Digitized by Google

Cassiodorus non minus inde quam alios amputare debuit. Quod quidem ex iis, quæ in sequenti articulo dicenda sunt, manifestum omnibus fiet.

Cum nulla igitur satis valida ratione probatum hactenus fuerit eas adumbrationes aut ex Clementis Alexandrini operibus fuisse decerptas, aut ab illo seorsim compositas, iis facilius assentiemur, qui illas a scriptore non plane orthodoxo, sed hæreticorum partibus potius addicto, profectas esse ostenderit.

Paulo itaque majoris momenti argumentis probari potest præfixam fuisse huic operi *Adumbrationum* inscriptionem. Testatum siquidem Labbeus facit [16] hæc se vidisse commentariola « calamo exarata in membranis codicis antiqui, qui fuit olim cœnobii S. Mariæ Montis Dei, ubi *Adumbrationes* inscribuntur. » Neque etiam ullus dubitandi locus est eas in manuscripto codice, ex quo typis Latinis excusæ, in vulgus prodierunt, eodem hoc titulo, quo a Fabro quoque Stapulensi laudantur, fuisse prænotatas.

Cur porro eo nomine illud opusculum nuncupatum fuerit, si a nobis quis rogaverit, respondebimus illud idcirco ita esse inscriptum, quia non perfecta et omnibus numeris absoluta in Petri, Judæ et Joannis Epistolas commentaria, sed leves tantum, uti ex dictis liquet, earum imagines et species exhibent ac repræsentant. Atque illud certe nomine *adumbratio* non male significatur.

350 ARTICULUS III.

Novæ in has adumbrationes, sive commentariola, notæ et animadversiones.

Quamvis brevissimum sit hoc opusculum, ad nos tamen illud plane integrum et incorruptum pervenisse non putamus. In hunc siquidem primæ Joannis Epistolæ primum capitis secundi versum : « Et si quis peccaverit, consolatorem habemus apud Patrem, Jesum Christum, » hæc scripta sunt : « Sicut enim apud Patrem consolator est pro nobis Dominus; sic etiam consolator est, quem post assumptionem suam dignatus est mittere. [Hæ namque primitivæ virtutes, ac primocreatæ,] immobiles exsistentes secundum substantiam, et cum subjectis angelis et archangelis, cum quibus vocantur æquivoce, diversas operationes efficiunt. Sic etiam et Moyses Michael angeli virtutem per vicinum sibi et infimum angelum vocat. Similiter quoque in prophetis sanctis invenimus, sed Moysi quidem propinquus ac vicinus angelus apparuit. Exaudivit eum, et locutus ei Moyses manifeste facie ad faciem. Aliis autem prophetis secundum operationem angelorum motus quidam fiebat, veluti audientium ac videntium. Idcirco et soli audiebant, solique cernebant, sicut et in Samuele manifestatur. Eliseus etiam solus audiebat vocem, qua vocatus est. Si autem esset manifesta et communis vox, ab omnibus præsentibus audiretur : nunc autem a solo, in quo operabatur motus, qui ab angelo fiebat, audita est.]» Totum autem haud exiguum hoc fragmentum, uncis inclusum, nullam penitus cum præcedentibus ac subsequentibus, neque cum ipsiusmet Joannis apostoli, quæ explicantur, verbis nec connexionem habet, nec affinitatem. Itaque a male feriato aliquo scriptore illud adjectum, aut amanuensium librariorum negligentia et oscitantia loco suo forsitan motum est. Magis siquidem illud spectare videtur ad ea, quæ prius auctor noster in caput tertium, vers. 22, primæ Petri Epistolæ hunc in modum dixerat : « *Subjectis sibi angelis*, qui sunt primus ordo : et subditis *potestatibus*, quæ sunt secundi ordinis : *subditis* quoque *virtutibus*, quæ ad tertium ordinem pertinere declarantur. »

Quidquid autem de hujus fragmenti additione, aut transpositione dicatur, eadem in eo, atque ab auctore nostro opinio asseritur, superiores angelos per alios inferiores in res humanas agere, et cum hominibus loqui. Etenim in Epist. Judæ vers. 9 hæc ille observavit : « Michael autem hic dicitur, qui per propinquum angelum altercabatur cum diabolo. »

A bonis autem angelis ad malos et prævaricatores si transeamus, ille paulo superius in sextum ejusdem Epistolæ versum haud hæsitanter affirmavit hos apostatas angelos « in vicinum terræ locum, hoc est, caliginosum aerem, fuisse detrusos. » Petavius vero tom. III *Theol. dogm.*, lib. III, cap. 4, ostendit eam fuisse veterum Ecclesiæ Patrum opinionem. Sed his scriptoribus auctorem nostrum annumerare potuisset.

Animadvertere præterea debemus auctorem nostrum vulgatæ catholicarum Epistolarum versioni non penitus inhærere. Verumtamen eam sæpe sæpius ita sequitur, ut ab ipso, vel si Græcus homo fuerit, ab ejus interprete lectitatam, huicque usui fuisse vix a quoquam in dubium merito vocari queat. Aliquando vero, sed rarius tam ab illa quam a Græco earum textu parumper discedit. Utrum autem inde colligi possit ab ipso ea verba, a vulgata versione et Græco textu discrepantia, memoriter tantum reddita fuisse, ab aliis audire, quam aliquid statuere malumus.

Notandum insuper a nobis est cur et quomodo auctor noster Evangelium a Marco scriptum esse censuerit. De hoc etenim ita ille pronuntiat [17] : « Marcus Petri sectator, palam prædicante Petro Evangelium Romæ coram quibusdam Cæsareanis equitibus, et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quæ dicebantur memoriæ commendare, scripsit ex his, quæ a Petro dicta sunt, Evangelium, quod secundum Marcum vocitatur. » Quis enim, quæso, præter istum auctorem dixit Marcum ideo Evangelium suum scripsisse, quia « a quibusdam, » qui Petrum prædicantem audierant « Cæsareanis equitibus petitus » fuerat? Et certe Clemens Alexandrinus, ut cæteros prætermittamus, longe aliter sentiebat. In illius siquidem *Hypotyposeon* libris, sicut ex Eusebio alibi vidimus [18], Marcus Evangelium tunc composuisse perhibetur, postquam *multi*, qui Petrum concionantem audierant, eum ad illud scribendum fuissent cohortati. Ibi autem nihil de *Cæsareanis equitibus*, ac multo minus de *quibusdam* occurrit; sed indefinite *multos*, Græce πολλούς, legimus. Utrum vero inde inferri possit has adumbrationes nostro Clementi Alexandrino perperam ascribi, non audemus omnino asseveranter affirmare. Fieri enim potest ut ille in deperditis suis libris, varias aliquando, atque etiam contrarias eadem de re opiniones retulerit.

Ad ejusdem vero Clementis sententiam his propius auctor noster accessit verbis, quæ ab eo continenter subjunguntur : « Sicut Lucas quoque et Actus apostolorum stylo exsecutus agnosceret, et Pauli ad Hebræos interpretatus Epistolam. » Prius vero ille eamdem ad Hæbræos Epistolam, cujus prima verba citavit, Paulo adhuc adjudicaverat. At Eusebii, jam a nobis citati, auctoritate sup. dissert. 2, cap. 4, art. 2, ostendimus eamdem omnino Clementis et de Actibus apostolorum, et de hac ad Hebræos Epistola fuisse opinionem.

Ab aliis autem dissentit idem auctor noster, ubi de iis, ad quos secunda Joannis Epistola data est, sic disputat : « Secunda Joannis Epistola, quæ ad virgines scripta, simplicissima est. Scripta vero est ad quamdam Babyloniam, Electam nomine. »

Et vero hæc Epistola directa est Electæ, καὶ τοῖς

[16] De script. eccles. tom. I p. 23). [17] in Petr. I Epist., c. v, v. 14. [18] dissert. sup. 2, c. 4, art. 2, p. 924.

Digitized by Google

τέκνοις αὐτῆς, « et natis, seu filiis ejus. » Atqui illa Epistola ad virgines dari non potuit, nisi Electæ filii virgines revera fuerint. Cuinam autem, obsecro, illud hactenus probatum est ?

Eorum porro qui hujus opusculi scriptorem, vel Clementem Alexandrinum, vel alium quempiam Nicæna synodo antiquiorem esse arbitrati sunt, magna attentione dignum in primis illud fuit, quod ab eo haud semel de summa Filii Dei, Christi Domini divinitate asseritur et prædicatur. Tanta etenim evidentia et perspicuitate illam tuetur et vindicat, ut nihil clarius a quoquam desiderari posse videatur. Suam enimvero Epistolæ a Juda datæ enarrationem sic ille absolvit : « In Evangelio secundum Marcum interrogatus Dominus a principe sacerdotum, si ipse esset *Christus Filius Dei benedicti*, respondens dixit : *Ego sum; et videbitis* **351** *Filium Hominis* ..... In aliis autem Evangeliis dicitur principi sacerdotum interroganti, si ipse esset Filius Dei, non econtra respondisse. Sed quid dixit ? *Vos dicitis;* satis bene respondens. Si enim diceret : Sicut vos intelligitis, mentiretur utique, non se confitens Filium Dei; illi non ita de illo intelligebant. Dicens autem : *Vos dicitis*, vere locutus est. Quod enim non sapiebant, verbis dicebant, hoc ille verum esse confessus est. » Hæc itaque est auctoris nostri ratiocinatio. Mentitus fuisset Christus, si a principe sacerdotum interrogatus, utrum Dei esset Filius, id respondisset, quod ille sacerdotum princeps hac interrogatione intelligebat. Non credebat enim eum esse Deum, sed tantummodo hominem. Quapropter Christus respondit : « Vos dicitis; » atque ita vere locutus est. Etenim his verbis confessus est se non esse duntaxat hominem, sicut illi arbitrabantur, sed esse verum Dei Filium, quemadmodum ipsi dicebant. Cur autem, amabo te, ita auctor noster argumentatus est, nisi quia persuasum omnino habuit Christum verum, sicut et Patrem, esse Deum?

Observa, quæso, utrum auctor noster memoriter tantum dixerit in aliis Evangeliis scriptum fuisse [19] : « Vos dicitis. » Nam id in solo Lucæ Evangelio occurrit, ubi Christus non soli sacerdotum principi, uti ait auctor noster, sed senioribus plebis, principibus sacerdotum et scribis ita respondisse narratur. At hæc per transennam.

Christi porro divinitatem longe adhuc clarius et luculentius auctor noster astruit, ubi exordium primæ Joannis Epistolæ sic interpretatur : « Quod dicit : *Ab initio*, hoc modo presbyter exponebat, quod principium generationis separatum ab opificis principio non est. Cum enim dicit : *Quod erat ab initio*, generationem tangit sine principio Filii cum Patre exstantis. *Erat*, ergo verbum æternitatis significativum, non habentis initium, sicut etiam Verbum ipsum, hoc est Filius Dei secundum æqualitatem substantiæ unum cum Patre subsistit, sempiternum est, et infectum. Quod semper erat Verbum significatur dicendo [20] : *In principio erat Verbum.* Ibi ille apertissime docet æternam et sine initio esse Filii Dei generationem, hunc que esse Verbum sempiternum, atque ejusdem cum Patre suo æterno substantiæ et naturæ. Et id quidem non suis solum verbis luculentissime declaravit, sed ex ipsis quoque cum hujusce canonicæ Epistolæ, tum etiam Joannis Evangelii plane similibus ac consentientibus exordiis.

Neque satis ei fuit illud tam diserte affirmasse, sed rursus paulo post : « Patris, inquit, appellatione significat, quoniam et Filius semper erat sine initio. » At hæc in tam parvo opere repetitio nonne manifestissime ostendit nihil auctori nostro magis cordi fuisse, quam ut omnibus hanc doctrinam traderet et inculcaret?

Verum quomodo, arguet aliquis, Filius dici potest semper fuisse sine principio, qui a Patre æterno genitus est, atque idcirco principium habuit? Sed huic respondebimus Filium Dei idcireo dici esse sine principio, seu initio, quia, cum ab omni æternitate genitus a Patre fuerit, nullum habuit temporis initium ; quandoquidem nullum assignari potest temporis punctum, quo ille, cum prius non fuisset, esse et exsistere incœperit. Eodem plane sensu post Nicænam synodum loquuntur doctissimi et antiquissimi Ecclesiæ Patres, qui Filium Dei sine principio, et ἄναρχον esse haud dubitanter dixerunt. Ne autem omnes nominibus suis, quod inutile foret, singillatim appellemus, sufficiat id unius ex iis, atque alterius scriptoris, omni exceptione majoris, probare auctoritate ac testimonio. Primus itaque prodeat Cyrillus Alexandrinus, cujus hæc sunt verba : « Ut Pater, inquit [21], ipse principio caret, minimeque factus est ; sic et Verbum, quod ex ipsius substantia processit, initio carens, ἄναρχος, expers erit temporis, nec factum, uti nec ille qui ipsum genuit. » In eumdem quoque modum contra Eunomianos disputat Gregorius Nazianzenus orat. 35, paulo post initium, pag. 765 : « Quid ergo, inquies, si Filius et Spiritus sanctus Patri coæterni sint, quid afferri potest, quin principii quoque, quemadmodum et ille, sint expertes? Quia ab ipso sunt, licet non post ipsum. Quod enim principio caret, æternum quoque est : quod autem æternum est, non protinus quoque principio vacat, quandiu ad Patrem, velut ad principium et originem refertur. Ergo illi quantum ad causam principio minime careat (perspicuum est autem causam non omnino antiquiorem esse iis, quorum causa est ; neque enim sol lucem tempore antecedit), quantum autem ad tempus, principii expertes sunt, quamlibet tu verborum larvis simpliciores animos territes. » Auctor igitur noster recte, sicut eruditissimi illi scriptores, dicere potuit Filium Dei, quamvis æternum, sicut Pater fuerit, esse tamen ἄναρχον, ac sine temporis initio. Æterna siquidem illius generatio omne antecessit tempus, nec ullum designari potest temporis momentum, ante quod ille non exsisterit.

Neque audiendus est, qui nobis objiciet, hæc quæ retulimus, auctoris nostri, Nicæna synodo antiquioris, verba ab ipso profecta non fuisse, sed a Cassiodoro, vel ab eo qui ejus jussu has adumbrationes Latine reddidit. Nam Cassiodorus aperte quidem declarat se ex iis quædam offendicula sustulisse, sed nullibi dixit aliquid eis a se, aut ab alio fuisse unquam additum. Deinde vero incertum est utrum hoc adumbrationum opusculum illud ipsum sit de quo sermonem Cassiodorus fecit.

At illud profecto minus sanum et orthodoxum videtur, quod auctor noster de humana anima ad primæ Petri Epistolæ caput primum, vers. 5, hunc scripsit in modum : « Apparet quoniam non est naturaliter anima incorruptibilis, sed gratia Dei, per fidem, et justitiam, et per intellectum perficitur incorruptibilis. » Quomodo autem hominis anima « non est naturaliter incorruptibilis, » quæ cum substantiæ omnino spiritualis sit, atque idcirco nec corpore, nec ullis constet partibus, mori nunquam potest, neque corrumpi? Ad hæc vero, istud catholicæ Ecclesiæ de humanæ animæ immortalitate dogma tam diserte ab ejusdem Ecclesiæ Patribus, atque in divinis sacræ Scripturæ libris definitum statutumque est, ut qui id negavit, hæreticus jure merito habeatur.

Scimus quidem ad Lugdunensis *Patrum bibliothecæ* marginem adnotari hæc auctoris nostri verba posse *forsitan* explicari, « vel de perfecta incorruptibilitate, ac supernaturali gloria, vel quod anima non per suam naturam, ut Deus, sed a causa efficiente dependet, nempe a Deo. » Sed recte quidem hujus animadversionis auctor verbum *forsitan*, quod dubi-

[19] Luc. XXII, 70. [20] Joan. I, 1. [21] Thes., p. 55.

Digitized by Google

tantis animi est, ibi adjecit. Satis enim 352 aperte anima ab auctore nostro dicitur non naturaliter immortalis, sed immortalitem gratia tantum Dei, fide et justitia, sive bonis suis operibus consequi. At id falsum omnino esse nemo certe catholicus homo inficiabitur.

Quid vero, quod ille paulo post in hæc Petri verba[22]: « Regenerati non ex semine corruptibili, » id tantummodo expositionis gratia dixit : « Corruptibilis igitur est anima, quæ cum corpore simul profunditur, ut quidam putant. »

Verum, ibi, inquies, non suam sed aliorum ipse refert opinionem. Esto. Sed cur, quæso, hæc nec plura protulit? Cur hunc errorem non explodit, aut impugnat? Cur eum aliqua saltem nota non inurit, aut veram sententiam illi non opponit?

Porro autem nonne ex his colligi haud absurde potest has *Adumbrationes*, ab iis esse penitus diversas, quas a Clemente Stromatæo editas, Cassiodorus ab alio Græce docto curavit in Latinum verti sermonem? Etenim cum transcripta a nobis verba vix ac ne vix quidem recto sensu explicari, atque incautis pluribus offendiculo esse queant, non minori sane diligentia pius vir ea excidisset, quam alia, quæ a se ex hoc opusculo amputata fuisse testificatur.

Quæ quidem iis adhuc confirmari possunt, quæ idem auctor noster in undecimum subsequentis Judæ Epistolæ versum : « Væ illis, quia in via Cain abierunt, » his nec pluribus verbis edixit : « Sic etiam peccato Adæ subjacemus, secundum peccati similitudinem. » Nonne enim hic putus pursusque Pelagianorum, peccatum originale negantium, error est, proscriptaque ab omnibus orthodoxis Patribus et conciliis opinio? Scimus quidem ibi ab auctore nostro aperte non definiri hunc solum esse, quo Adæ peccato subjacemus, modum unicamque rationem. Sed ille procul dubio ob tam brevem tamque durum de peccato originali sermonem, quibusdam non immerito forsitan pravi Pelagianorum erroris si non conscius, saltem suspectus videbitur. Quid enim eum prohibuit, quominus aliquid ad suam de peccato originali mentem clarius explicandam ibi adjiceret?

In primum vero primæ Joannis Epistolæ versum hæc auctor noster de attrectata Joannis manibus carne Christi scriptis prodidit : « Fertur in *Traditionibus* quoniam Joannes ipsum corpus, quod erat extrinsecus, tangens, manum suam in profunda misisse, et ei duritiam carnis nullo modo reluctatam esse, sed locum manui præbuisse discipuli. » Quænam autem fuerint hæ *Traditiones*, nemo facile divinabit. A nobis siquidem jam observatum est[23], a Clemente Alexandrino citari Matthiæ *Traditiones* : sed forsitan *Traditionum* nomine, auctor noster designavit laudata ab Ephræmio[24] pseudepigrapha Joannis aut apostolorum Acta, quæ Augustinus[25] et Epiphanius[26] inter apocryphas scripturas amandant, et solis hæreticis usui fuisse testificantur.

Ut ut sit, constat sane, et certum est laudatas ab auctore nostro *Traditiones* falsas omnino fuisse et apocryphas. Nihil enim de carne Christi, quæ Joanni eam contrectanti non reluctata est, in sacris Evangeliis legimus.

Neque dixeris in auctoris nostri textu esse librariorum errorem, ac pro *Joannes*, scribendum *Thomas*, cui Christus, ut in ejusdem Joannis Evangelio narratur[27], corpus suum tangendum obtulit. Nam ibi de Christi carne, quæ illi tangenti cesserit, nihil prorsus ac ne minimum quidem verbum. Porro autem cum auctor noster verbo « fertur » usus fuerit, eo certe haud obscure significat non gravis sane momenti, nec magnæ auctoritatis fuisse has *Traditiones*, nec a se unquam pervolutatas.

Denique hæc ejusdem Joannis Epistolæ cap. II, vers. 13, verba : *Juvenes..... vicistis malignum*, sic ab auctore nostro exponuntur : « Malignum diaboli extollentiam significat. Filii autem cognoscunt patrem; utpote qui ab idolis confugerunt, et ad unum Deum vocati sunt. » Utrum autem ideo hæc ab illo animadversa fuerint, quia, cum hæc scriptis mandabat, tunc adhuc quidam erant pagani et idolorum cultores, nullus forsitan satis consideratus rerum æstimator ex his tam paucis, tamque parum claris illius verbis certo definire audebit. Deinde vero etiamsi plures tum adhuc exstiterint idolorum cultores, non inde tamen concludi posset eum primis floruisse Ecclesiæ temporibus; nisi qua in regione hæ *Adumbrationes* ab illo editæ sint, nobis foret compertum. Constat enim idolorum cultum in quibusdam regionibus longe diutius, quam in aliis perseverasse.

—

CAPUT V.

De deperditis Clementis Alexandrini operibus, et de iis quæ ille scripturum se esse promiserat.

—

ARTICULUS I.

De deperditis Clementis Alexandrini Hypotyposeon libris, ac de quibusdam eorum, aliarumque ejus scriptionum fragmentis.

Præter omnia illa, de quibus disseruimus, Clementis Alexandrini opera, certum est plura adhuc ab eo fuisse edita, quorum jactura eo magis deploranda est, quo asserta in illis sacra religionis nostræ documenta, et tradita morum præcepta nobis facilius comperta esse potuerunt.

Præcipuum autem inter tot opera, jam a longo tempore amissa, locum haud dubie tenebant octo *Hypotyposeon* libri, de quibus hæc narrat Eusebius[28] : « Sunt et alii totidem (nimirum octo) ejus libri Ὑποτυπώσεων titulo inscripti, in quibus Pantænum magistrum suum nominatim appellat, quæcunque ille a majoribus accepisset, et traditiones, quas posteris reliquerat, exponens. » Hieronymus vero[29] : « Feruntur, inquit, ejus insignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de sæcularis litteraturæ instrumento, e quibus illa sunt Στρωματεῖς libri octo, Ὑποτυπώσεων libri octo. » Hæc ille, nec plura.

Quia vero hi libri jamdudum perierunt, dictu quibusdam difficile videtur, quinam illorum scopus, quodve argumentum fuerit. At utrumque tamen non ita obscure his indicatur Eusebii verbis[30] : « In libris Ὑποτυπώσεων, omnium, ut uno verbo dicam, utriusque Testamenti Scripturarum compen-

[22] I Petr. I, 23. [23] dissert. sup. 2, cap. 4, art. 3, p. 932. [24] apud Phot., Bibl. cod. CCXXIX, p. 799. [25] Aug. t. VI, De fid. [26] hæres. XLVII, Encrat. § 1, et hæres. XXX, Ebion. § 23, p. 147. [27] Joan. XX, 27. [28] lib. IX Hist. eccles. c. 13, p. 214. [29] De script. eccles., § 48. [30] loc. cit. c. 14, p. 215 et seq.

Digitized by Google

diosam instituit enarrationem, ne illis quidem prætermissis scripturis, de quibus inter multos ambigitur. Judæ Epistolam, et Barnabæ, ac reliquas catholicas Epistolas intelligo, et Revelationem, quæ dicitur, Petri. Epistolam autem ad Hebræos Pauli quidem esse affirmat, sed Hebraico sermone, utpote ad Hebræos, primum scriptam fuisse; Lucam vero eamdem Græco sermone studiose interpretatum, Græcis hominibus **353** edidisse. Quare in ea Epistola et in Actibus apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri. Hanc vero inscriptionem *Paulus apostolus*, recte atque ordine omissam fuisse observat. Cum enim Hebræis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem multo ante combiberant, ipsumque suspectum habebant, prudenti consilio usus, illos absterrere statim ab initio, apposita sui nominis inscriptione, noluit. Deinde aliquanto post his utitur verbis : Jam vero sicut beatus dicebat presbyter, quandoquidem Dominus, omnipotentis Dei apostolus, ad Hebræos missus fuerat, præ modestia Paulus, utpote qui ad gentes erat directus, Hebræorum apostolum se minime inscribit, tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipse gentium præco et apostolus scriberet. Sed et in iisdem libris Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum : Dicebat ex Evangeliis prius scripta esse illa, quæ seriem generis Dominici continent. Marci autem Evangelium ex hujusmodi occasione scriptum fuisse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset, et Spiritu sancto afflatus, Evangelium promulgasset; multi qui aderant, Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset, et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab apostolo prædicata erant, conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri; nec, ut fieret, incitavit. At Joannes, omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus, spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit. »

Integrum hunc Eusebii, etsi paulo longiorem, locum eo lubentius retulimus, quo clarius inde patet quam certa sit illius de his libris, quos a se haud indiligenter lectos fuisse evidentissime significat, testificatio, quantique ponderis debeat esse ipsius hac in re auctoritas. At ibi ille non modo horumce librorum argumentum et scopum nobis aperte exhibet, sed quædam etiam eorum repræsentat fragmenta, quibus colligi potest quomodo Clemens noster propositum sibi argumentum pertractaverit.

Inde etiam discimus Clementem Ὑποτυπώσεων nomine, quod alii *institutiones*, alii *informationes*, aut *dispositiones* Latine verterunt, nihil aliud significavisse, quam compendiosam omnium sacræ Scripturæ librorum, atque etiam apocryphorum enarrationem, seu breves in Vetus et Novum Testamentum, et apocryphas quasdam lucubrationes, commentarios. Huic Eusebii sententiæ Photius a nobis mox citandus plane suffragatur, nisi quod non omnes, sed aliquot tantum Veteris Novique Testamenti locos in his *Hypotyposeon* libris a Clemente explicatos fuisse declarat.

Nihil porro Eusebius in eis adnotavit, quod sanum omnino et orthodoxum esse non crediderit. Multa porro ibi narrat, scitu plane digna, quæ pro virili parte nostra in superiori dissertatione notis et observationibus nostris enucleare et illustrare conati sumus.

Sed ab hac Eusebii, qui nihil in his libris, nisi verum ac fidei nostræ dogmatibus consentaneum animadvertit, opinione Photius plurimum dissidet, ac longe diversum de iisdem illis Clementis *Hypotyposibus* judicium tulit. Sed operæ pretium est eum id suis verbis enarrantem audire [81] : « Hypotyposes, inquit, disceptationem continet locorum aliquot Veteris Novique Testamenti, quæ etiam summatim explicat et interpretatur. Etsi autem recte in quibusdam sentire visus est, in aliis rursus impie omnino fabuloseque disserit. Asserit enim materiam æternam esse, et ideas veluti certis decretis induci fingit. Filium quoque in rebus creatis numerat. Ad hæc animarum migrationes, multosque ante Adamum mundos prodigiose comminiscitur. Evam præterea ex Adamo, non ut sacri libri tradunt, sed obscene atque impie deducit. Angelos quoque cum feminis congressos, liberos inde sustulisse somniat. Quin et Verbum carnem non esse factum, sed ita visum duntaxat. Duo ad hæc Patris Verba finxisse deprehenditur, quorum minus mortalibus sit visum : imo ne hoc quidem. Sic enim scribit : Dicitur quidem et Filius Verbum æquivoce, cum patrio Verbo. Verum neque hoc illud Verbum est, quod caro factum est, neque etiam patrium illud est Verbum : sed vis quædam et potestas Dei, tanquam a Verbo ipso profluens, mens effecta, hominum animos pervasit. Quæ quidem omnia Scripturæ testimoniis astruere nititur. Quanquam et alia sexcenta blasphema voce nugatur, seu ipse, sive quis alius, ejus personam indutus. Plane ut octo ipsos libros hisce blasphemiarum portentis, de iisdem identidem disserendo, ac sparsim, atque confuse veluti stupore perculsus, Scripturas producendo repleverit. Universi autem operis scopus fuisse videtur Geneseos, Exodi, Psalmorum, Epistolarum sancti Pauli, et Catholicarum, ac denique Ecclesiastici interpretatio. Hoc interim fateuripse, discipulum se fuisse Pantæni. »

Ex his Photii verbis primum apertissime liquet ab eo, sicut ab Eusebio, accurate pervolutatos esse octo illos Hypotyposeon libros; quandoquidem claram non solum eorum analysim repræsentat, sed quoddam quoque fragmentum, ex iis desumptum, de verbo, uti videtur, ad verbum transcripsit.

Deinde vero ille diserte ibi explicat quod fuerit hujus, sicut jam diximus, operis argumentum, quis auctoris scopus, ac quomodo, quotve sacræ Scripturæ cum libros tum Epistolas ille ipsemet auctor fuerit interpretatus.

Verum quia Eusebius longe plures quam Photius Veteris Novique Testamenti libros in his *Hypotyposibus* a Clemente explicatos esse affirmat, unde, inquies, tanta Photium inter et Eusebium, qui hosce libros accuratissime, quemadmodum vidimus, perlegerant, orta est dissensio, illudque dissidium? At expende, quæso, utrum illud in variis codices, quibus uterque usus est, refundendum sit. Eusebius siquidem integros, Photius vero mutilatos, et ab hæreticis post Eusebii tempora corruptos, hujus operis codices habuisse haud immerito videtur.

Et vero Eusebius, qui satis copiose et fuse, quemadmodum adnotatum est, de his Clementis Alexandrini *Hypotyposibus* disputat, nullum ex iis a Photio memoratis erroribus se in eis deprehendisse significavit. Qui ergo fieri potuit, ut tot tantique errores in illis, quibus Photius usus est, codicibus sparsi disseminatique fuerint, nec in aliis antiquioribus ab Eusebio perlectis occurrerint; nisi quia hi libri a nebulonibus quibusdam, et impiis hæreticis depravati **354** adulteratique sunt? Ab his itaque sceleratis hominibus quædam, quæ corrumpere non poterant, ex libris illis resecata, amputataque haud immerito videntur, alia vero ab iis in

[81] Phot. Bibl. cod. CIX, p. 286 et seq.

Digitized by Google

pravarum opinionum suarum defensionem nefarie addita, inserta, atque intrusa.

Neque ab hac opinione recedit ipsemet Photius, qui, cum sibi persuadere omnino non posset memoratos a se errores a Clemente traditos assertosque fuisse, consulto adjecit : *seu ipse, sive quis alius, ejus personam indutus*, tot tantaque errorum monstra ac portenta his libris inseruit.

Quid vero, quod in superioribus dissertationibus observatum a nobis fuit, quosdam quidem, ac præsertim de angelorum cum feminis concubitu errores in genuinis Clementis Alexandrini operibus deprehendi? Sed manifestum ibidem fecimus veram orthodoxamque ab eo constanter et perspicue propugnari doctrinam, de unico mundo, et materia a Deo creata, de unico et divino Patris æterni Verbo, de vera carne ab eo assumpta, atque in primis de suprema illius divinitate, eademque prorsus ac Patris æterni natura. Tot igitur, atque adeo repugnantes, et contrarios his sacris dogmatibus errores Clemens in suis *Hypotyposibus*, nisi incredibili prorsus cæcitate perculsus, asserere et disseminare non potuit.

Quamobrem recte omnino et apposite Rufinus de adulteratione librorum ubi disputat, hæc de Clemente Alexandrino scripsit [33] : « Clemens Alexandrinus presbyter, et magister illius Ecclesiæ, in omnibus pene libris suis Trinitatis gloriam, atque æternitatem unam eamdemque designat, et interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Numquid credibile est de tanto viro, tam in omnibus catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea quæ de Deo non dicam credere, vel audire quidem impium est, scripta reliquerit? »

Scimus quidem nonnullis visum esse hos *Hypotyposeon* libros a Clemente Alexandrino prius compositos, quam veris omnibus Christianæ religionis documentis plene perfecteque imbueretur. Verum gratis omnino id dicitur. Ex dictis siquidem satis, nisi fallimur, probatum est, hos libros ab hæreticis fuisse adulteratos fœdeque corruptos.

Neque dixeris eosdem libros ab illis tot in locis non potuisse corrumpi. Constat enim per ea et superiora etiam tempora eo usque processisse effrenatam illorum hæreticorum impudentiam, ut in plures alias sanctorum Ecclesiæ Patrum lucubrationes, ac divinos etiam sacræ Scripturæ libros, uti haud semel adnotavimus, non minus violentas manus injecerint, quibus eos variis ejuscemodi amputationibus, interpolationibus et additamentis turpiter fœdarunt deformaruntque.

Nec audiendi sunt, qui nobis objecerint magna Photium oscitantia Clementi ea tribuisse, quæ ille non ex semetipso, sed ex perversa hæreticorum opinione referebat. Cur enim, obsecro, Photius ille de aliis disputans Clementis operibus, ac maxime de *Stromatum* libris, ubi tot hæreticorum paganorumque errores protulisse legitur, eos ipsi quoque non ascripsit? Deinde magis perspicax et oculatus fuit Photius, quam ut ea quæ *Hypotyposibus* vel a Clemente vel ab aliis profecta erant, non discreverit; nec adeo mendax et fraudulentus, ut Clementi innumeros tribuerit errores, quos ipsemet Clemens aliorum esse significabat. Denique etiamsi Photius de plurimis aliorum auctorum scriptis et lucubrationibus disserat, eorumque epitomen exhibeat, nullibi tamen a quopiam hujusce seu oscitantiæ et erroris, seu fraudis, doli et mendacii insimulatur.

A vero autem non minus abhorrent, qui nullo auctore citato, nulla prolata ratione Clementem Ὑποτυπώσεων scriptorem a Clemente Alexandrino, *Stromatum* auctore, alium esse opinantur [34]. Ex his enim, quæ ex Eusebio et Photio retulimus, funditus evertitur hæc falsa opinio. Visne et id adhuc, si fieri possit, evidentius validiusque demonstrari? Audi eumdem Eusebium, de Clemente Alexandrino hæc dicentem [35] : « Tunc etiam Alexandriæ, inquit, iisdem cum Pantæno studiis divinarum Scripturarum incumbens, floruit Clemens..... Qui etiam in Institutionum libris Ὑποτυπώσεσι a se conscriptis Pantænum præceptorem suum diserte nominat. Sed et in primo *Stromateon* libro eumdem ipsum designare mihi videtur, » etc. Potuitne Eusebius clarioribus verbis asseverare Clementem Alexandrinum esse verum non minus *Hypotyposeon* quam *Stromatum* parentem et auctorem? Sed pudet, tam vanam opinionem seu potius vigilantis hominis somnium confutando, tempus frustra impendere et operam.

Neque etiam tempus in iis, qui hos libros ideo, quia erroribus scatebant, intercidisse suspicantur, refellendis terendum est. Norunt enim omnes eamdem fuisse non solum pessimorum, sed etiam optimorum librorum, et ab antiquissimis ac doctissimis Ecclesiæ Patribus editorum sortem et fortunam. Quis etiam ignorat noxias et pestiferas quasdam hæreticorum ac paganorum lucubrationes diutius perseverasse, quam alias, quæ ab orthodoxis scriptoribus in Christianæ religionis defensionem, illiusque dogmatum explicationem compositæ, omnibus summæ poterant esse utilitatis? Neque id longa et inutili inductione probari necesse est, quod ex ipsis Clementis nostri deperditis libris, de quibus mox disputabimus, luculentissime demonstratur.

Porro autem Eusebius in *Historia* sua *ecclesiastica* hos Clementinarum *Hypotyposeon* libros sæpius citat, et quædam aliquando eorum fragmenta exhibet. Etenim præter illa quæ ex illius lib. VI, capite 14, pag. 215 et seq., protulimus, ab ipso prius lib. I *Histor.*, cap. 12, pag. 30, citatur quintus *Hypotyposeon* liber; sextus autem et septimus postea lib. II *Histor.*, cap. 1, pag. 58, et cap. 9, pag. 46, ac cap. 15, pag. 53.

Plura adhuc fragmenta ex iisdem Clementis nostri libris ab Œcumenio decerpta sunt. Primum siquidem in hujus ad primam ad Corinthios Epistolam cap. XI, 10, pag. 526, commentariis ex tertio illius Ὑποτυπώσεων libro desumptum est. Secundum ex quarto earumdem *Hypotyposeon* libro descriptum in eisdem ad II ad Corinth. Epist., cap. V, 16, pag. 637, commentariis occurrit. Tertium ex eodem *Hypotyposeon* libro in hisce commentariis cap. seq., v. 11, pag. 645. Quartum ex quinto earumdem *Hypotyposeon* libro in commentariis ad Epist. ad Galat. cap. V, 24, pag. 763. Quintum ex septimo *Hypotyposeon* libro in commentariis ad primam Epistolam ad Timotheum cap. II, 6, tom. II, pag. 220. Sextum ex eodem *Hypotyposeon* libro in commentariis ad eamdem Epistolam, cap. III, 16, pag. 229. Septimum rursus ex eodem libro, in commentariis **355** ad eamdem Epist., cap. V, 8, pag. 257. Octavum in vers. 10, pag. seq., ex eodem libro. Nonum rursus ibidem in v. 21, pag. 242, ex hoc ipso libro. Decimum ex eodem adhuc libro in iisdem commentariis in cap. VI, 13, pag. 248. Undecimum denique ex eodem quoque libro in commentariis in caput II, 2, subsequentis ad Timotheum Epistolæ, pagina 249.

Præterea vero Joannes Moschus in *Prato spirituali*, cap. 176, quoddam ex lib. V *Hypotyposeon* de apostolorum baptismate fragmentum retulit.

Omnia autem illa excerpta in his, qui omnium versantur manibus, Eusebii, Œcumenii et Joannis Moschi libris quandoquidem a quolibet possunt

[33] lib. De adulterat. lib. apud Origen. tom. I, p. 494. [34] in prolegom. ad Euseb. Chron., p. 18. [35] l. V Hist., c. 11, p. 175.

Digitized by Google

facillime inveniri, ea idcirco hic describere superfluum et inutile esse duximus.

A nonnullis porro observatum est Frontonem olim Savilio scripsisse apud patriarcham Alexandrinum asservari integrum illarum Clementis *Hypotyposeon* opus. Sed utinam hasce in regiones transportatum fuisset! Certius enim non solum de illius fragmentis, sed de toto etiam ipsomet illo opere judicium ferri forsitan posset.

Multa insuper alia in Græcorum præsertim Patrum catenis fragmenta, solo Clementis nomine citata, occurrunt; quæ proinde utrum ex illius *Hypotyposibus*, vel aliis ejus scriptis desumpta fuerint, dictu sane difficillimum est. Et vero in ea, quam Nicetas Heracleæ patriarcha adornavit, in librum Job catena longum plane invenies in eumdem librum Job cap. I, 21, fragmentum Clementi Alexandrino, sed nullo designato illius opere, attributum, cujus paucissima tantummodo priora verba, non sine quibusdam diversis lectionibus in quarto *Stromatum* libro, pag. 538, invenies. Quapropter si quis cætera, quæ sequuntur, a Clemente nostro scripta esse dixerit, is certe fateri debet ea, atque adeo totum illud fragmentum vel ex ejus *Hypotyposibus*, vel ex alio deperdito ejus opere fuisse decerptum. Suspicamur autem non plura, quam quæ notavimus, in toto illo fragmento Clementis verba exhiberi. Reliqua enim omnia non aliud nobis esse videntur, nisi Clementis sententiæ, prout eam Nicetas capiebat, expositio et amplificatio.

Neque facilius indicari potest quo ex Clementis libro idem ipse Nicetas ea delibaverit, quæ in eadem tam in Jobi cap. xxxiv, 7, quam in Matthæi cap. v, 43, se transcripsisse declarat.

At quæ ille ibidem in Matthæi cap. xiii, 31 et 32, eidem Clementi nostro attribuit, ea quidem ex illius *Pædagogi* lib. I, cap. 11, pag. 132, quemadmodum et alia, quæ in idem cap. Matthæi xiii, 46, ex ejusdem *Pædagogi* lib. II, cap. 12, pag. 206, hausta esse arbitramur. Verum in istis duobus posterioribus locis Nicetas non Clementis verba, sed mentem et sententiam exprimit atque amplificat.

In catena vero in Lucam, a Balthasare Corderio publicata, quædam etiam Clementis fragmenta satis ad verbum repræsentantur, uti in cap. xiii Lucæ, num. 14, legitur excerptum ex libro I *Pædagogi*, cap. 6, pag. 96. Præterea in cap. xiii Lucæ, num. 14, aliud fragmentum ex capite xi, pag. 132, quod etiam in superiori catena citatum vidimus. Item in cap. xvii, num. 16, ex lib. III *Pædag.*, cap. 11, pag. 244. Deinde in cap. xxi, num. 35, 37 et 38, ex lib. II *Pædagogi*, cap. 2, pag. 154, pag. 155, et pag. 156. Sed in his locis Corderius Latinam horum librorum interpretationem sequitur, atque ibi aliquando nonnulla haud dubie a catenæ collectore addita sunt. Duo tandem alia loca occurrunt in Lucæ cap. III, num. 33, et in cap. xvi, num. 22, quæ quidem unde, aut quo ex Clementis libro desumpta sint, compertum habere non potuimus.

Alia porro his similia in aliis catenis procul dubio invenientur, de quibus idem ac de istis dici debet. Quapropter hæc de illis adnotasse sufficiat.

Necesse etiam magis non est alia a nobis repræsentari varia et prolixa editorum Clementis nostri librorum fragmenta, ab Eusebio in suis *De historia ecclesiastica*, atque in primis *De præparatione evangelica* libris, et alia quædam ab Epiphanio et Rufino citata et transcripta. Suo etenim in loco, ea satis a nobis hisce in dissertationibus cum indicata fuerint, actum non censuimus esse amplius agendum.

ARTICULUS II.

De aliis Clementis Alexandrini amissis operibus, ac de quibusdam eorum fragmentis.

Inter alia Clementis nostri Alexandrini deperdita opera, ab Eusebio [35] recensentur, Περὶ τοῦ Πάσχα σύγγραμμα, et simplicius a Photio [36] Περὶ τοῦ Πάσχα; Latine vero ab Hieronymo [37], *De Pascha liber unus*. Qua autem occasione hunc librum Clemens scripserit, ab eodem Eusebio discimus. Postquam enim de libro, quem Melito eodem de argumento divulgaverat, sermonem ille fecit, tunc continenter subjunxit [38]: « Hujus autem libri mentionem facit Clemens Alexandrinus in opere suo *De Pascha*, ἐν ἰδίῳ Περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ. Quod quidem ut conscriberet, Melitonis librum causam sibi præbuisse testatur. » Quid autem in eo libro tractaretur, ita idem Eusebius postea edisserit [39]: « In libro vero, quem de Pascha composuit, coactum se affirmat a familiaribus suis, ut traditiones, quas ab antiquioribus presbyteris acceperat, scriptas posteris mandaret. Meminit in eodem opusculo Melitonis et Irenæi, et aliquot aliorum, quorum etiam enarrationes in medium adducit. »

In præfatione autem *Chronici paschalis* seu *Alexandrini*, falso Petri Alexandriæ episcopi et martyris nomine inscripta, duo hujusce libri fragmenta hunc in modum pag. 7 exhibentur : « Sed et Clemens sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir antiquissimus, et qui non multum abhinc ab apostolicis temporibus, in libro *De Pascha* consimilia docet, ita scribens : Præteritis ergo temporibus immolatum a Judæis Pascha, festum agens, manducavit Dominus. Sed postquam prædicavit, ipse qui erat Pascha Agnus Dei, ut ovis ad occisionem ductus, discipulos statim edocuit figuræ mysterium decima quarta, qua etiam illum roguerunt : *Ubi vis paremus tibi Pascha manducare* [40]! Hac igitur die, et sanctificatio azymorum, et festi præparatio facta est. Unde Joannes ubi hac die rite paratis jam discipulis, quo a Domino ablucrentur, scripsit, subdit : Passus est sequenti die Dominus noster, cum ipse esset Pascha, immolatus a Judæis. Et post alia : Post hæc ergo decima quarta, quando passus est, ipso mane ad palatium adducto, pontifices et scribæ non introierunt prætorium, ut non contaminarentur; sed ut vespere libere manducarent Pascha [41]. Huic dierum accurationi Scripturæ omnes **356** consentiunt, atque adeo Evangelia sibi invicem consentanea. Quinetiam idipsum testatur resurrectio : tertia enim die resurrexit, quæ est in prima hebdomade messis, qua et manipulum deferre pontifex a lege præcipitur. » Græca porro verba, qui legere voluerit, ea loco a nobis citato facile reperiet.

Jacturam quoque fecimus duarum aliarum Clementis commentationum, quæ ab Eusebio [42] appellantur Διαλέξεις περὶ νηστείας, καὶ περὶ καταλαλιᾶς; a Photio autem, Περὶ νηστείας, καὶ περὶ κακολογίας· atque ab Hieronymo [43], *De jejunio disceptatio, de obtrectatione liber unus*.

Tertium amisimus Clementis librum, qui ab eodem Eusebio [44] appellatur : Ὁ προτρεπτικὸς εἰς ὑπομονὴν ἢ πρὸς τοὺς νεωστὶ βεβαπτισμένους· « Est etiam exhortatio ad patientiam, scripta ad neophytos. »

Pergit Eusebius [45], et quartum his verbis indicat : καὶ ὁ ἐπιγεγραμμένος *Κατὰν ἐκκλησιαστικός*, ἢ πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας, ὃν Ἀλεξάνδρᾳ τῷ δεδηλωμένῳ ἐπισκόπῳ ἀνατέθεικεν· « et liber qui *Ecclesiastica regula* inscribitur, seu adversus eos qui errores Judæorum sequuntur; quem quidem Alexandro supradicto episcopo nuncupavit. » Photius vero, Περὶ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, κατὰ τῶν

[35] l. xi Hist. c. 13, p. 214. [36] Bibl. cod. cxi. [37] De script. eccles., § 48. [38] l. iv Hist., c. 26, p. 147. [39] l. vi, c. 13, p. 215. [40] Matth. xxvi, 17. [41] Joan. xviii, 28. [42] lib. vi, cap. 13, p. 214. [43] loc. cit. [44] ibid. [45] ibid.

Digitized by Google

ἀκολουθούντων τῇ τῶν Ἰουδαίων πλάνῃ, ὃν Ἀλεξάνδρῳ Ἱεροσολύμων ἐπισκόπῳ προσειπεῖν ἔδοξεν· « De canonibus seu regulis ecclesiasticis, adversus eos, qui Judæorum errorem sequuntur, quem Alexandro Hierosolymorum episcopo nuncupasse videtur. » Denique Hieronymus : « De canonibus ecclesiasticis, et adversus eos, qui Judæorum sequuntur errorem, liber unus, quem proprie Alexandro Hierosolymorum episcopo προσεφώνησε. » Ex his itaque trium doctissimorum illorum hominum nec obscuris verbis, nec plane incerto eorum testimonio evidenter colligitur hunc unum duntaxat fuisse librum, quo quidem Clemens noster non canones apostolorum, ut quidam perperam arbitrati sunt, ab eo collecti, sed quo errores Judæorum ecclesiasticis regulis, hoc est, uti videtur, sacris Scripturis confutabantur.

Alii vero opinantur hos errores fuisse Christianorum, qui sacrum Pascha, Judaico more, die lunæ decima quarta celebrabant. Et hi quidem opinionem suam tuentur citatis haud dubie Eusebii verbis, πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας, id est « adversus Judaizantes, » ut nonnulli loquuntur. Sed quia Eusebius, Hieronymus, et Photius alium, sicut diximus, Clementis *De Pascha* librum, in quo illud procul dubio argumentum tractabatur, nobis ibidem indicaverunt, quis sibi facile persuadebit duos eadem de re libros, sed diverso titulo inscriptos, a Clemente nostro compositos fuisse ? Nonne et alii Judæorum errores fuerunt de Christo, de observanda lege Mosaica, etc., qui in hoc posteriore libro ab illo potuerunt impugnari et refelli ?

Porro autem quoddam reperitur hujus libri in nondum edito Nicephori Constantinopolitani adversus Iconoclastas *Antirrhetico* fragmentum, quod in duabus Græcâ manu exaratis bibliothecæ Regiæ codicibus, et Colbertinæ tertio descriptum est. Primus autem Regius codex, num. 1989 notatus, venerandæ est antiquitatis, et ante annos octingentos scriptus videtur. Alter recentior, num. 1826, ex illo priore transcriptus fuit. In utroque autem isto codice hæc Græca illius fragmenti verba legimus :

(1) *Κλήμεντος πρεσβυτέρου Ἀλεξανδρείας ἐκ τοῦ κατὰ Ἰουδαΐζόντων·*

Σαλομῶν ὁ τοῦ Δαβίδ, κ. τ. λ.

Præterea in *Lausiaca* Palladii *historia*, cap. 139, narratur quamdam virginem, morti proximam, matri suæ dedisse Clementis nostri Alexandrini in prophetam Amos opus, ut illud exsuli episcopo traderet. Palladii autem hæc sunt verba : « Cum dedisset matri suæ opus Clementis Stromatei in prophetam Amos, dixit ei : Da id episcopo relegato... decessit ipsa nocte. » Hæc ibi, nec plura de illo Clementis nostri commentario. Quamobrem quidnam illud esset, et utrum ex illius *Hypotyposeon* libris excerptum fuerit, divinari certe non potest.

Nec magis notus est Clementis Alexandrini **357** *De Providentia* liber, cujus S. Maximus confessor duo fragmenta suis opusculis inseruit. Et primum quidem pag. 144 his habetur verbis :

Τοῦ ἁγιωτάτου Κλήμεντος πρεσβυτέρου Ἀλεξανδρείας ἐκ τοῦ Περὶ προνοίας·

Οὐσία ἐστὶν ἐπὶ Θεοῦ. Θεὸς οὐσία θεία ἐστίν, κ. τ. λ.

Secundum vero ibidem pag. 152 sic repræsentatur :

Κλήμεντος τοῦ Στρωματέως ἐκ τοῦ Περὶ προνοίας λόγου·

Θέλησις ἐστὶ φυσικὴ δύναμις, κ. τ. λ.

Prius autem illud fragmentum in quodam non admodum vetusto bibliothecæ Regiæ cartaceo codice, ac nota 2431 signato totidem verbis, his exceptis : Οὐσία ἐστὶ, τὸ δι' ὅλου ὑφεστός, habetur. At continenter hæc adjiciuntur : Φύσις λέγεται παρὰ τὸ πεφυκέναι· πρώτη οὐσία ἐστὶ πᾶν καθ' ἑαυτοῦ ὑφεστὸς, οἷον λίθος οὐσία λέγεται. Δευτέρα δὲ οὐσία αὐξητικὴ καθὸ αὔξει, καὶ φθίνει, τὸ φυτόν· τρίτη δὲ οὐσία ἔμψυχος, αἰσθητικὴ, τὸ ζῶον, ὁ ἵππος. Δευτέρα οὐσία ἔμψυχος, αἰσθητικὴ, λογικὴ, ἄνθρωπος. Δι' ὃ καὶ ἕκαστος γέγονεν, ὡς ὢν ἐκ πάντων τὴν ψυχὴν ἔχων ἄϋλον καὶ τὸν νοῦν Θεοῦ εἰκόνα. « Natura ex eo dicitur, quod natum est. Prima substantia est id omne, quod per se subsistit, quemadmodum lapis substantia dicitur. Secunda vero substantia est, quæ incrementi vim habet, quoniam augetur et perit, sicut planta. Tertia autem substantia est animata, sensuque prædita, ut animal, et equus. Altera substantia est animata, sensu prædita, rationalis, ut homo. Quamobrem unusquisque factus est, et qui ex his omnibus constat, is animam habet non materiatam, et mentem Dei imaginem. »

In eodem codice Regio adhuc descriptum est istud ex eodem, uti ibi dicitur, Clementis Alexandrini libro fragmentum :

Τοῦ ἁγιωτάτου, καὶ μακαριωτάτου Κλήμεντος πρεσβυτέρου Ἀλεξανδρείας τοῦ Στρωματέως ἐκ τοῦ Περὶ προνοίας λόγου·

Τί Θεός; Θεός ἐστιν, κ. τ. λ.

De hoc porro Clementis *De providentia* libro cum plura non suppetant, quis ille sit, utrumve in illo citando nulla fuerit scriptorum vel librariorum oscitantia, nullusque lapsus et error, qui recte ostenderit, is sane de nobis aliisque pluribus optime merebitur.

Denique Sozomenus variis historiæ scriptoribus annumerat [65] « Clementem et Hegesippum, viros sapientissimos, qui apostolorum temporibus proxime successerunt. » Sed Valesius putat id de Clemente Romano, qui libros *Recognitionum* composuisse perhibetur, esse intelligendum. Nam ille non solum ante Hegesippum exstitit, sed apostolorum etiam comes ac successor appellatur. Deinde vero hæ Clementis *Recognitiones* quamdam magis quam Clementis Alexandrini opera præ se ferunt historiæ formam et speciem.

Sed, ut verum fateamur, parum validæ nobis hæ rationes videntur. Præterquam quod enim pseudepigraphum, ut alibi diximus, illud est *Recognitionum* opus, certe mos antiquorum scriptorum non fuit, ut auctores appellando, chronologicum semper sequantur ordinem. Secundo Clemens Alexandrinus se, ut alibi etiam vidimus, primis apostolorum successoribus proximum nuncupat. Denique longe plures chronologiæ in primo *Stromatum* Clementis nostri Alexandrini libro, quam in *Recognitionibus* illis exhibentur. Quod quidem, quamvis cuivis hos libros legenti facillime pateat, planius tamen et manifestius fiet ex iisdem, quæ paulo post a nobis repræsentabuntur, Clementis nostri Alexandrini chronologiis. Nihil itaque, uti nobis videtur, obstare potest, quominus has propter chronologias Clemens Alexandrinus a Sozomeno laudatus, et in chronographorum numero positus censeatur. At res ita si se habeat, certe hoc Clementis opus inter perditas ejus lucubrationes computari non debet.

ARTICULUS III.

De quibusdam libris et commentariis, quos Clemens Alexandrinus scripturum esse promiserat.

Quemdam de arcanis mysteriis tractatum, haud dubie divulgandum, in aliud tempus distulisse his Clemens noster declarat verbis [65a] : « Manifestum est, inquit, esse alterum genus sermonis, cujus institutum **358** est docere, quod quidem est subtile, et spiritale, et accuratam tractandi rationem sequitur, et in arcanis contemplandis mysteriis versatur. Id autem in præsentia differatur. » An autem fidem liberaverit suam, et peculiarem aliquam ea de re commentationem ediderit, hactenus ignotum.

[65] lib. 1 Hist., cap. 1, pag. 401. [65a] Pæd. l. 1, c. 3, p. 83.

(1) Hoc et sequentia fragmenta quæ hic D. Nourrius exhibet supra jam edidimus hujus voluminis col. 767 inter Clementis fragmenta varia. EDIT. PATR.

Digitized by Google

Librum vero *De resurrectione* se scripturum semel atque iterum disertissime affirmat [46] : « Sed hoc rursus (ipsa sunt illius verba) a nobis dicetur apertius in libro *De resurrectione*, *Περὶ ἀναστάσεως*. » Et iterum alibi [47] eodem plane modo : « Ut pluribus ostendetur in libro *De resurrectione*. » Utrum autem his ille promissis satisfecerit, nihil omnino comperti habemus.

Nulli autem dubium esse potest publici ab eo juris factam fuisse eam lucubrationem, quam ipse his verbis se composuisse testatur [48] : « Prolixiori oratione tractavimus, quod neque in nominibus, sed neque in partibus ad coitum pertinentibus, et nuptiali congressione, in quibus obtinent nomina, quæ usu minime trita sunt, ejus quod vere turpe est, ponitur appellatio. » At in dubium merito vocari potest, an singulari quadam in commentatione, vel in aliquo ex iis, quos jam composuerat, libris argumentum illud tractaverit. Utut sit, magis procul dubio certum videtur factam jam a longo tempore fuisse hujusce lucubrationis jacturam.

Testatum adhuc ipsemet Clemens facit [49] scriptos a se libros *De continentia* et *De nuptiis*. Nam de primo quidem sic ille loquitur : « Et hoc a nobis declaratum est in libro *De continentia*, ἐν τῷ *Περὶ ἐγκρατείας*. » De secundo autem : « Et quomodo, inquit [50], oporteat quidem uxorem simul cum marito vivere, et de domus administratione, et usu famulorum, et quæ ab ea seorsim fieri oporteat, et de tempore matrimonii, et de iis quæ ad mulieres pertinent, disserimus in libro *De nuptiis*. » Plura a se hoc in libro pertractata, ac forsitan totius libri argumentum his Clemens verbis explicat. Singulare igitur videtur esse opus, cujus damnum eo magis lugendum, quo majori jam nobis esse posset fructui et utilitati.

De episcoporum, presbyterorum, diaconorum et viduarum officiis se aliquid dicturum, in hæc rursus Clemens verba promittit [51] : « Plurima autem alia præcepta, quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt; hæc quidem presbyteris, alia vero episcopis, alia diaconis, alia autem viduis, de quibus fuerit aliud dicendi tempus. » Non inde tamen certo colligi potest peculiare aliquid de iis opus, vel commentarium fuisse ab eo scriptis promulgatum.

Alia adhuc plura se scripturum Clemens in suis *Stromatum* libris pollicitus est. Primum enim postquam varias philosophorum de ultimo fine et beatitudine opiniones retulit, ibi continenter hæc subjunxit verba [52] : « Quæ autem dicuntur adversus eas, quæ dictæ sunt, sententias, dicentur suo tempore. » Spondet itaque se contra has philosophorum opiniones, sive potius errores aliquid scriptis traditurum. At autem satis sponsioni suæ fecerit, quis compertum habere potuit?

Postea vero ubi Marcionistas refellit [53] : « Sed adversus eos quidem, cum de principiis, inquit, tractabimus, accuratissime disseremus. » Et rursus paulo post [54] : « Quando autem tractabimus de principiis, tunc et has repugnantias, quas et tacite significant philosophi, et suis dogmatibus decernunt Marcionistæ, considerabimus. »

Alium quoque contra eosdem hæreticos tractatum *De anima* his verbis promittit [55] : « Adversus quos fuerit aliud dicendi tempus, cum de anima tractabimus. » Nec semel id dixisse contentus, plures cum eadem *De anima*, tum *De prophetia* libros se confecturum sic alibi pollicetur [56] : « Sed quomodo fiat hæc divisio, id est, quomodo ad credendum Spiritus sancti gratia in nostras mentes infundatur, et quidnam sit Spiritus sanctus, ostendetur a nobis in libris *De prophetia* et in libris *De anima*. »

Jam autem superius dixerat fore ut Phryges confutaret : « Cum agemus, inquit [57], de prophetia. »

Expende autem an aliud dici debeat illud opus, de quo ipse paulo ante hæc scribit in verba [58] : « Quod unus Deus sit, qui prædicatur per legem, et prophetas, et Evangelium, tractabimus. »

At certe ab his libris plane diversa erat ea adversus hæreses commentatio, de qua ita ille ibidem : « Quod autem, inquit [59], hic sit Pater Filii, creator universorum, ad illam distulimus contemplationem, in qua adversus hæreses disserere proposuimus. » In animum autem tuum ne, quæso, inducas eum in fine libri septimi, ubi de variis hæreticis disserit, promissa solvisse. Nam ille ibi quidem unde hæreses et hæretici nomen suum acceperint ostendit, sed contra eorum errores non disputat.

Contra Cassiani autem de humana anima, ante corpus exsistente, ac de pelliceis Adami et Evæ tunicis errores se aliquando in suo de ortu hominis tractatu, sive libro disputaturum his Clemens verbis significat [60] : « Pelliceas autem tunicas existimat Cassianus esse corpora, de quibus postea ei eum, et qui idem cum eo sentiunt, aberrasse ostendemus, cum de ortu hominis iis consequenter, quæ prius dicenda sunt, aggrediemur expositionem. » Ubi autem, et utrum in octavo *Stromatum* libro, quem ab Acacio, Cæsareæ in Palæstina episcopo, citatum vidimus, de ortu hominis, et contra Cassiani errores Clemens disputaverit, nec certum omnino, nec compertum esse ostendimus [61].

Ipsam vero Prodici hæresim evertere in animo aliquando se habuisse ita adhuc Clemens testatur [62] : « Suo autem tempore adversus impiam exsecrandorum istorum dicetur cognitionem. » Sed id in suo *De hæresibus* tractatu præstare facile poterat.

Adversus impia quoque Basilidis de μεταμψυχώσει, et diabolo dogmata pugnare nonnunquam Clemens cogitaverat : « Ad illa si quidem dogmata, ait ille [63], an a corporibus in corpora migret anima, et de diabolo dicetur suo tempore. »

Quæ autem de Dei membris dicuntur, allegorice esse intelligenda, « procedente tempore, inquit Clemens [64], suo loco aperiemus. » Sed his verbis futura hocce de argumento peculiaris aliqua scriptio non videtur indicari. Alium quoque de angelis tractatum ab illo haud prorsus absimili modo promissum fuisse adnotavimus [65].

In sexti quoque *Stromatum* libri fine leguntur hæc Clementis verba [66] : « Qualis autem sit gnosticus in contemplatione rerum naturalium, postea ostendetur : ἐπ' ἀν περὶ γενέσεως κόσμου διαλαμβάνειν ἀρξώμεθα · cum de ortu mundi tractare cœperimus. » Sed his posterioribus verbis ad ea magis, quæ de mundi ortu paulo ante dixerat, quam ad alia, quæ de illo dicenda erant, alludere videtur. Et re quidem ipsa de gnostico **359** tantum deinceps disserit.

Denique ad septimi libri calcem posteaquam ille veræ Ecclesiæ notas et characteres declaravit, tum continenter hæc subjunxit [67] : ταυτὶ μὲν οὖν καὶ εἰς ὕστερον· « atque de iis quidem dicetur postea. » Utrum autem fidem ipse suam liberaverit, hancque et alias a se promissas scriptiones publicam emiserit in lucem, dictu sane eo difficilius, quo majus est de iis veterum scriptorum silentium, ac quo magis incertum est utrum ulla ex iis in vulgus unquam prodierit.

[46] Pæd. l. I, c. 6, p. 104. [47] l. II, c. 10, p. 199. [48] ibid. c. 6, p. 169. [49] ibid. c. 10, p. 193. [50] l. II, c. 8, p. 237. [51] l. III, c. 12, p. 264. [52] Strom. l. II, p. 419. [53] l. III, p. 431. [54] ibid. p. 454. [55] ibid. p. 432. [56] l. V, p. 591. [57] l. IV, p. 511. [58] ibid. p. 510. [59] ibid. [60] l. III, p. 466. [61] sup. c. 2, art. 4. [62] l. VII, p. 722. [63] l. III, p. 307. [64] l. V, p. 580. [65] sup. c. 8, art. 2, p. 1003. [66] lib. VI Strom., p. 656. [67] l. VII, p. 765.

Digitized by Google

ADMONITIO IN SUBSEQUENTES CHRONOGRAPHIAS.

Ex variis, quæ a Clemente Alexandrino in primo Stromatum libro pertractantur, argumentis, non minimum sane illud est, quo Moysen scriptorum omnium antiquissimum esse demonstrat. Ad id autem efficacius persuadendum plures ille ex diversis ethnicis auctoribus, quorum nomen vel exprimit, vel supprimit, desumptas nobis exhibet chronographias, quibus ea Moysis antiquitas ipsorum testimonio comprobatur. Hæ autem chronographiæ, et alia plurima, quæ illis adjicienda esse duxit, cum multis clara apertaque non sint, ad aliquam eis lucem afferendam duo potissimum a nobis præstanda esse credidimus.

Primo enim eas omnes cum paganorum scriptorum, tum Clementis nostri chronologias, continuato ordine, atque adjectis, quos ille omiserat, omnibus a mundi primordio annis repræsentamus. Quod quidem quam difficile fuerit, ii satis norunt, qui aliquam componendis ejusmodi chronographiis operam dedere, vel tantillum etiam in iis examinandis posuerunt studii. Et vero ad computandos hosce annos, et cum variis illis, a se invicem non parum discrepantibus, paganorum auctorum chronologiis componendos eo majore diligentia et labore opus fuit, quo vix ullum a Clemente assignetur temporis punctum, ex quo veri aliquid de iis statui potuerit. Quamobrem si in assignandis hisce mundi annis, atque in omnibus illis parvis ethnicorum auctorum chronologiis, seu potius separatis chronologiæ partibus, ad suum ordinem et locum reducendis, alicubi erravimus, id nobis, uti opinamur, benignus lector haud ægre condonabit, nosque ab eo corrigi et emendari lubentissime patiemur.

Secundo autem, quia Clemens noster, aliique antiqui sacræ chronographiæ scriptores, Septuaginta duorum Veteris Testamenti interpretum sectatores, a se invicem sæpissime dissident, idcirco, ut facilius ab unoquoque deprehendi possit in quo ipsemet Clemens ab aliis discrepet, duas præter Clementinam exhibemus chronographias, Eusebii nimirum Cæsariensis, et Georgii Syncelli, qui eumdem Septuaginta duorum seniorum computandi modum secuti sunt. Nec est sane quod quis illorum miretur dissidia, quandoquidem ii non minus a se invicem dissentiunt, qui Hebraico ejusdem sacræ Scripturæ textui se adhærere gloriantur.

Eusebii autem et Georgii Syncelli Chronica præ cæteris ideo selegimus, quia uterque in illis ipsammet Clementis nostri chronologiam haud semel citaverunt. Inde enim haud incerto colligitur utrumque sic eam legisse, ut ab illa quod verum esse judicabant, acceperint, quod falsum, rejecerint. Ad hæc vero, Eusebii, Georgiique Syncelli auctoritas pluribus majoris, quam aliorum videtur esse ponderis ac momenti. Nos quidem non fugit Georgii Chronographiam, tanquam erroribus et mendis ubique scatentem a Scaligero infamari ac proscribi. Sed in nova illius editione doctus vir Jacobus Goar Dominicanus eam ab omnibus Scaligeri probris et maledictis vindicavit. Ex hac autem postrema editione illam ab eodem Goaro emendatam, et a variis amanuensium librariorum mendis purgatam dedimus. Persuasum itaque habuimus ex triplicis hujusce Chronographiæ magis, quam ex aliarum comparatione ab omnibus animadverti posse quid in Clementina bene aut male scriptum, quid in ea rejiciendum, aut admittendum, ac quid ex illa percipi queat utilitatis et emolumenti. Cæterum si quid in hoc nostro haud parum molesto laboriosoque opere tibi arriserit, scias velim illud non tam nobis, quam sodali nostro Joanni Liron, ad alia studia, de quibus rationem aliquando reddemus, jamjam properanti esse tribuendum.

360 CHRONOGRAPHIA
CLEMENTIS ALEXANDRINI
COLLATA
CUM EUSEBIANA ET SYNCELLIANA.

Anni a mundi creatione.

CLEMENS.

[68] 1. Adam creatur a Deo.
2148. Diluvium.
Ab Adam usque ad diluvium anni 2148, dies 4.
3369. Abraham moritur.
A Sem usque ad Abraham, inquit Clemens, anni 1250. Quod quidem spatium a diluvio ad mortem Abrahæ debet haud dubie computari.
3877. Nascitur Moyses.
Ab Isaac, inquit Clemens, usque ad terræ divisionem, an. 616.
[69] 3957. Israelitæ ex Ægypto movent, duce Moyse, an. 402 imperii Assyriorum, an. 32 regni Belochii, octavi Assyriorum regis, apud Ægyptios Amoso, Inacho apud Argivos regnante, juxta Apionem Grammaticum, et Ptolemæum Mendesium. De Inachi tempore varias sup. lib. II, dissert. 2, cap. 7, § 5, cap. 2, § 1, opiniones adnotavimus.
[70] 3997. Moritur Moyses, cui succedit Jesus Nave, regitque populum an. 27. Regnante Phoroneo, Inachi filio, contigit diluvium Ogygis. Primus Sicyoniis imperavit Ægyaleus, et Cres in Creta.
361 [71] 4014. Terræ promissionis divisio.
[72] 4024. Mortuo Jesu Nave, peccantes Hebræi traduntur Chusachar Mesopotamiæ regi an. 8.
[73] 4032. Gothoniel Israelitas liberat, et eis præficitur annis 50.
[74] 4082. Secunda servitus sub Æglom rege Moabitarum an. 18.
[75] 4100. Aod populum liberat, præestque an. 80.
[76] 4180. Tertia servitus sub Jabim rege Chanaan an. 20.
[77] 4183. Raptus Ganymedis.

[68] Strom. l. I, 337. [69] ibid., p. 320, 321. [70] ibid., p. 321 et 323. [71] ibid., p. 337. [72] pag. 324. [73] ibid. [74] ibid. [75] ibid. [76] ibid. [77] pag. 335.

Digitized by Google

CLEMENS.

[78] 4198. Persei expeditio. Glaucus Isthmia instituit.
[79] 4200. Barac hortatu Debboræ acie congressus cum Sisara, victoriam obtinet, Ozio filio Riesu summo pontifice. Debbora judicat Israel an. 40.
[80] 4232. Troja condita est.
[81] 4240. Quarta servitus. Traditur Israel Madianitis an. 7.
[82] 4247. Gedeon superat Madianitas, regitque populum an. 40.
[83] 4287. Achimelech filius Gedeonis, an. 3.
[84] 4290. Boleas filius Bedan judicat populum an. 23.
362 [85] 4296. Expeditio Argonautica.
[86] 4313. Quinta servitus. Traditur Israel Ammanitis an. 18.
[87] 4328. Thesei expeditio adversus Minotaurum.
[88] 4331. Jephte debellat Ammanitas, regitque populum an. 6.
[89] 4337. Abatthan Bethlehemites judicat Israel an. 7.
[90] 4338. Septem principes Thebas oppugnant.
[91] 4341. Hercules Olympicum certamen instituit.
[92] Orpheus Musæi discipulus una cum Hercule navigavit.
[93] 4344. Ebron Zabulonites an. 8. In sequentibus textus Græcus 40 annos Ebroni tribuit: sed male, repugnat enim ipsa numerorum summa.
[94] 4350. Amazonum in Athenas expeditio.
Theseus rapit Helenam.
[95] 4352. Eglom ex tribu Ephraim populo præest an. 8.
[96] 4360. Israel Philistæis subjicitur an. 40.
[97] 4361. Herculis in deos relatio.
[98] 4365. Alexander Helenam rapit.
4375. Excidium Trojæ. Hic statui debet Trojanum excidium; nam a Troja capta ad 1 Olympiadem an. 407 numerat Clemens post Eratosthenem. Postea vero Hierosolymorum cladem an. 2 Olympiadis XLVIII consignat. Ex hac autem duplici annorum summa colligitur eam cladem anno mundi 4970 contigisse, excidium vero Trojanum eo, quo notamus, anno.
[99] Post Trojam captam Demodocus et Phemius celebres citharistæ.
[1] 4400. Samson vincit Philistæos, et populum judicat an. 20.
[2] **363** 4420. Judicat Israelem Heli sacerdos an. 40.
[3] 4454. Crates ait Homerum fuisse circa reditum Heraclidarum.
4455. Heraclidarum descensus, hoc est reditus in Peloponnesum.
[4] 4460. Heli succedit Samuel propheta, cum quo regnat Saul an. 27. Summa annorum judicum, scilicet a Josue ad Samuelem usque, 463, m. 7. Hic et in sequentibus calculis Clemens Samuelis annos omittit, et 20 duntaxat Sauli tribuit.
[5] Saul primus post judices regnat an. 20.
[6] 4475. Homerus clarus habetur secundum Eratosthenem.
[7] 4478. Moritur Samuel 2 annis ante Saulem, cum esset pontifex Abimelech.
[8] 4480. Mortuo Saule, regnat David an. 40. Fiunt a Jesu Nave, usque ad tempus, quo David regnum accepit, ut quidam volunt, an. 450. Hanc opinionem non admittit Clemens.
[9] Abiathar sumnus pontifex.
[10] Gad et Nathan prophetæ.
[11] Achias propheta in Silo.
[12] David et Salomon prophetæ quoque fuerunt.
[13] 4515. Ionica emigratio, sive expeditio 140 an. post excidium Trojanum juxta Eratosthenem.
[14] Eodem tempore Homerus clarus habebatur, secundum Aristarchum.
[15] 4520. Salomon regnat an. 40. A Jesu Nave ad mortem Davidis colliguntur an. 523, m. 7. Annos igitur 20 Sauli tribuit, nullos Samueli.
[16] *Iramus dat filiam suam Salomoni,* **364** *quo tempore post Trojam captam venit Menelaus in Phœniciam, ut ait Menander Pergamæus, et Lætus in Phœniciis.*
[17] 4555. Homerus nascitur juxta Philochorum.
[18] 4560. Roboam an. 17.
Colliguntur ab ortu Moysis ad Salomonis mortem an. 683, m. 7. Pontifex Abimelech, filius Sadoc. Jeroboam servus Salomonis in Samaria regnat.
Prophetæ Achias Silonites, et Samæas, Amanæ filius.
[19] 4575. Euthymenes et Archemachus scribunt Homerum floruisse cum Hesiodo, et natum fuisse in Chio circiter an. 200 post Trojam captam.
[20] 4577. Abium filius Roboam regnat an. 23.
[21] 4600. Athaman filius Abium an. 23.
Jesu filius Ananiæ propheta.
[22] 4615. Apollodorus ait Homerum vixisse 100 annis post migrationem Ionicam, *cum Agesilaus Doryssæus esset rex Lacedæmoniorum, adeo ut ad eum pervenerit Lycurgus legislator, cum esset adhuc juvenis.*
[23] 4623. Josaphat rex Juda an. 5.
[24] Prophetæ Elias Thesbites, Michæas filius Jeble et Abdias filius Ananiæ.
[25] 4628. Joram filius Josaphat an. 8.
[26] Prophetæ Elias et Eliseus filius Saphat.
[27] Regnante Joram, assumptus est Elias.
[28] 4636. Ochozias an. 1.
[29] Prophetæ Eliseus et Abdadonæus.
[30] 4637. Gotholia mater Oziæ (sive Ochoziæ) an. 8.
Propheta Eliseus.
[31] 4645. Joas filius Oziæ regnat an. 40.
[32] 4665. Lycurgus floret circa an. 290 post Trojam captam juxta Dieuchidam.
[33] 4674. Lycurgi tutela, juxta Eratosthenem an. 299 post cladem Trojanam.
365 [34] 4685. Amasias post Joam regnum capessit, regnatque an. 39.
[35] 4692. Ex Sosibii sententia vixit Homerus 90 an. ante 1 Olympiadem.
[36] 4701. Mors Elisei prophetæ.
A regno Salomonis, inquit Clemens, usque ad mortem Elisei an. 181.
[37] 4724. Ozias Amasiæ filius regnat an. 52. Ejus temporibus prophetavit Jonas.
[38] Prophetæ Amos et Isaias filius ejus, et Osee filius Beeri, et Jonas filius Amathi.
[39] 4776. Joathan regnat an. 16.
[40] 4782. Olympias prima juxta Clementem, eo tempore constituenda procul dubio videtur. Nam ille aperte asseruit anno primo Olympiadis XLVIII et regis Sedeciæ undecimo factam fuisse Babylonicam captivitatem. Sic autem in illius chronologia omnia melius sibi invicem cohærebunt, secumque ille melius stabit. Si quid igitur contra, ac præsertim de Trojanæ cladis tempore statuisse arguatur, ibi ille haud dubie dicendus est non suam, sed aliorum protulisse opinionem.
[41] 4792. Achaz filius Joathan an. 16.

[78] Strom. l. 1, p. 335. [79] p. 324. [80] p. 335. [81] p. 324. [82] ibid. [83] ibid. [84] p. 324. [85] p. 335. [86] p. 324. [87] p. 336. [88] p. 324. [89] ibid. [90] p. 334 et 336. [91] ibid. [92] p. 332. [93] p. 324. [94] p. 336. [95] p. 324. [96] ibid. [97] p. 336. [98] ibid. [99] p. 332. [1] p. 324. [2] ibid. [3] p. 327. [4] p. 323 et 337. [5] p. 325. [6] p. 327. [7] p. 325. [8] ibid. [9] ibid. [10] ibid. [11] ibid. [12] ibid. [13] p. 336. [14] p. 326. [15] p. 335. [16] ibid. [17] p. 326. [18] ibid. [19] p. 327. [20] p. 326. [21] ibid. [22] p. 327. [23] p. 326. [24] ibid. [25] ibid. [26] ibid. [27] ibid. [28] ibid. [29] ibid. [30] ibid. [31] ibid. [32] p. 328. [33] p. 326. [34] p. 327. [35] p. 327. [36] p. 326. [37] p. 327. [38] ibid. [39] ibid. [40] p. 331 et 328. [41] p. 327.

Digitized by Google

CLEMENS.

[51] 4806. Roma condita est.
[52] A prima Olympiade ad Romam conditam nonnulli dicunt colligi an. 24.
[53] 4807. An. 15 regni Achaz, Salmanasar rex Assyriorum transfert Israel ad Medos et Babylonem.
[54] 4808. Achaz succedit Oseæ regi Israel, regnatque iterum an. 8.

366 [55] 4816. Ezechias regnat an. 29.

[56] 4845. Ezechiæ *propter sanctitatem*, inquit Clemens, *cum ad finem vitæ pervenisset, largitur Deus per Isaiam ut videret alios quindecim annos per regressum solis.* Nunquid regnavit Ezechias an. 44 secundum Clementem? Alii viderint.
[57] Prophetæ Isaias, Osee, Michæas, et Joel, filius Bathael.
[58] 4851. Euphorion dicit Homerum vixisse tempore Gygis, qui cœpit regnare XVIII Olympiade.
[59] 4860. Manasses Ezechiæ filius regnat an. 55.
[60] 4862. Archilochus post XX Olympiadem celebratur. Fertur Simonides eodem tempore vixisse.
[61] 4875. Theopompus refert Homerum vixisse an. 500 post cladem Trojanam.
[62] 4915. Amos filius Manassis regnum obtinet an. 2.
[63] 4917. Josias regnat an. 31.
[64] 4935. Josiæ an. 18 Pascha a Samuelis tempore intermissum celebratur. Prophetæ Olda, Sophonias, et Jeremias.
[65] 4948. Josias cum Nechaone rege Ægypti congressus occiditur. Josiæ succedit Jechonias sive Joachas m. 3 et d. 10, [66] quem Nechao vinctum abduxit in Ægyptum, et pro eo constituit regem Joachim fratrem ejus, qui regnat an. 11.

367 [67] 4959. Joachin regnat menses 3. Sedecias an. 11, prophetæ Jeremias, [68] et Buzi, et Urias et Habacum, atque etiam Ezechiel quinto regni illius anno. Deinde Nahum, Daniel, Aggæus, Zacharias, et Malachias.

[69] Solon legislator insignis habetur Olympiade XLVI.
[70] 4970. Captivitas Babylonica, facta a Nabuchodonosor, Assyriis anno septimo imperante. Vafreo anno secundo apud Ægyptios regnante, Philippo Atheniensium archonte, Olympiadis XLVIII anno primo.
[71] 4971. *Anno duodecimo Sedeciæ, Nabuchodonosor septuaginta annis ante principatum Persarum adversus Phœnicas et Judæos bellum gessit, ut dicit Berosus in* Historiis Chaldaicis, *et Jobas.*
[72] 4978. Circa L Olympiadem, Pisistratidarum tempore florebat Onomacritus Atheniensis, cujus dicuntur esse poemata, quæ Orpheo ascribuntur.
[73] 4980. Thales inter Græcos sapientes **368** antiquissimus, insignis habetur circa L Olympiadem.
[74] Septem sapientes, teste Androne, eodem tempore celebres fuerunt.
[75] 4989. Primus annus Cyri. Regnat an. 30.
[76] *Publico præconio proclamavit Cyrus Hebræorum restitutionem*, inquit Clemens, sed annum silet.
[77] 5019. Cambyses an. 19.
[78] 5028. Pythagoras floret Olympiade LXII. Vide supra dissert. 2, cap. 17, art. 2.
[79] 5038. Darius Hystaspis filius an. 46.
[80] 5040. Finis captivitatis. *Anno secundo regni Darii, quem dicit Herodotus Magorum dissolvisse imperium, mittitur Zorobabel, Filius Salathiel, ut excitet, et ornet templum, quod erat Hierosolymis. Fiunt*, inquit Clemens [72], *anni omnes cum annis captivitatis usque ad populi restitutionem, ab ortu quidem Moysis, anni mille centum quinquaginta quinque, menses sex, decem dies. A regno autem David, anni, ut nonnulli quidem, trecenti quinquaginta duo : ut autem dicam accuratius, quingenti septuaginta duo, menses sex, decem dies.*
[81] 5049. Post sublatos Romanos reges, creantur consules. Videsis Scaligerum lib. III *Canonum Isagogicorum*, pag. 346.
[82] 5084. Xerxes imperat an. 26.
[83] 5110. Artaxerxes an. 41.

369 [84] 5151. Darius an. 8.

[85] 5159. Artaxerxes imperat an. 42.
[86] 5201. Ochus, vel Arces, an. 3. *Colliguntur*, ait Clemens, *simul anni regum Persarum* 235, p. 331. Eadem habet pag. 337. Sed anni tantummodo 215 inveniuntur. In describendis itaque numeris librarii amanuenses, vel ipsemet Clemens hic, sicut et alibi haud semel erravere.
[87] 5104. Alexander Macedo an. 18.
[88] 5222. Ptolemæus Lagi filius regnat in Ægypto an. 40.
[89] 5269. Philadelphus an. 27.
[90] 5289. Evergetes an. 25.
[91] 5314. Philopator an. 17.
[92] 5331. Epiphanes an. 24.
[93] 5355. Philometor an. 35.
[94] 5390. Physcon an. 29.
[95] 5419. Lathurus an. 36.
[96] 5455. Dionysius an. 29.
[97] 5488. Cleopatra an. 22. *Fiunt ergo*, ut ait Clemens, *simul conjuncta Macedonum tempora an.* 312, *dies* 18. Sed fiunt anni tantum 302.
[98] 5510. Mors Antonii et Cleopatræ, atque regni Macedonum finis.
[99] 5538. Nascitur D. N. Jesus Christus an. 28 Augusti Cæsaris a morte Antonii. Vid. sup. dissert. II, cap. 6, art. 6.
[100] 5568. An. 15 Tiberii patitur D. N. Jesus Christus. Vid. sup. dissert. II, cap. 6, art. 5.
[101] 5610. Excidium Jerusalem. 5624. Ludi Capitolini a Domitiano **370** instituuntur.
[102] 5732. Mors Commodi Augusti. Hæc omnia notavimus seriem regnorum secuti, ut aliquid certi expiscaremur : neque enim ignoramus Clementem pag. 337 ab Adam ad mortem Commodi, annos 5818, et pag. 339 annos 5784 computare.

EUSEBIUS.

2242. Diluvium.
3184. Nascitur Abraham 160 an. ante Inachi regnum.
3344. Jacob nascitur. Inachus apud Argivos regnat.
3359. Abraham moritur. Phoroneus succedit Inacho.
3444. Diluvium Ægypti sub Ogyge.
3474. Jacob intrat in Ægyptum.
3514. Ætas Promethei.
3544. Moritur Joseph.
3562. Atlas clarus habetur.
3609. Nascitur Moyses.
3644. An. 35 Moysis, Cecrops regnat in Attica.
3674. Diluvium in Thessalia sub Deucalione.
3689. Exodus.
3694. Crotopus 8 rex Argivorum.
3722. Dardanus condit Dardaniam.

[103] p. 336. [104] ibid. [105] p. 327. [106] p. 328. [107] ibid. [108] ibid. [109] p. 327. [110] p. 328. [111] p. 333. [112] p. 327. [113] p. 328. [114] ibid. [115] ibid. [116] ibid. [117] ibid. [118] ibid. [119] ibid. p. 329. [120] p. 302. [121] pag. 328 et 331. [122] ibid., pag. 329. [123] pag. 332. [124] ibid. [125] ibid. [126] p. 331. [127] p. 330. [128] p. 332. [129] p. 302 et 332. [130] p. 331. [131] ibid. [132] p. 330. [133] p. 336. [134] p. 331. [135] ibid. [136] ibid. [137] ibid. [138] ibid. [139] pag. 331. [140] ibid. [141] ibid. [142] ibid. [143] ibid. [144] ibid. [145] ibid. [146] ibid. [147] ibid. [148] ibid. [149] p. 332. [150] p. 330 et 337. [151] p. 339. [152] p. 340. [153] ibid. [154] p. 339 et seqq.

Digitized by Google

3726. Danaus Sthenelo expulso Argos occupat.
3729. Moritur Moyses.
3757. Mortuo Jesu Nave, Gothoniel judicat Israelem.
3772. Cadmus regnat Thebis.
3781. Amphion, et Zethus, et Linus in musica clarescunt.
Idæi Dactyli ferrum reperiunt.
3796. Minos regnat in Creta.
Triptolemus frumenta distribuit.
3797. Aod judicat populum.
3807. Pelops regnat in Græcia an. 59.
3814. Bacchus nascitur.
3815. Perseus rebus gestis insignis habetur.
3839. Raptus Ganymedis.
3847. Debbora et Barac.
3883. Ilium ab Ilo conditur.
3888. Argivorum regnum deficit.
3917. Gedeon judicat populum an. 40.
3929. Tyrus condita ante templum Hierosolymitanum anno 240.
3930. Argonautarum expeditio.
3957. Abimelech tyrannidem exercet an. 3.
3960. Thola judex Israel.
Theseus superat Minotaurum.
3969. Expeditio 7 principum contra Thebas.
3971 Theseus rapit Helenam.
3982. Jairus judex Israel.
3986. Minos leges et jura constituit.
3990. Carthago conditur, ut auctor est Philistus.
3996. Bellum Amazonum contra Thebas.
Hercules agonem Olympicum constituit, a quo usque ad I Olympiadem an. 430 computantur.
4004. Jephte judicat populum an. 6. Mycenis imperat Agamemnon.
4010. Esebon judicat an. 7.
Hercules moritur.
Alexander Helenam rapit.
4017. Labdon judex Israel an. 8.
4019. Trojana clades.
4022. Æneas Latinis imperat an. 3.
4025. Samson populum judicat.
Ascanius regnat an. 38.
4045. Heli sacerdos judicat annos 40.
4049. Primus Heraclidarum reditus.
4053. Amazones templum Ephesi incendunt.
4074. Reges Sicyonii deficiunt.
4085. Samuel et Saul imperant an. 40.
4193. Homeri ætas juxta quorumdam opinionem. Alii eam post an. 100, alii an. 180, alii 260, alii 400, alii denique anno quingentesimo post Trojam captam constituunt.
4099. Heraclidarum descensus sive reditus in Peloponnesum.
4123. Amazonum et Cimmeriorum incursus in Asiam.
4125. David regnat an. 40.
4132. Codrus seipsum morti tradit.
4156. Carthago construitur.
4165. Salomon an. 40.
4169. Salomon templum ædificat, consummatque an. 8.
4177. Templi dedicatio.
4185. Carthago condita a Didone, juxta nonnullos.
4205. Roboam.
4210. Susakim rex Ægypti templum spoliat.
4222. Abia regnat an. 3.
4225. Asa an. 41.
4266. Josaphat an. 25.
4286. Homerus clarus habetur, juxta Apollodorum et Euphorbum.
4291. Joram an. 8.
4299. Ochozias an. 1.
Elias rapitur.
4300. Gotholia an. 7.
4307. Joas regnat an. 40.
4318. Lycurgus floret.
4339. Mors Elisei.
4342. Zacharias occiditur a rege Joas.
4347. Amasias regnat an. 29.
4376. Azarias qui et Ozias an. 52.
4380. Lycurgus Lacedæmoniis jura componit.
4382. Finis regni Assyriorum, quod duravit an. 1240. Arbaces Medus imperium transfert ad Medos.
4388. Caranus I rex Macedonum regnat an. 28.
4395. Hesiodus insignis habetur, ut scribit Porphyrius.
4403. Lycurgi leges a Lacedæmoniis suscipiuntur, juxta Apollodorum.
4425. Olympias I an. 2 Æschyli Atheniensium archontis.
4426. Phacee regnat an. 20. Sub hoc Teglath Phalassar magnam partem populi Israel ad Assyrios transfert.
4428. Joathan regnat an. 16.
4444. Achaz an. 16.
4446. Osee rex Israel an. 9.
4449. Nonnulli Romanorum scriptores Romam conditam ferunt.
4455. Captivitas 10 tribuum, quæ transferuntur a Sennacherib, qui et Salmanasar, rege Chaldæorum.
4416. Ezechias an. 29.
Sibylla Erythræa agnoscitur.
4489. Manasses an. 55.
4493. Dejoces rex Medorum Ecbatanam condit.
4502. Gyges 5 rex Lydorum regnat an. 36.
4544. Amos an. 12 regnat.
4541. Phraortes 6 rex Medorum an. 24.
4556. Josias an. 32.
4562. Thales Milesius physicus philosophus agnoscitur, quem vixisse aiunt usque ad LVIII Olympiadem.
4571. Cyaxares 7 Medorum rex an. 32.
4578. Draco legumlator, ut quibusdam placet, agnoscitur.
4583. Cyaxares adversus Assyrios dimicans, Ninum capit.
4585. Joachaz regnat m. 3 post quem Eliakim sive Joakim, an. 11.
4591. Nabuchodonosor Judæam occupat, et tributario Eliakim facto, victor ad suos redit.
4594. Cyaxares Ninum subvertit.
4599. Joachim qui et Jechonias mens. 3.
4600. Sedecias an. 11.
4603. Astyages 8 Medorum rex an. 38.
4604. Vaphres rex Ægyptiorum an. 30.
4606. In Babylone prophetabant Daniel et Ezechiel.
4607. Solon suas leges constituit.
4611. Hebræorum captivitas, et exterminium templi, quod duravit an. 70 usque ad 2 an. Darii.
4620. Isthmia et Pythia primum acta.
4629. Moritur Nabuchodonosor, cui succedit Evilmerodach, deinde Baltazar.
4634. Amasis rex Ægypti an. 42.
4639. Crœsus 9 rex Lydorum an. 15.
4641. Cyrus Medorum destruit imperium, superato Astyage.
Cyrus Hebræorum captivitate laxata, 50 hominum millia regredi fecit in Judæam, qui exstructo altari, templi fundamenta jecerunt. Sed cum a vicinis gentibus fabricatio impediretur, imperfectum opus usque ad Darium permansit, solo altari consistente. Regnat Cyrus an. 30.
4651. Crœsus adversus Cyrum bellum init.
4652. Thales moritur.
4654. Crœsus a Cyro capitur.
4671. Cambyses regnat an. 8.
4676. Cambyses invadit Ægyptum.
4679. Duo fratres magi regnant m. 7, deinde Darius an. 36.
4681. Olympias XCV Darii an. 2, templum exstruitur a Zorobabele, consummaturque opus an. 4.
Pythagoras clarus habetur.
4688. Pulsis ab Urbe regibus, consules creantur.
4715. Xerxes an. 20.
4720. Xerxes Athenas incendit.
4735. Artabanus imperat m. 7.
4736. Artaxerxes Longimanus an. 40.
4741. Esdras sacerdos insignis habetur.
4756. Nehemias venit in Judæam.
4768. Nehemias perficit muros, urbemque Jerusalem.
4769. Initium belli Peloponnesiaci.
4776. Xerxes II regnat mens. 2, Sogdianus m. 7.
Darius Nothus an. 19.
Plato nascitur.
4795. Artaxerxes Mnemon an 40; hic est Assuerus Esther.
4802. Socrates venenum bibit.
4835. Artaxerxes Ochus an. 26.
4861. Arces Ochi filius an. 4.
4864. Alexander Philippi filius an. 12, m. 7.
4865. Darius Arsami filius an. 6.
4870. Alexander Alexandriam condit, regnum Persarum destruit.

Digitized by Google

4876. Mortuo Alexandro, Ptolemæus regnat in Ægypto.
4916. Philadelphus an. 38.
4918. Philadelphus Scripturas sacras transferri curat per LXXII Interpretes.
4954. Evergetes an. 26.
4980. Philopator an. 17.
4997. Epiphanes an. 24.
5021. Philometor an. 35.
5056. Evergetes an. 29.
5085. Physcon, qui et Soter, an. 17.
5102. Alexander an. 10.
5112. Ptolemæus Cleopatræ filius an. 8.
5120. Dionysius an. 30.
5150. Cleopatra an. 22.
5152. C. Julius Cæsar ann. 4, mens. 7.
5157. Augustus an. 56, mens. 6.
5171. Mors Antonii et Cleopatræ.
5199. Jesus Christus Filius Dei nascitur.
5215. Tiberius an. 23.
